Ra III 1592

Alma Callor

Elverbeck

220.1
C815

Aa III. 189c



COMPENDIUM

INTRODUCTIONIS IN S. SCRIPTURAS

EX TYPOGRAPHIA FIRMIN-DIDOT ET SOCIORUM. — MESNILI AD STRATAM

HISTORICAE ET CRITICAE

INTRODUCTIONIS

IN

U. T. LIBROS SACROS

COMPENDIUM

S. THEOLOGIAE AUDITORIBUS ACCOMMODATUM

AUCTORE

RUDOLPHO CORNELY S. I.

Editio quarta, recognita et completa.

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA « CASSETTE », 10

1900

Omnia iura vindicabuntur.

1919

Quum opus, cui titulus est : « *Compendium introductionis historicae et criticae in libros sacros Utriusque Testamenti, auctore P. Rudolpho Cornely S. I., in Pontificia Universitate Gregoriana S. Scripturae Professore*, aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis die 5. Octobris 1888. A. M. ANDERLEDY,
L. S. Praep. Gen. S. I.

IMPRIMATUR.

Fr. Raphael PIEROTTI O. Pr.
S. P. A. Magister.

Quum opus, cui titulus est : « *Historicae et criticae Introductionis in Utriusque Test. libros sacros Compendium S. Theologiae auditoribus accommodatum, auctore Rudolpho Cornely S. I.* — Editio quarta recognita et completa », aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Exaeten die 6. Ianuarii 1900. Henricus HAAN S. I.
L. S. Praep. Prov. Germ.

IMPRIMATUR

Parisiis die 15. Ianuarii 1900. † Franciscus Card. RICHARD
Archiep. Parisiensis.

LEGENTIBUS S.

Quamprimum Praelectiones meas de Introductione in S. Scripturas tribus voluminibus typis vulgavi, complures amici, quorum literarum sacrarum scientiam et in eis tradendis experientiam plurimi facio, petierunt a me et oraverunt, ut earum summarium quoddam academiis et seminariis ecclesiasticis accommodarem, quod docentibus et discentibus sperarent fore utile, quia eo librorum latine conscriptorum genere potius indigeremus, quam abundaremus. Quorum votis obsecutus sum, ne laborem, qui in aliquale sacrarum literarum subsidium cessurus dicebatur, fugere viderer.

In hoc autem compendio adornando, quum imprimis iuvenum ad divinorum librorum studium accedentium utilitati servire vellem, maximam et brevitatis et claritatis curam habui : summa igitur Introductionis capita quam paucissimis verbis complecti et breviter quidem, sed quam dilucidissime potui, explicare, demonstrare, vindicare conatus sum, quo facilius mente comprehenderentur et memoria retinerentur. Qua methodo usus docentibus quoque laborem meum non iniucundum fore confido, siquidem quae ampliore doctrina et fusiore sermone in scholis ipsi enarraturi sint, ea hoc compendio conclusa discipulis praeparanda et repetenda in manus possint tradere. Alia de eius ratione deque sententiarum quas proposuimus delectu addere opus non est, quia meas Praelectiones typis iam descriptas ita secutus sum, ut omnibus iis, quae iuvenibus minus necessaria vel utilia esse putavi, praetermissis paragraphus paragrapho respondeat. Id unum annoto, me in Appendicibus praeter fragmentum muratorianum de romano Novi Test. canone et specimina quaedam priscorum alphabetorum antiquorumque codicum etiam chronologica documenta pauca posuisse, quae S. Scripturarum studiosis utilia acceptaque fore sperabam.

His quae de operis huius, quum prima vice illud foras darem (a. 1889.), ratione ac fine praefatus sum, pauca tantum de posterioribus illius editionibus addenda habeo. In secunda iam, quae a. 1891. prelum reliquit, inter appendices dissertationem de divinae inspirationis veritate, natura, extensione recepi. Id quippe amici aliqui, qui librum meum in suis de S. Scriptura lectionibus sequi coeperant, sibi gratum fore mihi significarant, quia hanc quaestionem suis in scholis explicare tenerentur, quamvis eius tractationem proprie ad dogmaticae theologiae scholas pertinere mecum consentirent. Antequam deinde a. 1895. tertiae editioni parandae manum admovi, feliciter contigit, ut Summus Pontifex Leo XIII. praeclarissimas literas encyclicas *Providentissimus Deus* promulgaret, quibus pro sua sapientia « *nobilissimum hoc sacrarum Literarum studium excitaret commen-*

dăretque atque simul ad temporum necessitates congruentius dirigeret ». Quod documentum, utpote gravissimum et ad libri huius doctrinas hermeneuticasque praesertim eius regulas confirmandas accommodatissimum praetermittere mihi integrum non esse duxi; quare ei tamquam supplemento docentibus ac discentibus non minus utili quam iucundo inter tertiae editionis appendices primum locum assignavi eiusque partes praecipuas numeris adscriptis distinxi, quibus eas in confirmationem facilius allegarem. Quoniam porro in hoc volumine ob spatii angustias structuram singulorum librorum sacrorum accuratioribus eorum argumentis dispositionibusque descriptis explicare non potui, separato volumine copiosas « *Synopses omnium librorum sacrorum Utriusque Testamenti* » edidi (Parisiis 1899.), quibus quasi altera Compendii parte illud complerem.

Ceterum quum aliae maiores additiones vel mutationes requiri non viderentur, in secunda ac tertia editionibus minora tantum illa emendavi, quae haud satis accurate vel recte erant expressa, atque paucis illis insertis, quae documentis recenter detectis interim innotuerant, praesertim commentariorum catholicorum catalogum iis additis, qui ultimis annis in lucem prodierunt, utiliorem reddere studui. Eandem autem libri emendandi et complendi viam in hac quarta adornanda editione eo libentius et sollicitius ingressus sum, quo magis Compendium, quippe quod variis in Academiarum Seminariorumque scholis per Europam et utramque Americam iam adhibeatur atque plus decem millibus exemplarium iam sit divenditum, ipsa sua propagatione sese haud paucis S. Scripturae professoribus probari demonstravit.

Deus O. M. ergo, cuius maior gloria unice in omnibus mihi est proposita, pro sua benignitate concedere dignetur, ut Compendium hoc qualecumque etiam quarta sua editione ad divinarum Scripturarum studium in scholis catholicis promovendum aliquid conferre pergat.

Scribebam in collegio *Blyenbeek* (Afferden L.-Holland)
die festo SS. Nominis Iesu a. 1900.

R. C.

PROLEGOMENA

DE INTRODUCTIONIS IN S. SCRIPTURAS NECESSITATE, HISTORIA, ARGUMENTO, DIVISIONE.

1. — S. Scripturarum studium, uti in se dignissimum et utilissimum est, ita difficillimum quoque semper est habitum, cui cum fructu vacare homo non valeat, nisi speciali institutione praeparatus adiumenta difficultatibus earum solvendis idonea sibi comparaverit.

Studia scripturistica, si eorum argumentum spectatur, ceteris dignitate et utilitate praestare evidens est; libri enim sacri, quum « Spiritu S. inspirante conscripti Deum habeant auctorem », ipsius Dei verbum non tam continent, quam sunt; eorum igitur scientia « verae theologiae anima » merito vocatur, siquidem ex illis, utpote praecipuo revelationis fonte, Ecclesia dogmata sua hausit hauritque et theologus verum eorum intellectum genuinumque quo inter se colligata sunt nexum hauriat necesse est (cfr *Encycl.* « Providentissimus » 1. 2. 22). Quapropter mirum non est, quod Patres studia haec praedicare non cessarint; sibi quippe cum *S. Aug.* (Doctr. christ. IV. 5) persuasum habebant, « sapienter dicere hominem tanto magis vel minus, quanto in Scripturis magis minusve profecisset ».

At non minus persuasum eis erat, illas esse obscuras, ideoque monuerunt, ne quis « in Scripturis sine praevio et monstrante viam ingredi se posse » opinaretur (*S. Hier.* ad Paulin. ep. 53,6). Deus ipse autem, ne ista obscuritate in perniciosorum errorum abyssum dilaberemur, pro sua sapientia ac bonitate ducem certissimum ac fidissimum nobis dedit vivum et authenticum Ecclesiae magisterium, « cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum » (*Conc. Trid.* sess. 4. Decret. de edit. et usu Script.). Quem ducem et magistrum primi iam Patres nos audire ac sequi iubent; unus pro omnibus loquatur *S. Irenaeus* (c. haer. IV. 26,5) : « ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, *apud quos est ea, quae ab Apostolis est, successio...* hi enim et eam, quae est in unum Deum qui fecit omnia, fidem nostram custodiunt, et eam, quae est in Filium Dei, dilectionem adaugent, et *Scripturas sine periculo nobis exponunt* ». Neque tamen Patres ducem illum sibi ita datum esse arbitrati sunt, ut propria industria proprioque studio non amplius indigerent; sed e contra divino illo duce freti ad eius vocem semper attendentes maiore cum ardore omnes suas vires intendebant, ut difficultatibus omnibus superatis divitias in divino verbo

scripto absconditas sibi aperirent acquirerentque et ab hostium insultationibus constanter ac fortiter defensarent (cfr *Encycl.* 16).

Quorum exemplum ergo strenue imitantes, « ne coelestis sacrorum librorum thesaurus, quem S. Spiritus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat » (*Conc. Trid.* sess. 5. Decret. de reform. 1.), *S. Hieronymi* monitum, quod Nepotiano clerico tradidit (ep. 52,7), observemus oportet : « Scripturas divinas saepius lege, immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur ». Verum ut cum fructu lectioni studioque earum vacemus, praeparatio quaedam et institutio requiritur, qua adiumenta obscuritati earum depellendae apta suppeditantur. Variae enim neque paucae nec leves sunt difficultates; ut gravissimas illas, quae ex ipso librorum argumento exoriuntur, praetermittamus, quia ad theologiam dogmaticam potissimum pertinent, haud pauciores neque minus graves aliis ex fontibus profluunt. Namque linguae, quibus primitus libri sacri sunt scripti, hodie sunt mortuae atque imperfecte tantum cognitae; veteres institutiones, leges, mores etc. in oblivione magis minusve iacent neque sine magno labore ex antiquis monumentis hodie interdum magis coniiciuntur quam cognoscuntur; rerum omnium, quae in illis narrantur, viva memoria est obliterata. Atqui horum omnium scientia tamen ei est necessaria, qui libros illos intelligere vult. Quomodo de ipsa Scripturarum versione, qua utitur, certus erit, nisi eam cum primigeniis textibus comparare potuerit? Quis vero genuinus sit textus, unde definiet, nisi antiquorum, quibus conservatus est, codicum aliorumque adiumentorum criticorum notitiam aliquam possideat? Quomodo innumeras, quae in singulis fere phrasibus reperiuntur, allusiones intelliget, nisi historiam institutionesque antiquorum populorum, de quibus agitur, cognitas habeat? Atque ipsorum quoque librorum origo, historia, auctoritas, finis, quem auctor sibi proposuit, argumentum, quod tractare voluit, aliaque non pauca cognoscantur oportet, quum non parum ad eos intelligendos conferant. Multiplex igitur praeparatio requiritur, antequam aliquis ad librorum interpretationem accedere tuto valeat (cfr *Encycl.* 4. 5. 12).

2. — Hinc factum est, ut *Introductionis in S. Scripturas* nomine disciplina quaedam theologica sit exculta, « quae sacrarum literarum studio addictum manuducere possit in penitiora earum adyta » (*Bonfr.*). Introductionis quidem nomen, si mere etymologice spectatur, diversissimarum rerum cognitiones, quae quoquo modo interpretandis libris sacris inserviunt, complecti videtur; arctiore tamen sensu semper est adhibitum. Eadem enim ratione, qua reliquae disciplinae theologicae, haec quoque paullatim est efformata, argumentumque suum arctioribus limitibus circumscripsit et methodum sibi adaptatam excoluit. Licet enim cognitiones interpretibus Scripturarum necessariae a Patribus iam sint explicatae eorumque tempore etiam nomen Introductionis sit usurpatum, a reliquis tamen haec disciplina accuratius secerni et separari coepta non est ante saec. 16., quando *Sixtus Sen.* eius finem et argumentum accurate determinavit; historicam autem, qua hodie tractari solet, methodum *Rich. Simon* exeunte saec. 17. primus adhibuit.

Saec. 5. inter Graecos monachus quidam *Adrianus* primus edidit *introductionem in divinas Scripturas*, et saec. 6. inter Latinos *Cassiodorus* suam « Divinarum literarum institutionem » « *introductoriis* libris » adnumeravit. Nomine

autem res est antiquior; namque velut « introductores S. Scripturae » Cassiodorus iam recenset *Tychonium Don.*, *S. Augustinum*, *Adrianum*, *S. Eucherium Lugd.*, *Iunilium Afrum*, quibus addere potuit *Origenem* quoque et *Melitonem Sard.*, qui eadem ratione, qua reliqui, praecepta interpretationis maxime tradiderant[1]. Ceterum quaestionem de origine et auctoritate librorum solus *Iunilius* attigit, alii antiqui simul cum historicis, archaeologicis etc. quaestionibus aut data occasione in commentariis tractaverunt aut in commentariorum prolegomenis vel in operibus historicis explicarunt[2].

Media aetate nomen Introductionis non invenitur adhibitum; leges interpretationis eo tempore in dogmaticis operibus tradebantur, reliquae quaestiones ab interpretibus scholasticis, uti a Patribus, commentariis inserebantur; attamen accurate iam monet *Card. Hugo* (saec. 13.) in commentariorum prolegomenis « sex esse praelibanda, quae totius operis seriem pandant et legentem dirigant; quae sc. materia, quis auctor, quae intentio, quae utilitas, quis modus agendi, quis titulus » (Proleg. in Ios.). Quibus omnia fere continentur, quae inde a saec. 16. separatis operibus tractari et velut separata disciplina excoli sunt coepta.

Meliorem introductoribus viam monstravit *Sixtus Senensis*, O. Praed. († 1569)[3]; duplicem enim finem Introductioni assignavit, ut legentes ad S. Scripturarum studium praepararet earumque auctoritatem defenderet; quem duplicem finem ut attingeret, in sua « Bibliotheca sacra » argumenta, originem, auctoritatem librorum sacrorum exposuit, apocrypha et pseudepigrapha descripsit, artem interpretationis tradidit, opera quae de Scripturis agunt enumeravit, obiectiones contra Scripturarum auctoritatem allatas solvit. Eundem duplicem finem sibi proposuerunt eius successores multi, sed aut priorem aut alterum magis urgentes in sua opera introductoria variis titulis exornata (Bibliotheca sacra, Isagoge vel Introductio, Prolegomena vel Praeloquia, Apparatus sacer etc., etc.) plura vel pauciora de linguarum scientia, historia, archaeologia etc. receperunt, ita ut haud pauca ex illis operibus sint farrago quaedam variarum quaestionum, quas auctores libris sacris explicandis aut defendendis idoneas censebant.

Versus finem saec. 17. *Rich. Simon*, Congr. Orat. († 1712), primus methodum historicam et criticam adhibuit. Quoniam enim illo tempore ab incredulis inspiratio librorum sacrorum impugnabatur, in sua « Historia critica »[4], ut obiectiones

(1) *Adriani mon.* Εἰσαγωγὴ εἰς τὰς θείας γραφάς (*Migne* Patrol. gr. 98,1273 sqq. — Editionem criticam curavit F. Goessling. Berlin 1887.) — *Cassiodori* Institutio divin. liter. (*Migne* Patrol. lat. 70,1105 sqq.). — *Tychonii Don.* Septem regulae ad investigandam et inveniendam intelligentiam Scripturarum (*M.* 18,13 sqq.). — *S. Augustini* Doctrina christiana (*M.* 34,16 sqq.). — *S. Eucherii Lugd.* Liber formularum spiritualis intelligentiae et Instructiones ad Salonium (*M.* 50,727 sqq.). — *Iunilii Afri* De partibus legis divinae vel Instituta regularia divinae legis (*M.* 68,11 sqq. Editionem accuratiorem cur. *H. Kihn.* Friburgi 1880). — *Origenis* de Principiis IV. (*M.* 11,341 sqq.). — *Melitonis Sard.* Clavis Scripturae S. ad nos non pervenit.

(2) Praeter *Eusebii Caes.* Historiam eccles. (*M.* 20) et *S. Hieronymi* Praefationes, Prologos, librum de Viris illustribus (*M.* 23,601 sqq.) nonnullasque epistolas hoc in loco nominari merentur *S. Chrysostomi* Synopsis Scripturae S. (*M.* 56,313 sqq.), *Ps. Athanasii* Synopsis S. S. (*M.* 28,284 sqq.), *S. Isidori Hisp.* Etymologiarum l. VI. et Prooemia in libros Vet. et Nov. Test. (*M.* 82,229 sqq. 83,115 sqq.).

(3) *Sixti Senens.* Bibliotheca sancta in octo libros digesta. Venetiis 1566. (Optimam editionem curavit *Thom. Milante* O. Praed. Neapoli 1742).

(4) *R. Simon* Histoire critique du Vieux Testament. Paris 1678; Hist. crit. du Nouveau Test. Paris 1689; Hist. crit. des versions du N. T. Paris 1690; Hist. crit des commenta-

melius refutaret, in originem librorum accurate inquisivit, primigeniorum textuum historiam diligenter enarravit, antiquarum versionum originem investigavit et indolem descripsit, demum praemissa disputatione de Scripturarum obscuritate praecipuos interpretes, quorum opera intelligendis Scripturis plurimum inserviunt, enumeravit et diiudicavit.

Circa idem tempus, quo R. Simon historiam criticam librorum sacrorum condidit, alii linguas sacras diligentius tractare coeperunt, historiam et antiquitates populi iudaici sollertius investigarunt, atque *philologiam sacram*, *historiam sacram*, *archaeologiam biblicam*, quas antiquiores introductores magis minusve cum librorum ipsorum historia coniunxerant, velut disciplinas separatas excoluerunt. Ulterius progressi multi interpretationis quoque praecepta, quae Patrum aetate in libris introductoriis sola exposita erant, tamquam disciplinam separatam sub titulo *Hermeneuticae sacrae* tradiderunt atque Introductioni solam historiam originis, conservationis, propagationis librorum sacrorum reliquerunt.

3. — Licet de Introductionis ambitu non una sit omnium sententia [5], recte tamen, si ad huius disciplinae historiam et finem attenditur, eius argumentum proprium quaestiones esse dicuntur de librorum sacrorum origine, conservatione, propagatione, interpretatione, ut hac ratione legentes edoceantur, quodnam sit singulorum librorum argumentum,

teurs du N. T. Paris 1693. Quae omnia una cum eorum defensionibus collecta sunt in editione Roterdam 1685-1699. 5 voll.

(5) *Moderni introductores catholici* vario modo ambitum Introductionis definiunt.

Historicas et archaeologicas quaestiones interpretationisque regulas cum historia librorum coniungunt *I. H. Ianssens* (Hermeneutica sacra. Leodii 1818, et saepissime), *I. B. Glaire* (Introduction aux livres de l'ancien et du nouveau Test. 5 voll. Paris 1843. sqq.; Abrégé de l'Introd. etc. Tournai 1846.), *I. Dixon* (A general Introduction etc. Dublin 1852.), *U. Ubaldi* (Introductio in S. S. 3 voll. Romae 1877. sqq.), *Einführung* in die hl. Schrift (Regensburg 1891.), A Brüll (Bibelkunde. Ed 7. Freiburg 1899.).

Interpretationis regulas cum historia librorum coniungunt *T. I. Lamy* (Introductio. Mechliniae 1866. sqq.), *F. Vigouroux* et *L. Bacuez* (Manuel biblique. Paris 1878-80.).

Librorum historiam historiae sacrae inseruerunt *D. Haneberg* (Geschichte der bibl. Offenbarung. Ed. 4. Regensburg 1876.), *I. Danko* (Historia revelationis V. et N. T. Vindobonae 1862-1867.), *H. Zschokke* (Historia sacra V. T. Ed. 4. Vindobonae 1894.), *Aem. Schöpfer* (Geschichte des Alten Testam. (Ed. 2. Brixen 1896.).

Solam librorum historiam fere tractant in suis Introductionibus in Utrumque Test. *M. A. Scholz* (Einleitung. Coeln 1845. sqq.), *Fr. Kaulen* (Einl. Freiburg 1876. Ed. 3. 1890.), in Introductionibus in Vetus Test. *I. G. Herbst* et *B. Welte* (Freiburg 1840-44.), *F. I. Reusch* (Freiburg 1859. Ed. 4. 1870.), *W. Schenz* (Regensburg 1887.), in Introductionibus in Novum Test. *I. L. Hug* (Ed. 4. Stuttgart 1847.), *F. X. Reithmayr* (Regensburg 1852.), *H. de Valroger* (Paris 1861.), *A. Maier* (Freiburg 1852.), *A. Mesmer* (Oeniponte 1858.), *I. Langen* (Freiburg 1868.), *M. Aberle* et *P. Schanz* (Freiburg 1877.), *A. Schneedorfer* O. Cist. (Ed. 2. Pragae 1893.), *Aloys. Schaefer* (Paderborn 1898).

Solas interpretationis regulas tradunt *T. Ranolder* (Hermen. biblicae principia. Budae 1838. Ed. 2. 1859.), *F. X. Patritii* S. I. (De interpret. Bibliorum institutio. Romae 1844. Ed. 2. 1876.), *Chr. G. Wilke* (Bibl. Hermeneutik nach kath. Grundsätzen. Würzburg 1853.), *I. Kohlgruber* (Hermeneutica biblica gener. Viennae 1850.), *I. B. Setwin* (Hermeneuticae biblicae institutiones. Viennae 1872.), *F. X. Reithmayr* (Lehrbuch der bibl. Hermeneutik. Kempten 1874.), *L. A. Schneedorfer* O. Cist. (Synopsis hermeneuticae biblicae. Pragae 1885.).

Eadem varietas in protestanticis introductionibus reperitur.

quaenam eorum indoles, quae puritas textus eorum, quae genuina eorum interpretandorum ratio.

Ex Introductionis origine et historia satis elucet, duplicem *finem* ei esse assignatum; praeparare enim iuvenes ad Scripturarum explicationem earumque auctoritatem ab incredulorum obiectionibus vindicare voluerunt Sixtus Sen. et Richard Simon, atque idem sibi proposuerunt recentiores omnes, qui divinam revelationem agnoscunt. Neque timendum est, ne duplici praestituto fine unitas disciplinae destruatur; ex rei enim natura consequitur, ut alter priori subordinetur, siquidem debito modo ad intelligendas Scripturas praeparari nemo potest, nisi quaenam sit earum indoles et auctoritas simul edoceatur; itaque lectoris praeparatio, id quod etiam Introductionis nomen innuit, eius finis est primarius et totalis, auctoritatis librorum defensio autem secundarius et partialis.

Ex primario porro fine, si simul ad disciplinae historiam attenditur, apparet, quodnam sit genuinum eius *argumentum* et quibus limitibus circumscribatur. Etsi enim praeparatio lectoris per se quam plurima comprehendat, hodie tamen, postquam aliae disciplinae sunt excultae, quae quidquid ad linguarum, quibus scripti sunt libri, et rerum, quas tractant, scientias pertinet sibi velut proprium argumentum vindicant, Introductioni reservatae sunt solae illae quaestiones, quae librorum historiam externamque formam attingunt, ut hoc pacto nobis indolis eorum et hodierni status ideam quandam generalem exhibeat, qua in singulis eorum partibus explicandis ducamur.

Clarum autem est, ad indolem et historiam Scripturarum cognoscendam non sufficere, ut de earum origine, conservatione, propagatione edoceamur, sed necessario requiritur, ut conatus quoque, qui ad eas explicandas hucusque facti sunt, adiumentaque, quae explicationi earum inserviunt, cognoscamus et diiudicemus; critica igitur quaedam interpretationis historia Introductioni completae deesse non potest. Attamen haec ipsa omnino requirit, ut genuinum interpretationis vere catholicae systema exponatur, ad cuius normam omnes conatus exegetici diiudicentur. Quapropter illis accedimus, qui hermeneuticas regulas ab Introductione historica et critica non excludunt, idque ideo potissimum, quia eam deficiente exegeseos historia quadam mancam mutilamque esse censemus.

4. — Sua sponte Introductio in *generalem* et *specialem* distinguitur, quatenus aut illas quaestiones explicat, quae omnes libros sacros eorumque collectionem attingunt, aut singulorum librorum historiam indolemque exponit. Specialis vero pro rei natura duabus partibus constat, quarum prior de libris Veteris, altera de libris Novi Testamenti singulis agit. Tripartitus igitur erit integer tractatus hac ratione:

Pars prima s. *Introductio generalis de Utriusque Test. canonis, textus, interpretationis historia;*

Pars altera s. *Introductio specialis in Veteris Test. libros historicos, didacticos, propheticos;*

Pars tertia s. *Introductio in Novi Test. libros historicos* etc.

Quaestiones in *Introductione generali* explicandae sunt triplicis generis. Biblia enim nostra, quae ceu divina nobis tradit Ecclesia, multos continent libros diverso tempore a diversis hominibus diversis linguis etc. conscriptos, atque prima quae-

stio solvenda est, quomodo et quando haec collectio, cui *canonis* nomen inditur, sit exorta et quae eius sit auctoritas; cui quaestioni prima respondet dissertatio *historiam canonis Utriusque Test.* enarrans. Altera quaestio est, num libri illi puri et illibati ad nos pervenerint, et sin minus, quae subsidia in promtu sint ad eorum naevos abstergendos; quare altera dissertatio aget *de textuum primigeniorum antiquarumque versionum historia et auctoritate* praecipuasque regulas indicabit, secundum quas subsidia ad genuinum textum restituendum adhiberi debeant. Genuini textus demum inveniendus est genuinus sensus; tertia dissertatio igitur, in qua *historia interpretationis* narratur, varia systemata hermeneutica exponit et diiudicat, quae ad Scripturas explicandas adhibita sunt, praecipuosque interpretes enumerat, quorum opera in libris sacris interpretandis maiori minorive nobis utilitati sunt.

Duae quoque *Introductionis specialis* partes ternis dissertationibus apte absolventur; pro primario enim, quod tractant, argumento et pro fine, quem persequuntur, libri quum Veteris tum Novi Testamenti in *historicos*, *didacticos*, *prophéticos* recte distribuuntur.

Fontes, ex quibus historiam nostram et argumenta haurimus, praeprimis sunt *libri sacri* ipsi, qui haud raro nonnulla de sua origine et indole nos docent et frequenter alter alteri testimonium ferunt. Dignitate et auctoritate proxime sequuntur *Summorum Pontificum atque Conciliorum oecumenicorum decreta*, quibus addenda sunt, licet minor sit eorum auctoritas, particularium synodorum et episcoporum publica testimonia. Tertius fons isque uberrimus profluit ex *SS. Patrum scriptorumque ecclesiasticorum operibus*, in quibus multa et egregia quum de singulorum librorum sacrorum eorumque collectionis historia tum de eorum indole et interpretationis ratione traduntur. Quibus accedunt *iuniores interpretes et theologi catholici*, qui etsi auctoritate plerique inferiores sunt, tamen maximae sunt utilitatis, quia ex antiquis fontibus optima quaeque collegerunt, digesserunt novisque observationibus auxerunt. — Acatholicos quoque scriptores nequaquam negligendos sed debita cum cautione adhibendos atque profanos auctores interdum consulendos esse, per se patet; ex illorum enim partibus non stamus, qui cum modernis hypercriticis (cfr *C. H. Cornill* Einl. in das Alte Test. Ed. 3. Praef.; *E. Schürer* Theolog. Literaturzeitung 1899. c. 613 etc.) adversariorum opera nihil omnino boni continere atque plane esse negligenda sibi persuadent.

PARS I.

INTRODUCTIO GENERALIS

SIVE

HISTORIA CANONIS, TEXTUS, INTERPRETATIONIS UTRIUSQUE TESTAMENTI.

DISSERTATIO I.

HISTORIA CANONIS UTRIUSQUE TESTAMENTI.

CAPUT I.

DE SCRIPTURARUM NOMINIBUS, PARTITIONE, ORDINE PRAENOTANDA.

§ 1. — *De Scripturarum nominibus praecipuis.*

1. — Inde ab antiquissimis temporibus libri divinitus inspirati a quibuscumque aliis distinguebantur variis nominibus. Quoniam reliqua scripta omnia, sive auctor sive argumentum eorum spectatur, infinite superant, SCRIPTURA (vel *Scripturae*), LIBER (vel *libri*, BIBLIA) κατ' ἐξοχήν appellabantur, et « quia a S. Spiritu sunt inspirati, sancta continent hominesque sanctificant » (*S. Thom.*), illis prae omnibus aliis epitheton *sacri* attribuebatur.

Ἡ γραφή vel αἱ γραφαί (sine ullo addito frequenter in N. T.); הַסֵּפֶר, τὸ βιβλίον, *liber* (2 Esdr. 8,8), הַסְּפָרִים, τὰ βιβλία, *libri* (*Dan.* 9,2), מְגִלַּת סֵפֶר, κεφαλὶς βιβλίου, *volumen libri* (Ps. 39,8 cfr *Hebr.* 10,7). — Ἅγιαι γραφαί, *sacrae scripturae* (*Rom.* 1,2), τὰ ἱερὰ γράμματα, *sacrae literae* (2 *Tim.* 3,15), ἡ ἱερὰ βίβλος, τὰ βίβλία τὰ ἅγια (2 *Mach.* 8,23; 1 *Mach.* 12,9), *libri sacri.*

Quae nomina, quibus Spiritus S. ipse libros ante Domini adventum a se inspiratos designavit, primi iam Patres praeeuntibus Apostolis (2 *Petr.* 3, 16; 1 *Tim.* 5, 18) ad libros a discipulis Domini inspiratis conscriptos extenderunt illisque haud pauca similia addiderunt, quibus se apostolicorum librorum originem et auctoritatem pro divina habere significarent (ἡ θεῖα γραφή, *divina* Scriptura, αἱ θεόπνευσται γραφαί, *divinitus inspiratae* Scripturae, τὰ θεῖα βιβλία, *divini* libri, *divina bibliotheca* etc.). Sicut autem nominibus istis libri sacri velut *scripta* κατ' ἐξοχήν designantur, ita Iudaei aliud nomen efformarunt, quo velut *legenda* κατ' ἐξοχήν designantur (הַמִּקְרָא vel הַמִּקְרָא, *lectio;* cfr 2 *Esdr.* 8,8).

Propter Scripturarum eminentem originem ad earum verba alleganda in ipsis libris sacris et a Patribus formulae sollemnes usurpantur, quae nullo humani

scriptoris nomine indicato divinum earum auctorem manifestant : γέγραπται (apud Synopt. et S. Paul.), γεγραμμένον ἐστί (apud S. Ioan.), *scriptum est;* ἐρρέθη (sc. ὑπὸ τοῦ θεοῦ *Matth.* 5,31 etc.) *dictum est;* κατὰ τὸ εἰρημένον (*Rom.* 4,18), *sicut dictum est;* εἴρηκεν (*Act.* 13,34 etc.) vel λέγει (*Hebr.* 8,8, sc. ὁ θεός vel ἡ γραφή (*dixit* vel *dicit*) etc.

2. — A Tertulliani aetate inter Latinos tritum est nomen VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, quo graecum ἡ παλαιὰ καὶ καινὴ διαθήκη exprimitur: eodem sensu a Latinis nomen *V. et N. Instrumenti* adhibetur.

Testamentum autem, uti monet *S. Augustinus* (in Ps. 82,6), « in Scripturis non solum id dicitur, quod non valet nisi testatoribus mortuis, sed omne pactum et placitum », vel uti accuratius scribit *S. Hieronymus* (in Mal. 2,2) : « Notandum, quod hebraicum ברית, Aquila, συνθήκην i. e. *pactum* interpretatur, Septuaginta vero διαθήκην i. e. *testamentum*, et in plerisque Scripturae locis testamentum non voluntatem defunctorum designare, sed pactum viventium ». Unde « liber testamenti » (*Exod.* 24,7 סֵפֶר הַבְּרִית, τὸ βιβλίον τῆς διαθήκης, *It.* « liber testamenti », *Vulg.* « volumen foederis ») librum illum significat, qui foederis a Deo cum filiis Israel pacti conditiones, leges, historiam tradit, atque « secundum loquendi vulgatissimam consuetudinem Scripturas omnes Legis et prophetarum, quae ante incarnationem Domini ministratae auctoritate canonica continentur, nomine *Testamenti Veteris* nuncupamus » (*S. Aug.* De gest. Pelag. 5); *Novum Testamentum* autem vocamus libros illos, quibus discipuli Domini foederis pretioso Christi sanguine sanciti fundationem legesque tradunt.

Altero iuridico nomine *Instrumenti* Tertullianus frequentissime utitur: instrumentum autem iuris consultis est scriptum, quod in iudiciis prolatum fidem facit atque in pactis certas firmasque res esse demonstrat; quapropter hoc nomine aptissime Scripturae designantur, quibus in omni, quam tractant, quaestione fides summa debetur, ita ut illarum auctoritati adversari nemini liceat. Strictiore hoc sensu vocabulum a Tertulliano plerumque adhibetur; iuniores tamen Patres latiore sensu illud sumere solent, ita ut apud eos idem fere quod Testamentum significare videatur neque ab illo distinguatur.

Tertium nomen iuridicum *Cassiodorus* invexit; *Sacras* quippe *Pandectas* nominavit Scripturas, quippe quibus omnes doctrinae legesque hominibus ad salutem necessariae vel utiles continerentur; rarissime tamen a iunioribus appellatio haec usurpata legitur.

3. — Ad totam sacrorum librorum collectionem designandam vulgatissimum hodie est CANONIS nomen, quo praecipue exprimitur, summam perfectissimamque credendi agendique regulam illis contineri.

Κανών (latine *regula*) proprio sensu instrumentum illud est, quo ceu amussi et mensura artifices utuntur, unde etiam metaphorice rerum mensuram normamque significat, maxime vero de omni re adhibetur, quae in suo genere perfecta pro exemplari proponitur. Hoc sensu antiquiores Patres haereticorum placitis doctrinam ex apostolica traditione haustam velut *canonem traditionis, veritatis, fidei* (*S. Clem. Rom.* 1 Cor. 7; *Clem. Alex.* Strom. VII. 16 etc.) vel *canonem Ecclesiae* (*Orig.* De princ. IV. 9) opposuerunt; unde facili transitu vocabulum ad eos libros designandos adhibitum est, « qui sunt salutis fontes in quibusque solis doctrina

pietatis praedicatur » (*S. Athan.* Ep. fest. 39). *S. Irenaeus* (c. haer. III. 11) iam Evangelium S. Ioannis vocavit *canonem veritatis;* eodem nomine omnes divinas Scripturas decoravit *S. Isidorus Pel.* (Ep. IV. 14); inter Latinos *S. Augustini* (c. Cresc. II. 39) et *S. Hieronymi* (Prol. gal.; cfr *Rufin.* Symb. 37) aetate canon sacrorum librorum *collectionem* vel potius omnes eos libros designare coepit, qui publice ceu sacri et divinitus inspirati praelegebantur; a iunioribus demum scriptoribus eodem nomine *catalogus* istorum librorum appellatur.

4. — Recentis originis est distinctio *primi* et *secundi canonis* seu librorum *protocanonicorum* et *deuterocanonicorum*, quae, dummodo recte explicetur, merito retinetur.

Probe enim notandum est, hac distinctione per *Sixtum Sen.* O. Praed. saec. 16. invecta non auctoritatis, quae eadem est omnium librorum sacrorum, sed temporis duntaxat, quo in tota Ecclesia pro divinis agniti sunt, differentiam indicari. Deuterocanonici igitur appellantur libri illi, de quibus in nonnullis ecclesiis per aliquod temporis spatium dubitationes magis minusve graves agitabantur, qui vero re accuratius explorata ab universali Ecclesia pro sacris et divinitus inspiratis recipi meruerunt. Hoc sensu Veteris Test. deuterocanonici sunt *Tobias*, *Iudith*, *Sapientia Sal.*, *Ecclesiasticus*, *Baruch* cum *epistola Ieremiae* (*Bar.* 6), 1. 2 *Machabaeorum libri*, *fragmenta l. Esther* (*Esth.* 10,4-16,24) et *l. Daniel* (*Dan.* 3,24-90; 13,1-14,42). Inter Novi Test. deuterocanonica recensentur *epistolae ad Hebr.*, *Iacobi*, 2 *Petri*, 2. 3 *Ioannis*, *Iudae*, praeterea *Apocalypsis* et fragmenta Evangeliorum *Marci* (16,9-20), *Lucae* (22,43. 44), *Ioannis* (7,53-8,11). Deuterocanonica V. T. a Protestantibus perperam appellantur apocrypha (cfr *infra* § 8. p. 49).

§ 2. — *De sacrorum librorum numero, ordine, partitionibus.*

1. — Secundum canonem tridentinum Vetus Testam. *quadraginta quatuor* vel, si Threni et Baruch a Ieremia separantur, *quadraginta sex*, Novum autem *viginti septem* libros complectuntur. Iudaei vero moderni, quos sequuntur Protestantes, expunctis deuterocanonicis non nisi undequadraginta V. T. libros canonicos habent, sed aut pro numero literarum alphabeti sui viginti duos vel viginti septem, aut pro numero literarum graecarum viginti quatuor numerant.

A Patribus Tridentinis (Sess. IV. Decr. de canon. Script.) hic sacrorum librorum index decreto additus est, « ne cui dubitatio suboriri posset, quinam essent libri, qui ab ipsa Synodo (pro sacris et canonicis) suscipiantur ». Sunt vero hi : « *Testamenti veteris :* quinque Moysis, i. e. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther; Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, i. e. Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum, primus et secundus. *Testamenti novi :* quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Ioannem; Actus Apostolorum a Luca

Evangelista conscripti; quatuordecim epistolae Pauli Apostoli, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una, et Apocalypsis Ioannis Apostoli ». Ieremiae prophetae Threni seu Lamentationes in catalogo tridentino non nominantur, quia antiquitus, uti ex codicibus multis et Patrum quoque catalogis nonnullis apparet, pro parte Prophetiae Ieremiae habebantur, id quod etiam praefatiuncula Threnorum in Vulgata insinuat. Similiter liber Baruch, cuius cap. 6. est epistola Ieremiae de idololatria, olim velut appendix Prophetiae Ieremiae considerabatur ideoque in multis catalogis nomine Ieremiae comprehenditur. — De diversis numerandi modis *Iudaeorum* satis fuse et clare *S. Hieronymus* agit in Prologo galeato editionibus Vulgatae praefixo.

2. — In canone tridentino libri digesti sunt partim temporis, quo scripti censentur, partim argumenti, quod tractant, ratione habita.

Primum locum in Vetere Test. occupant libri historici omnes (exceptis duobus Machab., qui quia ultimi scripti credebantur canonem veterem terminant), in quorum dispositione series temporis, de quo agunt, praevalet ita tamen, ut tres, qui singularia facta narrant (Tobias, Iudith, Esth.), reliquis postpositi sint. Sequuntur didactici eo ordine, quo eorum auctores vixisse creduntur, atque tertio in loco prophetae maiores ac deinde minores etiam chronologice dispositi. Similis est ordo Novi Test.; primum locum tenent libri historici de vita Domini tractantes eo ordine quo conscripti censentur, iisque adiungitur quintus liber historicus de primordiis Ecclesiae. Quos excipiunt libri didactici, epistolae scil. paulinae et catholicae, de quarum inter se dispositione in Introd. speciali erit agendum; canonem claudit unicus liber propheticus N. T., Apocalypsis. At hic ordo antiquus non est; in catalogis per Patres et Concilia traditis et in codicibus graecis ac latinis magna invenitur in libris disponendis varietas.

3. — Veteris Test. libri protocanonici in tres classes antiquitus distribuebantur, in *Legem, Prophetas, Hagiographa.* Novi autem Test. divisio antiquissima est bipartita; *Evangelium* enim et *Apostolus* (*Evangelia* et *Apostoli*, *Evangelica* et *Apostolica*) olim ita distinguebantur, ut altera pars omnes libros praeter quatuor Evangelia complecteretur. Hodie tamen praecipuo singulorum librorum fine primarioque argumento spectatis omnes Utriusque Test. Scripturae aut in quatuor classes (*legales, historicos, didacticos* vel doctrinales, *propheticos*) aut rectius in tres dumtaxat (*historicos, didacticos, propheticos*) distinguuntur.

Tripartitionem Veteris Test. iam saec. 2. a. Chr. usu receptam (*Eccli.* Prol.) et in Novo T. commemoratam (*Luc.* 24,44) hodie adhuc retinent Iudaei, licet 2. et 3. classi non eosdem omnino, quos antiqui, libros accenseant. Hodie prima pars (*Lex,* ὁ νόμος, התורה), uti olim, solo constat Pentateucho mosaico; altera (*Prophetae,* οἱ προφῆται, הנביאים) in duas sectiones divisa continet quatuor *prophetas priores* (הנ׳הראשונים) i. e. Iosue, Iudices, Samuel (1. 2 Reg.), Reges (3. 4 Reg.) et quatuor *posteriores* (הנ׳האחרונים) i. e. Isaiam, Ieremiam, Ezechiel, duode-

cim Minores in uno volumine; tertia (*Hagiographa*, τὰ γραφεῖα vel ἁγιόγραφα, הכתובים) complectitur Psalmos, Proverbia, Iob, Canticum, Ruth, Threnos, Ecclesiasten, Esther, Daniel, Esdram, Nehemiam, Chronica. Ordo librorum in duabus ultimis classibus non idem est in omnibus codicibus hebraicis nec in catalogis per Patres conservatis, ex quibus etiam apparet, libellum Ruth cum l. Iudicum et Threnos cum Prophetia Ieremiae coniunctos in secunda classe locum suum habuisse. Ob liturgicas autem rationes a iunioribus rabbinis e loco suo sunt remoti et cum tribus aliis uno libro coniuncti, cui titulus « *quinque volumina* » (חמש מגלות) est inditus [1]. Quaenam sit tripartitionis illius ratio, ambigitur; probabilior sententia tenet, secundum auctorum dignitatem ordines esse constitutos, ita ut primus complecteretur libros ab ipso legislatore conscriptos, alterius opera auctores haberent viros, qui *munere* prophetico sunt functi, tertiae demum accenserentur illi, quorum auctores, etsi prophetica *gratia* essent insigniti, munus tamen propheticum non exercuerunt (cfr *Hugo a S. Vict.* De Script. 12. et *infra* Dissert. VI. § 1.). — *Bipartitionis Novi Test.* primum vestigium iam exhibent Patres apostolici (*S. Ignat. M.* ad Philad. 5; *Ep. ad Diogn.* 11); exeunte saeculo 2. in communem usum abierat (*S. Iren.* c. haer. I. 3; *Tertull.* De praescr. 36 etc.; *Clem. Alex.* Strom. VII. 3 etc.), sed a iunioribus Patribus rarius adhibetur. — Qui secundum argumentum libros in quatuor classes distribuunt, primae legalium ex Vetere Test. accensent Pentateuchum et ex Novo Test. quatuor Evangelia, sed evidens est, illa rectius adnumerari operibus historicis. In *Introductione speciali* sequemur distributionem in tres classes.

4. — Ob liturgicum usum variae singulorum librorum divisiones sive a Iudaeis sive a Christianis sunt invectae; ob commodiorem privatum usum est introducta eorum divisio in capita et versus.

Apostolica aetate iam diu invaluerat Iudaeorum consuetudo, ut singulis sabbathis sectio quaedam Pentateuchi in synagogis praelegeretur (*Act.* 15,21), uti eodem tempore nonnullae prophetarum pericopae lectioni publicae inserviebant (*Luc.* 4, 16; *Act.* 13,15. 27). Hodie integrum Pentateuchum pro numero sabbathorum anni lunaris intercalarii in 54 *Paraschas* (distinctiones a פרש, *distinxit*) distribuunt, quas in Bibliis suis indicant tribus adscriptis פ vel ס, prout sunt aut *apertae* (פתוחות) aut *clausae* (סתומות), i. e. ex placitis rabbinorum aut a nova linea aut in media linea inchoandae. Paraschis respondent totidem *Haftarae*, i. e. pericopae ex prophetis selectae, quae nomen suum inde habent, quod prophetica lectione terminata populus dimittitur (פטר, *dimisit*). — Morem Scripturae in coetibus sacris praelegendae Ecclesia ab antiqua synagoga transumsit, sed iam mox lectionibus Veteris Test. alias addidit vel substituit ex Evangeliis Apostolorumque scriptis desumtas (cfr *S. Iust. M.* Apol. I. 67; *Tertull.* De praescr. 36 etc.). At certa et determinata librorum sacrorum divisio inde non est exorta, quum suam quaeque ecclesia particularis consuetudinem haberet et retineret. Eo minus autem certa divisio exoriri potuit, quia inde ab exeunte saec. 5. mos invectus est, ut per totum annum non amplius ex ordine integri libri, sed selectae dumtaxat earum partes

(1) « Quinque volumina » ideo sunt coniuncta, quia statis diebus quotannis in synagogis integra leguntur : *Canticum* in Paschate, *Ruth* in Pentecoste, *Threni* die 9. mensis Ab ad commemorandum templum destructum, *Ecclesiastes* in festo Tabernaculorum, *Esther* in festo Purim.

(« *pericopae* ») praelegerentur, quae ecclesiasticis temporibus vel festis magis videbantur convenire.

Ob commodiorem *privatum usum* omnes Utriusque Test. libri hodie in capita et versus sunt divisi, quae partitio recentis est originis. Saec. 3. quidem Ammonius Alex. Evangelia in 1162 κεφάλαια distribuit, ut harmoniam quandam evangelicam stabiliret, atque saec. 5. vel 6. Evangelia in 318 titulos, Epistolae in 254 capitula, Apocalypsis in 24 sermones et 72 capitula divisa sunt, similique ratione aliquos Veteris Test. libros in varias partes divisos esse scribit Cassiodorus (De inst. div. lit. 1. 2.). At omnes istae divisiones, utpote imperfectae et inaequales, parum sunt receptae nec usui esse potuerunt, quando saec. 13. Concordantiae adornari coeptae sunt. Itaque *Card. Steph. Langthon*, *archiep. Cantuar.* († 1228), non vero, uti hucusque creditum est, *Card. Hugo a S. Caro*, O. Praed. († 1260), omnes sacros libros aequali modo in capita distribuit; quae divisio in Vulgatae codices statim recepta haud diu post in aliquos textuum primigeniorum codices atque post inventam typographiam in omnes editiones typis exscriptas transiit. Sola capita distinxerat Stephanus, Hugo minores quasdam eorum sectiones adscriptis literis (A. B. etc.) indicaverat; versuum vero distinctio, vel si mavis numeratio, *Roberto Stephano* debetur, qui primus versuum numeros Vulgatae (1548.) et Novi Test. graeci (1551.) editionibus addidit. Haec igitur capitum et versuum distinctio, quum a publica Ecclesiae auctoritate non sit profecta, tanti ponderis non est, ut in interpretandis Scripturis negligi nequeat.

CAPUT II.

HISTORIA CANONIS VETERIS TESTAMENTI.

§ 3. — *De canone Veteris Testamenti apud Iudaeos.*

1. — Prima librorum Veteris Test. collectio. — Moyses ipse libros suos divino instinctu conscriptos in tabernaculo foederis reponendos curavit (*Deut.* 31,24 sqq.); haec sunt primi canonis initia. Probabilis autem sententia tenet, libris illis alios eodem divino instinctu conscriptos paullatim, prout editi sunt, esse additos, ita ut ante exsilium babylonicum iam satis magna esset collectio librorum, qui pro sacris publice erant recepti.

Namque certum est, Iudaeos libros suos sacros magna cum diligentia iam ante exsilium collegisse; id enim Scripturae ipsius testimonia clare docent (*Prov.* 25,1; 2 *Par.* 29,30; *Dan.* 9,2), atque idem eruitur ex eo, quod iuniores scriptores sacri haud raro verba antiquiorum usurpant; imprimis Ieremias tam frequenter omnes antiquiores adhibet, ut dubium vix sit, quin eorum collectionem prae manibus habuerit. Illos autem cum mosaicis fuisse coniunctos, hisce argumentis probabile redditur. Si Iosue « omnia verba haec », i. e. integrum suum librum, « *in volumine Legis* » scripsisse narratur (*Ios.* 24,26), verborum sensus vix alius esse potest, nisi eum librum suum cum libris Moysis coniunxisse. Accedit, quod librorum historicorum ante exsilium scriptorum initia, quum omnes a particula coniunctiva inchoentur, docere videantur, libros praecedentes continuari; quapropter haud immerito coniicitur, novos illos libros una cum Pentateucho, cuius narrationem continuant, iuxta arcam Domini esse repositos, ut ipsi quoque essent « in testimonium contra Israel »; eadem enim ratione, qua ille, divinam in populo electo gubernando fidelitatem, iustitiam, misericordiam celebrant. Atque idem dic de libris propheticis et didacticis, quibus promissiones, minae, iudicia Dei continuo repetuntur et inculcantur. Demum post exsilium Nehemiam et Iudam Mach. libros sacros collegisse et in templo reposuisse scimus (2 *Mach.* 2,13; cfr *Fl. Ios.* Antiqu. V. 1,7; Bell. iud. VII. 5,5); nonne probabile est, illos antiquum maiorum suorum morem esse secutos?

2. — Canon esdrinus vel palaestinensis. — Iudaei hodie in suo canone solos libros protocanonicos possident; quandonam haec eorum collectio sit terminata, in controversia quidem versatur, sed tantum non certum est, eam Esdrae deberi.

Inter protestanticos interpretes multi machabaicae aetati collectionem protocanonicorum librorum attribuunt, immo rationalistae eam vix 1. saec. *post* Chr. absolutam esse asserunt. Catholicorum quoque hodie non una est sententia; aliqui enim nihil de illa statui posse censent; pauci cum rationalistis (sed ob alias rationes) eam saeculo 1. christiano attribuunt, atque nonnulli etiam eam Macha-

haeorum dumtaxat aetate terminatam esse volunt. At nulla hucusque allata est ratio, qua a communi antiquorum interpretum sententia recedere cogimur, iuxta quos *hodiernus Iudaeorum canon,* qui, quia a palaestinensibus Iudaeis antiquitus adhibitus est, *palaestinensis* vocatur, *tempore Esdrae et Nehemiae definitus absolutusque sit, atque in illis libris colligendis Esdras praecipuam partem habuerit,* unde collectio ista recte etiam *canon esdrinus* appelletur; quin etiam haud desunt, quae huic sententiae faveant.

Etenim *praeprimis* pro sua bonitate et providentia Deum illa aetate, qua munus propheticum cessavit, providere decuit, ut Iudaeis libri omnes, quos ceu fidei et morum regulam illis destinaverat, publica cum auctoritate promulgarentur a viris, quibus fides denegari non potuit. Quare quasi a priore iam videtur probabile, Esdrae et Nehemiae aetate collectionem protocanonicorum librorum esse terminatam.

Iudaeis antiquis canonem librorum sacrorum eadem ratione, qua nobis summam irrefutabilemque credendi et agendi regulam constituisse, tota Domini N. et Apostolorum cum Iudaeis disputandi ratio docet et disertis verbis Fl. Iosephus (c. App. I. 8) testatur. Constat quoque, antiquos Iudaeos ne minimam quidem rem religiosam mutare esse ausos, nisi simul eam auctoritati certi et indubitati prophetae subiiciendam eaque confirmandam profitebantur (1 *Mach.* 4,46; 14,41). Unde necessario sequitur, eos Scripturarum suarum sacrarum determinationem et definitionem non primo cuique permisisse, sed eas a viris solummodo, quorum auctoritas summa esset, accipere voluisse. Iamvero quamdiu Deus illis prophetas suscitavit, ad eos recurrere potuerunt; omnibus autem fatentibus *munus* propheticum Esdrae Nehemiaeque aetate cessavit, atque Malachias ultimus fuit propheta. Deum igitur providere decuit, ut Iudaeis prophetarum auxilio orbatis aliud subsidium praesto esset, quo ad Legem observandam excitarentur et magnarum, quae illis factae erant, promissionum continuo admonerentur. Hoc praesidium Deus illis praeparaverat in libris sacris; illud reliquum fuit, ut cum omnimoda certitudine eos cognoscerent et a profanis quibuscumque discernerent. Tota ergo divina salutis oeconomia considerata recte concludere nobis videmur, illo tempore, quo ultimus propheta vixit, Deum etiam providisse, ut Iudaeis praeter libros illos, quos iam ante exsilium pro divinis agnoverant, reliqui quoque, qui divinitus ante exsilium dati nondum agniti aut postea a Deo inspirati sunt, cum certitudine innotescerent. Atqui illa aetate viros, qui cum publica auctoritate libros illos populo indicare et promulgare potuerint, praeter Esdram Nehemiamque non novimus.

Quod autem statu rerum aetatis esdrinae considerato probabile esse videtur, id re accidisse constans declarat Iudaeorum traditio. Nam sicut primis saeculis post Chr. *rabbini* et *Fl. Iosephus,* ita iam saec. 2. a Chr. *Iudas Mach.* et *synedrium ierosol.* canonem suum aetate Esdrae finitum esse aut aperte docent aut innuunt.

Thalmudici doctores in canonis originem inquirentes successivam quandam librorum sacrorum collectionem statuunt ultimoque loco inter collectores recensent « viros magnae synagogae » (i. e. collegii, quod ab Esdra institutum esse tradunt) atque ipsos Esdram et Nehemiam (*Baba bathra* 14 b. et 15 a.). Cui testimonio consentiunt multi alii thalmudici loci, quibus Esdras ob magna sua de Scripturis

merita celebratur; « magna synagoga » Legem sepe munivisse asseritur; Scribae, qui « viros magnae synagogae » secuti sint, nomen numeratorum (סופרים, *scribae* et *numeratores*) inde accepisse dicuntur, quia versus literasque omnium Scripturarum numeraverint etc.; haec enim omnia tempore Esdrae et per Esdram libros omnes collectos et promulgatos esse supponunt. — Paullo antiquius est *Fl. Iosephi* testimonium (c. App. I. 8) : « Apud nos nequaquam est innumerabilis librorum multitudo inter se pugnantium, sed *viginti duo* dumtaxat totius temporis praeteriti historiam complectentes, *qui merito creduntur divini*. Ex his *quinque* quidem sunt *Moysis*, qui et leges continent et seriem rerum gestarum a condito genere humano usque ad eius mortem... A Moysis autem morte ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, *prophetae*, qui Moysi successerunt, res sua aetate gestas *tredecim* libris complexi sunt; *quatuor* vero reliqui hymnos in Dei laudem et praecepta vitae exhibent utilissima. Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam singula quidem literis mandata sunt, sed non eiusdem auctoritatis ac priores habentur, *quia non adfuit indubitata prophetarum successio*. Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Post tantum enim temporis spatium *nemo adhuc nec quidquam illis addere, nec ab illis quidquam auferre, nec in illis quidquam mutare ausus est*; sed omnibus Iudaeis statim ab ipsa nativitate hoc insitum est, ut *credant haec esse Dei praecepta* (δόγματα), *ut iis continuo inhaereant atque, si id necessarium est, pro iis libenter moriantur* ». Quo testimonio constat, collectionem librorum, qui ab omnibus divini habebantur, ad Artaxerxis I. Longimani aetatem referri, qui Esdrae Nehemiaeque cultus mosaici restaurandi permissionem concessit. Librorum autem numerus est idem, quem Patres semper canoni Iudaeorum assignant hodiernique Iudaei agnoscunt; tres eaedem quoque eorum sunt classes, licet non eadem scripta singulis classibus accenseantur. Demum etiam illud clarum est, libros illos Nehemiae Esdraeque aetate auctoritate quadam publica velut divinos esse traditos; ob defectum enim certitudinis de continua prophetarum serie libris post Esdram scriptis vel repertis non eandem fidem adhibitam esse Iosephus diserte declarat. — Auctoritate et antiquitate praestat Iudae Mach. totiusque synedrii ierosolymitani testimonium, quo libri a Nehemia (per Esdram, qui cultui religioso restaurando praefuit) collecti ita describuntur, ut integer canon secundum tres suas classes definiatur (2 *Mach.* 2,13) : ἐπισυνήγαγεν (i. e. *ad* Pentateuchum in restaurato templo depositum *ad*didit et *cum* eo coniunxit) τὰ περὶ τῶν βασιλέων (sc. prophetas priores a potiore parte, i. e. libris Regum, denominatos) καὶ τῶν προφητῶν (sc. prophetas posteriores) καὶ τὰ τοῦ Δαυίδ (sc. Psalmos) καὶ ἐπιστολὰς βασιλέων περὶ ἀναθημάτων. Epistolae « regum de donariis » non leguntur nisi in libris Esdrae (1 *Esdr.* 6,2 sqq.; 2 *Esdr.* 2,7 sqq.); quare iure coniicimus, hosce nomine illo designari, ita ut, sicuti secunda canonis pars, ita etiam tertia pro duplici, quod tractat, argumento duobus titulis ornetur. — Confirmationis gratia addimus testimonium apocryphi 4 *Esdr.* 14,18 sqq., quod omni auctoritate non caret. Pseudo Esdras enim referens, se post exsilium libros omnes sacros, qui interierant, divino auxilio adiutum restituisse atque ex iis *viginti quatuor* [1] integro populo promulgasse, apocalyptica forma gentis et aetatis suae persuasionem de Esdra canonis collectore et promulgatore exprimit.

(1) In *Vulgata* quidem legitur Esdram *ducentos quatuor* libros restituisse; at versionum orientalium lectionem *nonaginta quatuor* esse recipiendam omnes interpretes consentiunt. De 4 Esdrae libri origine cfr *infra* § 9 p. 49 sq.

Cum Iudaeorum traditione sententiae Patrum plane congruunt, qui omnes Esdram tradunt primi canonis promulgatorem esse.

Inter Patres nonnulli quidem ab apocrypho 4 Esdrae libro dependent (*Tertull.* de cultu fem. I. 3; *Clem. Alex.* Strom. I. 12; *S. Basil.* ad Chil. ep. 42.5; *Theodoret.* in Can. Praef.); at ab eo non dependet *S. Irenaeus* (c. haer. III. 21 cfr. Eus. H. E. V. 20 : « Deus inspiravit Esdrae, ut praecedentium prophetarum sermones omnes iterum in ordinem rediget [ἀνατάξασθαι] et in pristinum statum restitueret [ἀποκατασθῆναι] populo mosaicam legislationem »), nec *S. Chrysostomus* (in Hebr. hom. 8,4 : « alteri rursus viro mirabili Esdrae inspiravit, ut illos [sc. libros sacros bello ablatos] iterum ederet, et effecit, ut *ex reliquiis componerentur* »), nec *auctor Synopseos S. Scr.*, quae nomine S. Athanasii citari solet atque paullo post eius aetatem Alexandriae conscripta est (*Ps. Ath.* Syn. 20), nec *S. Isidorus Hisp.* (Etymol. VI. 3 : « Bibliothecam Veteris Test. Esdras scriba post incensam Legem a Chaldaeis, quum Iudaei reversi essent Ierusalem, divino afflatus Spiritu reparavit cunctaque Legis ac prophetarum volumina, quae fuerant a gentibus corrupta, correxit, totumque Vetus Test. in viginti duos libros constituit, ut tot essent libri in Lege, quot habebantur et literae »). Cfr etiam *Rhab. Maur.* Instit. cler. 54 aliosque recentiores.

Quae vero sententiae huic opponuntur, pleraque erroneis assertionibus vel opinionibus innituntur; reliqua autem tam levia sunt, ut antiquam et constantem traditionem non infirment.

Rationalistae sola praeiudicia sua nobis obtrudunt; etenim ne vera vaticinia admittere cogantur, Danielis librum non nisi machabaico tempore exortum dicunt, atque etiam alios haud paucos libros protocanonicos Esdra asserunt esse recentiores. De hisce autem in Introductione speciali agemus. — Ut suam sententiam de canone iudaico saeculo 1. *post* Chr. exorto demonstrent, aliqui catholici interpretes (*Movers, Nickes* etc.) ad textum thalmudicum quemdam provocant, quo rabbinos iuniores de librorum quorumdam canonicitate dubitasse appareat (Tract. *Iaddaïm* III. 5); at isto in loco, sicut in multis similibus, rabbini non de stabiliendo canone agunt, sed de librorum in eum receptorum maiore minoreve dignitate. Neque rectius alii (*Danko* etc.) genealogias quasdam Paralipomenon et 2 Esdr. obiiciunt, quas ultra Nehemiae aetatem produci censent; nam imprimis non constat, num ulla in eis persona nominetur, quae Esdra sit recentior; id vero, si demonstrari posset, nihil aliud probaret, nisi libris illis recentissimis idem accidisse, quod antiquioribus, quibus a iuniore manu glossas quasdam esse additas plerique catholici consentiunt (cfr *Corn. a Lap.* in 2 Esdr. 12,11).

3. — Canon alexandrinus seu Hellenistarum. — A palaestinensi diversus fuisse haud immerito censetur canon, quo Iudaei alexandrini seu Hellenistae utebantur, qui, quum hebraicam linguam ignorarent, loco primigenii textus graecam Scripturarum versionem in synagogis legebant. In codicibus enim suis omnes deuterocanonicos libros protocanonicis intermixtos habebant, unde eos utrisque eandem canonicam auctoritatem attribuisse recte colligi videtur.

Esdras, etsi hodierni canonis Iudaeorum collector iure habeatur, non ita tamen eum absolvisse censendus est, ut novos ei libros addere nefas fuerit. Propheta

quidem ultimus fuit Malachias, sed una cum Malachia etiam omnem revelationem et inspirationem cessasse, temere et nulla ratione asserunt Iudaei et Protestantes; certum enim est, post Esdrae aetatem aliquos libros a Deo esse inspiratos, aliquos quoque antiquiores Esdrae non innotuisse, ita ut ii, qui solum canonem esdrinum agnoscunt, haud parva revelationis V. T. parte, libris sc. deuterocanonicis, careant. Iam vero quaestio mota est, num antiqui Iudaei *omnes* iis semper caruerint, atque multi interpretes antiquiores et recentes recte tenent, illos saltem Iudaeos, qui vulgo Hellenistae vocantur, etiam deuterocanonicos pro sacris agnovisse. Revera sola eorum cura nobis sunt conservati, quia illos codicibus suis sacris inseruerant. Verum quidem est, Iudaeorum alexandrinorum codices non amplius superesse; attamen graeca exemplaria, quibus primitiva Ecclesia utebatur, vel illa ipsa fuerunt, quae Hellenistae ad fidem conversi secum attulerant, vel ex illis et ad illorum normam descripta; quare omnimoda cum certitudine asserere licet, Iudaeos alexandrinos in suis codicibus Scripturas protocanonicas et deuterocanonicas ita permiscuisse, ut illis eandem auctoritatem attribuisse videantur; nemo enim inter medios suos libros sacros ponere audet profanos.

Amplior igitur, quam palaestinensis, fuit canon alexandrinus. Contra quam sententiam adversarii ad Iudaeorum palaestinensium et alexandrinorum unitatem religiosam frustra provocant. Illa enim tam arcta non fuit, ut destrui potuerit libris nonnullis canoni insertis, quos Palaestinenses quoque maximi fecerunt, licet eos ob certi testimonii prophetici defectum canonicis aequiparare vel addere non auderent.

Quaenam fuerit Alexandrinorum et Palaestinensium unio, satis docet templum heliopolitanum, quod *contra* gravissimum Legis praeceptum Alexandrini in Aegypto exstruxerant; quodsi aperta et gravis haec Legis violatio unitatem religiosam non destruxit, multo minus eam destruere potuit illa canonis diversitas. Neque enim fanatico odio illo, quo aliqui moderni Protestantes, contra deuterocanonicos libros flagrabant Iudaei palaestinenses, sed eos omnibus profanis praeferebant eosque interdum pro inspiratis adhibebant. Ecclesiasticus ex. gr. in ipso Thalmude iisdem formulis allegatur, quibus soli libri sacri allegari solent; Origenis tempore l. Baruch etiam in codicibus nonnullis hebraicis coniunctus erat cum Ieremiae vaticiniis; libris Tobiae et Iudith pro auctoritate usi sunt rabbini in suis Midraschim; fragmenta deuterocanonica Danielis Theodotionem in suo hebraico Scripturarum codice possedisse docet eius versio etc. Plane absurdum igitur est, si aliqui adversarii eousque progrediuntur, ut libris deuterocanonicis in canonem admissis fundamentum religionis iudaicae ac proin unionem Alexandrinorum et Palaestinensium destrui asserant.

Multo minore cum iure diversitas canonis palaestinensis ab alexandrino impugnatur auctoritate Prologi Eccle. et Philonis aut Fl. Iosephi et apocryphi 4 Esdrae libri; nam nullus ex illis testibus quidquam contra sententiam propositam affert.

Auctor prologi Eccle. tres classes librorum sacrorum quidem distinguit, sed ne verbulo quidem indicat, quosnam libros secundae classi « prophetarum » et tertiae « reliquorum » (τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων vel τὰ ἄλλα πάτρια βιβλία) adscripserit; *Philo* utique nullum deuterocanonicum librum allegat, sed eius silentium vel ideo

immerito obiicitur, quia etiam plerosque (saltem undeviginti) protocanonicos nunquam citat; *Fl. Iosephus,* utpote sacerdos ierosolymitanus, procul dubio canonem viginti duorum librorum admittit, sed praeter eos adesse fatetur alios, quibus maxima attribuenda sit auctoritas, licet eos deficiente indubitata prophetarum successione prioribus aequiparare nolit; *Pseudo Esdrae* demum testimonium aliis omissis ob eam solam rationem iam est invalidum, quod falsarius, qui Esdram se fingere voluit, de solo canone per Esdram promulgato loqui debuit.

§ 4. — *De canone Veteris Testamenti apud Christianos.*

Quaestio 1. — Veteris Testamenti canon in Novo approbatus.

1. — Quin Apostoli copiosiorem canonem alexandrinum, in quo deuterocanonici libri protocanonicis erant interpositi, approbaverint, dubium non est consideranti, eos ipsos in suis Veteris Test. allegationibus plerumque alexandrinam versionem esse secutos, eiusdem versionis usum neophytis permisisse, haud raro ad deuterocanonicos libros simili modo, quo ad protocanonicos, allusisse.

A Patribus *Florentinis* (Decr. pro Iacobitis), *Tridentinis* (Sess. IV. De canonicis Script.), *Vaticanis* (Constit. de fide. Can. 4. De revel.) omnes illi libri, quos in canone alexandrino adfuisse diximus, pro sacris et canonicis sunt declarati. Nostrum igitur est ostendere, canonem illum a Domini Apostolis approbatum ecclesiisque a se fundatis relictum traditione non interrupta ad nos pervenisse, ac proin a vero aberrare acatholicos illos omnes, qui cum Iudaeis solos protocanonicos Veteris Test. libros admittunt. Praeprimis autem demonstrandum est, Apostolos usu suo ampliorem canonem approbasse; Dominum enim ipsum cum Iudaeis palaestinensibus disputantem illos ad eorum canonem reiecisse, extra controversiam est [1].

Iam vero *a.*) inter omnes hodie constat, Evangelistas et Apostolos in allegandis Scripturis plerumque usos esse versione alexandrina, quae omnes libros complectebatur, idque illis quoque in locis, in quibus hebraica lectio a graeca versione magis minusve dissentit argumentationique apostolicae minus videtur congruere (cfr ex. gr. *Matth.* 15,8 sqq. et *Is.* 29,13; *Rom.* 9,33 et *Is.* 28,16; *Rom.* 15,12 et *Is.* 11,10; *Hebr.* 10,5 sqq. et *Ps.* 39,7 etc.). Inter trecentos quinquaginta circiter Veteris Test. textus in Novo relatos vel adhibitos plus trecenti cum alexandrina versione ita consonant, ut ad illam sacros scriptores respexisse appareat; SS. Petrus, Iacobus, Marcus, Lucas, scriptor ep. ad Hebr. *semper,* S. Paulus *fere semper,* SS. Ioannes et Matthaeus *plerumque* lectionem graecam retinent. Unde merito colligimus eos integram illam versionem approbasse; etenim si de Scripturis in genere loquuntur et ad eas in genere provocant, de illis loqui et ad illas provocare intelliguntur, quas prae manibus eos habuisse verba ab eis re-

(1) In Novo Test. non exhibetur completus librorum Veteris Test. catalogus, neque omnes libri in Novo Test. allegantur; nihilominus Dominus eiusque Apostoli integrum Vetus Test. in genere approbasse censendi sunt, quoniam ad eius libros in genere tamquam ad libros speciali auctoritate divina praeditos provocant (*Ioan.* 5,36 sqq.; *Luc.* 24,27. 44; *Act.* 17,2. 11; 18,24. 28; 1 *Cor.* 15,3. 4 etc.). Quae quum ab omnibus, qui fidem non respuerunt, concedantur, id unum inquirendum est, num collectio illa in Novo Test. approbata solos protocanonicos continuerit, an etiam deuterocanonicos.

lata demonstrant. — *b.*) Porro Apostoli optime sciebant, neophytos plerosque ob linguae hebraicae ignorantiam sola editione alexandrina uti posse atque revera uti; itaque si aliquos istius editionis libros vel librorum maiores partes (v. g. fragmenta deuterocanonica Esther, Daniel) pro non inspiratis habuissent, fideles monere debuissent, ne iis eandem, quam aliis inspiratis libris, fidem tribuerent. Atqui eiusmodi moniti ne levissimum quidem invenitur vestigium; quin etiam antiquarum omnium ecclesiarum usus, de quo statim dicemus, talia ab Apostolis non esse monita, evidenter demonstrat. — *c.*) Accedit, quod haud pauci Novi Test. textus cum deuterocanonicis ita consonant, ut dubitari nequeat, quin Apostoli ad eos respexerint, praesertim si verba graeca inter se conferantur (cfr ex. gr. *Iac.* 1,19 et *Eccli.* 5,13; *Matth.* 6,14 et *Eccli.* 28,2; 1 *Petr.* 1,6. 7 et *Sap.* 3,3 sqq.; *Matth.* 27,39 sqq. et *Sap.* 2,17 sqq.; *Hebr.* 1,3 et *Sap.* 7,26; *Hebr.* 4,12. 13 et *Sap.* 7,22 sqq.; 1 *Cor.* 2,10 et *Iudith* 8,14; *Hebr.* 11,34 sqq. et 2 *Mach.* 6,18-27 etc. etc.). Utrum textus illos deuterocanonicos in neophytorum memoriam revocare voluerint, an ex continua deuterocanonicorum lectione verba illa quasi inconscii elegerint, parum refert; in utroque enim casu sequitur, Apostolos deuterocanonica cognovisse et usu suo approbasse. Neve obiiciatur, Apostolos deuterocanonica nunquam *allegasse*, sed ad illa dumtaxat *allusisse;* hac enim distinctione nihil efficitur; inter protocanonicos enim saltem septem sunt (Esth., 1. 2 Esdr., Cantic., Eccle., Abd., Nah.), ad quos ne semel quidem *alludatur,* nec tamen quisquam dubitat, quin una cum reliquis ab Apostolis sint approbati; multo magis igitur illi dicendi sunt approbati, quos Apostolis cognitos fuisse allusiones certo demonstrant.

Quaestio 2. — Canon Veteris Testamenti tribus primis Ecclesiae saeculis.

2. — Quem canonem Veteris Test. Apostoli ecclesiis a se fundatis adhibendum tradiderint, antiquorum Patrum universali et constanti usu stabiliatur oportet.

Tam evidens est hoc assertum, ut merito mireris, illud ab adversariis addubitari. Patribus enim antiquioribus eam, quae ad canonis ambitum definiendum requiratur, scientiam defuisse asserunt, ignotam illis fuisse accuratam sacros inter et profanos libros distinctionem, a Iudaeis igitur inquirendum esse, quaenam sint genuinae Scripturae. Qui talia obiiciunt, non animadvertunt, se primitivae Ecclesiae etiam cognitionem genuinae revelationis denegare; quare cum *Origene* (ad Afric. 4; cfr etiam *Rufin.* Apol. II. 33 sqq.) eos interrogamus : « Num ergo providentiae, quae in S. Scripturis dedit omnibus ecclesiis aedificationem, curae non fuerunt emti pretio, pro quibus mortuus est Christus? » Magna profecto scientia non requirebatur, ut scirent ecclesiae, quosnam libros tamquam sacros a fundatoribus suis accepissent, nec unquam Patres fideles ad Iudaeos mittunt, ut ab iis genuinum Scripturarum canonem discant, sed ad ecclesias illas, quae ab Apostolis fundatae eorum doctrinam purius conservasse credebantur (*S. Aug.* Doctr. christ. II. 8; *S. Iren.* c. haer. IV. 26,2; *S. Athan.* Ep. fest. 39; *S. Cyril. Ieros.* Cat. IV. 33. 35 etc.). — At, inquiunt adversarii, antiquiores Patres etiam pseudepigrapha (i. e. vere apocrypha) iisdem formulis, quibus Scripturas, allegant; accurata igitur eis deerat canonis scientia. Attamen ad maximam illam differentiam adversarii nostri non attendunt, quae inter singularis alicuius Patris allegationem et inter continuum et constantem omnium ecclesiarum usum intercedit; ab uno alterove Patre inter-

dum apocryphum pro divino adhiberi, non negamus, at ne unus quidem liber vere apocryphus nominari potest, qui in multis ecclesiis vel in eadem ecclesia per longum tempus canonicus sit habitus; nos autem non singularibus unius vel alterius Patris citationibus sed universali et constanti eorum usu deuterocanonicorum divinitatem demonstrari asseruimus.

3. — Iam vero qui trium priorum saeculorum opera patristica examinaverit, fateri cogetur, ecclesias omnes libris deuterocanonicis favisse neque ullum inter protocanonicos et deuterocanonicos discrimen agnovisse; universum ergo canonem alexandrinum per Apostolos ecclesiis a se fundatis traditum esse, unanimi priscorum Patrum testimonio constat. Plenus enim toto illo tempore inter omnes ecclesias occidentales et orientales consensus est in deuterocanonicis admittendis.

Ecclesiae ROMANAE fidem nobis testantur exeunte saec. 1. *S. Clemens Rom.*, medio saec. 2. *S. Hermas*, ineunte saec. 3. *S. Hippolytus*. Primus librum Iudith eodem in loco habuit, quo l. Esther (1 Cor. 55), librum Sap. adhibuit (1 Cor. 3. 27) et in ultima epistolae suae parte (1 Cor. 59 sqq.), in qua non pauca ex antiqua liturgia desumsisse creditur, etiam ad libros Tobiae et Eccli. allusit (1 Cor. 60 et *Tob.* 3,2; 1 Cor. 59 et *Eccli.* 16,18 sq.; 1 Cor. 60 et *Eccli.* 2.11 etc.). Item in altera epistola ad Cor. Tobia, Sap. et Ecclesiastico usus est (2 Cor. 16,17.) [2], atque in epistolis de Virgin. iterum Tobia et Eccli. (1 Virg. 8. 11; 2 Virg. 13). — S. Hermas saepius in suo Pastore adhibuit Ecclesiasticum (*Eccli.* 18,1 cfr Mand. 1; Sim. 5,5; 7,4; — *Eccli.* 18,30 cfr Vis. 3,7; — *Eccli.* 32,9 cfr Sim. 5,3 etc.), aliquoties etiam 2 Mach. (Mand. 1 cfr 2 *Mach.* 7,28) et librum Sap. — S. Hippolytus in suo commentario in Danielem fragmenta deuterocanonica eodem modo, quo protocanonicum librum, exposuit atque in eodem commentario libros Tobiae et Machab. adhibuit; Sapientiae textus tamquam verba prophetae vel Salomonis allegavit (Demonstr. c. Iud. 9. 10) et l. Baruch sollemni formula « scriptum est » (c. Noct. 2. 4. 5) pro canonico agnovit.

In GALLICANA ecclesia *S. Irenaeus* Baruch sub nomine Ieremiae, cuius cum vaticiniis antiquitus plerumque coniungebatur, allegat (c. haer. IV. 20,4; V. 35,1), danielica fragmenta pro authenticis agnovit (c. haer. IV. 5,2; 26,3), Sapientiam saepius adhibet (c. haer. IV. 38,3; V. 2,3; cfr etiam *Euseb.* H. E. V. 26). — Occidentalium eorum omnium, qui latina lingua pro liturgica utebantur, et maxime AFRICANAE ecclesiae testimonium nobis exhibet *latina versio* Scripturarum, quam omnes libros eodem modo et ordine, quo graeca ex qua exorta est, continuisse nemo negaverit (cfr *Cassiod.* Instit. div. lit. 14). Eiusdem ecclesiae africanae duo praeterea praesto sunt praeclari testes, *Tertullianus* et *S. Cyprianus*, quorum testimonia afferre superfluum est, quum ipsi adversarii ultro fateantur. eos deuterocanonicis eandem, quam protocanonicis, divinam auctoritatem attribuisse.

Inter *orientales* testes eminent immediati Apostolorum discipuli : *Doctr. duodecim Apost.* bis (2. 4) Tobiam, ter (3. 5. 6) Sapient., quinquies (1. 2. 3. 4.

(2) Homiliam, quae vulgo sub titulo *S. Clem.* 2 Cor. allegari solet, eodem modo allegabimus, licet S. Clementi auctori forte non debeatur; in nostra enim quaestione eiusdem est auctoritatis, quum saltem ineunte saec. 2. sit exorta. Etiam duas epistolas de Virgin. sub S. Clementis nomine citabimus; non immerito enim authenticae a plerisque censentur, licet earum textus purus ad nos non pervenerit.

15) Eccli., *S. Barnabas* (c. 19) semel Eccli. adhibet; unicus autem, quem *S. Polycarpus* (Phil. 10) ex toto V. T. allegat, liber est deuterocanonicus Tobias. Tempore eius proximus *S. Athenagoras Athen.* ad libellum Baruch provocat (Leg. pro Christ. 9 cfr *Bar.* 3,36). Quidnam deinde ALEXANDRINA ecclesia de deuterocanonicis, senseri, docent tres praecipui scholae catecheticae alexandrinae doctores : *Clemens Alex.* ita erga eos fuit affectus, ut eos frequentius fere, quam protocanonicos, adhibeat; plus quinquagies in tribus Paedagogi libris Ecclesiasticum citat, quater Baruch sub nomine Ieremiae, in uno capite Stromatum sexies Sapientiam (Strom. VI. 11); neque ullus est liber aut fragmentum deuterocanonicum, quo non sit usus. Maior eius discipulus *Origenes* contra Africanum divinam auctoritatem earum Scripturarum, quae a Iudaeis non recipiebantur, diserte defendit; in libello de Oratione quater Sap., quater Tob., bis Iudith, semel 2 Mach., in libris c. Celsum frequenter Sapientiam, aliquoties Ecclesiasticum adhibet; inter eius commentarios vix unus est, in quo deuterocanonica testimonia non inveniantur. Magni eius discipuli *S. Dionysii Alex.* nobis pauca scripta tantum sunt conservata, sed in illis frequenter allegat Eccli. (De natur. fragm. 3. 5. etc.) et contra Paulum Samos. ex Tob., Sap. et Baruch desumit argumenta sua (c. Paul. Samos. qu. 6. 9. 10). Ex aliis orientalibus sufficit nominasse Origenis discipulum et amicum, *S. Gregorium Neoc.* (de fid. cath. cfr *Bar.* 3,36), et indefessum adversarium *S. Methodium Tyr.* (Conv. decem virg. Or. I. 1. 3. 4. II. 3 etc.; VIII. 3; XI. 2 etc.); quibus addamus SYRIACAE fidei testem *S. Archelaum Charr.* (Disput. c. Man. 29 cfr *Sap.* 1,13), quum doceat, medio saec. 3. Syros inter suas Scripturas libros deuterocanonicos possedisse.

4. — Cui testium nubi adversarii *S. Iustinum M.*, qui deuterocanonica non agnoverit, et *S. Melitonem Sard.* opponunt, qui ea reiecerit; immo ipsum *Origenem* in suas partes trahere conantur. At Iustini silentium immerito affertur, quia contra Iudaeos disputans a Scripturis allegandis, quas Iudaei non agnoverunt, consulto abstinuit; Melito autem et Origenes in textibus obiectis de canone Iudaeorum palaestinensium loquuntur, minime vero de canone a Christianis recepto.

S. Iustinus in suo dialogo cum Iudaeo Tryphone non semel monet, se ex illis solis Scripturis velle argumentari, quae ab adversario admittantur : « Atque illud, inquit, vos scire velim, *multas Scripturas* (πολλὰς γραφάς), ex quibus hunc ipsum, qui crucifixus est, et Deum et hominem et crucifixum et morientem praedicari perspicue demonstratur, omnino ab iis (Iudaeis) ex illa interpretatione, quam senes apud Ptolemaeum adornarunt, deletas esse. Quas quia scio ab omnibus vestri generis hominibus negari, in eiusmodi quaestiones non delabor, *sed de illis, quae apud vos communi consensu admittuntur, controversiam instituam* » (c. Tryph. 71); et iterum : « De vocula in contentionem vobiscum non venio; quemadmodum neque ex Scripturis, quas non agnoscitis... demonstrationem de Christo perficere studui, sed *ex iis, quae adhuc a vobis communi consensu* recipiuntur » (c. Tryph. 120). — *S. Melitonis Sard.* epistola quaedam ad Onesimum episcopum ab Eusebio (*H. E.* IV. 26) refertur, in qua catalogus librorum V. T. traditur, qui praeter deuterocanonicos libros etiam l. Esther omittit (et forte 2 Esdr.); unde concludunt adversarii, eum deuterocanonica reiecisse. At epistolam istam legenti facile patet, episcopum Sardensem non Christianorum,

sed Iudaeorum libros sacros enumerare voluisse. Etenim *a.*) in Palaestinam se esse profectum scribit, ut hunc canonem cognosceret; atqui canon christianus in Asia Minore vix quinquaginta annis post S. Ioannis Ap. mortem, quando S. Polycarpus adhuc erat superstes, incognitus esse non potuit. Ad canonem iudaicum autem cognoscendum iter illud erat necessarium, quia Iudaei asiatici, id quod ex S. Iustini disputatione circa idem tempus Ephesi habita elucet, in suis cum Christianis disceptationibus Scripturas illas, quibus premebantur, velut spurias reiiciebant. *b.*) Onesimus laudatur quod *Vet.* Test. canonem accurate cognoscere velit « utpote propter aeternam salutem decertans » (ἀγωνιζόμενος περὶ τῆς αἰωνίου σωτηρίας), neque ulla fit mentio Novi Test., acsi nondum exsisteret. Atqui si de *Christianorum* canone hic ageretur, Onesimus episcopus, qui eum ignorare supponitur, laude fuisset indignus atque de Novi Test. libris potius edoceri debuit, qui ei magis erant necessarii. Laudes tamen bene erant meritae, si Onesimus ad Iudaeos efficacius impugnandos canonem eorum accurate cognoscere desideravit. — Ad *Originem* quod attinet, ea adscripsisse sufficit, quae catalogo nobis obiecto praemittit : « Minime ignorandum est, etiam Veteris Test. librorum, *ut Hebraei tradunt*, viginti duorum numerum, cui aequalis est numerus literarum eorum, sua non carere ratione... Sunt autem *iuxta Hebraeos* viginti duo libri hi » etc.

QUAESTIO 3. — Patrum 4. et ineuntis 5. saec. de canone Veteris Test. sententiae.

5. — Saec. 4. et 5. insigniores Patres omnes in suis scriptis, etiam dogmaticis et polemicis, saltem aliquoties deuterocanonicos libros tamquam divinas canonicasque Scripturas allegarunt, quaecunque theoretica aliquorum fuerit de canonis ambitu et divisione sententia; omnes igitur praedecessorum suorum traditionem, ampliorem Veteris Test. canonem alexandrinum per Apostolos ecclesiis a se fundatis veluti genuinum esse relictum,testimonio suo plane confirmant.

Quos tribus prioribus saeculis christianis suae sententiae patronos vel fautores non invenerunt, deuterocanonicorum librorum adversarii 4. et 5. saeculis se invenisse gloriantur. At egregie falluntur. Negari quidem nequit, apud aliquos aureae illius aetatis Patres, immo in aliquibus ecclesiis praesertim orientalibus, genuinam de V. T. canone traditionem esse obscuratam atque dubia nonnulla theoretica de ampliore canone admittendo esse exorta; attamen non tantum occidentalis ecclesia doctrinae ab antiquis Patribus traditae semper firma adhaesit, sed etiam orientalis eam saltem practice retinuit, ita ut omnes duorum istorum saeculorum scriptores testes sint catholicae veritatis. Sed eorum testimonia non afferimus, quia ipsi adversarii nostri concedunt, in allegationibus suis Patres inter proto- et deuterocanonicas Scripturas non distinxisse[3]. Conclusionem autem, quam nos ex alle-

(3) Pauca tamen exempla ex *syriacis S. Ephraem* operibus afferre non est inutile, quia Syris plane incognitos fuisse deuterocanonicos libros asserunt acatholici. *Supra* S. Archelaum Charr. iam nominavimus ad hanc sententiam refellendam; iam vero S. Ephraem laudat *Baruch* cum aliis prophetis (Opp. syr. II. 212. 213), *fragmenta Danielis* saepe adhibet (S. Ephr. Hymni et sermones ed. Th. I. Lamy Mechliniae 1882. I, 77. 530; II. 661. 667. 669 etc.), *libro Iudith* in explicando Ezechiele (Opp. syr. II. 293), *libris Mach.* in explicando Daniele (Opp. syr. II. 218. 231) et in hymnis suis (Hymni ed. Lamy I. 75) utitur. Multo plura ex operibus graece tantum conservatis addi possunt; sed haec plane sufficiunt.

gationibus illis deducimus, frustra impugnant asserentes, Patres in seligendis argumentis suis debitam curam et diligentiam non adhibuisse. Attamen si unus alterve Pater in homilia ad plebem ex tempore habita textus eiusmodi adhibuisset, illa exceptio forsitan locum haberet; at quum omnes in omnibus suis operibus, etiam dogmaticis et polemicis, deuterocanonica cum protocanonicis sine ullo scrupulo adhibeant, illud effugium vanum esse apparet.

Ceterum coronidis gratia ad prisca quoque artis christianae monumenta provocare licet; imagines enim, quibus antiqui Christiani sua hypogaea, sepulcra, liturgica vasa etc. exornarunt, non minus frequenter (immo forte frequentius) ex secundi, quam ex primi, canonis libris desumtae sunt. Saepissime spectantur *Tobias*, et *Daniel* in fossa leonum *a propheta Habacuc nutritus*, aliquoties etiam *tres iuvenes* in camino ignis *orantes* aut *draco a Daniele occisus; Iudithae* et *Tobiae senioris* imagines S. Paulinus in porticu ecclesiae a se exstructae depingendas curaverat; in honorem fratrum *Machabaeorum matrisque eorum* (2 *Mach.* 7) in Oriente haud paucae ecclesiae erant aedificatae etc.

6. — Eadem aetate omnes libros deuterocanonicos pro divinis esse receptos docent catalogi Scripturarum a *Conciliis Nicaeno* I. (a. 325.), *Hipponensi* (a. 393.), *Carthaginiensibus* (a. 397. et 419.), a *S. Innocentio* I. (a. 405.), *S. Augustino* (a. 397.) stabiliti, *codices* Scripturarum *graeci* istis saeculis scripti *versiones*que ex illis adornatae.

Num prima synodus oecumenica quidquam de canone Scripturarum statuerit, dubitatur quidem a nonnullis, sed argumenta historica omne prudens dubium videntur excludere. Teste S. *Hieronymo* in Praef. ad l. Iudith « hunc librum *synodus Nicaena* legitur *in numero* sacrarum Scripturarum *computasse* »; quibus claris verbis non satisfacit, qui ab uno alterove synodi membro librum dicit esse laudatum aut in publicis synodi actis allegatum; sed fatendum est, *synodum* libros sacros in aliquo decreto *enumerasse* atque in eorum numerum saltem unum ex deuterocanonicis recepisse. Porro *Cassiodorus* (De instit. div. lit. 14) quoque synodum Nicaenam in eodem ordine recenset cum S. Hilario, Rufino, Epiphanio, qui omnes catalogo stabilito « per divisiones suas libros divinos sacramentis competentibus aptaverunt » i. e. eorum numerum ita stabiliverunt, ut in eo mystici aliquid significaretur. Quibus accedit codex antiquus saec. 8. vel 9. (Vallicell. B. 58. fol. 77.), qui canoni 36. concilii Hippon. a. 393. hanc praefigit inscriptionem : « Ut praeter Scripturas catholicas (canonicas) nihil in ecclesia legatur. *Capituli XXIV. Nicaeni Concilii.* Item ut praeter Scripturas catholicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae » etc., atque sequitur catalogus cunctos primi et secundi canonis libros intermixtos exhibens. Unde pronum est concludere, Hipponenses Patres catalogum suum ex Nicaenis decretis, quae Caecilianus Carthag. secum in Africam detulerat, desumsisse; neque negare licet, Nicaenos Patres decretum de omnibus amplioris canonis libris in ecclesia velut Scripturis legendis tulisse. — *Tria* autem *concilia africana* paucorum annorum spatio eundem canonem ampliorem ter repetendum duxerunt (*Mansi* Coll. Concil. III. 924), probabiliter quia S. Hieronymi prologo galeato (edito a. 390.) dubitatio quaedam de canonis ambitu erat exorta. Ob eandem enim causam etiam amicus quidam S. Hieronymi, *S. Exsuperius Tolos.* de genuino canone *S. Innocentium I.* interrogasse videtur atque ab eo illum catalogum accepit (*Mansi* III. 1040), quem iam triginta annis antea

S. Damasus statuisse censetur (cfr *Thiel* Epistolae Rom. Pontif. p. 56). Circa idem tempus *S. Augustinus* quoque (Doctr. christ. II. 8), qui tribus conciliis africanis interfuerat, eundem canonem edidit. — Ad Orientem transeuntes praeter Nicaenum decretum etiam *S. Chrysostomi* Synopsin S. S. allegare possumus, in qua deuterocanonici libri protocanonicis sunt interpositi; praecipui tamen orientales testes sunt quatuor celeberrimi graecae versionis codices, quorum duo, *Vaticanus* et *Sinaiticus*, saec. 4., duo alii, *Alexandrinus* et *Ephraem rescr.*, saec. 5. exarati inter primi et secundi canonis libros non distinguunt. Quorum testimonium versiones *aethiopica* et *armena* confirmant et corroborant, quae ex graecis exemplaribus saec. 4. et 5. adornatae, quum cunctos libros sacros complectantur, satis docent, orientalem ecclesiam cum occidentali in agnoscendo canone per Patres trium priorum saeculorum tradito consensisse.

7. — Attamen his argumentis non convicti deuterocanonicorum adversarii alios Patres eosque magni nominis appellant, quos in Oriente et Occidente arctiorem canonem palaestinensem solum agnovisse contendunt. Sed praeprimis *orientales* Patres, *SS. Athanasium, Cyrillum Ieros., Epiphanium, Gregorium Naz.*, etsi interdum minus accurate de canone loquantur, immerito tamen deuterocanonicorum adversariis adnumerari apparet, si tota eorum agendi et loquendi ratio consideratur.

S. *Athanasius M.* (Epist. fest. 39.) tres librorum classes distinguit; in prima viginti duos libros enumerat, sc. protocanonicos omnes *omisso l. Esther* et *addito l. Baruch*, « hi sunt, inquit, salutis fontes; *in his solis pietatis doctrina docetur*, nemo iis addat aut aliquid ab iis detrahat ». Alteram eius classem constituunt libri illi, « *qui in canonem quidem non sunt relati, sed quos Patres statuerunt legendos iis, qui nuper accesserunt et catechizari atque pietatis doctrinam discere student : Sapientia Salomonis et Sapientia Sirach, Esther, Iudith, Tobias*, doctrina quae vocatur Apostolorum et Pastor[4] ». Tertia demum classis « *apocryphos, qui sunt haereticorum commenta* » complectitur.

Haud accurate S. Doctorem loqui ex eo elucet, quod in *solis primae* classis libris « pietatis doctrinam » (τὸ τῆς εὐσεβείας διδασκαλεῖον) doceri dicat, et nihilominus catechumenis, qui « pietatis doctrinam » (τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον) discere student, *alterius* classis libros praelegi iubeat. Hinc etiam iam patet, eum arctiore sensu vocabulum *canonis* definire, ut canonici ei sint illi soli libri, qui ex usu alexandrinae ecclesiae solis fidelibus in fide christiana provectis praelegebantur[5]. Longe autem abest, ut libris deuterocanonicis minorem auctoritatem attribuat; continuo enim eorum testimoniis in dogmaticis suis et polemicis operibus utitur. Idololatriae originem secundum *l. Sapientiae* explicat, quem titulis « Sapientiae Dei », « Scripturae », « Verbi Dei » laudat (Or. c. gent. q. 11. 17. 44 etc.); ex *Ecclesiastico* sapientiam divinam in rebus creatis apparere demonstrat et difficultatem ab Arianis ex isto libro allatam eadem cum diligentia solvit, qua eodem in loco difficul-

(4) De *Doctrina Apostolorum* et *Pastore*, quum ad Vetus Test. non pertineant, infra (§ 10, p. 52) dicemus.

(5) Ex *Orig.* in Num. hom. 27,1 elucet, iam diu ante S. Athanasii aetatem in ecclesia alexandrina usum invaluisse, ut faciliores quidam libri soli catechumenis legerentur, difficiliores fidelibus reservarentur. Inter libros catechumenis legendos Origenes cum S. Athanasio recenset « libellum *Esther, Iudith, Tobiam*, mandata *Sapientiae* ».

tates ex ep. ad Hebr. et Psalm. desumtas explicat (Or. c. Arian. II. 4. 79; Apol. c. Arian. 66 etc.); *Baruchi* dicta « Verbo » attribuit (Or. c. Arian. I. 19; de decr. Syn. Nic. 12. 15 etc.); *Iudithae* verbis Deum non esse sicut homines ostendit (Or. c. Arian. II. 35), *Tobiae* libellum sub titulo « Scripturae » allegat (Apol. c. Arian. 11. etc.). Reliquis omissis addamus, S. Doctorem (quodammodo contra modernos deuterocanonicorum adversarios) diserte affirmare, genuinum canonem (non a Iudaeis, sed) « a Patribus » esse accipiendum, quibus Apostoli, « qui ipsi viderunt et ministri erant Verbi », Scripturas tradiderint (Ep. fest. 39.).

Neque *S. Cyrillus Ieros.* (Cat. IV. 33. 35. 36) cum adversariis nostris consentit nec in fonte definiendo, ex quo genuina canonis cognitio haurienda sit (nam « *ab Ecclesia* » eum discendum esse diserte docet), nec in libris canonicis enumerandis (nam librum Baruch et fragmenta quoque deuterocanonica Danielis et Estheris protocanonicis addit), nec in aliorum librorum, quos non recenset, auctoritate determinanda, nam eos non velut « apocryphos » reiicit, sed velut dubios *a catechumenis* legi non vult : « qui certos ignoras, de dubiis quid curas? » S. Doctor librorum, qui in Scripturarum codicibus continebantur, duas classes statuit, unam eorum, qui utpote ad publicam lectionem admissi omnimoda certitudine gaudebant, alteram eorum, qui utpote a publica lectione exclusi minus certi esse videbantur. Praeter quos cognovit apocryphos libros, et ut catechumenos ab his certius retineret, eis etiam usum librorum minus certorum interdixit[6].

S. Epiphanius nullam prorsus creat difficultatem; quater canonem V. T. recenset, sed ter ita, ut clare indicet, se iudaicum catalogum afferre (De pond. et mens. 4. et 22 sq. et haer. 8,6); quarta autem vice (haer. 76. Conf. c. 5. Aetii) protocanonicis non tantum Sapientiam et Ecclesiasticum addit, sed praeter enumeratos se alios quoque canonicos admittere haud obscure prodit. Revera *Sapientiae* verba adhibet tamquam « dicta a Spiritu S. », « a beatissimo propheta Salomone », tamquam « Scripturam » (haer. 26,16; 67,4; Ancor. 2), item Ecclesiasticum appellat Scripturam (haer. 24,6; 33,8; 37,9 etc.) et frequenter allegat Baruch, fragmenta Danielis et Estheris (haer. 69,31. 53. 55; 30,31; 70,7) etc.

S. Gregorius Naz. in suo carmine « de genuinis libris Scripturae » solos protocanonicos libros eosque omnes praeter Esther enumerat, atque in carmine « ad Seleucum » (quod a plerisque hodie *S. Amphilochio* attribuitur) eosdem recensens l. Esther « tamquam ab aliquibus receptum addit ». Tanta autem est inter S. Athanasii epistolam festalem et S. Gregorii carmina similitudo, ut Nazianzenum epi-

(6) Alium legendi modum tenuit alexandrina, alium ierosolymitana ecclesia; prior catechumenis libros deuterocanonicos praescripsit, altera eisdem eos negavit. Cuius discriminis ratio ex origine ecclesiae ierosolymitanae explicatur. Etenim ex Iudaeis palaestinensibus primitus collecta in coetibus sacris eos libros solos adhibuit, quos ante conversionem suam neophyti in synagogis legerant, i. e. libros canonis palaestinensis; atque eandem consuetudinem retinuit, postquam post destructam et reaedificatam urbem ex iudaeochristiana facta erat ethnicochristiana et graecos codices s. librorum adoptaverat. Quae consuetudo tamen non impedivit, quominus reliquos quoque istorum codicum libros pro sacris haberet, etsi a publica lectione eos excluderet. Hinc intelligitur, cur idem S. Cyrillus, qui catechumenis solorum protocanonicorum lectionem commendat, ipse deuterocanonicos libros aliquoties pro auctoritate alleget : *fragmenta danielica* adhibet omnia (Cat. II. 16; XIV. 25; XVI. 31 etc.), *Sapientiae* verba Salomoni attribuit (Cat. IX. 2 cfr XII. 5), *Ecclesiastico* velut Scriptura utitur (Cat. VI. 4; XI. 9; Myst. V. 17); multae quoque eius expressiones libros deuterocanonicos in memoriam revocant, unde elucet, eum frequentissima lectione illos sibi familiares reddidisse.

stolam Alexandrini imitari voluisse certum sit; unde ad illa explicanda inserviunt ea, quae de epistola diximus. Ceterum S. Gregorius etiam eodem modo, quo S. Athanasius, deuterocanonica adhibet : Dei immensitatem ex Ieremiae et *Sapientiae* testimoniis, Filii divinitatem ex multis protocanonicis et duobus textibus *Sap.* demonstrat, atque in iisdem argumentis Lucae et *Ecclesiastici* vel Proverbiorum et *Eccli.* testimonia velut eiusdem auctoritatis coniungit (Or. 28,2; 31,29; 2,50; 4,12; 7,1; 31,29 etc.).

Praeterea ex orientalibus monumentis ab adversariis can. 60. *Concilii Laodiceni* et can. 85. *Apostolorum* afferri solent. At hisce obiectionibus immorari superfluum est, quia prior canon probabiliter est spurius atque si genuinus esset, paucorum dumtaxat episcoporum Phrygiae sententiam exprimeret, alter autem numquam ab Ecclesia agnitus tam singularem catalogum librorum sacrorum tradit, ut nemo eum tueri ausus sit. In V. T. enumerat *tres* libros Mach., Novo Test. duas S. Clementis Rom. epistolas addit etc.

8. — Multo minore cum iure, quam ad orientales, ad *occidentales* quosdam Patres recurrunt adversarii; *S. Hilarius Pict.* enim catalogum iudaicum ab Origene traditum transcripsit atque *Rufinus* in sua librorum sacr. enumeratione epistolam festalem S. Athanasii secutus est. Solus *S. Hieronymus* ad adversariorum partes propius accedit; eius autem in hac quaestione testimonium negligi potest ac debet, quia sibi ipse contradicit; indirecte tamen etiam veritatis catholicae est testis, quatenus ex eius incertitudine apparet, illa aetate canonem Christianorum a Iudaeorum canone fuisse diversum.

S. Hilarius in Prologo Psalmorum catalogum viginti duorum librorum tradit; sed S. Hieronymus doctorem pictaviensem in suis Psalmorum explicationibus « imitatum esse Origenem » iam monuit; revera eodem in loco Origenes quoque eundem catalogum exhibet eodemque modo viginti duos Veteris Test. libros cum viginti duabus literis hebraicis componit. Ceterum S. Hilarius l. *Iudith* vocat « librum Legis » (In Ps. 125,6), *Tobiam* saepius allegat (In Ps. 118. ב. 6; Ps. 129,7), *Sapientiam* Salomoni *prophetae* attribuit (de Trin. I. 7; Ps. 118. ב. 8; 135,11 etc.), eidem attribuit *Ecclesiasticum* (In Ps. 66,9; 140,5), *Baruch* sub nomine Ieremiae citat (In Ps. 68,19; Trin. IV. 42), fragmenta danielica velut Scripturam explicat (Trin. IV. 8. 9) etc.

Rufinus canonem, « sicut ex Patrum monumentis accepimus » recensere vult (Symb. Apost. 36 sqq.), at non satis accurate in Patrum traditionem inquirens solum S. Athanasium sequitur cum eoque tres classes distinguit : *canonicos*, « ex quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt Patres », quibusque adnumerat omnes primi canonis Scripturas, *ecclesiasticos*, « quos legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam », quibusque Sapientiam, Eccli., Tob., Iudith, Mach. libros accenset, *apocryphos*, « quos in ecclesiis legi noluerunt ». « Haec, inquit, nobis a Patribus tradita sunt »; qua in assertione procul dubio erravit, quia ne unus quidem Pater talia tradiderat atque ipse S. Athanasius, quem in aliis sequitur, auctoritatis differentiam inter primae et secundae classis libros non agnovit. Benigna igitur interpretatione indigent Rufini verba, qui probabiliter Origenis sententiam, *contra Iudaeos* deuterocanonica ad fidem probandam non esse afferenda (*Orig.* ad Afric. 5), latius

quam par est extendit. Benignam autem hanc interpretationem etiam admittunt verba Rufini, qui contra S. Hieronymum canonicitatem deuterocanonicorum fragmentorum acriter defendit (Apol. II. 33 sqq.) et in duobus, quae supersunt, opusculis dogmaticis vel exegeticis *Baruch*, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum* velut scripta prophetica et inspirata aliquoties allegat.

Restat, ut de S. *Hieronymo* dicamus, qui aeque atque S. Hilarius et Rufinus in hac quaestione orientalibus potius, quam occidentalibus adnumerandus est, quoniam etiam in Oriente de canonis ambitu dubitare coepit. Quaenam sit genuina eius sententia, difficile est dictu; in nonnullis enim locis deuterocanonica diserte e canone excludit et velut apocrypha reiicit (Prol. gal. a. 391.; Praef. in Esdr. a. 394.; Praef. in l. Esth. a. 405; cfr ad Laet. ep. 107,12; Praef. in Dan. etc.); interdum eadem fere ratione, qua Rufinus, deuterocanonica a canone quidem excludit, sed ea « ad aedificationem plebis non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam legi » concedit (Praef. in ll. Salom. a. 398; Praef. in l. Iudith); interdum deuterocanonica verba allegat addita dubitatione de eorum auctoritate (c. Pelag. I. 33; ad Fur. ep. 54,16; in Agg. 1,5; in Ion. Prol. etc.), multo frequentius autem illa adhibet non tantum dubitatione nulla praemissa sed aut expressis verbis aut allegandi modo ipso divina ea declarans. Tam frequentia et obvia sunt haec eius testimonia, ut exempla afferre superfluum sit; sufficit dixisse, non esse secundi canonis librum aut fragmentum, quo cum reverentia et pro divina auctoritate S. Doctor saepius non sit usus. Iam vero haec omnia inter se pugnare evidens est; praxis S. Hieronymi eius theoriae contradicit et in theoria ipsa sibi non constat. A puero doctrina catholica imbutus omnes latinae editionis libros eadem cum veneratione prosequi didicerat; in Orientem advectus in nonnullis ecclesiis aliquam distinctionem protocanonica inter et deuterocanonica fieri vidit; apud rabbinos deinde, a quibus hebraicam linguam didicit, non invenit libros deuterocanonicos; quae quum conciliare non posset, ipse incertus inter varias illas sententias haerens mox hanc, mox illam secutus est. Ubi deuterocanonicos libros velut inspiratos adhibet, ea prodit, quae a maioribus suis acceperat testis catholicae veritatis; ubi eos improbat, magistrorum suorum hebraeorum sententias profert doctor privatus, cuius opinio tanti aestimanda est, quanti valent eius argumenta; sed argumentis numquam deuterocanonica impugnavit.

9. — Singularibus rationibus, quibus diversae nonnullarum ecclesiarum saec. 4. et 5. sententiae de canonis ambitu explicantur, tres aliae generaliores addantur oportet, quibus in satis magna Orientis parte genuina de Veteris Test. canone traditio aliquantum est obscurata : *frequentes cum Iudaeis controversiae*, contra quos soli protocanonici libri adhiberi potuerunt, *propagatio textus hexaplaris*, in quo deuterocanonicis eadem ratione, qua spuriis, obelus erat praefixus (cfr *Dissert.* II. § 10), *multitudo librorum vere apocryphorum*, a quorum lectione fideles erant arcendi.

Quam frequentes saec. 4. et 5. controversiae fuerint cum Iudaeis, opera patristica satis docent; periculum igitur suis gregibus a synagoga imminere videntes episcopi, ut valida arma iis subministrarent, in suis catechesibus et homiliis protocanonica argumenta praesertim adhibuerunt, quae Iudaei reiicere non possent, atque ita factum esse videtur, ut a nonnullis auctoritas protocanonicorum ad stabilienda dogmata putaretur maior. Origenes quoque, ut Christianos doceret,

quosnam textus contra Iudaeos afferre possent, in suis Hexaplis omnia illa obelo notaverat, quae in graeca quidem editione, sed non in hebraica legebantur. Obelus autem a grammaticis graecis invectus erat, ut expressiones quasdam aut pericopas integras spurias et immerito additas declararent, et quamquam Origenes suo signo diacritico hanc significationem non attribuerat, sed lectores dumtaxat monere voluerat, ut ipsi textu accuratius examinato diiudicarent, num quid abundaret necne (*Orig.* In Matth. tom. XV, 14), iunioribus tamen Patribus obeli isti occasioni fuerunt, ut omnia hoc signo praenotata pro spuriis haberent (cfr *S. Hier.* ad Sunn. et Fret. ep. 106,7; Praef. in Dan.). Demum maximae curae erat Patribus, ut ab adulterinis libris, qui primis saeculis sub nomine patriarcharum, prophetarum etc. ab haereticis propagabantur, fideles defenderent, fierique facile potuit, ut iustos diligentiae et prudentiae limites transgressi usum alicuius libri canonici improbare, quam apocryphum approbare mallent (cfr *S. Athan.* Ep. fest. 39; *S. Cyr. Ieros.* Cat. IV. 33. 36. etc.).

QUAESTIO 4. — Canon Veteris Test. a medio saec. 5 usque ad saec. 10.

10. — Eundem canonem ampliorem in tota *ecclesia occidentali* usque ad initium saec. 10. esse constanter agnitum, clare docent Pontificum istius aetatis decreta, scriptorum ecclesiasticorum testimonia, codices latini Scripturarum istis saeculis exarati, ita ut summo cum iure Nicolaus I. (858.-867.) de catalogo Innocentii I. velut de decreto in universa Ecclesia recepto loqui potuerit. Neque haec unanimitas tollitur singulari sententia Iunilii Africani, quae quum nullius ecclesiae fidem sed unius tantum hominis privati opinionem exprimat, in canonis historia nullius prorsus est auctoritatis.

Ex summis Pontificibus completum catalogum librorum Veteris Test. confirmantibus tres exeunte saec. 5. et ineunte saec. 6. floruerunt: *S. Hilarius* (461.-468.), cuius divisio quaedam in codice Amiatino nobis est conservata, *SS. Gelasius* (492.-496.) et *Hormisdas* (516.-523.), quibus plerumque canon ille, quem supra (6. p. 25) S. Damaso attribui diximus, inscribitur, sive illi praedecessoris sui canonem in decretales suas receperunt, sive ipsi illum primi ediderunt. — Inter scriptores ecclesiasticos *Dionysius Exig.* († c. 536.) catalogum ab episcopis africanis editum in suam canonum collectionem recepit (Codex can. eccles. c. 24); M. Aurelius *Cassiodorus* († 562.) catalogos S. Augustini et antiquae Vulgatae tradidit approbavitque (Instit. div. lit. 21. 13. 14); *S. Isidorus Hisp.* († 636.), postquam protocanonicos tribus ordinibus (Legis, Prophetarum, Hagiographorum) cum S. Hieronymi Prologo gal. distinxit, addit: « Quartus est *apud nos* ordo Veteris Test. eorum librorum, *qui in canone hebraico non sunt* », hisque adnumerat deuterocanonicos, « quos licet Hebraei inter apocryphos separant, *Ecclesia tamen Christi inter divinos libros et honorat et praedicat* » (Etymol. VI. 1, 9; de eccl. offic. I. 11, 4. 5 etc.); *S. Eugenius Tolet.* († 657.) integrum canonem versibus recenset (Versus in bibliotheca. M. 87,394); *S. Ildefonsus Tolet.* († 657) iterum S. Augustini catalogum transcribit (De bapt. 59); *Ven. Beda* († 735.) libellum Tobiae commentario allegorico instruxit; *Alcuinus* († 804.) duobus in carminibus completum catalogum enumerat (Carm. VI.); *Rhabanus Maurus* († 856.) praeclaram S. Isidori distinctionem christianum inter et iudaicum canonem adoptavit (De Univ. VI. 1; De instr. cler. II. 53; Prol. comment. in Sap.) et quinque libros deutero-

canonicos explicavit (Sap., Eccli., Iudith, 1. 2 Mach.). — Quibus testibus alios omnes scriptores latinos addere possumus, quia cuncti ex deuterocanonicis eodem modo sicut ex protocanonicis testimonia sua scripturistica desumserunt; omnes enim libros nostros eo tempore in codicibus Scripturarum adfuisse, docent pauci illi, qui superstites sunt, Amiatinus, Toletanus, Paulinus, Statianus etc., qui saec. 10. antiquiores habentur. — De mira *Iunilii Afric.* (De part. div. leg. l. 3 sqq.) sententia disserere opus non est; adnotasse sufficit, eum relate ad auctoritatem tres classes distinguere : *perfectae* auctoritatis ei ex Vetere Test. sunt Pentat., Ios., Iudic., Ruth, Regum quatuor, Psalmi, sedecim prophetae, Proverbia, *Ecclesiasticus*, Ecclesiastes; *mediae* auctoritatis Paralipomenon duo, Iob, Tobias, Esdrae unus, Iudith, Esther, Machab. duo; *nullius* auctoritatis Canticum et Sapientia. Eiusmodi canonem nulla umquam cognovit ecclesia nec in Oriente nec in Occidente.

11. — Porro eadem unanimitas in toto canone agnoscendo istis saeculis in Oriente invenitur. Omnes enim ecclesiae, quae tunc ab unitate catholica recesserunt, *Nestoriani chaldaei* uti *Monophysitae syri, aethiopici, armeni, copti*, deuterocanonicos libros velut divinos etiam hodie possident; inter Graecos autem *concilium Trullanum* recepto canone conciliorum africanorum finem controversiae ita imposuit, ut ipse *Photius* et *recentiora conciliabula Graecorum* in hac quaestione cum latina ecclesia se consentire fateantur. *Leontius Byz.* vero, *S. Ioannes Damasc., Nicephorus Constantinop.*, qui dissentire videntur, non suae aetatis fidem exprimunt, sed particulares aut antiquos catalogos referunt.

De Chaldaeorum canone cfr *Ebediesu* († 1318.), metropolitae nestoriani, carmen (in *Assemani* Biblioth. orient. III. 1. p. 5 sqq. et III. 2. p. 236), de Syrorum Iacobitarum catalogo cfr *Iacobi Edesseni* († 708.) et *Gregorii Barhebraei* († 1286.), episcoporum monophysiticorum, testimonia (*Assem.* l. c. II. 277. 281. 499); de aethiopico cfr *Ludolf* Hist. aethiop. (III. c. 5.); de armeno cfr schismaticorum patriarcharum testimonia (Perpétuité de la foi. ed. Migne II. 1296 sq.). Quod a nonnullis etiam aliqui vere apocryphi libri in canone recenseantur, id difficultatem non creat, quum nullus apocryphus communi consensu apud omnes approbetur, e contra omnes deuterocanonici apud omnes inveniantur. Unde concludere licet, deuterocanonicos cunctos ista aetate, qua sectae sunt exortae, in orientali canone fuisse, sectarios autem, ut fieri solet, quando una cum haeresi ignorantia populos subiugat, decursu temporis apocrypha suo canoni inseruisse. —

Trullanum Conc. (cfr *Bevereg.* Synod. Canon conc. VI. in Trullo c. 2) recepto catalogo africano controversiam Graecorum revera terminasse satis patet ex eo, quod *Photius* († 891.), occidentalis ecclesiae hostis acerbissimus, eundem in suo Nomocanone et Canonum Syntagmate (tit. II. c. 3) retulit nec umquam de canonis diversitate loquitur; eundem quoque velut legem ecclesiae graecae admiserunt *Zonaras* († 1188.) et *Balsamo* († 1192.) in suis explicationibus canonum Trullanorum. Quando autem saec. 17. *Cyrillus Lucaris* eiusque discipulus *Metrophanes Critopulus* cum aliis protestanticis erroribus etiam arctiorem canonem in ecclesiam graecam introducere conati sunt, fortiter eis restiterunt alii schismatici episcopi in conciliis duobus *Constantinopolitanis* (1638. et 1672.) et *Ierosolymitano* (1672.) praeter protocanonicos etiam deuterocanonicos omnes iuxta catalo-

gum carthaginiensem admittentes (cfr *Kimmel* Monumenta fidei orientalis. Ienae 1850. I. p. 415 sq.; II. p. 225. 467. sqq.).

Ad tres deinde scriptores quod attinet, quos velut suae sententiae patronos appellant adversarii, *Leontius Byz.* (De sectis. Act. II. 1-4) revera solos protocanonicos affert omisso libro Esther, sed in monasterio S. Sabae prope Ierosolyma scribens eorum duntaxat librorum catalogum tradidit, quos eo tempore, sicut tribus saeculis antea, solos publice legit ecclesia palaestinensis; ceterum eodem in opere Leontius l. Baruch sub nomine Ieremiae allegat (De sect. Act. II. 6), contra Nestorianos et Eutychianos ex ll. Sap. et Eccli. velut ex Scriptura argumentatur (cfr M. 86, 1208. 1293. 1308. 1633. 1745 etc.). *S. Ioannes Dam.* († 760.) suum catalogum (De fide orthod. IV. 17) *ad literam* transcripsit ex S. Epiph. de pond. et mens. 4., non attendens isto maxime in loco a S. Epiphanio canonem iudaicum recenseri nec praxim suam cum catalogo transcripto consonare; pro divina enim auctoritate Damascenus deuterocanonica frequenter allegat (cfr ex. gr. de fide orthod. IV. 4. 6. 15. 18. 27 etc.). *Nicephorus* († 828.) demum in sua Stichometria a Synopsi Ps. Athanasiana plane dependet, quam in compendium redegit, ita ut nec suam, nec suae ecclesiae, nec suae aetatis sententiam referre dicendus sit.

QUAESTIO 5. — Canon Veteris Test. media Ecclesiae aetate.

12. — Dum in Oriente controversia de canonis ambitu decreto Trullano prorsus est exstincta, in Occidente praefationes S. Hieronymi, quibus nimia auctoritas attribuebatur, inde a 10. saec. novam incertitudinem in multorum animis provocaverunt.

Fixum persuasumque omnibus fuit istius aetatis theologis, a catholica traditione discendum esse genuinum Scripturarum canonem, at non omnes sufficiente cum diligentia in antiquae traditionis monumenta inquisiverunt. S. Hieronymi prologus galeatus et reliquae praefationes omnibus fere Scripturarum codicibus praefixae in omnium erant manibus atque velut pars quaedam ipsius Scripturae paene tractabantur. Altera ex parte decreta Rom. Pontificum conciliorumque africanorum et S. Augustini sententia non ignorabantur. Hinc incerti fluctuabant multorum animi, atque multae miraeque vocabulorum « hagiographi » et « apocryphi », quibus usus erat S. Hieronymus et quae in codicibus saepe a librariis permutabantur, definitiones excogitatae sunt, quibus S. Hieronymi doctrina cum decretis Ecclesiae conciliaretur. Maior quidem saniorque theologorum numerus in theoria et in praxi decreta Ecclesiae retinebat, sed nullo tempore defuerunt, qui etsi in praxi omnes amplioris canonis libros pro divinis adhiberent, in theoria tamen decreta illa secundum S. Hieronymi doctrinam reformare aut saltem explicare conabantur. Paucis referemus praecipuas istius aetatis de canonis ambitu sententias, ut clarius appareat, quam necessarium fuerit decretum dogmaticum, quo Patres Tridentini toti controversiae inter catholicos finem imposuerunt.

13. — *Saeculis* 10. 11. 12. omnes decretorum collectores aut Innocentii I. aut Gelasii canonem receperunt eundemque omnes illi tradiderunt, qui de ordine librorum in divino officio legendorum egerunt; velut lege praescriptus igitur illa aetate amplior canon agnoscebatur, atque a haud paucis quoque canon amplior christianus a canone iudaico distinguebatur

et Ecclesiae auctoritate confirmari dicebatur. Neque tamen defuerunt, qui deuterocanonicis perfectam auctoritatem negarent (*Hugo a S. Vict.*, *Radulphus Flaviac.*, *Ioannes Sarisb.*) aut eos reiicerent (*Notkerus Balb.*).

Catalogum Innocentii exhibet *Collectio canonum eccl. hisp.* (a. 976.), catalogum Gelasii *Ps. Luitprandus* (Vitae Roman. Pont. 51), *Burchardus Wormat.* († 1025. Decr. III. 217), *Ivo Carnot.* († 1117. Decr. IV. 61); item de officio divino agentes *Honorius Augustodun.* (c. 1125. Gemma animae IV. 118), *Gratianus* († 1155. Decr. I. dist. 15. c. 3), *Ioannes Beleth* (c. 1180. Rationale div. off. 59). Libros deuterocanonicos a Iudaeis quidem reiectos sed ab Ecclesia receptos dicunt *Petrus Blesensis* († 1200. De divis. et script. libr. s.), et *Anonymus* eiusdem aetatis (Ep. ad Hugon. de modo et ordine legendi Script.), item *Aegidius Paris.* (c. 1180. De numero libr. U. T. « hos authenticat usus Ecclesiae, fidei regula, scripta Patrum »), *Petrus de Riga* (c. 1180. Aurora. Fragm. 5), *Petrus Comestor* († 1178. Historia schol. Praef. in Iosue, qui dicit « eos apocryphos esse, quia auctor ignoratur eorum, *sed recipiuntur ab Ecclesia*, *quia de veritate non dubitatur* »), *S. Petrus Cluniac.* († 1185. Contra Petrobruss., qui eis, quoniam in Novo T. non allegentur, minorem *dignitatem* attribuit, sed eos « *propter laudabilem ac pernecessariam doctrinam* ab Ecclesia suscipi » docet).

Rad. Flav. († 1155.) Sapientiae et Eccli. auctoritatem attribuit, sed eam negat « Tobiae, Iudith, Machab. libris, *etsi ad instructionem Ecclesiae legantur* » (in Levit. XIV. Praef.); *Hugo a S. Vict.* († 1140.) « Sap., Eccli., Tob., Iudith, Mach. libros legi quidem, sed *non scribi in canone* », vel « *in canone auctoritatis* » non semel asserit, iisque vix maiorem, quam libris Patrum, auctoritatem tribuit (De scripturis et script. sacr. 6.; De sacram. fid. I. 7; Erud. didasc. IV. 2); *Ioannes Sarisber.* († 1180.), « quia de numero librorum diversas et multiplices sententias legit, catholicae Ecclesiae doctorem Hieronymum sequens, quem in construendo literae fundamento probatissimum habet, *duos et viginti libros* Veteris Test. in tribus ordinibus distinctos indubitanter credit », deuterocanonicos tamen ab Ecclesia « pie admissos » concedit (Ep. 143 al. 172). A vero longissime aberravit *Notkerus Balbulus* († 912.) ad Iunilii Africani placita fere accedens atque singulares mirasque opiniones venditans.

14. — Eadem sententiarum diversitas tribus sequentibus *saeculis* 13. 14. 15. perduravit. Tantum non ab omnibus theologis antiquam traditionem in praxi esse retentam atque omnibus amplioris canonis libris eandem auctoritatem esse attributam, docent innumeri *Bibliorum codices latini* istis saeculis conscripti, qui utriusque classis libros sine ulla distinctione continent, *correctoria omnia*, quae utrorumque apparatum criticum exhibent, *opera theologica*, quae utrorumque sententiis promiscue ad dogmata stabilienda utuntur, *commentarii* multi in libros deuterocanonicos compositi. At theoretice quoque auctoritas deuterocanonicorum a theologis propugnabatur et tandem in *Conc. Florentino* sollemniter asserebatur.

Quoniam de codicum et correctoriorum testimonio nemo dubitat atque indices scripturistici operibus scholasticis additi satis demonstrant, quam frequentem usum deuterocanonicorum textuum magni istius aetatis theologi fecerint, sufficit pauca diserta eorum testimonia attulisse. *B. Albertus M.* l. Baruch commentaturus praemonet, eius (divinam) veritatem non negari, etsi S. Hieronymus eum de canone

non esse dixerit; fragmentis autem danielicis a S. Hieronymo alium dumtaxat auctorem putavit assignari (Opp. ed. Iammy VIII. 40. 69); S. *Bonaventura* commentario suo in l. Sapientiae praefatur monens, primam libri causam efficientem esse Deum, qui eum inspiraverit (Opp. ed. Rom. I. 358); S. *Thomas Aq.*[7] vel probabilius Thomas Wallensis in praefatione commentarii in ll. Mach. adnotat, libros istos non habere auctoritatem apud Iudaeos, sed *apud Christianos in Ecclesia* (Opp. ed. Parm. XXIII. 196); simili modo *Robertus Holcoth* († 1340.) librum Sap. « inter scripturas canonicas *apud Ecclesiam* computari dicit, licet a Iudaeis oppositum sentiatur » (Praelect. in l. Sap. c. 1. lect. 2.); *Thomas Waldensis* († 1431.) « ex Ecclesiae testificantis auctoritate » canonicitatem librorum dependere contra Wiclefitas ostendit atque dein ad Gelasii decretalem provocat, quae « denuntiet libros, qui in plenaria auctoritate sint habendi » (Doctrinale fidei II. 20); eodem fere tempore *Ioannes de Ragusa* auctoritatem traditionis et Ecclesiae in stabiliendo canone velut doctrinam ab omnibus admissam supponit: in Bibliorum enim volumine ait multos libros contineri, qui a Iudaeis in auctoritate non habeantur, *apud nos* autem in eadem veneratione et auctoritate, sicut ceteri, sint, idque ex traditione et acceptione Ecclesiae universalis (*Mansi* Coll. Conc. XXIX. 885). Qua traditione nixus paucis annis post *Eugenius* IV. cum Patribus *Conc. Florentini* in decreto unionis Iacobitarum inter libros, quos utpote a Spiritu S. inspiratos Ecclesia suscipit et veneratur, omnes deuterocanonicos recensuit (*Labbe* Coll. Concil. XVIII. 1222)[8].

15. — Attamen non tantum ante Concilium Florentinum haud pauci interpretes, inter quos praecipui sunt *Hugo a S. Caro* et *Nicolaus Lyranus*, deuterocanonicis cum S. Hieronymi Praef. in ll. Salom. negarunt auctoritatem ad fidei dogmata stabilienda, sed eandem sententiam post Conc. Florent. tenuerunt *Alph. Tostatus* et *S. Antoninus*, qui eius decretum plane ignorasse videntur, et *Card. Caietanus*, qui omnia decreta secundum S. Hieronymi sententiam explicanda esse asseruit.

Card. Hugo († 1260.) variis in locis suam sententiam enuntiat, sed simul se S. Hieronymi sententiam non clare perspexisse ostendit, quia quid esset apocryphus liber ignoravit (Cfr. Prol. in Ios.; in Eccli.; in Iudith etc.). Clarius loquitur *Nic. Lyranus* († 1341.), « illos libros, qui secundum Hieronymum non sint de canone, receptos esse ab Ecclesia, ut in iis ad morum informationem legatur, licet eorum auctoritas ad probandum ea, quae in contentionem veniant, minus idonea videatur » (Praef. in l. Tob.; in l. Esther etc.); ceterum praeter fragmenta Esther omnes libros deuterocanonicos eadem cum diligentia, qua protocanonicos, interpretatus est; atque idem *Card. Hugo* fecit. *S. Antonino* († 1459.) libri deuterocanonici « forte talem habent auctoritatem, qualem habent dicta sanctorum

(7) *S. Thomas Aq.* adversarius deuterocanonicorum a nonnullis Protestantibus dicitur, quia duobus in locis (Op. VII. in Dionys. de Nom. div. c. 4. lect. 9. et Summa I. qu. 89. a. 8 ad 2) aliquam dubitationem de Sap. et Eccli. auctoritate exprimat; at prior locus dubitationem non continet et alter eodem sensu explicari potest ac debet. Ceterum *duobus* istis locis opponendi sunt plus *quingenti* alii ex sola Summa desumti, in quibus Sap. et Eccli. tamquam divinas Scripturas sine ullo dubitationis vestigio adhibet; atque eadem ratione eum uti aliis libris docent Indices.

(8) De huius decreti authentia, quam aliqui Protestantes addubitant, cfr *Theiner* Acta genuina Synodi Trident. Zagabriae 1874. I. p. 79 sq.

doctorum approbata ab Ecclesia » (Summa theol. III. 18,6), sed sibi in doctrina sua non constat. Atque *Tostatus* († 1455.) quoque variis in locis contraria de eorum auctoritate et dignitate tradit, interdum omne discrimen inter primi et secundi canonis libros negans, interdum prioribus posteriores longe postponens (Cfr Comm. in ll. Reg. In Prol. gal. qu. 28. 29.; In praef. primam S. Hier. in Paral. qu. 7.; In Prol. in Evang. qu. 2). Tandem *Card. Caietanus* contra Concilia omnia et omnes Patres solius S. Hieronymi sententiam, prout ipse eam intellexit, tenendam statuit. « Ne turberis, inquit, si alicubi repereris libros istos (deuterocanonicos) intra canonicos supputari vel a sacris Conciliis vel a sanctis Doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba Conciliorum, quam Doctorum, et iuxta illius sententiam libri isti non sunt canonici, i. e. non sunt regulares ad firmandum ea, quae sunt fidei; possunt tamen dici canonici i. e. regulares ad aedificationem fidelium. Cum hac enim distinctione discernere poteris et dicta Augustini in 2. de Doctr. Christ. libro et scripta in Conc. Florentino sub Eugenio IV. scriptaque in provincialibus Conciliis Carthaginiensibus et ab Innocentio et Gelasio Pontificibus ». Eodem fere tempore, quo Caietanus haec scripsit (a. 1532.), Pseudoreformatores in Helvetia et Germania deuterocanonicos libros reiicere coeperunt, et quoniam Senonensis Concilii decretum, quo catalogi Concilii Carth., Innocentii et Gelasii approbabantur, ad dirimendam litem non sufficiebat, ad oecumenici Concilii definitionem sollemnem deveniendum erat.

Quaestio 6. — Canon Veteris Test. a Concilio Tridentino ad nostram usque aetatem.

16. — Itaque Concilii Tridentini Patres post repetitam et diligentem quaestionis tractationem, ut omnes intelligerent, « quibus potissimum testimoniis et praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus Synodus sit usura », in primo suo decreto dogmatico (Sess. IV. De canonicis Script.) omnes Veteris et Novi Test. libros a Conc. Florentino, Gelasio, Innocentio I., Conc. Africanis, S. Augustino enumeratos « *pari pietatis affectu et reverentia* » suscipiendos esse docuerunt anathema dicentes ei, « qui illos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, *pro sacris et canonicis* non receperit ». Quae verba, etsi clarissima essent, non omnem controversiam inter theologos catholicos terminarunt, quapropter Concilium Vaticanum, ut omnem dubitationem prorsus excluderet, Tridentinum decretum confirmavit et explicavit : « Si quis libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos S. Synodus Tridentina recensuit, pro sacris et canonicis non receperit, *aut eos divinitus inspiratos esse negaverit*, anathema sit » (Constit. de fid. can. 4 de revel.).

Multis congregationibus particularibus et generalibus Patres de canone stabiliendo egerunt; illam quoque quaestionem repetitis vicibus agitarunt, num distinctio facienda esset librorum, « qui ut authentici et canonici et ut a quibus nostra fides dependeat, recipi deberent » eorumque, « qui ut canonici tantum et ad docendum idonei et ad legendum in ecclesia utiles » admitterentur, neque minus agitarunt alteram quaestionem, « an *aequaliter et pari reverentia* omnes libri

sacri recipiendi essent, quum inter illos magna esset differentia ». Quomodo has quaestiones diiudicaverint Patres, docent decreti verba, unde satis patet, quam longe a vero aberraverint illi theologi posttridentini, qui aut cum *Sixto Senensi* (Biblioth. sacr. I. p. 44) saltem Estheris fragmenta ex canone eiecerunt, aut cum *B. Lamy* (Appar. bibl. Ed. 6. Venetiis 1777. p. 375) et *I. Iahn* (Einl. I. p. 140 sq.) Deuterocanonicis plenam auctoritatem negarunt, aut cum *A. Loisy* (Hist. du can. de l'A. Test. Paris 1890. p. 232 sqq.) illis eandem quidem, quam protocanonicis, dignitatem, sed non eandem auctoritatem concedunt. Neque enim Patres tridentini et vaticani negarunt, nonnullos theologos, immo nonnullos Patres de librorum quorundam auctoritate et canonicitate olim dubitasse, at diligenti examine instituto antiquam traditionem de canonis amplioris alexandrini, utpote ab Apostolis ecclesiis relicti, libris omnibus pari pietatis affectu recipiendis confirmarunt omnibusque, utpote divinitus inspiratis, eandem dignitatem eandemque auctoritatem attribuendam esse definiverunt.

17. — Sectae pleraeque protestanticae oppositam viam tenuerunt; libros deuterocanonicos, quos minoris dignitatis et auctoritatis iudicabant, Ps. Reformatores velut « apocryphos » iam in appendicem relegaverant, at eos utiles legentibus declaraverant. Eorum autem filii paullatim eos magis magisque aversari coeperunt atque eo usque progressi sunt aliqui, ut eos multis libris profanis peiores atque aliis libris pravis periculosiores declararent.

Primae sectarum « confessiones » pleraeque tenuerunt, deuterocanonicos « ad dogmata confirmanda non posse adhiberi, sed legi ad exempla vitae et formandos mores » (*Conf. Gallic.* a. 1559., art. 3. 4; *Conf. Anglic.* a, 1562. art. 6; *Conf. II. Helv.* a. 1564. art. 1; *Conf. Belg.* a. 1562. art. 6. etc.). Attamen iam saec. 17. Calviniani omnem prorsus auctoritatem libris illis negarunt multosque in illis errores invenerunt (*Acta syn. nat. Dordrac.* a. 1618.; *Conf. Westmonast.* I. 3). Ob odium autem catholicorum (uti ipse fatetur protestans *Strack* in Herzog P. R. E. VII. 450) odium quoque librorum deuterocanonicorum apud Protestantes crevit; inter omnes maxime sese infensos exhibuerunt presbyteriani Scotiae et Angliae, qui longe maiorem aliarum sectarum partem post se traxerunt, ita ut societas biblica Londinensis die 3. Maii 1826 legem tulerit, nullam Scripturae editionem, quae, « apocryphos » contineat, esse propagandam. Frustra presbyterianis sese opposuerunt Lutherani, qui in editionum suarum appendice deuterocanonicos retinent; nam quum eos etiam « apocryphos » appellent et in eis errores falsasque doctrinas invenire velint, sibi ipsi non constant; quomodo enim populo simplici libros sacros una cum aliis, qui errores contineant, tradere possunt?

CAPUT III.

HISTORIA CANONIS NOVI TESTAMENTI.

§ 5. — *De apostolicorum scriptorum origine et prima collectione.*

1. — Etsi ordinaria propagandi et conservandi Evangelii via ex institutione Christi sit praedicatio et traditio oralis, Apostoli tamen a Spiritu S. impulsi et adiuti data occasione nonnulla de vita et doctrina Domini literis mandarunt, sive ut ea in fidelium memoriam revocarent, sive ut errores eis absentibus exortos reprimerent, sive ut tepidiores ad maiorem fervorem excitarent; neque tamen universae Ecclesiae, sed singularibus coetibus vel personis scripta sua proxime destinarunt.

Dominus N. divinam doctrinam suam sola viva voce docuit neque quidquam manu sua divina conscriptum discipulis reliquit. Eodem autem modo Evangelium ab Apostolis propagari voluit. Namque licet non prohibuerit, quominus, necessitate vel utilitate id postulante, literis nonnulla consignarentur, vivae vocis tamen praedicationem et oralem traditionem eum velut viam ordinariam doctrinae suae propagandae et conservandae instituisse, praeter multa alia, quae hoc loco exponere superfluum est, vocabula ipsa docent, quibus in Novo Test. doctrina eiusque promulgatio, conservatio, acceptatio designantur[1]. Neque id mirabitur, qui temporis illius rationem ac praesertim Evangelii naturam consideraverit. De doctrina enim practica agebatur, quae omnibus quidem hominibus, sed proxime pauperibus destinata homines integros ita convertere debuit, ut erroribus omnibus depositis pravisque animi passionibus debellatis id amare inciperent, quod antea odio habuerant, idque odisse, quod dilexerant. Num talis doctrina paucorum annorum spatio a Ierosolymis usque ad ultimos imperii romani fines propagari potuisset, si Apostoli Ierosolymis quieti residentes scribendis dumtaxat libris operam dedissent Evangeliumque non viva voce et miraculis, sed libris propagare voluissent? Domini igitur exemplum secuti Apostoli cunctas terras peragrantes divinam doctrinam ore praedicabant miraculisque confirmabant, atque non tantum in Palaestina finitimisque provinciis, sed Romae iam fundatae erant ecclesiae, quando primus ex Christi discipulis (S. Matthaeus) aliqua de Domini sui vita et doctrina conscripsit; ad finem autem vergebat primum saeculum christianum, quando ultimus (S. Ioannes) libros suos coapostolorum suorum libris addidit. Longissime

(1) Domini doctrina eiusque propagatio hisce plerumque vocabulis exprimuntur : λόγος, λόγος Θεοῦ vel Κυρίου, λόγος ἀκοῆς (*Gal.* 6,6; *Luc.* 5,1; 1 *Thess.* 2,13; *Act.* 8,25 etc.); εὐαγγέλιον, εὐαγγελίζεσθαι, εὐαγγελιστής (*Rom.* 1,1; *Luc.* 9,6; *Eph.* 4,11 etc.); κήρυγμα, κηρύσσειν, κήρυξ (1 *Cor.* 2,4; *Math.* 10,7; 1 *Tim.* 2,7 etc.); μαρτυρία, μαρτυρεῖν, μάρτυς (*Act.* 22,18; 23,11; 1,8 etc.); παράδοσις, παραδιδόναι (2 *Thess.* 2,15; *Luc.* 1,2 etc.). Fideles dicuntur ἀκούειν, ἀκροᾶσθαι, δέχεσθαι, παραλαμβάνειν verbum ore praedicatum (*Eph.* 1,13; *Iac.* 1,22; 2 *Cor.* 11,14; *Col.* 2,6 etc.); fidem esse ex *auditu* asserit S. Paulus (*Rom.* 10, 17; *Gal.* 3,2) etc.

igitur a vero aberrant, qui sine Scripturis, quas unicum revelationis fontem dicunt, Ecclesiam exsistere non posse autumant; revera ante 3. saeculi initium ne una quidem ecclesia invenitur, quae completam et definitam librorum apostolicorum collectionem possedisse videatur. Ex Patrum enim traditione de Evangeliorum origine et ex Epistolarum Apocalypseosque inscriptionibus luculenter apparet, fortuitis quodammodo occasionibus omnes libros Novi Test. deberi et singularibus tantum coetibus aut personis proxime esse destinatos; unde intelligitur, non nisi paullatim eos ad alias ecclesias pervenisse.

2. — Nihilominus maxima cum sollicitudine primos Christianos apostolica scripta collegisse certum est. In ipsis ultimis Apostolorum libris vestigia iam inveniuntur alicuius collectionis, quamvis quae scripta continuerit accurate definiri nequeat. Immo omnino concedendum videtur, exeunte 1. saeculo in variis ecclesiis varias collectiones adfuisse, neque ullam ecclesiam eo iam tempore omnes hodierni canonis N. T. libros possedisse aut pro canonicis habuisse, sed etiam nullum hodierni canonis librum esse, qui non in aliqua saltem ecclesia sit agnitus.

S. Polycarpo (ad Philipp. 13) teste Philippenses solliciti erant, ut epistolas S. Ignatii M. colligerent, et *S. Dionysius Cor.* (Eus. *H. E.* IV. 23) testatur, S. Clementis Rom. epistolam Corinthi semper publicae lectioni inserviisse; iure igitur concludimus, multo sollicitiores fuisse primitivas ecclesias in libris apostolicis colligendis, ut eos in coetibus suis sacris legerent. Revera Apostoli interdum ecclesias monuerant, ut inter se epistolas suas communicarent (*Col.* 4,16), aut ad plures ecclesias eandem epistolam velut encyclicam miserant (2 *Cor.* 1,1; *Iac.* 1,1; 1 *Petr.* 1,1; *Iudae* 1 etc. cfr *Act.* 15,32), aut argumentum tractaverant, quod ad omnes fideles pertinere videbatur (Evangelia; Rom., Gal. etc.); quare fieri non potuit, ut non omnes exemplaria istorum scriptorum apud se habere cuperent. Ubicumque igitur fundata est ecclesia, ibi etiam statim Apostolorum libros esse collectos pro certo admittimus, ita ut ante Apostolorum mortem maiores minoresve collectiones ubique adessent. Hinc etiam mirum non est, quod in ultimis apostolicis scriptis iam vestigia collectionis alicuius inveniantur. Sine ullo dubio enim S. Paulus Evangelio Lucae canonicam auctoritatem attribuit, quum sollemni formula « *dicit Scriptura* » textum Deuteronomii una cum verbis Domini, sicut in tertio Evangelio leguntur, allegaret (1 *Tim.* 5,18 cfr *Deut.* 25,4 et *Luc.* 10,7; differunt aliquantulum verba apud *Matth.* 10,10): quapropter non video, cur nonnulli etiam catholici interpretes in 2 *Petr.* 3,16 aliquam paulinarum epistolarum collectionem, cui canonica dignitas attribuatur, agnoscere nolint. Lectione enim ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς, quam cum ℵ K L P plerique codices tuentur, profecto collectio quaedam indicatur (sc. illarum omnium, quae Petro cognitae erant) et comparatione cum reliquis Scripturis (ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς) eisdem aequiparatur. Ceterum S. Ioannes quoque Evangelio suo nos docet, tria priora Evangelia in usum communem iam fuisse recepta, antequam ipse librum suum ederet; non semel enim ad illa respicit suaque narratione errores praecavere vult, qui ex parum diligenti illorum lectione exoriri potuerunt (cfr *Ioan.* 2,11; 4,54; 3,24 etc.). — Collectiones igitur librorum apostolicorum primis temporibus iam adornatae sunt; sed iure etiam asserimus nullum in nostro canone adesse librum, qui in alicuius saltem ecclesiae canone non fuerit. Etenim si Corinthii (*Clem. Rom.* ad Cor. 49), Ephesii (S. *Ign.* ad Eph. 12), Philippenses (S. *Polyc.* ad

Philipp. 12) Pauli epistolas ad se conscriptas magna cum reverentia custodiverant, quis dubitat, quin aliae ecclesiae eadem cum sollicitudine epistolas, quas ipsae ab Apostolis acceperant, conservaverint posterisque transmiserint. Quamobrem optime S. Augustinus fideles admonuit, ut « in canonicis Scripturis ecclesiarum catholicarum quamplurium auctoritatem sequantur, *inter quas sane illae sint, quae apostolicas sedes habere et epistolas recipere meruerunt* » (Doctr. christ. II. 8).

§ 6. — *De canone Novi Test. primis tribus Ecclesiae saeculis.*

Quaestio 1. — Patrum apostolicorum canon Novi Test.

1. — Apostolorum discipulos et immediatos successores scriptis magistrorum suorum *divinam auctoritatem* attribuisse quum disertis eorum testimoniis tum multis, quae in Patrum apostolicorum operibus inveniuntur, allusionibus luculenter demonstratur.

Diserta testimonia sunt triplicis generis : a.) A Patribus apostolicis aliquoties in citandis textibus Novi Test. adhibentur formulae, quibus soli libri divini allegari solent. Ita *S. Barnabas* (Ep. 4.) formula « sicut scriptum est » (ὡς γέγραπται) allegat *Matth.* 20,16; *S. Polycarpus* (ad Philipp. 12) formula « ut his Scripturis dictum est », coniungit *Ps.* 4,5 et *Eph.* 4,26; *S. Clemens Rom.* (2 Cor. 2) testimoniis nonnullis ex Vetere Test. desumtis adnectit *Matth.* 9,13 formula « alia Scriptura dicit », et in epistolis de Virginitate frequenter similibus formulis utitur (1 Virg. 6. 11 etc.)[1]. — b.) *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 47) asserit, Paulum *divinitus inspiratum* (πνευματικῶς) de se ipso, de Cepha et de Apollo ad Corinthios scripsisse, atque *S. Polycarpus* (Philipp. 3) Philippenses monet, « eos epistolis Pauli, si attenti eas inspicere velint, aedificari posse in fide ». — c.) Non minus certum argumentum praebent textus illi, in quibus « *Evangelium et Apostoli* » i. e. duae partes, in quas olim Novum Test. distribuebatur, ita cum « *Lege et Prophetis* » coniunguntur, ut et scripta designari et eandem dignitatem utrisque adscribi appareat. Huc maxime spectant *S. Ignatius M.* monens (ad Smyrn. 7. 8) : « Oportet attendere Prophetis, praecipue autem Evangelio » et de haereticis loquens, « quibus nec Prophetae persuaserunt, nec Moysis Lex, sed nec Evangelium » (ad Symrn. 8; cfr etiam ad Philadelph. 5. 8 sq.), atque auctor *ep. ad Diognetum*, « Metus, inquiens, *Legis* decantatur, et *Prophetarum* gratia cognoscitur, et *Evangeliorum* fides stabilitur et *Apostolorum* traditio custoditur, et Ecclesiae gratia exsultat » (ad Diogn. 11.).

Allusiones ad Novi Test. libros in Patrum apostolicorum operibus frequentissimae sunt; recentissimus eorum editor catholicus (*Funk* Opera Patrum apost. Tubingae 1878.-1881.) in Indicibus SS. SS., quos optimae suae editioni addidit,

(1) Addere his liceat haereticum ineuntis saec. 2., *Basilidem*, qui se Matthiae Apostoli discipulum esse gloriabatur. In operum eius fragmentis, quae ab auctore Philosophumenon (VII. 20 sqq.) conservata sunt, saltem trium Evangeliorum (Matth., Luc., Ioan.) et epistolarum quarumdam Pauli (Rom., 1. 2 Cor., Eph.) verba consuetis formulis : « scriptum est », « Scriptura dicit » etc. allegantur. Praeprimis est notandum, eum *Ioan.* 1,9 allegare tamquam « dictum in Evang*eliis* »; unde patet eum Evangelia iam in una collectione coniuncta possedisse.

enumerat 68 allusiones in ep. S. *Barnabae*, 158 in S. *Clem.* 1 Cor., 79 in 2 Cor., 143 in 1. 2 Virg., 53 in S. *Ign. M.* epistolis, 68 in ep. S. *Polyc.*, 29 in *ep. ad Diognet.* Quo magno in numero haud paucas contineri, quae parum sunt certae, aliasque quae aut fortuitae locutionum similitudini aut traditioni orali rectius attribuuntur, libenter concedimus; at multae remanent, quae Patres opera apostolica cognovisse magnique fecisse demonstrant. Immo divinam auctoritatem illos libris apostolicis attribuisse, rite ex istis allusionibus colligimus, quia eos eadem ratione, qua Veteris Test. libros, frequenti lectione ita suos fecerant, ut eorum expressionibus continuo uterentur. Accedit autem quod multae allusiones tantam cum apostolicis textibus habent similitudinem, ut verae allegationes dici debeant, etsi consuetae allegandi formulae, quibus scriptorum divinitas indicatur, desint. Huc praecipue spectant quam plurimi textus in *Doctrina duodecim Apostolorum* ex Evang. S. Matthaei allati; auctorem enim ex scripto Evangelio eos desumsisse, evidens est. Nam « orate, inquit, *sicut Dominus in Evangelio suo praecepit :* Pater noster » etc. (Doctr. 8), atque iterum : « nolite arguere invicem in ira, sed in pace, *sicut habetis in Evangelio* » (Doctr. 15), « omnes actiones vestras ita facite, *sicut habetis in Evangelio Domini vestri* » (l. c.).

2. — Praeter quatuor (vel quinque) epistolas (*ad Philem.*, [2 *Petr.*], 2. 3 *Ioan.*, *Iudae*) omnes canonis hodierni libros a Patribus apostolicis aliisque istius aetatis scriptoribus adhibitos esse, ex operibus eorum superstitibus clare elucet. Minus certae sunt allusiones ad 2 *Petri* epistolam, nullae reperiuntur ad quatuor alias epistolas, id quod non mirabitur, qui earum argumentum consideraverit parvumque numerum operum, quae Patres apostolici reliquerunt.

Quoniam in Introductione speciali (Diss. VII. VIII. IX.) ad librorum apostolicorum authentiam demonstrandam testimonia primorum Patrum accuratius afferenda sunt, hoc loco adnotasse sufficit, Evangelium Matthaei *omnibus* cognitum fuisse, Ev. Marci saltem S. *Papiae*, Ev. Lucae saltem *SS. Clementi R.* et *Polycarpo* et haeretico *Basilidi*, Ev. Ioannis S. *Ignatio*, auctori *ep. ad Diogn.* et haeretico *Basilidi;* Actus Apost. *SS. Clementi* (de Virg.), *Ignatio, Polycarpo;* S. Pauli epistolas ad ecclesias *omnibus fere;* eiusdem epistolas ad Tim. et Tit. *SS. Clementi, Ignatio, Polycarpo;* ep. S. Iacobi saltem S. *Clementi;* ep. 1 Petri saltem *SS. Papiae* et *Polycarpo* atque etiam *Basilidi;* ep. 1 Ioannis saltem S. *Papiae* et S. *Polycarpo;* Apocalypsin *iisdem duobus;* 2 Petri *forte SS. Clementi* et *Polycarpo*. — Iam vero consideres velim, opera Patrum apostolicorum admodum pauca esse numero et parva eaque paucarum tantum ecclesiarum (maxime romanae, antiochenae, smyrnensis) testimonia tradere; quare multo magis est mirandum, quod in paucis illis monumentis longe maior librorum Novi Test. numerus frequenter sit adhibitus, quam quod quatuor parvularum epistolarum vestigia in iis non deprehendantur.

QUAESTIO 2. — Canon Novi Test. a medio saec. 2. usque ad medium saec. 3.

3. — Medio saeculo 2. *SS. Iustinus M., Athenagoras, Theophilus Antioch.* aliique praeter easdem quatuor epistolas (Philem., 2. 3 Ioan., Iudae) om-

nes hodierni canonis libros adhibuerunt iisque divinam auctoritatem attribuerunt.

Ab immediatis Apostolorum discipulis ad Patres illos transgredimur, qui, quamvis ab Apostolis non immediate sint instituti, S. Polycarpo († 155. vel 166.) aequales fuerunt. *S. Iustinus M.* († 167.) pro fonte historiae evangelicae « memorabilia Apostolorum, quae vocantur *Evangelia* » (Apol. I. 66) habuit; quatuor autem *nostra* Evangelia eo tempore in usu fuisse, ex eius operibus clare elucet, atque divinam auctoritatem illis attributam esse patet, siquidem illa in coetibus sacris ante celebranda mysteria singulis diebus dominicis una cum prophetarum libris praelecta esse tradit (Apol. I. 67). Praeter Evangelia solam Apocalypsin diserte allegat, quam a S. Ioanne prophetice esse scriptam asserit (c. Tryph. 81); ad omnes autem S. Pauli epistolas (excepta illa ad Philem.), ad quatuor epistolas catholicas (Iacob., 1. 2 Petr., 1 Ioan.), et ad Actus Apostolorum alludit. — Pauciora sunt testimonia *S. Athenagorae Athen.* (c. 170.), qui tamen verba dominica ex S. Matthaei Evangelio allegat (Legatio pro Christian. 11. 12. 32 etc.) et ad epistolam ad Cor. velut ad auctoritatem decretoriam appellat (de Resurr. 18. 19.) *S. Theophilus Antioch.* (c. 180.) teste S. Hieronymo (ad Algas. ep. 121, 6; de Vir. ill. 25) « quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compegit » Evangeliumque S. Matthaei commentario illustravit; Evangeliorum et Epistolarum divinam originem diserte asseruit (ad Autol. II. 22; III. 12. 14), atque praeter 1 Petr. saltem sex Pauli epistolas adhibuit. — Quibus orthodoxis scriptoribus addi possunt eiusdem aetatis haeretici, inter quos *Tatianus*, S. Iustini discipulus, primam quatuor Evangeliorum harmoniam composuit et teste S. Hieronymo (in ep. ad Tit. Prol.) apostolicas epistolas a Marcione reiectas in canone suo retinuit; *Marcion* ipse, quum a Patribus omnibus mutilati canonis accusetur, indirecte saltem testis est, medio saec. 2. paene omnes nostros libros in plerisque ecclesiis velut divinos esse agnitos.

4. — Inde a secunda parte saec. 2. multo plures iam inveniuntur testes, ita ut singularum ecclesiarum collectiones accuratius iam distinguantur. Atque praeprimis ECCLESIAM ROMANAM eo tempore in suo canone *omnes* Novi Test. libros *praeter ep. ad Hebraeos et* 2 *Petri* possedisse, duo insignia documenta docent : *fragmentum muratorianum* et *Pastor Hermae;* attamen praeter istos unum librum, saltem velut dubium, videtur adhibuisse, qui postea origine eius accuratius cognita prorsus est reiectus, sc. Apocalypsin Petri.

Nomine *fragmenti muratoriani* designatur catalogus quidam librorum, qui a L. A. Muratori in bibliothecae ambrosianae codice repertus editusque est; quum initio careat, in fine mancus esse videatur, negligentia librariorum quam plurima vulnera acceperit, non tantum quis eius sit auctor ignoratur sed etiam quae eius sit lingua primigenia dubitatur. Quisquis autem illum composuit, certum est auctorem non diu post medium saec. 2. Romae vixisse; librum Pastoris enim *nuperrime* ab Herma, fratre Summi Pontificis Pii I. (142.-151. vel 156.) eoque cathedram romanam tenente, scriptum esse asserit; plerique quoque hodie consentiunt. fragmentum ab interprete parum perito ex primigenio textu graeco latine esse translatum. Iamvero in hoc catalogo *Pastoris*, utpote libri boni, lectio privata permittitur, publica prohibetur, quoniam « neque inter prophetarum completum

numerum neque inter apostolos in finem temporum » locum habere possit. Quibus verbis elucet ingens discrimen, quod ecclesia romana statuit inter libros sacros, qui publice fidelibus legebantur, atque profanos, qui quamvis sint boni et utiles tamen ob mere humanam suam originem privatae soli lectioni inservire possunt. At simul ex iisdem verbis patet, romanae ecclesiae persuasum fuisse, se *integrum Veteris* Test. canonem possidere (« inter prophetarum *completum* numerum »), at eandem certitudinem eam nondum habuisse de *Novi* Test. collectione, quippe quae completa esse non asseratur, et in qua liber adfuit, Apocalypsis Petri, « quam quidam ex nostris legi in ecclesia nolunt ». Porro quatuor classes librorum in fragmento distinguuntur *a.*) eorum, qui ab omnibus sacri habiti publicae lectioni cunctis approbantibus inservierunt, *b.*) eorum, qui licet interim ad publicam lectionem admissi omnium suffragia non tulerant ideoque dubiae erant auctoritatis, *c.*) eorum, qui quamvis utiles, quum ab Apostolis non essent traditi, a publica lectione excludebantur, *d.*) eorum, a quorum sive publica sive privata lectione prorsus erat abstinendum, quia haereticae erant originis. In prima autem classe cunctis fatentibus recensentur nostra *quatuor Evangelia*, *Actus Apost., omnes epistolae Pauli* (excepta illa *ad Hebr.*), *Apocalypsis S. Ioannis*. Ex catholicis epistolis certum est, recenseri epistolam *Iudae* et saltem *duas Ioannis;* probabilius autem *tres Ioannis* nominantur, quoniam prima, quae una cum Evangelio commemoratur, distingui omnino videtur a duabus aliis, quae postea « uti Sapientia Salomonis ab eius amicis in eius honorem » compositae dicuntur[2]. Itaque praeter ep. ad Hebr. solae praetermittuntur *Iacobi* et *duae Petri* epistolae, id quod eo magis est mirum, quoniam aliunde constat, saltem priorem Petri et Iacobi epistolas ea aetate in ecclesia romana fuisse receptas. Id enim luculenter testatur *Hermae Pastor,* qui ad illas, uti ad plerosque alios Novi Test. libros clarissime et frequenter alludit. Quapropter muratorianum fragmentum ex Pastore, qui circa idem tempus in Italia scriptum est, complentes iure dicemus, romanae ecclesiae exeunte saec. 2. duos tantum libros (ad Hebr., 2. Petri) defuisse, sed eam unum apocryphum, Apocalypsin Petri, saltem velut dubium, ad lectionem publicam admisisse.

5. — Exeunte saec. 2. et ineunte saec. 3. idem fere canon, qui romanae, etiam reliquis fuit ecclesiis occidentalibus. AFRICANAE enim ecclesiae solas defuisse epistolas *ad Hebr., Iacobi*, 2 *Petri*, ex *Tertulliani* et *S. Cypriani* testimoniis colligitur; sed Tertullianus simul testatur, epistolam ad Hebr. a non paucis ecclesiis eo tempore esse receptam. GALLICANAE autem ecclesiae, cuius unicus testis est *S. Irenaeus*, quatuor libri (ad Hebr., Iacobi, 2 Petri, Iudae) defuisse videntur, atque in eius canone etiam adfuit liber non inspiratus, sc. Pastor Hermae.

Ad integrae ecclesiae occidentalis canonem cognoscendum egregio adiumento nobis foret antiqua *versio latina*, quae saec. 2. exorta est; sed incertum est, num ab initio omnes libros continuerit; itaque solos scriptores ecclesiasticos illius aetatis velut testes certos citare possumus. Iam vero *Tertullianus* nusquam

(2) *Secundae* classi adscribitur sola Apocalypsis Petri, *tertiae* solus Pastor Hermae; *quartae* praeter duas apocryphas Pauli epistolas ad Laodicenses et Alexandrinos aliqui libri haereticorum Marcionis, Basilidis etc. Cfr *Fragmentum muratorianum* in *Appendice* III. p. 671 sqq.

adhibuit 2 Petri epistolam, eandemque plane ignorat *S. Cyprianus*. Ad Iacobi epistolam dubia tantum reperitur allusio (*Tert.* c. Iud. 2; cfr *Iac.* 2,23) et S. Cyprianus iterum eam ignorat. Citationi ex ep. ad Hebr. (6,4-8) Tertullianus (de Pudic. 20) praemittit notam, eam epistolam, quae Barnabae debeatur, « *receptiorem apud ecclesias esse* illo apocrypho Pastore »; S. Cyprianus, quum Paulum ad *septem* ecclesias scripsisse asserat (de Exhort. mart. 11 etc.), epistolam ad Hebr. aut plane ignorat aut saltem Paulo auctori abiudicat. Epistolae 2. 3 Ioan. a neutro quidem scriptore citantur, sed Tertullianus saltem plures epistolas Ioannis agnovisse videtur (de Pudic. 19. « Ioannes in *prima* epistola » etc.).

S. Irenaei M. ad 2. Petri et Iudae epistolas ne allusio quidem reperitur; tres autem, sed satis leves, ad Iac. 2,23 et 1,18 (c. haer. IV. 13. 16; V. 1), item duae leves ad Hebr. 1,3 et 10,1 (c. haer. II. 30; IV. 11), sed teste Eusebio (H. E. V. 36) in opusculo hodie deperdito S. Irenaeus aliquas sententias ex ea allegaverat. Etiam 3 Ioan. ab eo non allegatur, sed duae priores tantum; notandum autem est, tertiae allegandae vix ei fuisse occasionem. Reliqui libri omnes nominibus quoque haud raro additis a S. Doctore diserte velut divinae Scripturae afferuntur; at etiam Hermae Pastor tamquam Scriptura ab eo allegatur (c. haer. IV. 20).

Saeculo 2. igitur exeunte IN OCCIDENTE, si omnium ecclesiarum catalogi coniunguntur, omnes Novi Test. libri, excepta 2 Petri, erant recepti et pro divinis agniti, sed cum eis duo non inspirati, qui postea e canone sunt eiecti.

Quatuor Evangelia, *Actus*, *tredecim Paulinae*, 1 *Petri*, 1 *Ioannis*, *Apocalypsis* in omnibus ecclesiis occidentalibus certa habent testimonia; *epistola Iacobi* certum testimonium in romana, dubium in africana et gallicana, 2. *et* 3. *Ioannis* satis certa in omnibus ecclesiis, *Iudae* certa in romana et africana, *epistola ad Hebr.* in aliquibus ecclesiis recepta fuit teste Tertulliano et dubia testimonia habet in gallicana. — Romana ecclesia *Apocalypsin Petri* ad publicam lectionem admisit et S. Irenaeus *Pastorem Hermae* tamquam Scripturam adhibuit.

6. — In ORIENTE exeunte saec. 2. ecclesia SYRIACA forte iam possedit integram Novi Test. collectionem.

Etenim saec. 2. adornata est versio syriaca Novi Test. (*Peschito*), quae omnes libros videtur comprehendisse. Ab hodierna quidem Peschito exsulant 2 Petri, 2. 3 Ioannis, Iudae, Apocalypsis; nam illa quinque istorum librorum versio, quae hodie a Syris orthodoxis legitur, omnibus fatentibus iunioris est originis. At altera ex parte S. Ephraem, quem graecae linguae ignarum fuisse constat, quinque illos libros etiam una cum aliis frequenter in suis operibus adhibuit, illos ergo in suo codice legit, ac proin probabile est, eos in antiqua versione adfuisse, sed post Ephraemi aetatem a Nestorianis e canone esse eiectos.

Sine ullo autem dubio saec. 3. ineunte integram collectionem possederunt ALEXANDRINI. *Clemens Alex.* quidem forte etiam nonnullis libris non inspiratis auctoritatem canonicam attribuit, sed *Origenes* omnes et solas hodierni nostri canonis Scripturas agnovit.

Clementem Alex. omnium Scripturarum, « ne illis quidem praetermissis, de quibus ambigitur » (μηδὲ τὰς ἀντιλεγομένας παρελθών) compendiosam narrationem instituisse refert Eusebius (H. E. VI. 14), eiusque « adumbrationes » in 1 Petri,

1. 2 Ioannis, Iudae epistolas latine nobis sunt conservatae. In reliquis eius operibus superstitibus omnes apostolicos libros praeter 2 Petri et 2. 3 Ioannis frequenter adhibet atque minores Ioannis epistolas se agnovisse manifestat de eiusdem « maiore » loquens (Strom. II. 15). Attamen pro auctoritate etiam allegat Apocalypsin Petri, Praedicationem Petri, Traditionem Matthiae, Barnabae ep. et Clementis Rom. 1 Cor. uti Hermae Pastorem, et licet nec Scripturae nomen illis umquam dederit nec formulas in Scripturarum allegatione sollemnes in illis citandis adhibuerit, incertum tamen magis minusve est, num illos pro inspiratis habuerit.

Certum autem est, discipulum eius *Originem* cunctos nostros hodierni canonis Test. Novi libros tamquam sacros ac divinos admisisse neque ullum apocryphum inter divinos recensuisse; primus igitur inter scriptores ecclesiasticos est, qui completum et absolutum librorum apostolicorum, qui in canonem recipiendi sint, catalogum statuerit. Procul dubio nonnulli, ut Origeni hanc gloriam negare queant, ad verba quaedam provocant, quibus demonstrare volunt, eum de 2. Petri et 2. 3. Ioannis epistolis dubitasse, quin etiam Iacobi et Iudae epistolas plane ignorasse (In Ioan. tom. 5. Prol. cfr *Euseb.* H. E. VI. 25). At plane immerito; tantum enim abest, ut loco obiecto Origenes completum librorum sacrorum catalogum tradere voluerit, ut totus ibi sit in librorum sacrorum numero quantum eius fieri possit minuendo. Contra vero non minus claris quam disertis verbis alibi *octo* Novi Test. scriptores esse asserit (in Gen. hom. 13,2) et completum omnium librorum numerum singulatim recenset (in Ios. hom. 7, 1) nullam inter eos certitudinis aut auctoritatis distinctionem agnoscens; quin etiam libros illos, quos eum pro certis admisisse aliqui negant, haud semel velut « Scripturam » allegat. Neque obiici potest, eum etiam Pastorem et Barnabae epistolam canoni addidisse; nam etsi Pastorem « valde utilem sibi videri » dicat, ita ut *ipse* eum « inspiratum *putet* » (in Rom. 16,14) et Barnabae epistolam « catholicam » vocet (c. Cels. I. 63), ubique tamen, ubi eos allegat, allegationis formula vel dubitatione addita eos a canonicis separat.

Quaestio 3. — Eusebii Caes. de Novi Test. canone testimonium.

7. — Reliquorum saec. 3. Patrum testimonia colligere opus non est, quum Eusebius Caes. accurate eorum sententias complexus diligenter exponat, quid in altera saec. 3. parte ecclesiae de ambitu canonis Novi Test. senserint. Ex eius autem verbis elucet, *plerosque* hodierni canonis libros ab *omnibus* ecclesiis, *paucos reliquos* (epp. Iac., Iudae, 2 Petr., 2. 3 Ioan.) a *plurimis* esse receptos, alios autem libros partim ut spurios partim ut haereticos esse reiectos.

« Opportunum videtur, inquit *Eusebius* (H. E. III. 25), hoc loco libros N. T. (in Ecclesia) cognitos (τὰς δηλοθείσας γραφάς) summatim recensere. (I. 1.) Atque in primo quidem loco ponamus oportet *Evangeliorum quadrigam*, quam sequitur *Actuum Apost.* liber, post quem numerandae sunt *Pauli epistolae* (*quatuordecim*), quibus ex ordine adnectuntur 1 *Ioannis* et 1 *Petri*. Hisce adiungetur *si placet* (εἰ φανείη) *Apocalypsis Ioannis*, de qua quid sentiatur suo loco dicemus. *Atque hi quidem libri communi consensu sunt recepti* (ἐν τοῖς ὁμολογουμένοις). (I. 2. *a.*) Ex iis vero, *qui in controversia versantur*, *a plurimis tamen genuini habentur* (τῶν δ' ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ' οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς) sunt epistolae *Iacobi* et *Iudae* et 2 *Petri* et quae vocantur 2. et 3 *Ioannis*, sive ab Evangelista sive ab alio viro homonymo sint conscriptae. (I. 2. *b.*) *Inter spurios* (ἐν τοῖς νόθοις) collocandi sunt et Pauli Actuum liber, et qui vocatur Pastor, et Apocalypsis Petri,

Barnabae epistola, Apostolorum Doctrina, atque *si placet* (εἰ φανείη) *Ioannis Apocalypsis*, quam aliqui ut dixi seponunt (ἀθετοῦσιν), alii inter Homologumena numerant. Hisce aliqui Evangelium secundum Hebraeos adiungunt. *Atque haec forsitan sint omnia Antilegomena.* Quorum catalogum simul contexendum duxi distinctis libris illis, qui secundum ecclesiasticam traditionem veri et genuini et nullo contradicente recepti sunt, atque aliis, qui in canone quidem non sunt, sed controvertuntur, plerisque tamen viris ecclesiasticis cogniti sunt, ut et ipsos cognoscamus et (II.) illos, qui sub nomine Apostolorum apud haereticos habentur, Petri vel Thomae et Matthiae vel aliorum quorumdam evangelia... quorum nihil unquam ullus ecclesiasticus vir, qui in Ecclesia floruit, commemorare voluit... Quare ne in spuriis quidem (ἐν νόθοις) collocandi sunt, sed tamquam absurdi et impii reiiciendi ».

Duas igitur classes librorum, qui sacri haberi volunt, distinguit Eusebius : I. eorum, qui in Ecclesia cogniti sunt, II. eorum, qui a nullo viro ecclesiastico adhibiti tamquam absurdi sunt reiiciendi. In priore autem classe duo sunt ordines : I. 1. libri ab omnibus recepti (*Homologumena*), I. 2. libri qui in controversia versantur (*Antilegomena*); in Antilegomenis autem distinguit I. 2. *a.* eos, *qui a plurimis recipiuntur*, I. 2. *b.* eos, *quos spurios vocat,* quique, uti ex distinctione elucet, non recipiuntur aut a paucis tantum per aliquod tempus sunt recepti. Inter « Homologumena » et « Antilegomena a plurimis recepta » *omnes et solos* hodierni canonis libros recenset; inter « spurios » autem eos, quibus (uti Apocalypsi Petri, Pastori Hermae etc.) una alterave ecclesia certo quodam tempore auctoritatem aliquam attribuit. Accuratius quid nomine spuriornm intelligat, ex modo satis miro, quo de Apocalypsi loquitur, cognoscimus; eam enim, si placet, inter *Homologumena,* aut si placet inter *spuria* poni posse dicit. Nullus scilicet est Novi Test. liber, qui saec. 2. et ineunte 3. frequentiora et certiora testimonia in Oriente et Occidente habeat, ita ut secundum hunc ecclesiarum consensum inter *Homologumena* esset ponendus. Sed quoniam Chiliastae saec. 3. eius descriptionibus ad chiliasticos errores propagandos abuti coeperant, *S. Dionysius Alex.*, magnus Origenis discipulus, Apocalypsin Ioanni Apostolo abiudicaverat atque magna sua auctoritate effecerat, ut in aliquibus ecclesiis orientalibus, maxime in Palaestina et Syria, e canone removeretur. Ideo Eusebius, si ad hunc suae aetatis et suae provinciae usum respicere voluit, ipse quoque eam a canonicis Scripturis excludere et *spuriis* adnumerare debuit. Qua in ambiguitate nodum expedire ipse non ausus totam difficultatem iudicio lectorum permittere maluit, ideoque Apocalypsin *pro lubitu* (εἰ φανείη) aut *Homologumenis* aut *Spuriis* adnumerari dixit. Ex hoc autem agendi modo iure merito colligimus, Eusebium in hac classium distinctione illos libros vocare *spurios*, qui a particularibus nonnullis ecclesiis olim quidem sacri et canonici putabantur, sed temporis decursu, re melius et accuratius perpensa, ab iisdem ecclesiis sint reiecti. Verum Epistolae, quas in I. 2. *a.* recenset, olim quidem ab aliquibus ecclesiis, quibus aut plane incognitae aut non satis certae fuerant, non erant receptae, at a nulla ecclesia, cui innotuerunt, plane reiectae neque a lectione publica, si semel erant admissae exclusae sunt. Maximum igitur inter I. 2. *a.* et I. 2. *b.* adest neque apte illae epistolae dicuntur ἀντιλεγόμεναι, quia revera nulla ecclesia eis unquam contradixerat easve impugnaverat.

§ 7. — *Canon Novi Test. a saeculo 4. ad nostram usque aetatem.*

1. — Ab ineunte 4. saec. omnes fere ecclesiae in cunctis hodierni

canonis libris admittendis consenserunt, auctoritate probabiliter Concilii Nicaeni permotae.

Ex dictis elucet, Scripturas Novi Test. non nisi paullatim esse collectas, ita ut paucae tantum ecclesiae *ineunte* saec. 3. iam omnes libros hodie canonicos recepissent dubiosque omnes exclusissent; nequedum *exeunte* saec. 3. plenum adfuisse consensum Eusebius († 340) testatur. Quando autem restituta Ecclesiae pace antiquae omnium ecclesiarum traditiones accuratius certiusque innotuerunt, consensus de canonis ambitu mox est exortus. Ad eum autem formandum Synodus Nicaena quam plurimum procul dubio contulit stabilito catalogo suo librorum, qui soli «sub nomine divinarum Scripturarum» publice in ecclesiis legerentur (cfr § 5, 6 p. 24): mirum enim est, quam concordes et constantes ab eo tempore cunctae fere ecclesiae in omnibus et solis canonicis Novi Test. libris admittendis fuerint.

2. — Ecclesiae occidentalis catalogi omnes, qui inde a saec. 4. sive a singulis quibusdam Patribus sive a Conciliis provincialibus sive a Summis Pontificibus editi sunt, cunctos apostolicos libros etiam duas illas epistolas (ad Hebr. et 2 Petri), quae antea in Occidente minus fuerant receptae, complectuntur. Tota autem media aetate vix quisquam dubitationem de Novi Test. ambitu movit praeter Ioannem Sarisb., qui Paulinis epistolis decimam quintam ad Laodicenses addere voluit.

S. Hieronymus quidem, 2 Petri epistolam « a plerisque » Petro abiudicari « propter styli cum priore dissonantiam » monet (de Vir. ill. 1.) atque epistolam ad Hebr. « Latinorum consuetudine non recipi inter Scripturas canonicas » (ad Hedib. ep. 120,11), attamen haec historice potius retulit; ipse enim completum nostrum catalogum nulla dubitatione addita S. Paulino recensuit (ad Paulin. ep. 53,8); eadem ratione eundem attulerunt eadem aetate *Rufinus* (Symb. apost. 37), *S. Philastrius* (haer. 88. 89.), *S. Augustinus* (de Doctr. christ. II. 8). In *Conc. Hipponensis* (a. 393.) catalogo antiquae dubitationis de ep. ad Hebr. remanet vestigium, quum « Epistolas Pauli *tredecim*, eiusdem *Epistolam ad Hebraeos* » enumeret (Mansi III. 924), sed in *Conc. Carthaginiensi* (a. 419.) etiam illud vestigium disparuit; enumerantur enim « Pauli epistolae *quatuordecim* » (Mansi IV. 430). Eundem catalogum tradiderunt *S. Innocentius* I. (ad Exsup. Tolos. 7. Mansi III. 1041), *S. Gelasius* (Gratiani decret. Dist. 15, 3) etc., atque eosdem libros etiam in omnibus codicibus latinis invenimus. Attamen unus alterve librum apocryphum addit; ita *Codex Fuldensis*, qui omnium Vulgatae codicum superstitum antiquissimus scriptus est a. 545., epistolam ad Laodicenses Paulinis inseruit, quam canoni etiam addere voluit *Ioannes Sarisber.* Etenim « Epistolae Pauli, inquit, *quindecim* sunt, uno volumine comprehensae, licet sit *vulgata et fere omnium communis opinio non esse nisi quatuordecim*, decem ad ecclesias, quatuor ad personas... Ceterum quinta decima est illa, quae ecclesiae Laodicensium scribitur, et licet, ut ait Hieronymus, ab omnibus explodatur, tamen ab Apostolo scripta est; neque sententia haec de aliorum praesumitur opinione, sed ipsius Apostoli testimonio roboratur; meminit enim ipsius in Ep. ad Coloss. » (Ep. 143. al. 172). At sequaces in hac opinione non habuit Sarisberiensis, quum nimis esset clarum, aliud esse, S. Paulum ad Laodic. scripsisse, aliud, epistolam sub titulo hoc olim iam vulgatam sed ab omnibus explosam genuinum Apostoli opus esse. Neque con-

sensum communem turbaverunt dubitationes, quas aliqui ex S. Hieronymi operibus transcripserunt, quoniam S. Doctorem ipsum eas sprevisse perspicuum erat.

3. — At postquam *Eugenius IV.*, approbante *Conc. Florentino*, antiquum canonem iterum sanxerat (Decr. union. cum Iacobit.), consensus turbari coeptus est. Caietanus enim quinque epistolas (ad Hebr., Iac., 2. 3 Ioan., Iudae) non tantae esse auctoritatis esse asseruit, ut firmum ex iis argumentum deduci possit, atque circa idem tempus Pseudoreformatores dubitationes de libris olim non ubique receptis renovarunt. Quare *Tridentini Patres* sub anathematis poena cunctos libros inde a saec. 4. iam decretis Conciliorum et Summorum Pontificum agnitos pro sacris et canonicis recipiendos decreverunt (Sess. IV. de Canonicis libris).

Caietanus alias rationes, cur quinque illis libris minor attribuenda sit auctoritas, non attulit nisi sententias illas, quas de istorum librorum auctoribus S. Hieronymus *historice* retulerat. « Et quoniam Hieronymum, inquit, sortiti sumus regulam, ne erremus in discretione librorum canonicorum, ideo dubio apud Hieronymum auctore huius epistolae (ad Hebr.) exsistente, dubia quoque redditur epistola; quoniam nisi sit Pauli, non perspicuum est canonicam esse. Quo fit, ut ex sola huius epistolae auctoritate non possit, si quod dubium in fide accideret, determinari ». Similia tradit de aliis quatuor epistolis; sed perspicuum est, eum nec Hieronymi sententiam intellexisse neque Ecclesiae auctoritatem in definiendo canone satis perpendisse. Hinc mirum non est, quod eius opiniones in Patrum Tridentinorum congregationibus plane sint neglectae. Ab eo autem tempore, etsi de auctore vel potius scriptore epistolae ad Hebr. etiam hodie variae sententiae teneantur, nemo catholicus de omnium, quos Tridentini enumerant, librorum Novi Test. divina inspiratione et canonicitate dubitavit (cfr *infra n.* 5).

4. — In Oriente non tam cito composita est controversia, sed saec. 4. in variis ecclesiis variae collectiones adhibebantur. *Alexandria, Cyprus, Syria orientalis* completum possederunt canonem; *Palaestina* et *Cappadocia* Apocalypsin in suis catalogis non amplius enumerarunt; *Antiochia* praeter illam etiam omisit quatuor minores epistolas catholicas (2 Petr., 2. 3 Ioan., Iudae), suoque exemplo Syros orientales ad eosdem libros omittendos adduxit. Saeculis tamen insequentibus maior inter eas concordia stabilita est; iam antequam *Conc. Trullanum* catalogum synodorum africanarum approbavit, in toto fere Oriente omnes ecclesiae completum canonem admiserant; id enim apparet ex schismaticorum omnium catalogis, nam soli Nestoriani mutilatum canonem ecclesiae antiochenae retinent.

Ecclesiae alexandrinae canonem *S. Athanasius* (Ep. fest. 39) nos docet inter « salutis fontes » recensitis omnibus et solis hodierni nostri canonis libris, quos iuniores quoque Patres alexandrini constanti suo usu approbarunt. Cyprensis ecclesiae canonem ex *S. Epiphanii* testimonio (haer. 76,5) cognoscimus, et Syros orientales saec. 4. omnes nostros libros pro divinis habuisse ostendunt *S. Ephraemi* opera, in quibus etiam minores epistolas et Apocalypsim haud infrequenter adhiberi iam diximus. — At *S. Cyrillus Ieros.* in suo catalogo (Cat. IV. 36)

Apocalypsin omittit eamque alibi apocryphis adnumerare videtur (Cat. XV. 16), licet in eadem catechesi ad eam aliquoties satis clare alludat (Cat. XV. 13. 22. 27). Eandem in suo catalogo *S. Gregorius Naz.* quoque omittit (de Genuin. Script.), *S. Amphilochius* autem (Carm. iamb. ad Seleuc.) eam *ab aliquibus* inter canonicos libros recenseri, *a plerisque* spuriam declarari asserit. Idem etiam dubias ab aliquibus haberi dicit quatuor minores epistolas catholicas, quas *S. Chrysostomus,* antiochenae ecclesiae praecipuus testis, libros sacros enumerans una cum Apocalypsi praetermittit (Syn. S. Script.) nec unquam in multis suis operibus adhibuisse dicitur. Alii Antiocheni eo usque progressi sunt, ut omnes catholicas epistolas reiicerent (cfr *Leont. Byz.* c. Nestor. III. 14). — Inter hodiernas schismaticas ecclesias *Graeci* omnes nostros libros agnoscunt, item omnes ecclesiae monophysiticae, *coptica, armena, syriaca, aethiopica;* sed Armeni suo canoni addiderunt 3 Pauli ad Corinthios epistolam, Aethiopes octo libros Constitutionum apostolicarum (cfr *Biblia armena.* Venetiis 1860. p. 1219; *Ludolf.* Hist. Aeth. III. c. 5). Nestoriani autem in suo canone, quem refert *Ebediesu* (cfr Assem. Bibliotheca orient. III. 1. p. 7) Apocalypsi et quatuor minoribus catholicis carent.

5. — PROTESTANTICAE sectae nec inter se de canonis ambitu consenserunt aut consentiunt, neque singulae sectae eidem sententiae constantes inhaeserunt; sed certo fundamento destitutae hodie adhuc inquirunt, quinam sint genuini illi libri sacri, quos velut solos revelationis fontes et proximam fidei regulam agnoscendos esse proclamant.

Carlostadius iam a. 1520. septem libros (ad Hebr., Iac., 2 Petr., 2. 3 Ioan., Iudae, Apoc.), quia olim de iis dubitatum sit, « in tertium et infimum auctoritatis divinae locum » referendos pronuntiavit; *Lutherus* epistolas ad Hebr., Iacobi, Iudae et Apocalypsin, quia in illis « spiritum evangelicum et apostolicum » non invenerit a reliquis libris separatas ultimo in loco suae versioni addidit. Sed eius sequaces, quum quam periculosum sit principium a magistro suo stabilitum perspicerent, eosdem quidem libros una cum 2 Petr. et 2. 3 Ioan. reiecerunt, sed pro argumento attulerunt, « quod certis, firmis et consentientibus primae et veteris Ecclesiae testificationibus » destituti essent. Interea *Zwingliani* et *Calviniani* in « Confessionibus » suis omnes nostri canonis libros admiserunt, itaque ad eandem sententiam reversi sunt Lutherani saec. 17. ineunte. At medio saec. 18. *Semlerus,* rationalismi biblici pater, canonicitatis principium a Luthero inventum iterum stabilivit singulisque fidelibus ius vindicavit de librorum omnium divinitate iudicandi eosque solos retinendi, quos inspiratos esse ipsi *sentirent.* Quo principio nixi Neotubingiani omnes libros praeter quatuor maiores Pauli epistolas (Rom., 1. 2 Cor., Gal.) reiecerunt atque has quoque divinae originis esse negarunt; alii autem alios libros admiserunt, nec ulla illis affulget spes fore, ut lite composita mox cum certitudine illos libros cognoscant, ex quibus solis se veram fidem haurire posse et velle protestantur.

CAPUT IV.

DE LIBRIS APOCRYPHIS ET DEPERDITIS UTRIUSQUE TESTAMENTI.

§ 8. — *De genuina apocryphi notione et de librorum apocryphorum distributione.*

1. — *Apocryphum* (ἀπόκρυφον) vi etymologiae suae idem est quod *occultum* vel *absconditum;* inde autem a Patrum tempore usus invaluit, ut hoc nomine designaretur liber, *qui vel ob suum titulum vel ob suum argumentum divinus facile credi potest et ceu divinus a nonnullis habetur, quamquam divinitus inspiratus non est.*

Libros omnes Utriusque Test., quos catalogus tridentinus enumerat, tamquam divinos ab Apostolis per continuam testium seriem ad nos pervenisse, ita ut de eorum divina origine, nisi Apostolis fidem denegare velimus, dubitare non possimus, docet canonis historia, quam tradidimus. Interrogari autem potest, num alii praeterea exstiterint aut adhuc exstent libri, qui, licet divinae originis sint, in canonem non sint recepti, seu aliis verbis, num aliqui libri inspirati perierint, aut exsistant quidem sed ab Ecclesia non agnoscantur. Haud paucae enim scripturae praesertim in Vetere Test. pro fontibus citantur, quae divinam auctoritatem videntur habuisse; multo plures antiquitus circumferebantur, quae non tantum ab haereticis sed etiam a catholicis pro divinis sunt adhibitae. Quapropter ut completa sit inquisitio in historiam canonis, de libris apocryphis et deperditis pauca sunt addenda. — *Apocryphus* (ἀπόκρυφος) enim, etsi vi etymologiae suae dicat *occultum*, hodie vocatur liber, qui falso creditur divinus. Quae significatio hac ratione videtur esse exorta. Antiqui Graeci, uti omnes ethnici, divinos suos habebant libros, quos quia ad mysteria pertinebant in adytis templorum occultabant et cum solis initiatis communicabant (ἀπόκρυφα βιβλία, libri absconditi). Decursu autem temporis eorum magi et theurgi novos eiusmodi libros fingebant, e quibus se divinas quasdam virtutes addiscere iactabant. Atque simile quid obtinuit apud Iudaeos, quorum magi libros illos, ut maiorem illis conciliarent auctoritatem, patriarchis vel prophetis auctoribus attribuebant atque in illis secretam quandam doctrinam, quam sacerdotes sibi reservassent, contineri dictitabant. Hinc apocryphi vocabulum notam adulterini, falsati, haeretici accepit, atque hoc sensu a Patribus adhibetur. A quorum communi loquendi usu solus recessit interdum S. Hieronymus omnes libros, qui in canone palaestinensi non erant, apocryphos appellans (Prol. gal.); at sibi ipse in loquendi usu non constat, quum interdum cum aliis Patribus apocrypho notam adulterati et haeretici inurat (ad Laet. ep. 107,12), interdum librum bonum sed in canonem non receptum dicat apocryphum (de Vir. ill. 11; Praef. in Iudith etc.). Alii autem eiusdem aetatis Patres latini (SS. Philastr., August., Rufin.) communem loquendi usum retinuerunt, ideoque nos quoque cum omnibus catholicis interpretibus eundem sequemur.

2. — Apocrypha alia ad Vetus, alia ad Novum Test. pertinent; secun-

dum finem autem suum in duas classes distribui possunt, quatenus aut perversis et erroneis doctrinis propagandis erant destinati aut piae cuidam sed insanae curiositati inservire voluerunt.

Uti iam diximus, prima apocryphorum Veteris Test. origo debetur magis theurgisque iudaicis, qui libris sub nomine patriarchae vel prophetae cuiusdam confictis magicas suas artes commendare voluerunt; atque apocrypha quoque prima Novi Test. debentur haereticis, qui confictis evangeliis et actibus errores suos spargere conabantur. Ab illis autem perversis libris plane differunt alii, qui similibus quidem titulis ornati sed ab orthodoxis, etsi parum prudentibus, scriptoribus sunt editi, ut lectorum, qui aut de antiqua patriarcharum historia aut de vita rebusque gestis Domini et Apostolorum plura, quam in genuinis libris narrantur, scire desiderabant, insanam curiositatem pascerent. Ingens olim exstitit utriusque generis librorum numerus; plerique perierunt atque ex haereticis, qui supersunt, plerique errores sunt remoti. In sequentibus paragraphis eos enumerabimus, qui aut a catholicis scriptoribus nonnullis olim divinitus inspirati credebantur aut propter argumentum suum etiam hodie utilitate sua non carent.

§ 9. — *De Veteris Testamenti libris apocryphis.*

1. — Primum locum inter Veteris Test. apocrypha tenent libri illi, qui ut una cum canonicis edantur permittit Ecclesia, licet eis divinam auctoritatem neget. Atque *Vulgatae* quidem extra canonicorum seriem adduntur *libri* 3 *et* 4 *Esdrae* et *Oratio Manasse*, inter quos eminet 3 *Esdrae*, qui a multis Patribus velut canonicus est adhibitus.

Liber 3 *Esdrae* vel *Esdras graecus* integer fere canonicis Paralipomenon et duorum ll. Esdrae partibus constat, ut duo sola capita (3,1-5,6) propria habeat. In plerisque graecis codicibus atque in versionibus ab alexandrina derivatis olim locum obtinuit ante duos nostros ll. Esdrae in unum coniunctos; unde concludere aliquis possit, antiqua Concilia et Patres, quotiescumque de duobus ll. Esdrae loquuntur, etiam hunc tertium canoni adnumerasse; quin etiam haec conclusio ex eo non parum confirmari videtur, quod ex duobus illis capitibus Patres graeci (*Clem. Alex.*, *Orig.*, *Euseb.*, SS. *Athan.*, *Basil.*, *Chrysost.*) et latini (*SS. Cypr.*, *Ambros.*, *August.*, *Prosper Aquit.*) verba aliqua velut divina allegaverunt. Adnotandum autem est, *a.*) Ecclesiam librum hunc numquam absolute reiecisse, *b.*) longe maiorem eius partem revera esse canonicam, *c.*) duorum istorum capitum doctrinam omnino esse probandam atque solam narrationem difficultatibus satis gravibus laborare neque cum aliis huius ipsius libri partibus consentire, *d.*) demum inde a 5. saeculo in Occidente, atque a 10. saec. in Oriente librum auctoritatem non amplius possedisse nec eius usum communem et universalem in antiqua Ecclesia fuisse.

Liber 4 *Esdrae*, qui hodie Vulgatae editionibus additur, ex duobus vel tribus operibus conflatus est atque inter 7,35 et 36 lacunam habet, quae compleri potest ex orientalibus versionibus (arab., aeth., syr., arm.), quae ipsae duobus primis et duobus ultimis capitibus carent. Primitivus liber (4 Esdr. 3,1-14,17) septem constat visionibus de instante iudicio mundi scriptusque videtur a Iudaeo exeunte saec. 1. p. Chr., sed retractatus a Christiano forte saec. 3.; quando duo prima et ultima capita, quae etiam Christiano debentur, sint exarata, incertum est. Primus, qui

primigenium librum adhibuisse dicitur, est S. Barnabas, sed merito dubitatur, num S. Barnabas ex apocrypho, an apocryphi auctor ex Barnabae epistola hauserit verba, quae communia habent. Certum autem est *Clementem Alex.* eum pro divina auctoritate allegasse, atque haud raro eadem ratione eum adhibuit *S. Ambrosius*; immo nonnulla eius verba etiam in liturgiam latinam sunt recepta (*4 Esdr.* 2,35. 37. 45). Praeterea Patres illi, qui Esdram dixerunt restauratorem Scripturarum Veteris Test. deperditarum (supra § 3. 2 p. 17), hanc sententiam ex Ps. Esdra hausisse putantur. Nihilominus librum esse apocryphum facile demonstratur. Inde a saec. 3. in ecclesia graeca iam oblivioni est datus, in latina praeter S. Ambrosium nemo eum in honore habuit; erroribus dogmaticis non plane caret et scatet fabellis rabbinicis.

Oratio Manasse (cfr 2 *Par.* 33,12. 18) pia est, sed non authentica, quia eius primigenia lingua est graeca. A graecis auctoribus non magnae auctoritatis aliquoties est allegata, in liturgia armena adhuc adhibetur.

2. — *Editionibus graecis* additi inveniuntur *Ps.* 151. *Davidis*, 18 *Psalmi Salomonis*, 3. *et* 4 *Machab. libri*, qui in Occidente fere incogniti etiam in Oriente plerique non magnam habuerunt auctoritatem.

Ps. 151., quo David suam de Goliath victoriam celebrat, venustum est carmen, cuius divina origo nullo argumento probatur. Licet in bonis nonnullis graecis codicibus atque etiam a S. Athanasio reliquis Psalmis adnectatur, recentiore tamen tempore videtur Psalterio additus, quia antiqua versio latina eum ignoravit.

Psalmi octodecim Salomonis probabiliter a pio quodam Iudaeo sunt compositi, postquam Pompeius Ierosolyma occupavit. In paucis graecis codicibus inveniuntur, a Ps. Athanasio et Nicephoro inter τὰ ἀντιλεγόμενα numerantur, ab aliis antiquis scriptoribus non commemorantur.

Liber 3 *Machabaeorum* persecutionem quandam narrat, quam Iudaei alexandrini exeunte saec. 3. a. Chr. a Ptolemaeo IV. Philopatore passi esse dicuntur, sed quae cum Machabaeorum historia non cohaeret. Canonicis libris adnumeratur in can. 85. Apost., in bonis codicibus inter canonicos invenitur, a Theodoreto pro auctoritate allegatur. Sed Ps. Athan. et Niceph. illum quoque inter τὰ ἀντιλεγόμενα numerant, reliqui illo usi non sunt.

Liber 4 *Machabaeorum* est concio quaedam, in qua auctor, ut rationem motibus animae dominari debere demonstret, pro exemplo affert historiam Eleazari septemque fratrum Machabaeorum (2 *Mach.* 6,18 sqq.); *Eusebius*, *S. Hieronymus*, *Philostorgius* concionem hanc Fl. Iosepho auctori attribuunt, unde iam elucet, primitivam Ecclesiam illi divinam auctoritatem non attribuisse, licet S. Gregorius Naz. et forte etiam S. Ambrosius illa sint usi.

3. — *A Novi Test. scriptoribus* allegari immerito dicuntur *liber Henoch*, *Ascensio Moysis*, *Apocalypsis Moysis*, *Ascensio Isaiae*, *Apocalypsis Eliae* et *Ieremiae apocryphum* quoddam.

Liber Henoch antiquitus valde propagatus et a Tertulliano pro divino habitus inde a saec. 5. in ecclesia latina et graeca ferme disparuit; nostro tamen saeculo iterum innotuit apocryphus quidam Henoch ex Aethiopia allatus, qui tot fabellis ridiculis scatet, ut merito dubitetur, an idem ille sit libellus, quem *S. Iudam* (v. 14.) allegasse putaverunt aliqui Patres. Ceterum adnota, Apostolum ne verbulo quidem indicasse, se *librum* citare; cum multis aliis haec, quae tradit, traditione

orali ad eum pervenire potuerunt. Praeterea etsi hodie in apocrypho libello aethiopico verba illa, quae S. Iudas habet, legantur, incertissimum est, num semper in eo adfuerint, an potius postea libro terminato ex Apostoli epistola sint inserta; apto enim cum praecedentibus et consequentibus nexu in aethiopico libro carent. — Ex *Assensione Moysis* haustum esse *Iudae* 7, putaverunt Origenes, Didymus, Oecum., et ex *Apocalypsi Moysis* S. Paulum hausisse *Gal.* 5,6 et 6,15, asseruerunt Photius et Gregor. Sync.; sed quo cum iure haec asserantur. non apparet. Prioris apocryphi supersunt fragmenta latina; ceterum Patres omnes utrumque libellum semper apocryphis adnumerarunt. — Ad *Ascensionem Isaiae*, quae aethiopice adhuc exstat, S. Paulus respexisse dicitur, ubi de prophetis sectis (*Hebr.* 11,37) et de salutis messianae obscuritate (1 *Cor.* 2,9) loquitur; martyrium enim prophetae in priore, visiones eius quaedam de gloria regni messianici in altera libelli parte referuntur. Alii antiqui scriptores verba illa de salute messianica (1 *Cor.* 2,9) ex *Eliae Apocalypsi* desumta dicunt, ex qua etiam hausta sint *Eph.* 5,14; sed hunc versum Photius in *apocrypho Ieremiae* invenit. Scilicet apocryphorum compilatores nonnulla verba interdum ex canonicis Scripturis transumserunt, ut fictionibus suis maiorem auctoritatem conciliarent; Patres autem ipsi, qui de eiusmodi libris apocryphis allegatis loquuntur, ideo eis maiorem auctoritatem non attribuerunt. Quare hisce immorari opus non est.

4. — Quam plurima alia apocrypha Veteris Test. olim circumferebantur, sed a nullo ecclesiastico viro in honore habebantur; nonnulla ex paucis, quae superstita sunt, statui rerum, qui primis saeculis fuit, cognoscendo inservire possunt.

Adami et Evae, Abelis et Sethi, Noe eiusque uxoris Noriae etc. etc. nominibus libri quidam olim fuerunt inscripti, sed eos enumerare superfluum est. Praeter ea, quae iam nominavimus, hodie supersunt *liber Iubilaeorum* vel *parva Genesis*, *Testamenta duodecim patriarcharum*, *Apocalypsis et epistola Baruch* (cum genuino libro non Baruch confundenda), *Apocalypsis Esdrae* (imitatio 4. libri Esdrae), *historia Aseneth* uxoris Ioseph etc.

§ 10. — *De apocryphis Novi Testamenti.*

1. — Primo loco nominentur oportet libri, qui olim apud aliquos Patres magnam auctoritatem habebant quorumque nonnulli etiam hodie magna sua utilitate non carent, etsi divini non sint. Cum honore a Patribus interdum nominantur *Epistola D. N. ad Abgar* regem Edessae, — *Liturgiae S S. Petri*, *Iacobi*, *Matthaei*, *Marci*, — *Doctrina duodecim Apostolorum*, *Duae viae vel Iudicium Petri*, *Constitutiones et Canones Apostolorum*, — *Evangelium secundum Hebraeos* vel *Nazaraeorum*, — *S. Pauli epistolae ad Laodicenses*, 3 *ad Corinthios*, *ad Senecam* (et Senecae ad Paulum), — *Epistola S. Barnabae*, *S. Clementis Rom. ep.* 1 *ad Corinthios*, *Pastor Hermae.*

Abgari epistolam ad Dominum N. *Dominique N. responsionem* authenticas habuerunt Eusebius, S. Ephraem, Moses Chorenensis, scriptor armenus saec. 5.; Gelasius I. autem eas inter apocrypha retulit (Decr. de recip. libris). — *Litur-*

giae, quae aliquorum Apostolorum nominibus inscribuntur, ad summum nonnulla continent, quae orali traditione ab illis Apostolis derivantur.

Magni momenti est *Doctrina duodecim Apostolorum*, quae tempore apostolico et probabiliter iam paullo post medium saec. 1. est exorta; Clemens Alex. eam sub nomine « Scripturae » adhibet, S. Athanasius eam libris accenset, qui catechumenis legendi sunt, Eusebius eam inter τὰ ἀντιλεγόμενα, Nicephorus inter apocrypha enumerat. Auctor libelli nullibi indicat se Apostolum esse aut apostolica praecepta tradere, sed ea conscribere voluisse videtur, quae ipse in catechesi didicerat. Ex Doctrina Apostolorum exortum est alterum opusculum, quod inscribitur *Duae viae* vel *Iudicium Petri;* eodem in loco, quo S. Athanasius Doctrinam, Rufinus alterum hunc libellum recenset, qui cum priore Doctrinae parte omnino consonat. *Constitutiones Apostolorum* octo libris continentur; quorum septimus est altera quaedam recensio Doctrinae, octavus sacros ritus describit[1]. et sex priores catecheticae institutioni videntur inservisse. Canon 85. Apostolorum Constitutiones apostolicas inter divinos libros enumerat, inter quos eas hodie adhuc venerantur Aethiopes; Concilium Trullanum autem eas utpote adulteratas legendas non esse iam monuit. Demum *Canones Apostolorum*, qui Constitutionibus saepe adduntur, probabiliter a conciliis orientalibus trium priorum saeculorum sunt editi; licet a Gelasio et Hormisda apocryphi sint declarati, in Oriente adhuc auctoritate quadam gaudent.

Evangelium secundum Hebraeos vel *Nazaraeorum* nomen suum habet, quia antiquitus a Iudaeo christianis est adhibitum; ex primitivo Evangelio S. Matthaei, quod aramaicum fuit, est exortum, sed mutilatum ab Ebionaeis et Nazaraeis, qui usque ad 5. saec. illud retinuerunt (cfr *Diss.* VII. § 2,7).

S. *Paulum ad Laodicenses* scripsisse constat ex *Col.* 4,16; Fragmentum Murat. epistolam ad Laodic. « ad Marcionis haeresim confictam » iam cognovit, S. Hieronymus quoque et Theodoretus de apocrypha quadam ep. ad Laod. loquuntur; in Cod. Fuld. exstat, sed ex aliis Paulinis compilata ab omnibus (excepto Ioanne Sarisber.) semper est explosa. Etiam *ad Corinthios* S. Paulum plures, quam duas nostras, epistolas scripsisse certum est (1 *Cor.* 5,9; 2 *Cor.* 10,9. 10), illam autem, quam velut 3 *Corinth.* Armeni schismatici in suis editionibus habent, non esse genuinam, omnes consentiunt. S. *Pauli ad Senecam* et Senecae ad Paulum epistolae commemorantur a SS. Hieronymo et Augustino; tredecim autem epistolae, quae hodie adhuc sub hoc titulo exstant, adeo sunt mediocres et inanes, ut Apostolo gentium et philosopho latino attribui nequeant.

Tria opuscula, quae ultima recensuimus, insignia sunt antiquitatis monumenta atque, uti iam diximus, in nonnullis ecclesiis etiam ad publicam lectionem sunt admissa et ab uno alterove Patre velut divinitus inspirata pro auctoritate adhibita. Animadvertas autem velim, quomodo tres hi libri, qui primis tribus saeculis in nonnullis ecclesiis tanto in honore fuerunt, paullatim auctoritatem suam amiserint, dum parvae illae epistolae (2 Petri, Iudae, 2. 3 Ioan.), quae primis

(1) Idem argumentum tractatur in opusculo nuperrime ab *Ign. Ephr. Rahmani*, patriarcha antiocheno Syrorum, syriace reperto et edito (Moguntiae 1899). Titulum habet *Testamentum Domini Nostri Iesu Christi* atque ultima monita continere vult, quae Dominus post resurrectionem ante ascensionem Apostolis tradiderit ac deinde Ioannes, Petrus, Matthaeus libris mandarint. Dominus igitur in coelum iam ascensurus apostolos suos inducitur edocens primum de iis, quae eventura sint in fine mundi, tum de iis, quae in ecclesiis constituendis, creandis sacris ministris, celebrandis mysteriis etc. observanda sint. A cl. editore opusculum iam saec. 2. editum censetur; dubito num recte.

scriptoribus vix ac ne vix quidem erant cognitae, procedente tempore ab omnibus ecclesiis ceu divinae sint receptae. Evidens hoc est argumentum, non levibus rationibus nixam sed post diligens examen Ecclesiam cognitis ecclesiarum apostolicarum testimoniis canonem suum Novi Test. constituisse.

2. — Multo inferiorem locum tenent libri apocryphi illi, qui quam primum innotuerunt a Patribus sunt reiecti nec umquam auctoritatem habuerunt in Ecclesia. Circiter quinquaginta evangeliorum, duodeviginti actuum tituli ex Patrum operibus cogniti sunt, pauciores fuerunt epistolae et apocalypses. Pleraque perierunt; superstita autem sua utilitate non carent, quia confictionis suae tempore canonicos libros iam exstitisse probant magnamque inspiratorum et apocryphorum differentiam manifestant.

Evangelium secundum Petrum, cuius magnum fragmentum in Aegypto detectum ac nuper editum est (1892.), probabiliter c. a. 170. a docetis Syriae est compositum. Serapion, episc. antioch. (190.-203.), illud inter Christianos Ciliciae reperit, sed eius usum interdixit, quia nonnulla contineret, quae a vera fidei ratione essent aliena; similiter alii Patres (Orig., Euseb., S. Hier., S. Innoc. I. etc.) illud velut apocryphum repudiarunt. Fragmentum nuper editum passionem et resurrectionem Domini ita narrat, ut dubium non sit, quin auctor omnia Evangelia canonica cognoverit et adhibuerit; ex Origenis autem testimonio constat, apocryphum illud etiam de nativitate primisque annis Domini tractasse ac probabiliter canonicis Evangeliis argumento suo vicinum fuisse.

Alia *evangelia apocrypha* superstita in duas classes apte distribuuntur; alia enim ortum et infantiam Domini, alia eius passionem descensumque ad inferos describunt. Ad priorem classem pertinent : *Protevangelium Iacobi*, quod saec. 2. exortum et Clementi Alex. iam cognitum, a historia parentum B. V. incipiens narrationem usque ad caedem bethlehemiticam perducit; *Evangelium S. Thomae*, quod eodem fere tempore conscriptum et variis in recensionibus propagatum vitam pueri Iesu usque ad 8. vel 12. annum aetatis refert; *Evangelium Ps. Matthaei* vel « liber de ortu B. Virginis et de infantia Salvatoris », et *Evangelium de Nativitate Mariae Virginis*, quae latine conscripta Latinis fabulas duorum priorum apocryphorum tradiderunt; *Historia Iosephi fabri lignarii*, quae in Aegypto saec. 4. composita hodie adhuc a Coptis schismaticis in festo S. Iosephi adhibetur; *Evangelium infantiae arabicum*, quo valde delectantur Nestoriani chaldaei et Monophysitae copti. — Ad alteram classem praeprimis pertinet *Evangelium Nicodemi*, quo nomine duo libri distincti comprehenduntur : *Acta Pilati* de condemnatione Domini, et *Descensus Christi ad inferos* per Lucium et Carinum, Simeonis senis filios, descriptus, qui cum Christo e sepulcris suis exiisse finguntur. Cum Evangelio Nicodemi magis minusve cohaerent scripturae quaedam, quae Pilati nomen gerunt (*Pilati epistolae ad imperatorem* duae de morte Christi, *Pilati et Herodis* epistolae, *Anaphora Pilati*, *Paradosis Pilati*, *Mors Pilati*), praeterea *Narratio Iosephi ab Arimathaea* ineunte medio aevo conscripta, *Vindicta Salvatoris*.

Acta apocrypha magis, quam evangelia, ab haereticis ad errores spargendos conficta sunt. *Praedicatione Petri* primus usus est Valentini discipulus Heracleon, sed eam pro auctoritate etiam adhibuit Clemens Alex. nec plane reiecit Origenes; *Actus Andreae* vel *Andrae et Ioannis*, vel *Andreae et Ioannis et aliorum*

Apostolorum a variis sectis admissi sunt; *Acta Thomae* apud Encraticos et Manichaeos, *Traditiones Matthiae* apud Gnosticos quosdam in honore fuerunt. Haec omnia paucis exceptis fragmentis perierunt; supersunt autem *Acta Petri et Pauli, Acta Pauli et Theclae, Acta Barnabae auctore Marco, Acta Philippi, Acta Philippi in Hellade, Acta Andreae* s. epistola encyclica presbyterorum et diaconorum Achaiae de martyrio Andreae, *Acta Andreae et Matthiae in oppido anthropophagorum, Acta et martyrium Matthaei* aliaque, quae partim primis partim recentioribus saeculis conficta uberrimos fontes constituunt piarum quidem sed parum certarum narrationum, quae media aetate de Apostolorum rebus gestis et itineribus erant sparsae atque hodie quoque haud raro repetuntur.

Praeter *epistolas apocryphas* iam nominatas dumtaxat parva epistola *Petri ad Iacobum*, qua Praedicationem suam commendat, epistola *Clementis Rom. ad Iacobum* de morte Petri et epistola *Ioannis ad hydropicum* supersunt.

Inter *Apocalypses apocryphas* celeberrima olim erat *Apocalypsis Petri*, quae medio saec. 2. saltem velut dubia Romae in honore fuit; eius fragmentum satis magnum nuper (1892.) una cum fragmento evangelii Petri est repertum ex eoque apparet eam potissimum praemia poenasque futurae vitae descripsisse, quae Petro aliisque Apostolis in visione quadam exhiberi finguntur. Praeterea habebantur *Apocalypsis* (vel potius *Ascensio*, ἀναβατικόν) *Pauli, Ps. Ioannis Apocalypsis*, atque similia opera sub nominibus *Thomae, Stephani Protomart., Bartholomaei* etc. circumferebantur.

Qui umquam apocrypha superstita legerit, non potest videre, illa omnia esse effrenatae et luxuriantis mentis humanae foetus nec quidquam habere divinae illius simplicitatis simul et sublimitatis, quibus libri genuini nostri sunt insignes. At eorum auctores, ut figmentis suis auctoritatem conciliarent, ad genuinos libros saepe respiciunt ex iisque verba nonnulla transumunt, ita ut antiquiora apocrypha authentiae librorum sacrorum egregia nobis exhibeant argumenta. Praeterea etiam inserviunt doctrinae iudaicae cognoscendae, qualis sub initiis aerae christianae erat, dilucidandae historiae haeresium etc.

§ 11. — *De libris deperditis Utriusque Testamenti.*

1. — Num liber aliquis divinitus inspiratus interire possit, quaestio est controversa; omnino autem certa videtur sententia affirmativa.

S. Augustinus (de Civ. D. XVIII. 38) librum inspiratum interire posse dubitat eumque sequitur inter alios *Salmeron* (Proleg. IV. can. 4); sed contrariam sententiam tenent *Origenes* (In Cant. Prol.), *S. Chrysostomus* (In 1 Cor. hom. 7, 3), *S. Thomas Aq.* (Comm. in ep. S. Pauli ad 1 Cor. 5, 4 et Col. 4, 16) et moderni plerique, idque recte, saltem si de libro custodiae Ecclesiae nondum tradito agitur. Namque nihil obstat, quominus Deum in aliquo scripto inspirando finem particularem habuisse eoque cessante permisisse dicamus, ut liber ipse periret[1].

(1) Iuxta alios theologos etiam liber Ecclesiae custodiae iam traditus interire potest. Quam in sententiam egregie *Card. Franzelin* (de Deo Trino. Ed. 2. Romae 1874. p. 42): « Ad munus Ecclesiae pertinet sub assistentia Spiritus S. custodia infallibilis, sicut verbi Dei generatim, ita etiam verbi scripti. Quod quidem non ita intelligendum est, ac si assistentia Spiritus S. promissa esset, ne unquam aut textus aliquis, aut pars libri divini, aut etiam liber integer excidat. Quamvis enim specialis providentia Dei circa

2. — In S. Scripturis autem multi commemorantur libri, qui hodie non amplius supersunt, atque vix est dubium, quin saltem aliqui ex iis revera fuerint inspirati.

In *Vetere Testamento* haec commemorantur scripta : 1.) Liber bellorum Domini (*Num.* 21, 14); 2.) Liber Iustorum (*Ios.* 10, 13; 2 *Reg.* 1, 18); 3.) Liber verborum dierum Salomonis (3 *Reg.* 11, 41); 4.) Liber verborum dierum regum Iuda (3 *Reg.* 14, 29 etc.); 5.) Liber verborum dierum regum Israel (3 *Reg.* 14, 19 etc.); 6.) Liber Samuelis Videntis (1 *Par.* 29, 29); 7.) Verba Nathan prophetae (*l. c.*); 8.) Liber Gad Videntis (*l. c.*); 9.) Prophetia (*Vulg.* libri) Ahiae Silonitis (2 *Par.* 9, 29); 10.) Visio Addo Videntis (*l. c.*); 11.) Liber Semeia prophetae (2 *Par.* 12, 15); 12.) Liber Iehu filii Hanani (2 *Par.* 20, 34); 13.) Sermones Hozai (2 *Par.* 33, 19.); 14.) Res gestae Oziae per Isaiam (2 *Par.* 26, 22); 15.) Tria millia Parabolarum Salomonis (3 *Reg.* 4, 22); 16.) Salomonis cantica mille quinque (*l. c.*); 17.) Salomonis de rebus naturalibus (*l. c.*); 18.) Lamentationes Ieremiae de morte Iosiae regis (2 *Paral.* 35, 25); 19.) Ieremiae descriptiones (2 *Mach.* 2, 1); 20.) Liber dierum Ioannis Hyrcani (1 *Mach.* 16, 24); 21.) Liber Iasonis Cyrenaei (2 *Mach.* 2, 24).

Ex eo, quod liber aliquis ab auctore inspirato allegetur, evidens est non sequi, librum allegatum etiam esse divinae originis, neque ex eo, quod vir aliquis in uno libro scribendo inspiratus fuit, sequitur eum in aliis scribendis etiam inspiratum fuisse. Quapropter a vero aberraret, qui omnes libros illos pro divinis haberet; at aliquorum tituli inspirationem clare videntur indicare; ad quid enim Scriptura eos vocavit Prophetias, Visiones, aut eorum auctores dixit prophetas, videntes etc., nisi eis maiorem auctoritatem hac appellatione conciliare voluit?

Novi Testamenti tempore aliquos libros ab Apostolis esse conscriptos, qui interierunt, hodie omnes concedunt, quum clare pateat ex 1 *Cor.* 5, 9 et *Col.* 4, 16; veri simillimum autem est, S. Paulum, qui epistolam ad Philemonem ex instinctu et cum assistentia Spiritus S. scripsit, ab eodem Spiritu S. fuisse instigatum et adiutum, quando epistolas hodie deperditas ad integras Corinthiorum et Laodicensium ecclesias exaravit. Immo vero quum epistolam ad Laodicenses scriptam etiam a Colossensibus publice legi iuberet, eam haud levis esse momenti et publicae ecclesiarum institutioni et aedificationi inservire, clare insinuavit. Nihilominus fatendum est, hoc argumento nos ad *certitudinem* de epistolae istius inspiratione non pervenire.

conservationem librorum sacrorum tam Veteris quam Novi Testamenti tempore agnosci debeat, promissa tamen assistentia Spiritus S. et inde pendens infallibilitas Ecclesiae in custodia depositi fidei per se non includit indefectibilem conservationem omnium librorum eorumque partium, qui sunt divinitus inspirati atque adeo continent De verbum scriptum. Ratio est, quia *libri inspirati non sunt unicum nec absolute necessarium instrumentum ad conservandam revelationem*, unde potest Spiritus S. per Ecclesiam conservare integritatem revelatae veritatis, licet permitteret libri aut partis libri inspirati iacturam ».

DISSERTATIO II.

DE TEXTUUM PRIMIGENIORUM ET ANTIQUARUM VERSIONUM HISTORIA ET AUCTORITATE.

Altera quaestio in Introductione generali est solvenda, undenam genuinum librorum sacrorum textum hauriamus. Procul dubio auctorum inspiratorum autographa ab omnibus omnino mendis immunia fuisse fateamur oportet, nisi ipsum primarium eorum auctorem Deum erroris alicuius accusare impii velimus; certum quoque est, Deum singulari providentia semper invigilasse, ne libri, quos nobis in nostram salutem dederat, gravibus circa fidem et mores erroribus depravati in nostram perniciem verterentur. At nostrae curae sollicitudinique reliquit, ut minores et accidentales errores, qui salutem nostram periculo non exponunt, evitarentur. Unde factum est, ut libri sacri eidem, cui profani, fato subiecti essent et sexcenties descripti innumeris fere mendis minoribus ita foedarentur, ut illum textum, qui ex inspirati auctoris manu manavit, non purum integrumque nobis exhibeant. Plurimum autem interesse, ut genuinum illum textum restituamus, magna illa diligentia satis iam ostendit, qua inde a primis fidei temporibus summi Patres atque insequentibus saeculis maximi theologi instigantibus Summis Pontificibus operam suam in emaculandis libris sacris collocarunt. Ideo nobis quoque eorum exempla sequentibus enitendum est, ut errorum fontes detegamus subsidiaque cognoscamus, quibus illos corrigere possimus. Errorum autem fontes nobis ostendit textuum primigeniorum historia; adiumenta optima praebent antiquae versiones, quippe quae antiquiorem textus formam nobis exhibeant; quare earum quoque originem et fata investigemus oportet, ut earum auctoritate perspecta rite eis ad textum emendandum utamur (cfr *Encycl.* « Providentissimus » 6-8. 11). Totus igitur tractatus in duas sectiones dividitur, quarum prior, historia textuum primigeniorum enarrata, quis sit eorum status praesens et quae eorum auctoritas, docebit, altera de versionibus ita aget, ut quae eis debeatur fides appareat.

SECTIO PRIOR.

De Utriusque Testamenti textibus primigeniis.

CAPUT I.

DE TEXTU HEBRAICO VETERIS TESTAMENTI.

§ 1. — *De lingua hebraica hebraicarumque literarum notis.*

1. — Lingua hebraica, qua conscripti sunt omnes Veteris Test. libri protocanonici, paucis Danielis et Esdrae pericopis exceptis, et plerique deuterocanonici[1], una est ex illis, quae semiticae vocari solent, interque illas natura et indole sua quasi medium locum tenet. Nomen suum trahit ab Hebraeis, i. e. ab Abrahami ex eius nepote Iacob (Israel) posteris, quibus usque ad reditum ex exsilio babylonico vernacula fuit; sed eadem reliquae gentes in Chanaan habitantes iam ante Abrahami aetatem usae sunt.

Hebraeus (עִבְרִי, ὁ περάτης *Gen.* 14, 13. *Alex.*) vocatus est Abraham ex Mesopotamia *transiecto* Euphrate in Palaestinam adveniens; *Hebraeorum* nomen posteris eius ab externis gentibus semper est inditum, dum ipsi sese a proximo suo parente Iacob Israel Israelitas (filios Israel, domum Israel; *poet.* filios Iacob, domum Iacob) nuncupabant. Quapropter in Vetere Test. (excepto *Prol. Eccli.*) eorum lingua nusquam vocatur hebraica, sed aut *sermo Chanaan* (*Is.* 19,18) aut post regni septemtrionalis interitum *sermo iudaicus* (4 *Reg.* 18, 26:2 *Esdr.* 13, 24)[2]. Ab extremis Assyriae finibus ad mare mediterraneum et ab Asia Minore usque ad mare indicum ita diffusa, ut aliquas etiam Africae partes occuparet, magna semiticarum linguarum familia in tres quatuorve ramos erat divisa. Septemtrionales terras sibi vindicaverunt aramaicus et assyriacus, meridionales arabicus, medius inter illos totam Palaestinam tenuit hebraicus. Vocabulorum grammaticarumque formarum copia lingua hebraica superatur ab arabica et superat aramai-

(1) *Aramaice* conscripta sunt *Dan.* 2,4-7,28; 1 *Esdr.* 4,8-6.18 et 7,12-26; *Ierem.* 10, 11. — Ex deuterocanonicis libris hebraicae vel forte aramaicae originis sunt *Tobias*, *Iudith*, *Baruch*, *Ecclesiasticus*, 1 *Machab.* et fragmenta Daniel et Esther, quorum omnium textus primigenius interiit. Libri Sap. et 2 Machab. primitus graece sunt conscripti.

(2) In Novo Test. lingua *hebraica* vocatur dialectus illa, quae Christi tempore usitata, vulgo palaestinensis vel syrochaldaica appellatur (*Ioan.* 5,2; 19,13,17; *Act.* 21,40; 22,2); sed *Apoc.* 9,11 antiqua lingua hoc nomine designatur.

cam; durior rudiorque est aramaicae pronuntiatio ob vocalium paucitatem, suavior arabica ob vocalium multitudinem, hebraica autem sorores suas varietate vocalium superat, rariores tamen adhibet quam arabica sed frequentiores quam aramaica. Ceterum inter quatuor ramos tanta est quum in formis tum in vocabulorum radicibus affinitas, ut haud raro aliarum semiticarum linguarum proprietates hebraicis formis vocabulisque explicandis non parum inserviant.

2. — De ortu et progressu linguae hebraicae nihil certi est traditum. Quamprimum ad libros scribendos est adhibita, plane iam erat exculta et perfecta, atque a Moyse usque ad exsilium babylonicum eadem fere remansit eius puritas; immo illi scriptores, qui paullo post exsilium eam adhibuerunt, vix a praedecessoribus suis differunt, licet in nonnullis eorum libris frequentiores reperiantur aramaismi. Tempore enim exsilii aramaica lingua a Iudaeis in usum quotidianum recipi coepta est atque inter reduces procedente tempore ita invaluit, ut hebraica oblivioni sit data. Inde igitur a 4. vel 3. saec. a. Chr. mortuis linguis adnumeranda est hebraica, quae velut liturgica tantum et scholastica a rabbinis adhibebatur.

Pervulgata olim fuit opinio, hebraicam linguam protoparentibus a Deo immediate datam post confusionem linguarum inter maiores Abraham fuisse conservatam et ita Israelitis transmissam. At Abraham ex Mesopotamia in Palaestinam transgressus eam pro vicina sua dialecto aramaica a Chananaeis adoptasse rectius dicitur In Mesopotamia enim vulgaris erat aramaica eaque utebantur Abrahami propinqui, qui ibi remanserant (*Gen.* 31,47); in Palaestina autem hebraica non tantum a populis consanguinitate cum Abraham coniunctis (Moabitis, Ammonitis, Idumaeis), sed a reliquis quoque adhibebatur, id quod nomina propria Abrahamo antiquiora inscriptionesque Phoenicum Poenorumque luculenter demonstrant. Quin longo illo tempore, quod ab Abrahamo vel potius a Moyse, cuius libri antiquissima sunt linguae hebraicae documenta, usque ad Esdram effluxit, satis multas et magnas mutationes subierit, non est dubium; at non omnes mutationes, quas sermo vulgaris usu quotidiano patitur, in libris scriptis apparere solent; quare etiam ex iis certa et completa historia linguae hauriri nequit. Quod si nonnulli moderni secundum monumenta hebraica, quae exstant, tres quatuorve in historia linguae hebraicae periodos (mosaicam, davidicam, [propheticam], exsilicam) distinguere volunt, id satis arbitrario fieri censemus. Nam *a.*) tam pauci supersunt libri hebraici, ut si in quatuor istas periodos distribuantur, nulla ratione copiam formarum vocumque, quae illis temporibus in usu fuerunt, continere possint; accedit autem, quod tempus, quo multi libri sunt exarati, ignoramus. *b.*) Praeterea non constat, num libri ea in forma sint conservati, qua ex scriptorum manu prodierunt; nam quamdiu lingua aliqua in quotidiano usu est, librorum, qui frequenter leguntur, textus orthographiae et grammaticae singularum aetatum accommodari vocabulaque obsoleta usitatioribus permutari solent; id quod in Veteris quoque Test. libris factum esse, exempla non pauca demonstrant (cfr ex. gr. Ps. 17 [18] cum 2 Reg. 22, atque textus parall. in ll. Regum et Paralip.). *c.*) Porro mutationes, si quae factae sunt, proxime vocales attigerunt; signa autem vocalium eodem tempore omnibus nostris libris adscripta sunt, postquam lingua hebraica iam erat mortua. *d.*) Demum illud quoque notandum est, Pentateuchum, sicut totam Israeli-

tarum vitam regebat, ita literarum hebraicarum exemplar factum esse, cuius dictionem linguamque magis minusve iuniores scriptores imitati sunt. Quamobrem ex solis libris sacris historia linguae hebraicae cognosci non potest. Illud quidem concedimus, inde a 7. saec. exeunte aramaismis frequentioribus linguam hebraicam depravatam esse; negamus autem, aramaismorum maiore minoreve frequentia aetatem libri definiri; nam quum in antiquioribus libris non plane desint, iure concludimus, eos in lingua vulgari frequentius esse adhibitos; quare etiam in libris, qui stylo magis populari scripti sunt, iam Salomonis aetate frequentes inveniri possunt.

3. — Literarum notae, quibus hodie libri hebraici exarari solent, non sunt eaedem, quibus antiquitus libri sacri sunt descripti, sed multo recentioris sunt originis atque in libris sacris transcribendis sunt adhibitae, postquam hebraica lingua ipsa iam erat mortua. Ex duplici autem literarum genere, quo decursu temporis usi sunt Iudaei, explicantur menda nonnulla diversaeque aliquae lectiones, quae in textu librorum sacrorum inveniuntur.

Hodiernam *scripturam quadratam* (כְּתָב מְרֻבָּע) Thalmudistae vocant *assyriacam* (כְּתָב אַשּׁוּרִית), quia Esdram illam ex Babylonia attulisse in eamque libros sacros transcripsisse censent. Cui opinioni aliquid veri subest. Idem enim alphabetum ex Aegyptiorum scriptura hieratica derivatum omnibus populis semiticis videtur fuisse commune, cuius antiquissimam formam exhibet inscriptio regis moabitici Mesa saec. 9. a. Chr. exarata et ante paucos annos reperta, iuniores formae exstant in gemmis, nummis, inscriptionibus aliis, ut mutationes, quas inde a saec. 9. subiit, satis accurate sint cognitae. Alio modo autem literarum forma exculta est in Oriente apud Aramaeos, apud quos ad scripturam quadratam inclinare coepit, alio modo in Occidente, i. e. in Palaestina et Phoenicia, ubi antiquior forma diutius retenta mater scripturae samaritanae facta est. Atqui Esdras aramaicum literarum ductum, qui ad quadratam formam inclinavit, in Palaestinam forsitan attulerit et ad libros transcribendos adhibuerit; a 4. autem usque ad 1. saeculum a. Chr. scriptura paullatim in quadratam plane transiit. Hac enim ratione mendorum haud paucorum, quae in textu hebraico adsunt, origo apte explicatur. Multa scilicet menda exorta sunt, quia librarii literas inter se similes confuderunt (ב et כ, ר et ד etc.), sed aliae quoque literae interdum sunt permutatae, quae in scriptura quadrata quidem prorsus sunt dissimiles (שׁ et י, ה et ו, ם et ן etc.), at in antiquiore scriptura ob earum magnam similitudinem facile confundebantur. Nihil igitur miri in eo est, quod idem oppidum vocetur עָשָׁן (*V.* Asan; *Alex.* Ἀσάν; 1 *Par.* 6,44 [59] et עַיִן (*Vulg.* Ain; *Alex.* Ἀσά; *Ios.* 21,16); aut pro הָשֵׁם (1 *Par.* 11,34) positum sit יָשֵׁן (2 *Sam.* 23,22) etc. Ex eiusmodi autem differentiis satis multis, quae inter hodiernum textum hebraicum et graecam versionem adsunt, iure concludimus, versionem istam adornatam esse ex codicibus, qui antiquiore literarum ductu erant exarati. (Cfr *Append.* IV. Origo literarum semitic. et graec., et V. Alphabeta semitica).

4. — Porro antiqui Hebraei, uti alii Semitae, solas consonantes scripserunt atque raro dumtaxat literas אוי ad vocales designandas adhibuerunt; puncta autem vocalia saec. 6. et 7. p. Chr. a Massorethis sunt excogitata

et insequentibus saeculis textui sacro addita; « itaque possumus, inquit *Bellarminus*, puncta, si volumus, detrahere et aliter legere ».

Iudaei inventionem punctorum, quibus vocabulorum pronuntiatio atque haud raro etiam sensus definitur, Moysi aut saltem Esdrae olim attribuerunt; inter omnes autem hodie constat, puncta vocalia a rabbinis saec. 6. et 7. p. Chr. esse inventa, ut pronuntiationem eo tempore usitatam explicationemque, in quantum ab illa dependet, stabilem redderent, textui sacro autem non nisi saec. 8. et 9. esse addita. Antiquae versiones omnes ex codicibus, qui signis vocalibus carebant, sunt adornatae, atque hinc non paucae explicantur differentiae, quae inter illas hodiernumque textum hebraicum habentur; pro varia enim pronuntiatione eaedem consonantes varia significant. « Verbum hebraicum דבר, inquit *S. Hieronymus*, quod tribus literis scribitur, Daleth, Beth, Res, — vocales enim in medio non habet — pro consequentia et legentis arbitrio, si legatur *dabar, sermonem* significat, si *deber, mortem,* si *daber, loquere* », atque addere potuit : si *dober, pascuum,* si *dabir, adytum templi,* si *dubbar, dictum est* etc. Iam vero rabbini isti traditionem iudaicam *suae aetatis* vocalibus signis expresserunt, at haec non tantae est auctoritatis, ut eam semper retinere debeamus, nec quidquam impedit, quominus eam relinquamus atque aut cum antiquis interpretibus textum pronuntiemus et explicemus, aut aliam pronuntiationem et explicationem textui magis adaptatam quaeramus.

Animadverte quoque, primos codices probabiliter continua serie sine vocabulorum phrasiumque distinctione fuisse scriptos atque nonnulla compendia scriptionis continuisse, numeros autem literis numeralibus expressisse. Alio enim modo antiqui interpretes vocabula hebraica distinxerunt (cfr ex. gr. Ps. 4,3; 43 [44],5 etc. cum versione alexandrina) et compendia scriptionis agnoverunt (cfr ex. gr. *Ion.* 1,9; *Ier.* 6,11; *Is.* 53,8 etc. cum vers. alex.). Quapropter iustas ob causas nobis quoque licet a tradita vocabulorum separatione interdum recedere, ut genuinum sacri scriptoris sensum inveniamus. Magni autem momenti est, ut ad haec omnia attendat, qui differentias inter textum hebraicum et antiquas versiones intelligere et explicare vult.

§ 2. — *Textus hebraici historia.*

1. — Ut hodierni textus hebraici quis sit status et quae auctoritas cognoscatur, in eius historiam inquiratur necesse est, quae docet, quomodo humana fragilitate et negligentia paullatim sit deformatus et quid variis temporibus ad eius puritatem restituendam sit praestitum.

« Librariorum dormitantium » socordia et negligentia atque « praesumtorum imperitorum » corrigendi libidine sacros codices latinos corruptos esse, suo tempore conquestus est S. Hieronymus (ad Dam. Praef. in Evang.) atque omni fere tempore de omnium linguarum codicibus conqueri potuerunt interpretes. Ea enim est humana fragilitas, ut librarii, etsi omnes attenti et eruditi fuissent, omnes errores in transcribendis libris evitare non potuissent; at nec attenti nec eruditi omnes erant, immo haud pauci quoque scioli inveniebantur, qui iuxta suum iudicium et arbitrium illa, quae minus recte vel bene scripta esse putabant, mutare sunt ausi. Attamen etiam omni aetate inveniebantur viri eruditi, qui summa cum cura et sollertia menda, quae in libros sacros irrepsisse viderunt, corrigere atque textum

ad primitivam puritatem revocare sunt conati. Haec igitur si enarraverimus, elucebit, qua ratione hodiernus textus sit formatus et quantam ei fidem tribuere possimus. Evidens autem est, nos loqui de mendis minoris momenti, quae fidem morumque regulam non attingunt; singulari enim providentia sua Deum ipsum a gravioribus erroribus libros sacros immunes conservasse iam diximus.

Textus autem hebraici historiam apte in quinque periodos distribuemus, quarum prima a librorum origine ad canonis palaestinensis collectionem, altera usque ad Thalmudistarum aetatem se extendit; tertia de Thalmudistarum et quarta de Massoretharum curis criticis circa textum sacrum agunt; quinta a Massoretharum aetate usque ad nostros dies decurrit.

2. — ANTE CANONIS PALAESTINENSIS COLLECTIONEM textum sacrum non obstante magna diligentia, qua transcriptus est, haud paucis mendis iam esse foedatum, multi docent loci paralleli, qui ita inter se differunt, ut alterutri librariorum socordia aut corrigendi libidine mutati sint dicendi. Clarius autem idem elucet, si hebraicus textus Pentateuchi, quo iam diu ante Esdram usi sunt Samaritani atque hodie adhuc utuntur, cum textu hebraico Iudaeorum comparatur. Etenim in omnibus quidem, quae fidem et mores attingunt, *Samaritanus Pentateuchus* cum massorethico plane consonat, at in minoribus rebus satis multae sunt discrepantiae, quarum nonnullae Iudaeorum textum iam antiquitus mutatum esse arguunt.

Si rationalistis crederemus, librarios omnes antiquos pro libitu et arbitrio libros sacros tractasse diceremus; at temere id asserunt; quin etiam non minore, sed maiore cum sollicitudine, quam reliqui populi, Iudaei libros suos sacros transcripsisse merito dicuntur. Porro quoniam libri eo tempore a librariis, quibus hebraica lingua fuit vernacula, descripti sunt, errores facilius evitabantur, admissi citius detegebantur et securius corrigebantur; aderat quoque in sacrario Pentateuchus a Moyse ipso exaratus atque forte etiam nonnullorum aliorum librorum autographa, ad quorum normam nova exemplaria revocabantur. Graviores igitur errores, etsi a speciali Dei providentia abstrahamus, eo tempore in textum sacrum irrepere vix potuerunt, at omnes leviores quoque mutationes esse evitatas, non facile concedet, qui quanta sit humana fragilitas consideraverit. Revera si Ps. 17 (18.) textum, qui 2 *Reg.* 22. legitur, cum Psalterii ipsius textu comparamus, haud paucas detegimus differentias, ita ut alterutrum aut forte utrumque non purum esse conservatum dicere cogamur. Nomina, quibus eadem persona vel idem locus designatur, et numeri bis commemorati saepe ita discrepant, ut differentia iterum librarii culpae necessario sit attribuenda. Iam vero multae ex his differentiis non tantum in textu hebraico, sed in omnibus quoque versionibus eodem modo habentur; quare eas antiquissimis temporibus adscribere debemus; idque eo magis, quia *samaritanus Pentateuchus* iam a palaestinensi discrepat.

Inter rationalisticos quidem aliosque protestanticos interpretes pervulgata est sententia, Samaritanos suum Pentateuchum nonnisi Alexandri M. tempore per Manassen, sacerdotem ierosolymitanum, accepisse, qui a suis ob Legem violatam fugatus Samariam venit templumque in monte Garizim exstruxit. Attamen vix non certum est, Samaritanos iam diu ante Esdrae aetatem opus mosaicum possedisse, sive Israelitae illi, qui fuga sese exsilio subtraxerant atque postea cum ethnicis colonis per reges assyriacos ex interna Asia missis in unam gentem coaluerant, antiqua sua exemplaria retinuisse sive advenae illi ethnici a sacerdote

israelitico per regem Sargon misso (4 *Reg.* 17,24 sqq.) nova accepisse dicantur. Namque *a.*) constat, etiam regno Israel destructo, incolas istius regionis, etsi idololatriae simul essent dediti, verum Deum adorasse Legemque mosaicam observasse, ita ut cum Iudaeis ex exsilio reversis templum ierosolymitanum exstruere vellent (4 *Reg.* 17,28; 1 *Esdr.* 4,1 sqq.); cultus autem Iahve et Legis observatio cognitionem Pentateuchi supponunt. Porro *b.*) quum a Zorobabel eorum petitio reiecta esset, tanta exarsit eorum ira in Iudaeos, ut non intelligatur, quomodo postea eorum libros sacros recipere voluerint. *c.*) Si autem Pentateuchum tempore Alexandri M. recepissent, simul alios Iudaeorum libros sacros admisissent; sed solo Pentateucho et corrupto libro Iosue constat Samaritanorum canon. Praeterea *d.*) tempore Alexandri Iudaei libros suos iam eo literarum typo, qui postea quadratus evasit, scribere coeperant; Samaritani autem hebraicum suum Pentateuchum antiquioribus literis (samaritanis) semper transcripserunt et transcribunt. Demum *e.*) adversariorum sententia omni fundamento historico prorsus caret; quod enim Samaritani ante et post Alexandri M. aetatem idololatriae dediti remanserunt, id non magis probat, eos non habuisse Pentateuchum, quam continua Iudaeorum idololatria probat, ante exsilium Pentateuchum non exstitisse.

Ex samaritano igitur Pentateucho diiudicari potest, quaenam fuerit textus sacri ratio ante Esdram. Iam vero ambo exemplaria, quum in omnibus rebus fidei et morum plane consonent, evidenter demonstrant, non arbitrario modo librarios sacrum textum tractasse. At Samaritani vocabulorum orthographiam grammaticasque formas interdum videntur linguae suae, quae dialectus aramaica est, adaptasse; nec quidquam impedit, quominus Iudaeos antiquos eodem modo egisse dicamus. Praeterea Samaritani interdum ea, quae Deo videbantur indigna, atque maxime anthropomorphismos removerunt; eiusmodi autem mutationes in textu hebraico non deprehendimus, iuniores tamen interpretes (alexandrinus, chaldaicus, syrus, latinus) simili modo egerunt. Tandem Samaritanus haud paucas habet lectiones, quibuscum consentiunt alexandrina, syriaca aliaeque versiones, atque ex hisce iure concludimus, Iudaeorum textum probabilius iam ante Esdrae aetatem saltem in nonnullis exemplaribus esse corruptum.

3. — *Esdram* eiusque in cultu restituendo adiutores, quum libros sacros colligerent novoque literarum genere ex Babylonia allato transcriberent, simul etiam eorum textum a mendis apertis repurgasse vetus est Iudaeorum traditio non paucis Patrum testimoniis comprobata. Opus autem ab Esdra inchoatum continuaverunt Scribae vel *numeratores* (סוֹפְרִים), quibus praeter nonnullas observationes criticas hodiernus consonantium textus deberi non immerito creditur. *Scribarum periodus* igitur, quae a 5. saec. ante Chr. usque ad finem saec. 2. post Chr. sese extendit, in historia textus hebraici est momenti maximi.

Esdram, « scribam peritum in Lege », cum adiutoribus suis, quos « viros magnae synagogae » appellant, « coronam in veterem nitorem restituisse », tradunt rabbini, atque simili modo SS. Irenaeus, Chrysostomus, Isidorus Esdram libros sacros tempore exsilii corruptos emendasse dixerunt (Diss. I. § 3. p. 17). Quam emendationem non arbitrario nec incaute factam esse, docent multae illae differentiae, quae in textibus parallelis sunt relictae, quia earum auferendarum certum fundamentum defuit. Viros magnae synagogae secuti sunt *Scribae* vel *Numera-*

tores, qui ut textus sacer quasi immutabilis redderetur eiusque variatio omnis facilius detegeretur, singula vocabula literasque singulas librorum sacrorum numerasse dicuntur. In Thalmude et Massora eis lectiones quaedam hodierni textus attribuuntur (עטורים *ablationes*, תקונים *correctiones*, נקודות *punctata* i. e. literae punctis notatae), quae admodum paucae sunt numero; attamen erraret, qui toto Scribarum tempore nihil nisi paucas illas lectiones esse determinatas censeret; etenim quoniam eis vocabulorum et literarum numeratio adscribi solet, recte concluditur, multo latius eorum auctoritatem sese extendisse. Ac profecto inde a saec. 5. a. Chr. usque ad finem saec. 2. p. Chr. efformatus est hodiernus consonantium textus hebraicus. Namque codices illi, quibus alexandrini interpretes usi sunt, quam plurimis in locis ab hodierno textu hebraico discrepant, versiones autem syriaca et graecae Aquilae, Symmachi et Theodotionis, quae 1. et 2. saec. p. Chr. adornatae sunt, multo propius ad illum accedunt eoque propius, quo recentiores sunt. Continuo igitur Scribarum labore paullatim exortus est textus hodiernus; rabbinicarum autem scholarum auctoritas, quae post Ierosolymorum destructionem fuit magna, effecit, ut in omnes codices reciperetur. Neque tamen ad arbitrium Scribas lectiones varias elegisse aut ea, quae minus recta videbantur, emendasse, textus ipse demonstrat, in quo discrepantiae locorum parallelorum, archaismi, idiotismi etc. remanserunt; atque ex eorum Itturim, Thikkunim etc. satis apparet, antiquos codices ab eis esse collatos et ad illorum auctoritatem textum esse efformatum.

4. — THALMUDICI DOCTORES, qui inde a saec. 3. p. Chr. usque ad 6. saeculi initium antiquas de Lege traditiones literis consignarunt, consonantium textum a Scribis acceptum non tantum non mutarunt, sed minutissimis praeceptis de modo, quo transcribendi sint libri sacri, stabilitis fideliter conservarunt et posteris transmiserunt; varias lectiones collegerunt, quas velut « legendum » (קרי) pro eo, « quod scriptum sit » (כתיב) in margine exemplarium suorum adnotarunt; atque suis demum curis hodiernam textus pronuntiationem definiverunt.

Quam plurima sunt praecepta, quae de voluminibus praesertim liturgico usui destinatis traduntur in Thalmude; literae indicantur, quae facile confundi possint, aliae, quae ob certas rationes aut maiusculae aut minusculae aut suspensae aut inversae etc. depingi debeant. Quae omnia ostendunt, rabbinos illos certum definitumque consonantium textum prae oculis habuisse. Quem tam parum mutare sunt ausi, ut vel ipsas illas lectiones, quas improbabant, non removerent, sed illis relictis adnotarent, vocabulum *scriptum* non esse pronuntiandum sed eius loco alterum *legendum*, quod indicabant. Tres autem τῶν *Kerjan* distinguuntur classes, quae omnes illi aetati debentur; interdum enim vocabulum, licet non esset scriptum, legendum censuerunt (קרי ולא כתיב), interdum vocabulum scriptum non legi iusserunt (כתיב ולא קרי), multo saepius pro vocabulo scripto aliud legendum esse monuerunt (קרי וכתיב). Eodem tempore, quo rabbini palaestinenses has lectiones varias collegerunt, alii rabbini in Babylonia eodem modo lectiones indicarunt, quas praeferendas duxerunt. Utrarumque scholarum differentiae, quum nec multae sint nec graves, gravissimum praebent argumentum, eo tempore ab omnibus Iudaeis eundem consonantium textum velut certum esse admissum.

At non solis in lectionibus definiendis occupati erant illa aetate rabbini; illis enim hodierna hebraici textus, qui solis consonantibus constabat, pronuntiatio, quae eo usque varia fuerat et instabilis non immerito attribuitur. Alio enim modo alexandrini interpretes 3. et 2. saec. a. Chr., alio modo Origenes ineunte saec. 3. post Chr., alio modo S. Hieronymus exeunte saec. 4. eadem nomina hebraica pronuntiaverunt, sed S. Hieronymi propius, quam antiquiorum, pronuntiatio ad illam accedit, quam post Thalmudicam aetatem Massorethae suis punctis vocalibus stabilem reddiderunt.

5. — Inde a finito Thalmude usque ad 9. vel 10. saec. decurrit aetas Massoretharum (בַּעֲלֵי הַמָּסוֹרֶת), qui ita appellati sunt, quia observationes omnes criticas, grammaticas, exegeticas, quae eo usque traditione orali (מָסוֹרָה a מסר, *ore tradere*) propagatae erant, collegerunt, digesserunt novisque auctas scripto mandarunt. Praecipuum tamen eorum meritum est, quod textus sacri pronuntiationem et interpunctionem inventis punctis vocalibus aliisque signis eodem modo immutabilem reddiderunt, quo eorum praedecessores calligraphicis suis praeceptis textum consonantium stabilem reddere conati erant.

Multo accuratius, quam Thalmudici, Massorethae Scribarum Itturim, Thikkunim, Nakudot enarrarunt; praeterea omnes Kerjan, literas maiusculas, minusculas etc., numeros versuum literarumque, qui in singulis libris inveniuntur, atque etiam aliquorum versuum singularitates (quot ex. gr. vocabula a litera מ incipientia aut litera finali ם terminata contineant etc.) adnotarunt. Variarum lectionum copiam auxerunt additis etiam coniecturis nonnullis (סְבִירִין, *putata*), quibus ea, quae grammaticis regulis repugnare videbantur, corrigenda docuerunt. Notas autem has criticas omnes breviter margini laterali librorum sacrorum adscripserunt (*Massora parva*), fusius in marginibus superiore et inferiore exposuerunt (*Massora magna*), ordine quodam alphabetico demum dispositas fini librorum addiderunt (*Massora finalis*). Massora igitur est criticus apparatus, qui longo saeculorum decursu collectus tandem inde a saec. 6. usque ad 9. vel 10. literis est mandatus.

At critico hoc apparatu Massoretharum labor non erat finitus; usque ad eorum aetatem solae consonantes scribebantur, vocabulorum autem pronuntiatio ex traditione erat addiscenda; unde et pronuntiationis ipsius et, quae ex ea dependet, *explicationis* necessario maior minorve exorta erat incertitudo et fluctuatio. Ad quam finiendam Massorethae integrum excogitaverunt systema signorum, quibus literarum, syllabarum vocumque in certo contextu positarum pronuntiationem definirent: hinc signa illa, quibus consonantium ipsarum varia prolatio designatur (Dagesch, Raphe, Mappik, punctum diacriticum שׁ et שׂ), puncta vocalia et accentus, qui partim interpunctioni partim recitationi synagogali inserviunt. Sine ullo dubio hac ratione immutabilis est reddita pronuntiatio illa, quae mille circiter annis, postquam lingua hebraica mortua erat, in synagogarum scholarumque usu fuit; illam vero cum antiqua omni ex parte consonare nemo facile crediderit. Quoniam autem textus explicatio magnam partem a pronuntiatione et interpunctione signis massorethicis definita dependet, evidens est, nos in librorum sacrorum interpretatione sine ullo scrupulo signa illa posse negligere, quum eum solum sensum repraesentent, quem rabbini recentiores textui sacro attribuerunt.

6. — A SAEC. 10. AD HAEC USQUE TEMPORA idem fere remansit textus hebraici status. Omnes suos codices liturgicos Iudaei ad Massoram conformarunt, ita ut in illis tantum, qui privato usui erant destinati, lectiones nonnullae a Massora discrepantes illaque forte antiquiores reperiantur. Idem quoque textus massorethicus in omnes editiones typis descriptas transiit, quae quum a paucis tantum codicibus dependeant inter se haud multum discrepant. Superstitum codicum varias lectiones collegerunt *Beni. Kennicott* et *I. B. de Rossi.*

Codices hebraici, quos superstites habemus, cuncti sunt Massora recentiores; antiquissimi sunt duo, qui in bibliotheca imperiali Petropoli asservantur; quorum prior Babyloniae a. 916. conscriptus solos Prophetas posteriores complectitur[1], alter a. 1009. exaratus omnes libros canonis iudaici continet. Ceterum codices hebraici sunt duplicis generis; alii synagogali usui destinati absque punctis vocalibus, accentibus, notis massorethicis exarati critico usui non inserviunt, quia licet magna cum diligentia sint conscripti textum a Massorethis traditum illibatum exhibent. Alii privato usui destinati plerique vocalibus accentibus et maiore minoreve copia notarum massorethicarum instructi sunt atque utiliores habentur, etsi negligentius sint conscripti. Massorae enim auctoritas, quamvis magna esset, impedire non potuit, quin in eos lectiones ab illa improbatae reciperentur.

Ex privatis maxime codicibus adornatae sunt primae editiones, quae iam saec. 15. typis descriptae sunt (Psalterium a. 1477., Pentateuchus a. 1482., Prophetae priores a. 1485., Biblia integra cum punctis et accentibus a. 1488. etc.); recentiores editiones fere omnes, inter quas stereotypae eminent ab Hahn (Lipsiae 1839) et a Theile (ibid. 1849) adornatae, ab amstelodamensi quadam dependent, quam Van der Hooght a. 1705 curavit meliores editiones antiquas secutus, codicibus tamen praetermissis. Ad Massorae praecepta S. Baer textum accuratius revocare studuit adhibitis tum scriptis tum impressis libris (Psalterium Lipsiae 1861.; Genesis 1869.; Isaias 1872.; Prophetae minores 1878.; Esras et Nehemias 1882.).

Dum Iudaei massorethicum textum describere non cessarunt, christiani interpretes criticis suis investigationibus ad antiquiorem et magis genuinum pervenire conati sunt; quem in finem omnes, quotquot invenerunt, codices compararunt ex eisque apparatum criticum adornarunt. Primus *Beni. Kennicoth,* Anglus natione, a. 1766.-1780. « Vetus Testamentum hebraicum cum variis lectionibus » Oxonii edidit, in quo Pentateuchi samaritani, 615 codicum, 52 editionum impressarum, Thalmudisque utriusque lectiones variae collectae sunt, sed non satis accurate. Praedecessorem suum superavit *I. B. de Rossi,* sacerdos Parmensis, qui praeter libros a Kennicott iam adhibitos codicum 731 et fere 300 editionum lectiones collegit atque cum antiquarum versionum lectionibus contulit (Variae lectiones V. T. opera et studio I. B. de Rossi. Parmae 1784.-1788.; Supplementum 1798). Illud quidem in eo vituperatur, quod non omnes codices integros, sed solos dubios versus contulerit; at num ingenti labori, si omnia ista volumina integra perlustrare voluisset, fructus respondisset, merito dubitatur.

(1) Codex babylonicus impensis imperatoris russiaci photolithographice descriptus est a. 1875.; eius habes specimen (*Os.* 10,3.6) in *Appendice* VI. — Attendas velim ad vocalium signa babylonica adscripta, quae a tiberiadensibus in Occidente adhibitis et forma differunt et loco quem occupant; excepto enim ו omnia *supra* consonantes notantur.

§ 3. — *De textus massorethici auctoritate.*

1. — Non defuerunt, qui massorethicum librorum sacrorum textum pro authentico fonte revelationis agnoscere noluerunt, quia eum a Iudaeis malitiose corruptum esse putarunt.

Saec. 17. et 18. de massorethici textus auctoritate controversia acerrima est agitata. Etenim ut versionum alexandrinae et vulgatae testimonia facilius convellerent, Protestantes quam plurimi textum massorethicum ipsi autographo sacrorum auctorum plane conformem declararunt; ex Catholicis autem aliqui ardore disputationis abrepti eum Iudaeorum aut malitia aut culpabili saltem negligentia ita corruptum dixerunt, ut pro authentico revelationis fonte non amplius haberi possit.

Authenticum vero instrumentum est illud, quod per se ipsum fidem facit, nec alterius confirmatione indiget. Quo stricto sensu sola sacrorum auctorum autographa, si adhuc essent superstita, forent authentica, quia nemo eis fidem negare posset. Latiore autem sensu authentica habentur apographa quoque omnia, de quorum conformitate cum autographis constat; sed de ea constare potest sive legitimae et publicae auctoritatis declaratione sive privato examine; priore modo vulgata nostra est authentica, de altera quaeritur relate ad textum hebraicum. Attamen ut apographum authenticum sit ac fidem per se mereatur, absoluta et perfectissima cum autographo conformitas non requiritur, sed illa sufficit, quae instrumenti substantiam respicit. Ad substantiam autem libri sacri *proxime* pertinent ea, ob quae liber hic a Deo datus est, i. e. omnia quae fidem moresque directe attingunt, *remote* vero ea quoque, quae efficiunt, ut apographum iuxta prudentem et ordinariam hominum existimationem idem opus cum autographo habeatur, etsi in rebus minoris momenti differentiae adsint.

Iam vero olim iam Patres nonnulli (*S. Iustinus M., S. Irenaeus*, *Origenes*, *S. Chrysostomus*) Iudaeos accusasse dicuntur, quod in textu hebraico locos aliquos, qui fidem directe spectant, corruperint, eandemque accusationem renovarunt non pauci mediae aetatis interpretes (*Raymundus Martini*, *Nic. Lyranus*, *Paulus Burg.* etc.) et recentiores (*Salmeron*, *Canus*, *Morinus* etc.)

2. — Attamen cum *SS. Hieronymo* et *Augustino*, quos sequuntur recentiores plerique et moderni omnes interpretes, omnino admittendum est, hebraicum Scripturarum textum a Iudaeis malitiose non esse corruptum neque ea puritate carere, qua authenticus revelationis fons constituitur, licet librariorum negligentia errores minores in eum irrepserint atque forte uno alterove in loco lectio aliqua a Massorethis studiose sit recepta, quae Christianis minus favet.

Iudaeos non *ante Domini adventum* Scripturas suas malitiose corrupisse evidens est; etenim « nunquam, inquit S. Hieronymus (in Is. 6, 9), Dominus et Apostoli, qui cetera crimina arguunt in Scribis et Pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent », neque etiam Iudaeos, ut scrutarentur Scripturas, invitare potuissent, si in illis genuinum fontem revelationis non agnovissent. Aliis argumentis omissis cum S. Hieronymo (l. c.) addere possumus : « si quis dixerit, *post adventum Domini* et Apostolorum praedicationem libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnos tenere non potero, quum Salvator et Apostoli et Evangelistae testimonia protulerint, uti Iudaei postea falsaturi erant », et recte monet

Bellarminus (de Verbo Dei II. 2), praecipua vaticinia in textu hebraico omnia adesse et saepe codices hebraeos ea clarius exhibere, quam graecos et latinos. Praeterea S. Augustinus (de Civ. Dei XV. 13), « absit, inquit, ut prudens quispiam vel Iudaeos cuiuslibet perversitatis ac malitiae tantum potuisse credat in codicibus tam multis et tam longe lateque dissitis ». Demum Iudaei aut ante S. Hieronymi aetatem aut post eam libros suos corrupissent; atqui non ante eam, quia secus Vulgata nostra ex corrupto textu adornata esset dicenda, neque post eam, quia substantialis differentia textum massorethicum inter et versionem S. Hieronymi non deprehenditur. Ceterum cum S. Augustino (l. c.) etiam interrogare licet, num « credibile sit, Iudaeos codicibus suis eripere voluisse veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem ».

Quae pauca innuisse sufficit, ut Iudaei a depravationis malitiosae suspicione liberentur; eadem autem pleraque simul demonstrant, massorethicum textum substantialiter esse integrum ac proin authenticum, quum iuxta prudentem existimationem idem sit cum sacrorum scriptorum autographis. Quae identitas tamen menda quaecunque non excludit; illis enim vitiatum esse textum massorethicum, probant omnia ea, quae de eius fatis retulimus multaeque variae lectiones, inter quas quae sit praeferenda solis codicibus hebraicis non potest definiri. At minora eiusmodi menda in omnibus omnino versionibus quoque inveniuntur atque in ipsa Vulgata. Porro Iudaeos uno alterove in loco (maxime *Ps.* 21 [22], 17 et forte *Ps.* 109 [110], 6) ex variis lectionibus, quas invenerunt, illam elegisse, quam Christianis minus favere sciebant, non certum quidem, sed probabile est; at ideo authentiam textus massorethici non destrui, demonstratione non indiget.

3. — Contra propositam sententiam auctoritas nonnullorum Patrum iuniorumque interpretum immerito appellatur. Nam plerique Patres non de *hebraici* textus, quem ignoraverunt, corruptione conqueruntur, sed de novis et perversis versionibus graecis, quibus Iudaei argumenta ex alexandrina versione desumta eludere conati sunt. Pauci autem Patres, qui de hebraico textu corrupto loquuntur, uti etiam iuniores interpretes, exemplis, quae attulerunt, assertum suum non probaverunt.

Plerumque Patres de novis Aquilae, Symmachi, Theodotionis versionibus loquuntur, quibus nonnulla vaticinia obscurentur; ita *S. Chrysostomus* (in Matth. hom. 5,2), *S. Iustinus M.* (c. Tryph. 71. 83), *S. Irenaeus* (c. haer. III. 21,5) aliique conqueruntur, quod iuniores illi interpretes in *Is.* 7,14 non transtulerint : « ecce *virgo* (ἡ παρθένος) pariet », sed « adolescentula » (ἡ νεᾶνις). Interdum quoque, si vaticinia in Novo Test. allata in suis graecis aut latinis codicibus non inveniebant, aliquos libros Iudaeorum negligentia aut malitia esse deperditos suspicati sunt; ita *S. Chrysostomus* (in Matth. hom. 9,4), quia non invenit, ubinam Christus sub nomine Nazaraei sit praedictus, *Ps. Athanasius* (Synops. S. S. 78), quia libros in Vetere Test. allegatos non amplius invenit etc. Aliquoties non de Scripturis corruptis sed de Lege pharisaicis praeceptis corrupta agunt, uti *S. Irenaeus* (c. haer. IV. 12).

Mirum autem, quod *S. Hieronymus*, qui toties « hebraicam veritatem » celebravit, aliquos textus a Iudaeis corruptos dixerit, sed immerito. Nam *Deut.* 27,2 a S. Paulo (*Gal.* 3,10) utique secundum graecam versionem allegatur, at eo in loco versio illa cum textu hebr. et nostra Vulg. quoad sensum accurate consonat; neque rectius accusat Iudaeos, quod in *Deut.* 21,23 (« maledictus *a Deo*

est, qui pendet in ligno ») vocabula « *a Deo* » ex odio Christi addiderint; S. Paulus (Gal. 3,13) ea quidem non habet, sed non tantum in textu hebr., sed in omnibus versionibus quoque exstant; revera a contextu Deuteronomii postulantur et a S. Paulo ideo dumtaxat sunt omissa, quia per se erant subintelligenda. Haec duo tantum S. Hieronymus in hebraico textu vituperat. *S. Iustinus M.* autem conqueritur, quod in Ps. 95,10 (« Dicite gentibus, quia Dominus regnavit) » Iudaei duo verba « *a ligno* » sustulerint; at haec verba, uti ab hebraico textu, ita ab omnibus versionibus ignorantur. Item post 1 *Esdr.* 6,21 unum versum et in Ieremiae vaticiniis duos versus a Iudaeis esse remotos asserit; sed unus ex Ieremiae versibus in textu hebraico (11,19) legitur; alter autem atque etiam esdrinus iterum etiam in versionibus desunt et a reliquis Patribus ignorantur. Operae pretium non est, ut omnes textus a iunioribus theologis allatos examinemus; Salmeron duodecim affert, Bonfrerius sex tantum, praeter quos non inveniri alia corruptionis testimonia censet, Canus unum solum, Goldhagen iterum novem etc.; at omnes eorum obiectiones erroneis textus hebraici interpretationibus innituntur.

4. — Textui igitur massorethico sua manet auctoritas, nam « errores, inquit *Bellarminus* (de Verbo Dei II. 2) non sunt tanti momenti, ut in iis, quae ad fidem et mores pertinent, Scripturae sacrae integritas desideretur ».

Ipse Salmeron, quamvis multis argumentis corruptionem textus massorethici demonstrare conetur, de eius usu hoc praeceptum statuere non dubitat : « Si quando contingit, ut aliud legamus in Vulgata, aliud in graecis aut hebraicis codicibus, si non sibi contradicunt sed tantum sunt diversa, utraque lectio est recipienda et catholico sensu explicanda. Si vero contradicunt sibi invicem, sicut affirmatio et negatio, adhibenda est diligentia et omnis opera ponenda, si qua ratione possimus ostendere, illa specie tantum et non re ipsa sibi adversari. Ubi vero nulla potest iniri concordia, illi lectioni magis est standum, quae magis cum praecedentibus et consequentibus cohaeret, aut magis convenit cum apostolicis et evangelicis literis, aut a pluribus Patribus agnita et probata est, *sive sit hebraea, sive graeca, sive latina* » (Proleg. 3. Opp. I: p. 25).

CAPUT II.

DE TEXTU GRAECO NOVI TESTAMENTI.

§ 4. — *De lingua, qua Novi Test. libri conscripti sunt.*

1. — Omnes Novi Test. libri, excepto S. Matthaei Evangelio cuius textus primigenius iam mox interiit, lingua graeca sunt conscripti, quae tamen a pura antiquorum classicorum lingua satis longe distat.

Ineunte saec. 17. inter protestanticos interpretes quaestio agitata est, num idioma graecum Novi Test. sit idem, quo antea usi erant classici Graeciae scriptores. Ne divinam inspirationem periculo exponere viderentur, haud pauci id asserebant, at parum aptos graecae linguae existimatores divinaeque inspirationis plane inscios rudesque se esse doctis elucubrationibus probaverunt, quum fieri posse negarent, ut sacer liber humili incultaque lingua scriberetur. Aliter tamen censuerunt Patres, qui Scripturarum stylum impurum rudemque sermonem interdum exaggerarunt, ut inde divinam earum veritatem efficacius tuerentur : Platonem quippe monent eleganti sua dictione ne unum quidem tyrannum allicere potuisse, Scripturas autem barbaris suis vocibus ac soloecismis non obstantibus assensum eloquentiae extorsisse ac terras mariaque sibi subiugasse (cfr *S. Isid. Pelus.* Ep. IV. 28; *S. Athan.* de incarn. Verbi 50; *S. Chrys.* in 1. Cor. hom. 3,4 etc.).

2. — Revera Novi Test., uti etiam alexandrinae versionis Veteris Test., idioma in genere cum illo sermone graeco convenit, qui inde ab Alexandri M. aetate per omnes fere imperii macedonici provincias vulgaris factus est. Hellenica dialectus (ἑλληνικὴ διάλεκτος) vulgo appellata ex permixtione dialectorum graecarum ita est exorta, ut dorica, utpote Macedonum propria, praevaleret; hinc a classica quum vocabulis eorumque significationibus tum grammaticis proprietatibus differt.

Alexandri M. regnum in Orientem linguam disciplinasque graecas intulerat; postquam Ptolemaei in Aegypto, Seleucidae in Syria et Mesopotamia per tria saecula regnaverant, innumerae ubique inveniebantur civitates graecae et quamquam, uti per se patet, linguae vernaculae non perierant, graeca tamen, qua dominatores utebantur, praevalere coeperat. Duplex autem ea aetate graecae linguae ipsius mutatio facta est. Scriptores enim, etsi atticam dialectum retinere studerent, satis multa ex aliis dialectis immiscentes novam illam efformarunt, quae κοινή i. e. « omnibus communis » appellatur. Gravior autem erat linguae vulgaris et quotidianae mutatio. Etenim graecae tribus, quae eo usque magis minusve separatae vixerant, inter se commisceri coeptae sunt earumque dialecti quoque sunt permixtae, praevalente tamen dorica. Iam vero hic sermo vulgaris, qui permixtis dialectis sed pro variis provinciis ob singulares ex nativis linguis admissos barbarismos aliquantulum diversus a Tigride usque ad Nilum in quotidianae vitae usu fuit, fundamentum quasi est idiomatis versionis alexandrinae et Novi Test.; iudaici enim interpretes et sacri scriptores ex usu potius quotidiano quam ex librorum lectione

graecam linguam addidicerunt. Hellenicae huius dialecti hae enumerari solent proprietates, quae vocabula attingunt : *a.*) vocabula ex omnibus dialectis assumuntur; *b.*) illis autem, quae iam in usu erant, novae significationes attribuuntur (ex. gr. παρακαλεῖν, *rogare;* παιδεύειν, *castigare;* εὐχαριστεῖν, *gratias agere;* ἀποκριθῆναι, *respondere;* δαιμών, δαιμόνιον, *malus spiritus;* ξύλον, *arbor* etc.); *c.*) rariora et poetica vocabula fiunt communia (αὐθεντεῖν, *dominari;* μεσονύκτιον, *media nox;* ἀλέκτωρ, *gallus gallinaceus;* βρέχειν, *irrigare* etc.); *d.*) usitatorumque forma mutatur, quum formae pleniores et productiores praeplaceant (ἔκπαλαι, ἐχθές, αἴτημα, βασίλισσα, ἐκχύνειν, πετάομαι etc.), *e.*) nova quoque vocabula praesertim composita finguntur (ἀλλοτριοεπίσκοπος, ἀνθρωπάρεσκος, μονόφθαλμος, αἱματεκχυσία etc.), *f.*) vel ex aliis linguis, persica, aegyptiaca, semitica, latina adsciscuntur. Proprietates autem grammaticales maxime in nominum verborumque flexuris aut plane novis aut adscitis ex aliis dialectis, in rariore dualis usu, in novis verborum constructionibus aliisque singularitatibus cernuntur, de quibus fuse grammatici agunt.

3. — Attamen Veteris Test. interpretes et Novi Test. scriptores, quum Hebraei essent, graecae suae dialecto characterem quemdam semiticum impresserunt; quare librorum sacrorum idioma etiam ab hellenica dialecto nomine et re distinguitur; *hellenisticum* hodie appellari solet suasque et lexicales et grammaticas proprietates habet.

Ad priores proprietates pertinet, quod *a.*) magnus numerus vocabulorum religiosorum sola terminatione plerumque mutata ex lingua hebraica transumatur ex. gr. Μεσσίας, σατανᾶς, γεέννα, σάββατον, πάσχα etc.; *b.*) significationes omnes, quas hebraicum vocabulum admittit, etiam graeco vocabulo illi attribuantur, quo vocis hebraicae primaria significatio exprimitur, ex. gr. ἐρωτᾶν, *interrogare* et *rogare* (שָׁאַל); ῥῆμα, *verbum* et *res* (דָּבָר); σπέρμα, *semen* et *proles* (זֶרַע); εἷς, *unus* et *primus* (אֶחָד) etc.; *c.*) metaphorae aliique tropi ex hebraica recipiantur, ex. gr. ποτήριον, *poculum* et *sors* (כּוֹס); γλῶσσα, *lingua* et *natio* (לָשׁוֹן); χεῖλος, *labium* et *sermo* (שָׂפָה) etc.; latissime hic usus patet; *d.*) phrases quaedam usitatissimae ad verbum exprimantur, ex. gr. πρόσωπον λαμβάνειν, ἄρτον φαγεῖν (*coenare*), αἷμα ἐχέειν, ἀνιστάναι σπέρμα τινὶ, πᾶσα σάρξ (*omnis homo*), σάρξ καὶ αἷμα etc.; *e.*) nova vocabula fingantur ad hebraica exprimenda, ex. gr. ὁλοκαύτωμα, σκάνδαλον et σκανδαλίζειν, ἀναθεματίζειν, ἐγκαινίζειν etc. Proprietates grammaticales pauciores sunt, attamen in syntaxi haud raro hebraizant vel aramaizant scriptores sacri; saepe enim ad exprimendas relationes, quas sola casus flexione indicant Graeci, adhibent praepositiones; genitivo substantivorum utuntur pro adiectivis, idem vocabulum ad distributionem designandam repetunt etc. Quam maxime autem semiticus character in eo apparet, quod scriptores plerique graecis periodorum constructionibus aut ignoratis aut neglectis phrases suas simplici καὶ vel οὖν coniungant. Attamen in linguae graecae puritate libri sacri multum inter se differunt; libri Sap. et 2 Mach. uti integrum N. T. versioni alexandrinae longe praestant, in qua iterum magna singulorum librorum differentia est. Inter N. T. libros S. Lucae Evangelium et ep. ad Hebr. eminent, atque Apocalypsis longius ab ep. ad Hebr., quam a melioribus alexandrinae versionis libris distat.

4. — Demum N. T. scriptores graecam linguam etiam christianam reddiderunt multis novis vocabulis vocabulorumque significationibus introductis, quibus doctrinam christianam exprimerent.

Ex multis pauca exempla attulisse sufficit : ὁ Λόγος, Χριστός, ἀπόστολος, εὐαγγέλιον, εὐαγγελιστής, ἡ ἐκκλησία, πίστις, πιστεύειν εἰς Χριστόν, χάρις, δικαιοσύνη, δικαιοῦσθαι, πνεῦμα, πνευματικός etc. etc.

§ 5. — *De externa Novi Test. librorum forma.*

1. — Apostoli opera sua non sua manu exarasse sed dictasse videntur; is enim antiquorum auctorum fuit mos. Materia autem, quae eo tempore libris scribendis inservivit, charta fuit papyracea (2 *Ioan.* 12) aut membrana (2 *Tim.* 4,13), pro qua saec. 10. charta bombycina et saec. 13. charta ex lino confecta adhiberi coepta est. Literarum forma fuit uncialis; ineunte autem saec. 9. etiam minusculae in codicibus sacris usurpabantur.

Antiqui auctores opera sua amanuensibus dictare solebant, qui ea signis abbreviatis (*notis*) consignabant (hinc ταχύγραφοι, *notarii* appellati); notas deinde librarii (βιβλιόγραφοι, καλλίγραφοι) ordinariis literis transcribebant, transcriptas emendatores (διορθῶται) corrigebant. Eundem morem S. Paulum in omnibus fere suis epistolis tenuisse solamque salutationem sua manu addidisse constat (*Rom.* 16,22; 1 *Cor.* 16,21; 2 *Thess.* 3,17; cfr 2,1; cfr etiam *SS. Chrys.* et *Hier.* in Gal. 6,11.). — Quia charta papyracea detritu facilis est, libris sacris describendis iam mox sola membrana inservivit, ita ut omnes nostri codices saeculo 10. antiquiores sint membranacei. Iidem literarum quoque forma a recentioribus differunt; ante saec. 9. enim solae literae maiusculae, rectae, fere quadratae vel rotundae sine ullis ligaturis adhibebantur (*codices unciales*); primus codex sacer minusculis exaratus est a. 845., ultimus maiusculis a. 995.

2. — Antiqui Graeci et Latini codices suos continua serie sine ulla phrasium vocumque distinctione atque sine ulla interpunctione scribebant. In antiquioribus graecis Scripturarum codicibus etiam desunt accentuum spirituumque signa, atque unicum adhibetur signum, lineola sc., quae vocabula abbreviata esse monet. Hinc satis magna lectionis difficultas, neque mirum est, quod Patres interdum quum in distinguendis vocabulis tum in interpunctione inter se differant.

Speciminis gratia, ut errandi periculum facilius agnoscatur ex codice Vaticano (B.), qui saec. 4. scriptus esse dicitur, duos versus maiusculis exhibemus, addita transcriptione ordinaria (*Marc.* 1,1. 2).

ΑΡΧΗΤΟΥΕΥΑΓΓΕΛΙΟΥ	Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου
ΙΥΧΥΥΙΟΥΘΥΚΑΘΩΣΓΕ	Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ Θεοῦ. Καθὼς γέ-
ΓΡΑΠΤΑΙΕΝΤΩΗCΑΙΑΤΩ	γραπται ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ τῷ
ΠΡΟΦΗΤΗΙΔΟΥΑΠΟCΤΕΛ	προφήτῃ· Ἰδοὺ ἀποστέλ-
ΛΩΤΟΝΑΓΓΕΛΟΝΜΟΥ	λω τὸν ἄγγελόν μου
ΠΡΟΠΡΟCΩΠΟΥCΟΥΟC	πρὸ προσώπου σου, ὃς
ΚΑΤΑCΚΕΥΑCΕΙΤΗΝΟΔΟΝ	κατασκευάσει τὴν ὁδὸν
CΟΥΦΩΝΗΒΟΩΝΤΟC κτλ.	σου· φώνη βοῶντος κτλ.

Quo exemplo docemur etiam *iota subscriptum* prorsus esse neglectum, ita ut in antiquis codicibus inter αὕτη, αὐτῇ, αὐτή distinguere non possimus. S. *Chrysos-*

tomus in *Phil.* 1,1 legit συνεπισκόποις (coepiscopis) pro σὺν ἐπισκόποις (cum episcopis); SS. *Aug.* et *Hilar.* in *Marc.* 10,40 legerunt « *aliis* datum est », scilicet interpres confudit ἀλλ' οἷς (sed quibus) et ἄλλοις (aliis); Vulg. 1 *Cor.* 6,20 legit ἄρατε (*portate*) pro ἄρα τε (*igitur*) etc. — Interpunctionis signa eo sunt rariora, quo antiquiores sunt codices; quare diversissimo modo interdum interpungunt Patres. Ex. gr. in *Ioan.* 1,3 *S. Chrysost.* cum *Vulg.* legit; χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν κτλ; sed *S. Iren.* cum multis : χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ, ζωὴ ἦν κτλ; *S. Epiph.* : χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ ἐγένετο ἐν αὐτῷ. Ζωὴ ἦν κτλ. *S. Augustinus*, qui in integra phrasi interpungenda secundam sententiam sequitur, inquirit tamen, utrum legendum sit : « quod factum est, in illo vita erat », an « quod factum est in illo, vita erat ». Ut hanc incertitudinem legendique difficultatem tolleret, Origenes Vetus Testamentum ita describendum curavérat, ut singulae lineae phrasin continerent, quae uno spiritu pronuncianda erat, atque eadem *stichometrica* scribendi ratione nonnulla Novi Test. exemplaria conscripta sunt; sed quum nimium spatii ille scribendi modus absumeret, iterum serie continua scribi coeptum est ita, ut punctis textui insertis distinctio stichorum indicaretur. Ex. gr. in codice Cypr., cuius verba tamen minusculis et vocabulis separatis transcribimus (*Matth.* 2,21 sq.) : ὁ δὲ ἐγερθεὶς. παρελάβετο τὸ παιδίον. καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ. καὶ ἦλθεν εἰς γῆν Ἰσραήλ. ἀκούσας δὲ. ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας. ἀντὶ Ἡρῴδου πατρὸς αὐτοῦ. ἐφοβήθη ἐκεῖ ἀπελθεῖν. κτλ. — Inde a saec. 7. tria interpunctionis signa adhibita sunt; puncta enim aut in superiore, aut in media, aut in inferiore linea ponebantur, sed eorum significatio non eadem est in omnibus codicibus. Frequentius usurpari coepta sunt post saec. 10.; certa autem regula observata non est, donec saec. 16. hodierna interpungendi ratio libris sacris adhibita est.

3. — Ex dictis sequitur, non absolute certam esse sive vocabulorum sive phrasium distinctionem; gravissimo autem errandi periculo sese exponeret, qui eam plane arbitrariam esse ratus in coniungendis aut disiungendis vocabulis phrasibusque ingenio suo indulgere vellet.

In locis enim ambiguis rectus legendi modus orali traditione conservatus est, atque pleraque, quae postea signis variis sunt indicata, orali hac traditione ad apostolicam aetatem ascendunt. Quare antiquiores iam Patres haereticorum audaciam acriter carpunt, « qui inter legendum tono vocis pervertunt Scripturas ad proprias voluntates, et aliquorum accentuum et punctorum (στιγμῶν) mutatione illa, quae sapienter et utiliter praecepta sunt, ad suas delicias trahunt » (*Clem. Alex.* Strom. III. 4; *S. Iren.* c. haer. III. 7; *Tertull.* c. Marc. V. II etc.)

§ 6. — *Historia textus librorum Novi Testamenti.*

1. — Sacrorum Novi Test. librorum autographa post apostolicam aetatem non diu esse conservata, satis constat; statim autem ex iis quam plurima descripta sunt exemplaria. Quo saepius autem libri sacri describebantur, eo facilius menda in eos irrepere potuerunt; unde mirum non est, quod primis iam temporibus magna sit exorta lectionum varietas, quae procedente tempore ita aucta est, ut in codicibus graecis, qui hodie supersunt, vere ingens sit variarum lectionum numerus.

A nonnullis quidem ad *Tertulliani* (de Praescr. 36) aut *S. Petri Alex.* (De

pasch. fragm. 7.) testimonia provocatur, ut saec. 2. exeunte, immo 4. ineunte apostolica autographa demonstrentur superstita; at immerito id fieri, clarum est, siquidem nec S. *Irenaeus* (c. haer. V. 30), nec *Tertullianus* ipse, nec ullus alius ex antiquis testibus umquam ad autographum aliquod provocavit, ut suas Scripturarum lectiones contra haereticos defenderent. Ceterum mirum non est, quod prima exemplaria, quum in papyro essent scripta neque ipsorum Apostolorum manu exarata, mox interierint; magis enim ad opera ipsa propaganda quam ad codices, quibus continebantur, conservandos attenti erant primi Christiani. Prima autem exemplaria illa ab omnibus mendis non fuisse immunia, magna cum probabilitate ostendi potest Patrum apostolicorum allegationibus[1]; certum est, centum circiter annis post S. Ioannis mortem, haud parvum numerum variarum lectionum adfuisse, ad quas discernendas S. *Irenaeus* iam « antiqua et accurata antigrapha » appellat (c. haer. V. 30). Ineunte saec. 3. *Origenes* de « magna exemplarium diversitate » conqueritur (in Matth. tom. XV. 4), atque exeunte 4. saec. testatur S. *Hieronymus,* non meliorem sed peiorem factum esse rerum statum. Quam assertionem veram esse docent codices graeci superstites Patrumque opera; etenim ex illis saeculo praecedente iam circiter triginta millia variarum lectionum collecta erant, quibus hodie ex aliis libris postea repertis aut accuratius examinatis duplo vel triplo maior numerus addi potest. Neque tamen ideo putandum est, totum textum sacrum esse incertum; etenim si omnes illae lectiones omittuntur, quae aut aperti sunt lapsus calami aut solam orthographiam, verborum ordinem etc. spectant, vix millesima pars totius Novi Test. magis minusve incerta est, atque inter ipsas lectiones, quae sensum mutant, admodum paucae dogma aliquod attingunt.

2. — Magna illa variarum lectionum multitudo non haereticorum malitiae debetur, uti aliqui autumarunt, sed, uti recte iam monuit *Origenes,* librariorum negligentiae et emendatorum audaciae et ipsorum lectorum arbitrio.

Haud raro quidem antiqui Patres haereticos corruptae Scripturae accusant accusationemque suam exemplis confirmant, quae pleraque (sed non cuncta) rem extra dubium ponunt (cfr S. *Iren.* c. haer. I. 27; *Tertull.* c. Marc. V. passim; S. *Epiph.* haer. 42,9 sqq. etc.); Dei autem providentia invigilavit, ne corruptae lectiones in Ecclesiae exemplaria irreperent, ita ut nulla hodie inveniatur in codicibus superstitibus lectio, quae cum certitudine haereticis attribui possit. Itaque solus fons omnium variarum lectionum est modus, quo antiquitus libri propagati sunt. Praeprimis enim novorum exemplarium integritas dependebat a librariis, qui pro humana fragilitate aut *fallente oculo* literas *forma* similes permutarunt, vel syllabas, vocabula, phrasesque homoiotelcutas etc. omiserunt, aut *fallente aure* literas vocesque *sono* similes confuderunt, aut *fallente memoria* vocabulorum ordinem inverterunt, in longioribus enumerationibus membra omiserunt etc. Quibus emendatorum sciolorum audacia accessit, qui aut barbarismos soloecismosque auferre

(1) Quoniam Patres antiquiores liberiore modo Scripturas allegare solent, *certum* argumentum ex eorum citationibus non desumitur; attamen si S. *Polycarpus* (Phil. 1) in textu ex *Act.* 2,24 (λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου) cum sola latina versione contra omnes fere codices et Patres consentit, non sine fundamento asserimus, iam apostolicorum Patrum tempore locum istum vario modo esse lectum.

aut obscuriora clarius exprimere (ex. gr. *Marc.* 7,5 pro κοιναῖς scribentes ἀνίπτοις, aut *Matth.* 6,1 pro δικαιοσύνην ponentes ἐλεημοσύνην etc.) aut difficultates removere (*Matth.* 27,9 nomen Zachariae ponentes pro Ieremia, *Ioan.* 8,57 τεσσαράκοντα pro πεντήκοντα etc.) aut errores praecavere studebant (ex. gr. *Matth.* 1,18 omittentes πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς et 1,25 πρωτότοκον, et *Marc.* 13,22 οὐδὲ ὁ υἱός etc.; mutantes *Luc.* 2,33 ὁ πατὴρ αὐτοῦ in Ἰωσήφ, et 3,41 οἱ γονεῖς αὐτοῦ in Μαρίαμ καὶ Ἰωσήφ etc.). At lectores ipsi quoque ad corruptionem contulerunt in margine illa adnotantes, quae secundum locos parallelos deesse aut abundare videbantur, aut margini explicationes adscribentes etc., quae a sequentibus librariis in textum admittebantur. De locis parallelis conformatis et glossis in textum receptis iam conquestus est S. *Hieronymus* (ad Dam. Praef. in Evang.; ad Sunn. ep. 106,46).

3. — Non obstante tamen magno lectionum numero inde a saec. 4. stabilitas quaedam textus videtur esse exorta. Etenim si codices superstites simulque antiquae versiones Patrumque allegata conferuntur, tanta inter multos cernitur similitudo et affinitas, ut ad certas classes vel familias (recensiones) revocari possint; longe maior autem recentiorum codicum numerus eam constituit familiam, quae a nonnullis syriaca appellatur, quia Antiochiae exorta creditur, a plerisque byzantina, quia in regni byzantini ecclesiis inde a saec. 4. maxime erat propagata. Quot praeter eam distinguendae sint familiae, in controversia est; in eo tamen fere conveniunt viri critici, syriacae vel byzantinae familiae antiquitate et puritate praestare alias, quas alexandrinam vel aegyptiacam et occidentalem vel latinam appellant.

Ne lectionum multitudine incertus evaderet textus sacer, iam primis saeculis viri eruditi recensionem, ut hodie dicunt, quamdam adornare conati sunt, i. e. melioribus, quos habebant, codicibus inter se comparatis lectionibusque, quas optimas iudicabant, selectis editionem praepararunt, ad quam reliqua exemplaria corrigerentur. Num Origenes eiusmodi recensionem comparaverit, non liquet; certum autem est, exeunte saec. 3. *Hesychium*, episcopum aliquem aegyptiacum, et *Lucianum*, presbyterum antiochenum, qui ambo in Diocletiani persecutione martyrio coronati sunt, recensiones adornasse, quae tamen catholicis parum probabantur (cfr S. *Hier.* ad Dam. Praef. in Evang.; *Gelasii* Decr. de recip. et non recip. libr.) ideoque ad constituendum textum haud multum videntur contulisse. Quando autem pax Ecclesiae per Constantinum M. est restituta, episcopi diligentius invigilarunt, ne in transcribendis et emendandis (vel potius mutandis) libris sacris librarii et emendatores ingenio suo indulgerent, et quoniam in singulis ecclesiis iidem fere codices librariis semper inservierunt, maior textus stabilitas exoriri debuit. At Constantinus, ut novis ecclesiis a se fundatis provideret, etiam libris sacris describendis intentus per Eusebium Caes. quinquaginta integrarum Scripturarum codices magnificos transcribendos curaverat, quos ecclesiis illis dono daret (*Eus.* Vita Constant. IV. 34 sqq.). Facile autem intelligitur, illos, quum eodem tempore eiusdemque viri cura adornati sint, textum eundem vel saltem similem exhibuisse; unde non improbabile est, hinc uniformitatem illam esse exortam, quae in admodum magno numero codicum iuniorum regni byzantini tanta adest, ut omnes viri critici *byzantinam* familiam agnoscant. Quot vero praeter illam admittendae sint familiae, difficile est dictu. Primus, qui ad codicum affinitatem animum attendit, *I. A. Bengel* († 1752.) duas tantum classes fecit: asiaticam, quo nomine byzanti-

nam designavit, et africanam, cui maiorem attribuit auctoritatem. Quem secutus *I. S. Semler* († 1791.) tres statuit classes, alexandrinam, orientalem (byzantinam), occidentalem; simili fere modo eius discipulus *I. I. Griesbach* († 1812.) alexandrinam et occidentalem, quae ambae iam medio 2. saec. sint ortae, et constantinopolitanam saec. 4. exortam distinxit; cum eo fere consentit catholicus criticus *L. Hug* († 1846.), licet aliis nominibus classes designet, dum alter catholicus, *I. M. A. Scholz* († 1852.), ad duas classes, alexandrinam et byzantinam revertitur, in eo tamen ab omnibus omnino dissentit, quod byzantinam quasi immediate ab Apostolorum autographis derivet ideoque absolute praeferat. Qui secuti sunt viri critici, *C. Tischendorf* († 1874.), *I. S. Tregelles* († 1875.), *F. A. H. Scrivener*, iterum tres familias statuunt, byzantinae recentiori duas alias opponentes, alexandrinam et occidentalem; recentissimi tamen, *Westcott* et *Hort*, byzantino, quem syriacum appellant, textui opponunt antesyriacum, cuius tres recensiones agnoscunt, alexandrinam, occidentalem, neutralem, atque ultimam hanc ad genuinum Apostolorum textum proxime accedere censent. Satis magna igitur adhuc est in hac quaestione incertitudo, praesertim quum etiam de codicibus inter varias classes distribuendis non consentiant critici; illud unum pro certo teneri potest, longe maiorem codicum numerum unam familiam (byzantinam) constituere, quae, utpote recentissima, magnae auctoritatis non est.

4. — Quoniam libri sacri multoties sunt descripti, superstitum codicum magna est multitudo. Inter eos circiter centum maiusculis conscripti saeculo 10. sunt antiquiores, quatuor autem, qui saec. 4. et 5. scripti esse creduntur : Vaticanus, Sinaiticus, Alexandrinus, Ephraem rescriptus, aliis praestant. Neque tamen reliquos sive unciales sive minusculos despicere licet, quia ex antiquioribus hodie deperditis transcripti lectiones antiquas haud raro conservant.

Plus bis mille hodie cogniti sunt Novi Test. codices, sed non omnes iam examinati. Pauci tamen omnes libros continent; aliorum enim non supersunt nisi maiora minorave fragmenta, alii sola Evangelia, alii Actus cum Epistolis Catholicis, alii Paulinas aut Apocalypsin exhibent, alii solas Evangeliorum vel Epistolarum pericopas liturgicas; ex centum uncialibus unus solus (ℵ) integrum N. T. habet. Unciales literis maiusculis latinis vel graecis (A. B. C... Γ. Δ. etc., unus hebr. ℵ), minusculi numeris arabicis (1. 2. 3...) designari solent, ita tamen ut in quatuor N. T. partibus (Evang., Act. et Ep. cath., Paul., Apoc.) eadem signa recurrant et idem codex alio signo indicetur in Evang., alio in Act. etc. [1]. — Aetati codicum, qui raro editionis annum adscriptum habent, definiendae inserviunt criteria palaeographica (materia, in qua conscripti sunt, literarum forma, accentuum interpunctionisque usus, abbreviationes adhibitae etc.); quibus nixi critici ex superstitibus uncialibus duos scriptos dicunt saec. 4., decem saec. 5., viginti duos saec. 6., novem saec. 7., octo saec. 8., unum et triginta saec. 9., sex saec. 10. Inter omnes *Vaticanus* 1209 (B.) et *Sinaiticus* (ℵ) eminent; ambo saec. 4. conscripti olim integrum V. et N. T. continuerunt, sed hodie mutilati sunt; Vaticano desunt *Gen.*

(1) Ex. gr. B. est Vaticanus 1209, saec. 4. scriptus in Evang., Act., Paul., sed B. Apoc. est Vaticanus 2066 saeculi 8.; H Evang. est Hamburgensis, H Act. est Mutinensis, H Paul. est Coislinianus; codex minusculus *Regius* (Paris. 47.) designatur numero 18. in Evang., 113. in Act., 132. in Paul., 51. in Apoc. etc.

1, 1-46, 27, *Ps.* 105, 27-137, 6, uterque liber Machab., *Hebr.* 9,14 usque ad finem, 1. 2 *Tim.*, *Tit.*, *Philem.*, *Apocal.*; Sinaiticus integrum N. T. continet, cui addit S. Barnabae ep. et maiorem partem Pastoris Hermae, sed ei desunt fere omnes libri historici V. T.; quorum tamen nonnulla folia antea iam reperta sunt et titulo *Cod. Friderico Augustani* allegari solent. Vaticani textus (utpote « neutralis ») a Westcott et Hort omnibus aliis praefertur, dum Tischendorf in ultima sua editione Sinaiticum fere sequitur[2]. Duobus illis proxime accedunt *Alexandrinus* (A.) et *Ephraem rescr.* (C.), qui saeculo 5. attribuuntur. Prior utrumque Test. fere integrum continet, sed ei deest in N. T. *Matth.* 1,1-25,6 et *Ioan.* 6, 50-8, 52; alter, utpote palimpsestus, fragmenta dumtaxat maiora minorave exhibet, et V. T. quidem sapientialium, N. T. autem omnium librorum; utriusque textus in Evang. ad byzantinam recensionem prope accedit. Ex aliis nominari merentur, qui versionem latinam graeco textui addunt : *Cantabrigiensis* (D. Evang. et Paul.) et *Claromontanus* (D Act.) ambo saec. 6. cum latina versione antehieronymiana textum graecum (latino affinem) habent, quem Westcott et Hort saec. 3. et forte iam 2. in maiore Ecclesiae parte vulgatissimum fuisse censent; *Laudianus* (E Act.) graeco textui « lectionum singularitate et bonitate insigni » (Tisch.) versionem addit Vulgatae nostrae satis affinem; saec. 6. conscriptus iam a V. Beda adhibitus est; *Sangallensis* (A Evang.) et *Boerneranus* (G. Paul.) saec. 9. conscripti versionem interlinearem textui addunt. — Amplam doctrinam de omnibus N. T. codicibus graecis tradunt *Gregory* in Tischendorf Nov. Test. graec. (Lipsiae 1884. Ed. 8. III. p. 372 sqq.) et *Scrivener* A plain introduction to the criticism of the N. T. (Cambridge 1883. p. 87-306).

5. — Inventa typographia graeco Novi Test. edendo, si pauca fragmenta excipiuntur, ante a. 1514. non est adhibita; primae autem editiones (complutensis, erasmianae, stephanianae, elzevirianae etc.) ex paucis dumtaxat codicibus plerisque recentioribus haustae sunt; unde *textus receptus*, qui illis formatus est, parum purus fuit nec magnae auctoritatis, licet a Protestantibus olim velut sacrosanctus sit habitus.

Ante a. 1514. ex graeco N. T. typis descripta dumtaxat erant Cantica Zachar. et B. Virg. (Mediolani 1481; Venetiis 1486. 1496.), *Ioan.* 1, 1-14 (Venetiis 1495. Tubingae 1511.), *Ioan.* 1, 1-6, 58 (Venetiis 1495. 1504.). — A. 1514. autem *Cardin. Ximenes* in Polyglottis suis *complutensibus* impressionem integri N. T. graeci terminavit, sed opus in lucem non est editum nisi a. 1520. Eius editores prae manibus habuerunt paucos tantum codices minusculos (inter quos Act. 52) byzantinae recensionis. Interea *Des. Erasmus* a. 1516. Basileae suam primam editionem vulgavit, quam mox aliae secutae sunt; at ille quoque paucis tantum minusculis usus est (Evang. 1. et 2., Act. 4., Paul. 7., Apoc. 1.), immo quia Apocalypseos codex mutilus erat, ultimam libri partem ex latino ipse graece reddidit atque tandem in suam editionem 4. (a. 1527.) graecum eius textum ex complutensi transumsit. Erasmianus textus fundamentum est editionum, quas paucis novis codicibus collatis curavit *Rob. Stephanus* (Paris. 1546. 1549. 1550. 1551.); a quarta stephaniana omnino fere dependent *Th. Bezae* editiones (Genevae 1565. etc.), quarum *textus* velut ab omnibus *receptus* in Elzevirianas editiones transumtus est

(2) Cfr *Specimina Codicum Vatic., Sinait., Alex.* in *Append.* VII. VIII. a. b. — Ex *Vaticano* descripta sunt *Ioan.* 1, 1; ex *Sinaitico* et *Friderico Augustano* : 2 *Reg.* 7, 10. 11 et *Luc.* 24, 33, ex *Alexandrino* : *Ioan.* 1, 1-5.

(Lugduni Batav. 1624. etc.). Ex paucis igitur tantum recentioribus codicibus haustus magnae auctoritatis esse non potest, licet singula eius verba Protestantes olim dicerent inspirata Vulgataeque, a qua saepissime discrepat, eum proclamarent praeferendum.

6. — Dum hic textus receptus saec. 16. 17. 18. multis editionibus propagabatur, criticorum maxime protestanticorum cura et diligentia ex codicibus superstitibus, Patrum allegationibus, antiquis versionibus amplissimum collegit *apparatum criticum*, eumque nostro saeculo haud parum auxit. Cuius ope adornatae sunt nostro tempore vere *criticae editiones*, quae accuratiorem, licet non omni ex parte certum, textum graecum exhibent.

Apparatus critici colligendi initium iam fecerant Rob. Stephanus et Th. Beza editionibus suis nonnullas varias lectiones addentes; melius autem de eo praeter haud paucos alios meruerunt saec. 17. Anglicani *Br. Walton*, *Ioan. Fell* ac praesertim *Ioan. Mill*, qui circiter triginta millia variarum lectionum « patienti quidem studio, sed vix ullo adhibito iudicio » congessit, saec. 18. Protestantes Germaniae *I. A. Bengel*, *I. I. Wetstein*, *I. I. Griesbach*, qui primus in ipsum « textum receptum » novas quasdam lectiones recepit, nostro demum saeculo *S. P. Tregelles*, *F. H. A. Scrivener* ac praesertim *Const. Tischendorf* praedecessores suos diligentia et accuratione superantes, quibus ex Catholicis unus solus addi potest *Aug. Scholz*. Praecipuum autem et difficilius munus erat, ex amplissima variarum lectionum silva illas eligere, quibus genuinus Apostolorum textus restitueretur. Primus, qui textu recepto prorsus relicto ex solis antiquissimis codicibus (B. A. C.), ex Origenis operibus, adhibitis simul graeco-latinis (D. Evang., E. Act. D. G. Paul.) Italaeque manuscriptis, eum textum restituere conatus est, qui saec. 4. in Ecclesia vulgatissimus erat, fuit *C. Lachmann* (N. T. graece et latine. Berolini 1842.-1850.). Maiorem testium numerum adhibuit, sed similia principia secutus est *S. P. Tregelles* (The Greek N. T. edited from ancient autorities. London 1857.-1879.). Varias editiones curavit *Const. Tischendorf*, in ultima autem eam librorum sacrorum rationem, quae 2. saec. vel maxime in usu erat, restituere sibi proposuit; quem in finem « Sinaiticum, Vaticanum, similesque graecos alios paucos, consensione plerumque nonnullorum interpretum veterrimorum, imprimis latinorum, auctos, passim etiam Patrum testimonio, tantum non solos adhibendos » censuit (Novum Test. graece ad antiquissimos testes recensuit etc. *Ed. 8. critica maior*. Lipsiae 1869.-1872.). Sinaiticum codicem maxime secutus est Tischendorf, Vaticanum praetulerunt *Westcott-Hort* in sua textus restitutione, quae optimis procul dubio adnumeranda est (*Westcott* et *Hort* The N. T. in the original Greek. London 1881.-1882.). Adnotandum tamen est, omnes hos editores in sua crisi interdum legitimos fines excedere, quum aliquas pericopas (*Marc.* 16, 9-20; *Ioan.* 5,4; 7, 53-8, 12; Luc. 22,43. 44) ex sacro textu exscindant, quae pro canonicis omnino admitti debent, et interdum interpunctione sua traditam interpretationem evertant. — Ex minoribus editionibus, quae utpote ab ecclesiastica auctoritate approbatae, catholicis alumnis usui esse possunt, *Patavinae* (Patav. 1820. etc.) et *Venetianae* (Venetiis 1847. etc.) exhibent antiquum textum receptum; textum a. 1842. a Tischendorf ad Vulgatam, quantum fieri ex testibus potuit, accommodatum exhibent editiones *Parisiae* a. I. M. Iager vulgatae (Parisiis 1847.-1851. etc.); complutensem repetiit *P. A. Gratz* (Tubingae 1821. Moguntiae 1827.

1851.); Lachmannianam editionem sequitur *F. X. Reithmayr* (Monaci 1847. Ratisbonae 1851.); vaticanum codicem unicum fere ducem habet *V. Loch* (Ratisbonae 1862.) etc.

§ 7. — *De graeci Novi Test. auctoritate.*

1. — Graecus Novi Test. textus iure merito habetur authenticus revelationis fons, ex quo integra, quam Deus per Apostolos scripto Ecclesiae dare voluit, fidei morumque doctrina sine ullo erroris periculo hauritur, et ad quem semper recurrendum est, quotiescumque de versionum textu legitime dubitatur.

Ex iis, quae supra de textus graeci historia diximus, satis elucet, eum primitivo Apostolorum textui plane conformem dici non posse; suis enim naevis mendisque, uti alii omnes sacri textus, scatet, at errarunt, qui eum « nonnullis in locis (studiose) corruptum atque mutatum debita authentia et puritate carere » asseruerunt (*Bonfrer.* Praeloq. c. 14; *Canus* de Loc. theolog. II. 12. 13; *Goldhagen* Introd. I. p. 287). Haereticos quidem textum sacrum adulterare conatos esse, testantur Patres, at eorum codices in Ecclesia auctoritatem numquam obtinuisse certum est. Quomodo enim divina providentia permisisset, ut illi fontes polluerentur, ex quibus veritatem haurire debuit Ecclesia? Constans enim est latinorum Patrum sententia, Novi Testamenti fidem « graeci sermonis auctoritatem desiderare » atque hoc « quod in latino sermone discordet et in diversos rivulorum tramites ducat, uno de fonte quaerendum esse » (*S. Hier.* ad Lucin. ep. 71,5; ad Dam. Praef. in Evang.); « quum diversum aliquid in utrisque (graecis et latinis) codicibus inveniatur et utrumque verum esse non possit, ei linguae potius esse credendum, unde in aliam facta sit translatio » (*S. Aug.* de Civ. Dei XV. 13); « si quis de latinorum codicum varietate contendat, quorum aliquos perfidi falsarunt, graecos inspiciendos esse codices » (*S. Ambros.* de Spir. S. II. 5); « ubi aliqua verba in latino reperiantur absurde posita, ad graecum pandecten debere recurri » (*Cassiod.* de Instit. div. lit. 15) etc. Ac profecto, uti saec. 4. S. Hieronymus iussus a S. Damaso latinum Novum Test. « graecae reddidit auctoritati », ita saec. 16., quando de Vulgatae emendatione agebatur, Pius IV. praeter antiquissimos codices latinos et Patrum commentarios iussit « hebraicos graecosque fontes » adhiberi.

2. — Cui sententiae frustra opponuntur Patrum testimonia quaedam, quippe quae de solis haereticorum codicibus in Ecclesiam numquam receptis loquantur, aut magna variantium lectionum farrago, quum in graecis codicibus maior non sit quam in aliis, aut textus quidam a Vulgata dissentientes, quippe quibus dogma nullum laedatur.

Celso textum Evangeliorum corruptum esse asserenti iam respondit *Origenes :* « Equidem non novi alios, qui Evangelii textum mutaverint, nisi Marcionis, Valentini, fortasse et Lucani sectatores » (c. Cels. II. 27); Helvidium autem codices ab Ecclesia adhibitos pro corruptis repudiantem increpat *S. Hieronymus :* « Stultissime persuasisti tibi, graecos codices esse falsatos » (c. Helvid. 16). Iam vero prae oculis probe habeatur oportet, praecipuos codices graecos superstites (B. ℵ A. C. etc.) ad ipsam Patrum aetatem auream ascendere, quando corrupti codices

certe non adhibebantur, etenim duo ex illis Hieronymo sunt antiquiores, alii duo eius fere tempore sunt conscripti[1].

Procul dubio innumerae fere sunt variae lectiones, quae a viris criticis sunt congestae, sed uti iam monuimus, minima earum pars sensum mutat atque ex illis ipsis paucae tantum doctrinam aliquam attingunt; at idem obtinet in Vulgatae aliarumque versionum codicibus, neque tamen ideo prudens ipsam Vulgatam aut alias versiones genuinos revelationis fontes esse negabit. Attendatur enim, non singulos codices a nobis dici authenticos revelationis fontes, sed illum graecum textum, qui secundum sanae criticae praecepta ex graecis codicibus superstitibus colligitur[2].

Non diffitemur quidem, unum alterumve locum reperiri, in quo revera genuinus textus graecus, prout ex codicibus graecis constituatur oportet, a Vulgata dissentiet, maxime 1 *Cor.* 15,15 et 1 *Ioan.* 5,7; at de prioris textus genuina lectione ne illi ipsi quidem theologi certum iudicium ferre audent, qui aliis in locis Vulgatae auctoritatem graeco textui praeferunt, alterius autem versus omissione substantia Scripturae non attingitur, quum dogma illud, quod latini theologi recentiores ex eo deducunt, Patres antiqui graeci et latini, quibus omnibus versus ille ignotus erat, aliis multis locis graeci textus clarius et efficacius demonstraverint.

Ceterum bene teneamus oportet, Apostolos *graece,* non latine, scripsisse nec ulla versione primigenium textum perfecte reddi. Ut genuinam Apostolorum sententiam perciperent, maximi Patres latini, Augustinus et Hieronymus, graecorum vocabulorum, quibus usi erant sacri scriptores, vim et potestatem perpenderunt, exemploque suo, quid nobis faciendum sit, clarissime docent.

(1) Cfr ex. gr. Goldhagen Introd. I. p. 294. « Graecorum ingenia ignoret necesse est, qui eos nihil in graecos codices ausos fuisse autumat. Fuit Graecia ab omni memoria haeresum sectarumque ferax, quo periit malo; et Irenaeus, Basilius, Eusebius, Theodoretus aliique vitiatas ab haereticis divinas Scripturas luculenter testantur. Sed ex tantis corruptionibus tantaque licentia contaminandi Scripturas, annon versimillimum est, plures errores ac vitia in graecos codices ad nostram usque aetatem manasse? Inutilis est disceptatio, ubi factum loquitur ».

(2) Quare illi ipsi, qui graecum textum corruptum esse lectionibus demonstrare voluerunt, quae a Vulgata nostra dissentiant, fere singulis suis obiectionibus addere coguntur, alios adesse codices manuscriptos, qui cum Vulgata consonent. Porro obiectiones illae omnes erronee supponunt, Vulgatam nostram ab omnibus omnino mendis esse immunem; qua de quaestione quid sentiendum sit, infra § 18. inquiremus.

SECTIO ALTERA.

De Utriusque Testamenti versionibus antiquis.

CAPUT III.

DE VERSIONIBUS GRAECIS VETERIS TESTAMENTI.

§ 8. — *De alexandrinae versionis origine et indole.*

1. — Inter V. T. versiones, quae primitivo textui cognoscendo et restituendo inserviunt, antiquitate et auctoritate eminet illa, quae a loco qui creditur originis *alexandrina*, a numero qui traditur interpretum *septuagintaviralis*, LXX (ἡ τῶν ἑβδομήκοντα, οἱ ὁ) appellatur.

Sacrorum librorum versiones, quis eo tempore, quo exortae sunt, textus sacer fuerit et quomodo tunc sit intellectus, ita nos docent, ut et antiquis codicibus et antiquis commentariis sint aequiparandae. Quoniam autem eorum auctoritas tota a tempore dependet, quo sunt adornatae, a scientia et diligentia, qua munere suo functi sunt interpretes, a fidelitate, qua nobis sunt transmissae, earum *originem, indolem, historiam* investigemus oportet. Ex omnibus autem V. T. interpretationibus sola alexandrina ante Domini Nostri adventum facta est, ideoque ab illa inchoamus hunc tractatum.

2. — *De origine versionis alexandrinae* haec videntur statuenda. Instigante Demetrio Phalereo, Ptolemaeus II. Philadelphus sub initiis regni sui (286. a. Chr.) per Iudaeos nonnullos Alexandriae Pentateuchum graece vertendum curavit, atque insequente tempore reliqui quoque libri in Aegypto translati sunt; integram protocanonicorum versionem circa a. 130. a. Chr. terminatam esse, certum est; probabilius autem iam exeunte saec. 3. translatio fuit absoluta.

Exstat epistola quaedam nomine Aristeae, praefecti militum Ptolemaei Philadelphi, inscripta, quae haec refert: Philadelphum, quum hortante Demetrio Phalereo libros mosaicos in bibliothecam Alexandriae a se fundatam inferre voluisset, sollemni legatione multisque donis eos ab Eleazaro, summo pontifice ierosolymitano, expetiisse una cum nonnullis interpretibus, qui eos graeee redderent; Eleazarum regis mandato obsecutum septuaginta duos viros misisse, qui in insula Pharo inter se conferentes opus brevi tempore absolvissent; versionem terminatam ab omnibus Iudaeis alexandrinis esse approbatam. Quam narrationem *Philo* et *Fl. Iosephus* pro vera receperunt; *S. Iustinus M.* autem, quocum consentiunt multi Patres, narrat, septuaginta senes in totidem cellis separatis singulos inte-

gram legem transtulisse eorumque versiones ad apicem inter se consensisse (Apol. I. 31; cfr *S. Iren.* c. haer. III. 21; *Clem. Al.* Strom. I. 22: *S. Cyr. Ier.* Cat. 4,34 etc.). Attamen hanc cellularum historiam *S. Augustinus* iam velut certam non tradit (Doctr. Christ. II. 15; Civ. Dei XVIII. 43, et *S. Hieronymus* acerbe explodit (Praef. in Pent.); hodie autem etiam Aristeae epistolam omnes velut spuriam reiiciunt, idque meritissimo, quia auctor, qui se ethnicum et Graecum fingit, in tota epistola pium Iudaeum se fuisse prodit. Nihilominus non integra ideo narratio reiicienda est; tantam enim rerum aegyptiacarum, quae saec. 2. a. Chr. fuerunt, scientiam ostendit auctor, ut eum circa idem tempus in Aegypto vixisse sit certum; fieri autem non potuit, ut Iudaeus Alexandriae inter suos contribules scribens prorsus novam et inauditam narrationem de versionis, quae in omnium manibus erat, origine proponeret. Illa potius narrasse censendus est, quae 2. et 3. saec. Iudaei alexandrini omnes admiserunt, sed illa, uti ab apocryphorum scriptoribus fieri solet, miris fictionibus exornavit. Praeterea aliud testimonium, quod in narrationis substantia cum Ps. Aristeae epistola consentit nobis conservatum est; *Aristobulus* enim, philosophus iudaicus et magister Ptolemaei VII. Philometoris (181.-146. a. Chr.), in sua « interpretatione sacrarum legum » asserit, « regis Philadelphi tempore integram eorum, quae ad Iudaeorum legem pertinent, interpretationem, praecipue Demetrii Phalerei negotium moderantis opera, esse elaboratam » (*Euseb.* Praep. evang. XIII. 12). Itaque illis, quae Ps. Aristeas ornatus causa videtur addidisse, omissis pro certo teneri potest, iussu Philadelphi Pentateuchum Alexandriae circa a. 286. a. Chr. graece esse translatum. Dubium vero remanet, num interpretes fuerint septuaginta duo an pauciores numero, num ex Palaestina accersiti, an ex Iudaeis alexandrinis electi.

Patres antiquioresque interpretes plerique integrum Vetus Test. eodem tempore translatum esse putarunt; at recte monuit *S. Hieronymus*, ipsum « Aristeam et Iosephum et totam Iudaeorum scholam Moysis tantum libros a Septuaginta translatos asserere » (in Ezech. 6,13; 16.13 etc.) atque tantam esse in diversis libris interpretationis diversitatem [1], ut diversi eorum statuendi sint translatores (Prol. in Ezech.). Quando autem et qua occasione et a quibus reliqui libri translati sint, ignoramus. Circa a. 130. a. Chr., quo tempore Siracides in Aegypto avi sui librum graece vertit, omnium librorum protocanonicorum versio in communem usum iam abierat; nam ut suam versionem forte minus accuratam excuset, ad « Legis, Prophetarum et reliquorum librorum » minus exactam versionem provocat (*Eccli.* Prol.). Quod si quis eam iam ante finem saec. 3. terminatam asserit, assertioni nihil validi opponi potest, quia iunioris originis vestigia desunt.

3. — *Idioma* versionis idem fere est, quod librorum Novi Test. (§ 4), frequentioribus tamen scatet hebraismis. Satis magna autem est inter singulos libros diversitas, sive graecae linguae *puritas* sive translationis *fidelitas* et cum textu primigenio *conformitas* consideratur. Servili potius

(1) Revera eadem vocabula, quae frequentissimi sunt usus, in diversis libris diversimode redduntur; ex. g. פְּלִשְׁתִּים in *Pent.* et *Ios.* Φυλιστιείμ, aliis in libris ἀλλόφυλλοι, כָּכָה in *Paralip.* φασέκ, aliis in libris πάσχα, אֲנֹכִי in *Iudic.* et *Reg.* ἐγώ εἰμι, et si verbum finitum sequatur : 2 *Reg.* 11,5 ἐγώ εἰμι ἐν γαστρὶ ἔχω, 15,28 ἐγώ εἰμι στρατεύομαι, 18,12 ἐγώ εἰμι ἱστημί etc., quem usum alii libri prorsus ignorant; etc.

quam libero interpretandi genere omnes usi sunt, at religioni eis non fuit vocabulis propriis euphemismos substituere, anthropomorphismos auferre, verbula quaedam explicationis gratia inserere etc.

Omnibus in libris, id quod facile intelligitur, constructiones hebraicae abundant; in nonnullis autem versio tantopere hebraizat, ut textu hebraico non adhibito vix intelligatur. Puritate linguae et fidelitate reliquos libros superat Pentateuchus (Cf. *S. Hier.* Quaest. in Gen. Praef.), infimum locum tenet Ecclesiastes, cuius interpres vocabulis hebraicis dumtaxat substituit graeca retentis particulis, quae utpote casu graeco aut constructione iam expressae necessario erant omittendae [1]. Librorum historicorum, utpote faciliorum, versio propius ad Pentateuchum accedit; longius Ezechiele excepto ab eodem recedunt prophetici, inter quos Isaias graecus graeco Ecclesiastae interdum similis est; Danielis liber autem tam parum fideliter translatus erat, ut Ecclesia eum in usu retinere noluerit versione Theodotionis (§ 9,3) adoptata. Inter poeticos libros excellit Proverbiorum translatio, qua longe inferior est graecus Iob, in quo multa, forte quia ab interprete non intelligebantur, sunt omissa. — *S. Hieronymus* (ad Pammach. ep. 57, 6. 7) interpretes alexandrinos laudat, quia non literas syllabasque aucupati sint sed sententias dogmatum, atque quadam cum libertate libros sacros graece reddiderint. Attamen licet non omnes eadem cum servilitate, qua Ecclesiastae interpres usus est, vocabulis syllabisque inhaeserint, omnium librorum versio verbalis potius quam libera dicenda est; unde fit, ut ex illa textus hebraicus, qui translatus est, maxima cum veri similitudine fere ubique cognoscatur. In eo tamen libertate aliqua usi sunt, quod diligenter ea removerent, quae male intellecta scandalo alicui esse potuerunt : hinc explicatur troporum et anthropomorphismorum mutatio, euphemismorum etc. usus, quibus interpretationis fidelitas non laeditur [2].

4. — Quum non obstante magna fidelitate, qua interpretes cuncti munere suo functi sunt, quam plurimae inter textum massorethicum et graecum sint differentiae, eaeque interdum graves, rite concluditur, eos textum hebraicum a massorethico discrepantem secutos esse. Uter autem textus praeferri mereatur, in genere definiri non potest, sed singulis in libris singulisque in locis discrepantiae reliquis versionibus in auxilium adhibitis ponderandae et secundum regulas criticas diiudicandae sunt.

Differentiarum nec eadem est multitudo nec eadem gravitas in omnibus libris, at nullus est, in quo frequentes non sint. Omissa Danielis versione alexandrina, quam repudiavit Ecclesia, Ieremias graecus prae ceteris a massorethico textu dissentit

(1) Ex. gr. *Eccle.* 2,17 καὶ ἐμίσησα σὺν (אֶת) τὴν ζωήν cfr 3,11. 17; 4,5 etc.; 7,27 καὶ εὑρίσκω αὐτὴν πικρότερον ὑπὲρ θάνατον σὺν τὴν γυναῖκα ἥτις ἐστὶ θηρεύματα καὶ σαγῆναι καρδία αὐτῆς κτλ. Nonnullae phrases, sicuti 2,2 et similes, non adhibito textu hebraico intelligi nequeunt.

(2) Anthropomorphismi ablati ex. gr : *Exod.* 15,3 יְהוָה אִישׁ מִלְחָמָה Κύριος συντρίβων πολέμους (S. Hier. : Dominus *quasi* [!] vir pugnator); 19,3 Moyses ascendit אל אלהים εἰς τὸ ὄρος τοῦ Θεοῦ; 21,6 servus adducatur אל אלהים πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ etc. Ios. 2,4 יד יהוה ἡ δύναμις τοῦ Κυρίου etc. *Is.* 38,11 non videbo יְהּ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ etc. etc. — Troporum mutatione aliquoties clariora redduntur vaticinia ex. gr. *Num.* 24,17 etc.

quum vaticiniorum ordine tum multorum versuum vocabulorumque omissione; etiam in libro Iob multa desiderari diximus; in libris Regum autem graeca versio haud pauca addit etc. Olim vix non omnes et hodie aliqui Protestantes hebraicum textum absolute praeferendum existimarunt interpretumque graecorum negligentiae, ignorantiae, arbitrio omnes discrepantias attribuerunt aut versionem ex corrupto exemplari hebraico adornatam dixerunt. Altera ex parte non defuerunt inter Catholicos, qui de textu massorethico iniquius sentientes alexandrinam versionem pluris, quam aequum est, aestimarent. At cum plerisque modernis catholicis et protestanticis interpretibus media via teneatur oportet, ut utriusque textus lectionibus accurate perpensis illae eligantur, quae maiore argumentorum pondere praevalent.

§ 9. — *De reliquis versionibus graecis Veteris Testamenti.*

1. — Priusquam alexandrinae versionis historia enarretur, de aliis versionibus graecis agendum est, quae saeculo 2. p. Chr. exortae ad eius textum corrumpendum non parum contulerunt.

Alexandrina versio, quamprimum in lucem prodiit, maximo cum plausu ab omnibus Iudaeis accepta est, ita ut a palaestinensibus quoque adhiberetur; eam velut ducem suum fere semper sequitur Fl. Iosephus, presbyter ierosolymitanus. Attamen quando Christiani, qui alexandrinos libros ab Apostolis acceperant et plerique ob linguae ignorantiam hebraicis uti non poterant, in suis disputationibus ad eos appellarunt ex eisque adventum Messiae demonstrarunt, Iudaei ad angustias redacti fidelitatem versionis in dubium vocare, eius testimonia repudiare, novas versiones sibi comparare coeperunt, quibus Christianorum argumenta everterent. Haec praecipua videtur fuisse causa novarum versionum, quae saec. 2. p. Chr. exortae paucis fragmentis exceptis perierunt, sed vestigia sua in alexandrinae versionis textu reliquerunt.

2. — Primus tempore inter novos interpretes fuit AQUILAS, Ponticus, ut videtur, natione neque genere sed professione Iudaeus, qui Hadriani (117.-138.) aetate vixit. In nova sua versione, quam Iudaei adoptaverunt, eum hebraicae lectioni serviliter inhaesisse neque verba tantum sed etymologias quoque verborum neglectis graecae linguae praeceptis reddere esse conatum, Origenes et S. Hieronymus testantur et fragmenta superstita confirmant. Egregius igitur est lectionum hebraicarum, quas prae oculis habuit, testis.

Secundum S. *Epiphanium* (de Pond. et mens. 14. 15) Aquilas (Ἀκύλας) Synopae in Ponto natus, Hadriani soceri filius ex ethnico se fecit Christianum, ex Christiano Iudaeum; Ponticum et proselytum Iudaeum eum etiam appellant S. *Irenaeus* (c. haer. III. 25), *Eusebius* (Dem. evang. VII. 1), S. *Hieronymus* (de Vir. ill. 54), sed de frequentiore religionis mutatione silent. Cum S. Epiphanio (l. c.) consentiunt plerique Patres, Aquilam ex odio Christianorum, ut iis arma eriperet, « quosdam Scripturarum textus depravasse » atque praesertim vaticinia messianica obscurasse. Attamen Origenes et Hieronymus, qui soli versionem eius cum textu hebraico comparare potuerunt, « diligentem et curiosum interpretem », qui « studiosius interpretatus sit verbum ad verbum » (*S. Hier.* ad Dam. ep. 36,12,

in Or. 3,17 etc.) et « maxime proprie omnia interpretari studuerit (ὁ κυριώτατα ἑρμηνεύειν φιλοτιμούμενος Ἀκύλας. *Orig.* In Gen. III. 1) eum appellant; atque S. Hieronymus, licet eum semel vel bis carpat, quod iudaico spiritu nonnulla transtulerit, frequentissime eum et in commentariis suis et in adornanda Vulgata secutus est. Revera praecipuae Patrum vituperationes exortae sunt ex servili vertendi genere, quod Aquilas tenuit, qui « κακοζήλως et syllabas interpretatus est et literas et ipsas etymologias verborum, pro frumento et vino et oleo ponens χεῦμα, ὁπωρισμόν, στιλπνότητα, ac si latine diceretur *fusio*, *pomatio*, *splendentia* » (cfr *S. Hier.* ad Pamm. ep. 57,11). Hinc pro χριστός adhibuit ἠλειμμένος (Ps. 2,2), pro θεὸς δυνατός, quia אל semper etymologice ἰσχυρός vertit, ἰσχυρὸς δυνατός (*Is.* 9,6), et similia, quae Patres carpunt (sed etiam *Is.* 7,14 posuit ἡ νεᾶνις pro ἡ παρθένος). Ceterum servilitas ista, qua particulas hebraicas (σὺν τὸν οὐρανόν *Gen.* 1, 1), numerum substantivorum (ἐννακόσια ἔτος καὶ τριάκοντα ἔτος *Gen.* 5,5) retinuit aut hebraica vocabula graecis literis tantum transcripsit (אֵלוֹן, *quercus*, αὐλών *Deut.* 11, 30; מוֹם, μῶμος, *macula*; תְּרָפִים, θεραπεία etc.), egregio adiumento est, ut quis fuerit eius textus hebraicus cognoscatur. Eius, uti aliorum interpretum graecorum, fragmenta collegerunt *Montfaucon* (Origenis Hexaplorum, quae supersunt etc. Paris. 1713.; iterum edita in Migne Patrolog. gr. tom. 15. 16.) et melius *F. Field* (Origenis Hexapla. Oxonii 1875.).

3. — Alter graecus interpres est Theodotio, qui versus finem saec. 2. versionem suam adornavit, in qua alexandrinam ita secutus est, ut quae in illa aut minus recte expressa aut omissa videbantur, ex primigenio textu corrigeret vel suppleret. Libri Danielis versio, qua hodie utitur ecclesia graeca, ei debetur.

De Theodotionis vita nihil certi est traditum; inter Patres alii eum Iudaeum, alii Ebionitam fuisse dicunt. Ante S. Irenaei aetatem (cfr c. haer. III. 21) probabiliter Commodi (180.-193.) tempore (*S. Epiph.* de pond. 17.) versionem suam edidit. Quem in illa prosecutus sit finem, Patres non definiunt; quia autem alexandrinam versionem proxime sequitur, rarius eum carpunt (excepto *Is.* 7, 14); Origenes textum alexandrinum ex eius translatione supplevit et Ecclesia eius librum Danielis adoptavit. Frequentius, quam reliqui, vocabula hebraica etiam ea, quorum translatio facilis est, graecis tantum literis transcripsit; quare *indocti* interpretis nomen ei inurit Montfaucon (Praelim. ad Hexapl. 7, 3).

4. — Theodotione paullo recentior est Symmachus, cuius versio, quum non « verborum κακοζηλίαν, sed intelligentiae ordinem sequi soleat », a S. Hieronymo et Eusebio frequenter laudatur; at perspicuitati nimis studens nimiam sibi libertatem videtur sumsisse.

Symmachum a Samaritanis ad Iudaeos transiisse scribit *S. Epiphanius* (de Pond. 16), sed eum Ebionitam fuisse, asserunt *Eusebius* (H. E. VI. 17) et *S. Hieronymus* (de Vir. ill. 54). Severi (193.-211.) aetate eum scripsisse (cfr *S. Epiph.* l. c.) probabile est, quia S. Irenaeus eius versionem nondum adhibuit, eam autem adhibuerunt, qui proxime secuti sunt, Patres. Sua translatione « ceteris manifestius » (*S. Hier.* in Hab. 2, 11; in Is. 1, 1), « clarius », « mirabiliter », « valde mirabiliter » (*Euseb.* In Psalm. passim) sensum expressisse dicitur, at nimia eum libertate usum esse, fragmenta superstita docent, quum non tantum nomina pro-

pria interdum transtulerit (*Gen.* 3, 20 חַוָּה, *Eva*; Sym. Ζωογόνος), sed etiam frequentibus paraphrasibus utatur (*Gen.* 18, 25; *Exod.* 15, 11 etc.), quibus interdum genuinus sensus laeditur (*Gen.* 1, 27 « creavit Deus hominem ad imaginem suam », *Sym.* : καὶ ἔκτισεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον ἐν εἰκόνι διαφόρῳ· ὄρθιον ὁ θεὸς ἔκτισεν αὐτόν), anthropomorphismos troposque auferat etc. S. Hieronymus, qui eum in sua translatione frequenter sequitur, tamen eum accusat, quod subdola interpretatione mysteria Christi celaverit et iudaice transtulerit (Praef. in Iob; In Hab. 3, 13); at in fragmentis superstitibus (praeter *Is.* 7, 14) accusationis huius non invenitur fundamentum.

5. — Praeterea versiones aliae tres aliquorum saltem librorum fuerunt, quae, quoniam auctores ignorabantur, ab ordine, quem in Hexaplis obtinuerunt, *Quinta, Sexta, Septima* nominantur.

Quinta, quam in doliis absconditam Origenes Nicopoli ad Actium (*Eus.*, *S. Hier.*) vel Ierichunte (*S. Epiph.*) reperisse dicitur, praeter prophetas minores et 4 Regum librum continuit quatuor poeticos libros (Psalm., Iob, Prov., Cantic.); satis liberam nec literae adstrictam eam fuisse, censet *Field* secundum fragmenta superstita. — *Sextam* quoque in doliis latentem Origenes Nicopoli (*S. Epiph.*) vel Ierichunte (*Eus.*) invenisse asseritur; lectiones eius ad prophetas minores, Psalmos, Canticum, atque una alterave ad Exod., 3 Reg. et l. Iob. inveniuntur Eam aeque ac reliquas a Iudaeis adornatam dicit S. Hieronymus, sed ex Hab. 3, 13 (ubi vertit : Egressus es, ut salvares populum tuum per Iesum Christum tuum ») auctorem fuisse Christianum apparet. — *Septima* iuxta S. Hieronymum « maxime libris, qui apud Hebraeos versu compositi sunt », erat addita; de eius indole autem nihil statui potest, quum paucissima et minutissima eius fragmenta supersint.

§ 10. — *Historia textus versionis alexandrinae.*

1. — Quoniam alexandrina exemplaria multis mendis arbitrariisque correctionibus foedata erant atque Iudaei versionem illam, quippe quae aut abundaret aut deficeret, in testimonium a Christianis adhiberi posse negabant, Origenes magnum opus excogitavit, in quo varias versiones graecas cum ipso textu hebraico ita composuit, ut unico quasi intuitu, quid in singulis exemplaribus legeretur, conspici posset. A columnarum, quibus textus erant dispositi, numero opus nomen HEXAPLORUM sortitum est.

Primis fidei temporibus, quando tot novis exortis ecclesiis graeca versio innumeris fere vicibus transcripta est, mirum non est, quod multa in eam irrepserint menda. Attamen frequentes quoque hebraismi et barbarismi, qui eam deturparunt, ethnicos ad fidem recenter adductos videntur turbasse; quare eos auferre conabantur, sed correctionibus suis, in quibus ad primigenium textum non attendebant, effecerunt, ut singuli codices et inter se differrent et longius, quam antea, ab hebraica lectione recederent. Eo facilius igitur Iudaei testimonia ex illis desumta repudiare poterant, nec ulla patebat Christianis via, qua adversariorum exceptiones inanes esse demonstrarent. Cui malo ut mederetur, Origenes *Hexapla* sua

edidit; sex enim columnis disposuit textum hebraicum, graecam eius transcriptionem, versiones Aquilae, Symmachi, Alexandrinorum, Theodotionis; in nonnullis deinde libris tres reliquas aut unam duasve ex eis adiecit, unde pro numero columnarum opus etiam *Heptapla, Octapla, Enneapla* interdum est appellatum. Praeterea operis huius edidit compendium, in quo quatuor graecas versiones solas quatuor columnis disposuit (*Tetrapla*). Cfr columnarum dispositionem in *Append.* IX.

2. — Quibus non contentus Origenes alexandrinum textum etiam emendare est conatus obelo praenotans ea, quae in hebraeo non legebantur, et asterisco praemisso ex Theodotionis versione illa supplens, quae in alexandrina videbantur deficere. Ita formatus est *textus hexaplaris*, quem multae ecclesiae adoptarunt.

Eo praecipum tendebat Origenis studium, ut textum traditum, quantum eius fieri potuit, non mutatum relinqueret; quare ea sola, « quae ob codicum inter se dissonantiam dubia erant, ex reliquis versionibus diiudicavit, retentis illis (lectionibus), quae cum istis consenserunt ». Quae autem abundare videbantur, non abstulit, sed obelo tantum praenotavit, neque sine cautione, sed asterisco addito, ea inseruit, quae hebraicus textus plura exhibuit (cfr *Orig.* In Matth. XV. 4). De *asteriscorum* (※) et *obelorum* (+ vel ÷ vel ∾) forma et usu fuse, sed parum clare agit S. Epiph. (de Pond. 2. 3); finem additorum vel superfluorum indicavit *metobelus* (: vel ⁄. vel ⊥). Exemplum huius textus hexaplaris sit *Ios.* 6,7. 8 : καὶ εἶπεν ※ αὐτοῖς λέγων· παραγγείλατε ⊥ τῷ λαῷ περιελθεῖν καὶ κυκλῶσαι τὴν πόλιν· καὶ οἱ μάχιμοι παραπορευέσθωσαν ⊤ ἐνωπλισμένοι ⊥ ἐναντίον ※ κιβωτοῦ ⊥ κυρίου ※ καὶ ἐγένετο ὡς εἶπεν Ἰησοῦς πρὸς τὸν λαὸν ⊥, καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς ἔχοντες ἑπτὰ σάλπιγγας ἱερὰς ⊤ παρελθέτωσαν ὡσαύτως ⊥ ἐναντίον τοῦ κυρίου παραπορευέσθωσαν κτλ. — Ob nimiam suam molem Hexapla nunquam sunt transcripta atque Origenis exemplar, quod Caesareensi in bibliotheca erat depositum, saec. 7. periit. At illa columna, quae textum alexandrinum obelis asteriscisque distinctum continebat, S. Pamphili M. et Eusebii Caes. curis toties est descripta, ut palaestinenses ecclesiae omnes codicibus hexaplaribus uterentur. Hodie integrum eius exemplar non amplius superest; nonnulla autem sunt conservata quum in graecis nonnullis codicibus, tum maxime in versione syriaca textus hexaplaris (infra § 12. VI. p. 98).

3. — Origenis hexaplis alexandrini textus incertitudo non est sublata, sed confusio aucta; quapropter exeunte saec. 3. Lucianus M. et Hesychius M. novis curis versionem ex textu hebraico emendare conati sunt. Tres igitur diversae olim adfuerunt alexandrinae versionis recensiones, a quibus omnes codices superstites dependent.

S. *Hieronymus* (ad Sunn. et Fret. ep. 106,22) iam monuit « librariorum negligentia virgulis et asteriscis subtractis distinctionem universam esse confusam » atque primitivum textum alexandrinum multis aliarum versionum laciniis esse foedatum. Ideo *Lucianus*, presbyter antiochenus, Scripturas alexandrinas « omnes *ex hebraica lingua*, quam optime callebat, *renovavit* maximo labore in illam *emendationem* collato » (*Sim. Metaphr.* Mens. Ian. 7.); atque eodem tempore *Hesychius M.* in Aegypto similem editionem curavit. Unde factum est, ut saec. 4. et 5. « Alexandria et Aegyptus in Septuaginta suis *Hesychium* laudaret auctorem, Constantinopolis usque Antiochiam *Luciani M.* exemplaria probaret, mediae

inter has provinciae *palaestinos* codices legerent, quos ab Origine elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverant, totusque orbis (graecus) hac inter se trifaria varietate compugnaret » (*S. Hier.* Praef. 1. in Paral.). Quoniam ab eo tempore Graeci textum suum novis criticis curis non retractarunt, a tribus his recensionibus dependent omnes codices superstites, licet nullus unam ex eis puram conservasse videatur. — Quadringenti circiter codices hodie cogniti sunt, sed vix decem totum Vetus Test. continent; quinquaginta unciales saeculo 10. sunt antiquiores, inter quos iidem illi quatuor eminent, qui praecipui sunt Novi Test. testes (§ 6. 4); antiquitate tamen eos superat fragmentum papyraceum aliquos Psalmos continens, quod forte ipso saec. 3. est antiquius.

4. — Saec. 16. typis describi coepta est versio, atque quatuor sunt editiones praecipuae, a quibus modernae omnes derivantur, *complutensis, aldina, sixtina* s. vaticana, *grabiana.*

Postquam saec. 15. Psalterium graecum iam ter (Mediolani 1481. etc.) typis descriptum erat, Card. Ximenez primus integram versionem a. 1517. edidit in *Complutensibus* Polyglottis ex duobus codicibus minusculis (*Holm.* 108. 248), qui textum hebraico valde vicinum exhibuerunt; repetitus est idem textus in Polygl. antwerp. et parisiens. et in nonnullis editionibus hispan. saec. 16. et ineuntis saec. 17. — *Aldinum* textum (Venetiis 1518.) priori haud multum dissimilem ex duobus minusculis venetis (*Holm.* 29. 122.) haustum transumserunt pleraeque editiones germanicae saec. 16. et 17. — At a. 1587. prodiit illa editio, quae hodie adhuc primatum tenet; *Sixtina* vocatur, quia Sixti V. auctoritate in lucem est emissa, *vaticana,* quia accurate sequitur celeberrimum codicem vaticanum (B.) eoque deficiente alterum uncialem minoris quidem auctoritatis sed satis bonum. Sixtinum textum receperunt pleraeque editiones recentiores et recentissimae (inter quas L. van Ess Lipsiae 1834. et 1887., I. N. Iager Parisiis 1839., Oxoniensis 1848., Tischendorf Lipsiae 1850. Ed. 6. 1880., Val. Loch Ratisbonae 1860. 1887. etc.). — Uti vaticanum Sixtus V., ita *I. E. Grabe alexandrinum* (A.) codicem reddidit non paucis aliis lectionibus arbitrario quodam modo insertis (Oxonii 1707.); quare non multi hunc textum repetierunt, inter recentissimos Fr. Field (Oxonii 1859.).

5. — Inter editiones sixtina quidem eminet, sed ex uno fere codice, licet optimo, hausta genuinum textum accurate exhibere non potuit. Ad quem restituendum a variis *apparatus criticus* ex codicibus, versionibus, Patrum allegationibus colligi coeptus est; atque eo tendunt hodie virorum criticorum labores, ut tres antiquas recensiones (hexaplarem, lucianeam, hesychianam) exacte distinguant; quibus cognitis sperare licet fore, ut ad illam perveniatur, quae Aquilae versione antiquior ad textum ab Apostolis adhibitum proxime accedit.

Uti Sixtinae et Grabianae, ita plerisque iunioribus editionibus varietas quaedam lectionum addita est; plenior autem apparatus criticus exeunte saec. 18. comparatus est a *R. Holmes* et *I. Parsons* (V. T. graece cum variis lect. ed. Rob. Holmes. I. Oxonii 1798.-1806.; II.-V. ed. I. Parsons. 1810.-1827.), qui trecentos fere codices, inter quos quindecim unciales, hunc in finem perlustrarunt. Sed quoniam collatio manuscriptorum parum diligenter est instituta, magna illa lectionum farrago parum est utilis; qui vero ex illa sixtinam editionem emendare voluerunt,

non satis perpenderunt, tres olim adfuisse alexandrinae versionis recensiones, quae prius sunt restituendae, quam ad genuinum textum ab Apostolis adhibitum perveniri possit. Hanc igitur novam et meliorem viam ultimis his annis elegerunt viri critici, sed solus hucusque *P. de Lagarde* Lucianeum textum restituere conatus est (Librorum V. T. canonicorum pars prior graece. Goettingae 1883), sed praematura morte alteram partem praeparare prohibitus est. Nuper *H. Barclay Swete* codicem B potissimum secutus bonam adornavit editionem manualem cum variis lectionibus antiquissimorum codicum (3 voll. Cambridge 1887.-94. Ed. 2. 1899.).

§ 11. — *De alexandrinae versionis auctoritate.*

1. — Olim versio alexandrina tanti habebatur, ut *inspirata* crederetur; quae sententia nullo probabili argumento fulta ab omnibus merito hodie negatur.

Tribus potissimum argumentis hanc sententiam confirmare voluerunt nonnulli interpretes saec. 16. et 17. Praeprimis enim ad miraculosum consensum septuaginta interpretum appellarunt, qui singuli singulis in cellulis inclusi eundem sensum iisdem plane verbis expressissent, ut ne apice quidem eorum versiones inter se dissentirent. At de miraculoso hoc consensu antiquissimi testes (Ps. Aristeas, Aristobulus, Fl. Iosephus) non loquuntur, atque S. Hieronymus « cellulas vulgo sine auctore iactari » monet (Praef. 1. in Paral.) totamque illam narrationem ridet, « nescio, inquiens, qui primus auctor septuaginta cellulas mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint, quum Aristeas, Ptolemaei ὑπερασπιστής et multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. *Aliud est enim vatem esse, aliud interpretem* » (Praef. in Pent.). Praeterea Philadelphi tempore solum Pentateuchum translatum esse, iam diximus; omni igitur fundamento caret primum argumentum.

Secundum desumitur ex Patrum testimoniis, qui plerique inspirationem versionis admiserunt. At Patres aliud argumentum non afferunt praeter fictitiam illam de cellulis narrationem; porro animadverte, de *consensu* Patrum in hac quaestione non posse esse sermonem. Neque enim solus S. *Hieronymus* inspirationem disertissime negat, sed etiam *S. Augustinus* de ea saltem dubitat (ad S. Hier. ep. 38,2; Doctr. christ. II. 15) et de ea dubitaverunt alii Patres, qui ad alexandrinae versionis auctoritatem stabiliendam alia argumenta adhibuerunt, id quod non fecissent, si de eius inspiratione ex apostolica traditione constitisset; cfr S. *Hilar.* In Ps. 2,3), *S. Chrys* (In Matth. hom. 5,2) etc., qui antiquitatem versionis et interpretum numerum scientiamque urgent.

Tertium demum argumentum praebent allegationes Apostolorum, qui illis quoque in locis, in quibus Septuaginta ab hebraico textu (et a nostra Vulgata) dissentiunt, eos sequi non dubitant. At allegationes hae magnam quidem versionis auctoritatem demonstrant, sed non eius inspirationem. Omnibus illis in locis, in quibus non apparens, sed vera, discrepantia textum hebraicum inter et alexandrinum deprehenditur, sine ulla haesitatione eum solum genuinum et inspiratum dicimus, quem Apostoli receperunt, sive graecus est sive hebraicus. Si graecus esset, hebraicum eo in loco corruptum esse fateremur, sed utrumque inspiratum esse aut Septuaginta pro corrupto genuinum ex inspiratione restituisse negaremus; id enim non asserendum, sed probandum est. Concludamus igitur cum S. Hic-

ronymo (l. c.) « aliud est vatem esse, aliud interpretem; ibi Spiritus ventura praedicit, hic eruditio et copia verborum ea, quae intelligit, transfert... Illi interpretati sunt ante Christi adventum, et quod nesciebant dubiis protulerunt sententiis ».

2. — Nihilominus omnino concedendum est, singulari quadam providentia Deum invigilasse, ne prima illa Scripturarum versio, quae nascenti maxime et adolescenti Ecclesiae destinata erat, in rebus fidei et morum pernicioso errore foedaretur aut in iis, quae ad operis substantiam pertinent, a primigenio textu inspirato deficeret. Quare merito asseritur, alexandrinam versionem esse authenticum revelationis Veteris Test. instrumentum, i. e. eam textus primigenii sensum tam fideliter et olim retulisse et hodie adhuc referre, ut de substantiali eius cum autographis inspiratis conformitate dubitari non possit.

Quin alexandrina versio primis fidei temporibus et tota Patrum aetate (usque ad 6. saec. saltem) authentica fuerit, nemo dubitat, qui considerat, Apostolos hanc versionem ecclesiis extra Palaestinam fundatis tradidisse atque omnes ecclesias in toto orbe dispersas (syriaca excepta) illam solam aut alias versiones ex illa derivatas adhibuisse. Inde a saec. 6. latina quidem ecclesia S. Hieronymi novam interpretationem adhibere coepit, at ideo approbatio, quam continuo suo et universali usu Ecclesia alexandrinis Scripturis dederat, non est infirmata, nedum retractata. Permittentibus enim Summis Pontificibus aliae ecclesiae omnes pristinis suis editionibus uti non cessarunt nec cessant; tacita igitur Ecclesiae approbatio permanet nec deest expressa. Etenim quando Sixtus V. suam vaticanam editionem vulgavit, brevibus literis praemissis statuit ac sanxit, « ut Vetus graecum Testamentum iuxta Septuaginta ita recognitum et expolitum *ab omnibus recipiatur et retineatur*, quo potissimum ad latinae Vulgatae et veterum sanctorum Patrum intelligentiam uterentur, *prohibens ne quis de hac nova graeca editione audeat in posterum vel addendo vel demendo quidquam immutare* ». Demum attende, hodiernas editiones alexandrinae versionis ex codicibus haustas esse, qui 4. vel 5. saec. scripti sunt, i. e. eo tempore, quo omnibus patentibus versio illa fuit authentica, nec diligentissimo examine substantialem ullam differentiam inter eas interque codices ab Apostolis Patribusque antiquis adhibitos deprehendi. — Variarum lectionum autem multitudo, quae in codicibus habentur, authentiae non obstat, siquidem Patrum aetate eandem iam adfuisse, historia textus adumbrata satis docet

§ 12. — *De versionibus ex alexandrina derivatis.*

1. — Primis fidei saeculis ex alexandrina multae novae exortae sunt versiones, de quarum origine et indole nonnulla sunt tradenda, ut quid ad genuinum Scripturarum textum restituendum conferre possint, accuratius definiatur.

Quam primum inter gentes, quae linguam graecam ignorabant, Evangelium propagari coeptum est, novae Scripturarum versiones redditae sunt necessariae, quibus (excepta syriaca) cunctis alexandrina fuit mater, quum sola extra Palaestinam esset cognita. Ita saec. 1. vel 2. *latina*, saec. 2. vel 3. *aegyptiacae* (copticae), saec. 4. *gothica* et *aethiopica*, saec. 5. *armeniaca*, saec. 6. vel 8. *georgiana*, saec. 7. *syriaca hexaplaris*, saec. 9. *slavonica* et *arabicae* quaedam

recentiores prodierunt, quae immediate nobis testantur, quis iis temporibus fuerit alexandrinus textus, mediate autem nos ad textus primigenii cognitionem ducunt ideoque in re critica non parvae sunt utilitatis. Eodem autem tempore quo Vetus Test. ex alexandrino textu, eaedem ecclesiae Novum ex primigenio textu graeco verterunt; quare hoc loco ea, quae de mediatis Veteris et de immediatis Novi Test. versionibus scitu necessaria vel utilia sunt, coniungemus

I. Vetus latina s. Itala.

2. — De *veteris latinae versionis origine* tam pauca sunt tradita, ut ne id quidem sit exploratum, num primis saeculis plures an una tantum versio exstiterit et quae earum vel eius sit patria. Recte autem tenetur, unam saec. 2. esse adornatam, cuius postea plures factae sunt recensiones, eamque non Romae, ubi duobus primis saeculis non fuit necessaria, sed in Africa septemtrionali esse exortam, cuius dialectum proprietates dictionis, quae in multis superstitibus eius fragmentis deprehenduntur, omnino produnt.

S. Augustinus « primis fidei temporibus » originem latinae versionis adscribit (Doctr. christ. II. 11), quam exeunte saec. 2. in communem usum iam abiisse et omnes Veteris et Novi Test. libros ea aetate in Occidente receptos continuisse, opera *Tertulliani* abunde testantur. Attamen *S. Augustinus* etiam non semel loquitur de « latinorum interpretum infinita varietate », de « interpretum numerositate »; « qui enim Scripturas, inquit, ex hebraea lingua in graecam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari »; monet quoque « in ipsis (latinis) interpretationibus *italam* ceteris esse praeferendam, quippe quae verborum tenacior sit cum perspicuitate sententiae » (Doctr. christ. II. 11. 14. 15). Quibus S. Augustini verbis non pauci moderni interpretes adducti sunt, ut multas latinas versiones antiquitus exstitisse teneant sententiamque suam similibus quibusdam *Tertulliani* (c. Marc. II. 9; V. 4) et *S. Hilarii* (In Ps. 54, 1) verbis atque maxime multis allatis textibus confirmant, qui in Patrum operibus antiquisque codicibus conservati ita inter se differunt, ut ex diversis versionibus desumti esse videantur. Sed his argumentis res non definitur. Profecto S. Augustinus asserere noluit, integrarum Scripturarum versiones latinas infinito numero exstitisse, sed idem docet, quod satis clare etiam insinuat *S. Hieronymus* (ad Dam. Praef. in Evang.), omnes sibi ius arrogasse versionis iuxta graecum textum emendandae atque ita comparasse multas recensiones unius eiusdemque versionis, inter quas deinde eam praetulit, quam, quia forte in Italia facta fuit, *italam* vocavit.

Primam autem versionem ipsam non Romae aut in Italia prodiisse, probabilior tenet sententia. Graecae enim fuerunt origines ecclesiae romanae et per integra duo saltem saecula lingua graeca erat lingua publica et liturgica Christianorum romanorum. Graece S. Paulus suam epistolam et S. Marcus suum Evangelium Romanis scripserunt; graeca lingua usi sunt saec. 1. et 2. omnes scriptores ecclesiastici romani, SS. Clemens Romanus, Hermas, Modestus, Caius, Hippolytus; graece medio saec. 2. S. Polycarpus invitatus a S. Aniceto liturgiam celebravit et praedicavit Romae. Romae igitur aliisque in Italiae urbibus necessaria non fuit versio latina; neque enim in privatum plebis usum antiquae versiones sunt editae,

sed omnes liturgico et publico ecclesiarum usui inservierunt; ad quem solum igitur attentio est dirigenda, quando de versionis necessitate quaeritur. In Africa proconsulari autem, in qua ipsis eruditis lingua graeca fuit ignota, latina autem in civitatibus pervulgata, liturgia, statim atque ecclesiae fundatae sunt, latine celebrari debuit ideoque etiam latina versio Scripturarum adornari. Ibi igitur iure merito quaerimus originem latinae versionis, unde Ecclesia etiam primos suos latinos scriptores accepit, Minucium Felicem, Tertullianum, S. Cyprianum. Ac profecto ex eorundem operibus apparet, sermonem latinum, quo Afri utebantur, rusticiorem fuisse; eandem autem omnino rusticitatem produnt vocabula vulgaria barbaraeque formae, quibus fragmenta antiquae versionis latinae scatent. Porro rusticum hunc sermonem non omnibus placuisse, facile concipitur, ac proin mirum non est, quod multi sibi ius versionis emendandae arrogaverint; multo minus autem mirum, quod Itali, quando saec. 3. Romae liturgiae graecae latina successit, africanum illum colorem auferre purioremque recensionem comparare voluerint, quae a loco originis *itala* appellata est.

3. — *De antiquae latinae versionis indole* iudicium ferre, admodum est difficile, quia nec pura nec integra est conservata.

Medio saec. 4. tanta latinorum codicum corruptio et varietas invaluerat, ut eam diutius tolerare nolens S. Damasus S. Hieronymum textum latinum emendare iuberet. Qui statim Romae opus aggressus Psalterium « iuxta Septuaginta, licet cursim, magna tamen ex parte correxit » (Praef. in Psalt.) atque eodem a. 383. Evangelia « graecorum codicum collatione emendavit, ita calamum temperans, ut his tantum, quae sensum videbantur mutare, correctis reliqua manere pateretur, ut fuerunt » (Praef. in Evang.); reliquos quoque N. T. libros « graecae fidei reddidit » « latinorum codicum vitiositate ad graecam originem revocata » (ad Lucin. ep. 71,5; ad August. ep. 112,20 etc.). Post S. Damasi mortem S. Doctor a. 384. in Orientem reversus Caesareae Psalterium iteratis curis sed iuxta hexaplarem textum accuratius emendavit atque ad eundem textum ll. Iob, Prov., Eccle., Cant. (Praef. 1,2. in Iob), Paralip. (Praef. 2 in Par.) ac probabiliter etiam reliquos libros reduxit (ad Lucin. ep. 71,5 etc.). Post quos labores novam protocanonicorum librorum versionem ex textu hebraico adornavit, quae inde a saec. 6. in communem usum recepta effecit, ut vetus neglecta periret iis fere solis exceptis, quae aut in Vulgatam nostram transierunt aut in antiquiorum Patrum operibus allegata sunt. In Vulgata autem ex vetere versione hodie conservantur Novum Test. (Romae emendatum a S. Hieronymo), Psalterium (Caesareae correctum ex textu hexaplari), libri deuterocanonici (exceptis Tobia et Iudith partibusque deuterocanonicis II. Esth. et Dan.). Quae in Patrum operibus et aliis codicibus conservata sunt, praecedente saeculo praeter alios diligentissime collegit *P. Sabatier* (Bibliorum latinae versiones antiquae scil. vetus itala, etc. Remis 1739.-1749.). Hoc nostro saeculo haud pauca alia sunt reperta separatimque edita, at nec completam nec puram veteris versionis editionem possidemus.

4. — Ex superstitibus tamen fragmentis satis patet, linguam quidem in omnibus libris fuisse rusticam illam et plebeiam, qua provinciales utebantur, dicendi autem genus non plane idem esse, ita ut variis interpretibus versionem deberi certum sit; sed quoniam propter multiplices correctiones primitiva librorum forma latet, de interpretum numero singulorumque librorum indole nihil certi definiri potest.

Satis magnam esse differentiam inter versionis veteris linguam interque eam, qua romani scriptores saec. 2. usi sunt, illae partes, quae in Vulgatam nostram sunt receptae, clare demonstrant. A grammaticis hae proprietates dialecti versionis istius adnotantur : *a.*) Vocabula pleniora amat, inter quae substantiva terminata in *mentum*, *men*, *monium*, *arium*, *culum*, *ura* etc. (ex. gr. *aeramentum*, *adiumentum*, *vitulamen*, *gaudimonium*, *cellarium*, *cinctorium*, *offendiculum*, *capillatura* etc.), adiectiva terminata in *bilis*, *alis*, *osus*, *anus*, *arius* etc. adverbiaque in *im* vel *iter* (ex. gr. *acceptabilis*, *incorruptibilis*, *aeternalis*, *caliginosus*, *hortulanus*, *stabularius* etc., *commixtim*, *particulatim*, *infirmiter* etc.), verba a substantivis vel adiectivis vel adverbiis derivata (ex. gr. *aeruginare*, *dulcorare*, *baiulare*, *pessimare*, *manicare* etc.); pleraque ex his vocabulis scriptoribus argenteae (nedum aureae) aetatis erant inusitata. *b.*) Genera, declinationes, coniugationes confunduntur (*cubilis* masc., *ficulnea* fem., *castellus* masc., *retia* fem., *lampada* nom. fem., *fructi* gen., *spirito* abl., *accubitos* acc. pl.; *fodire*, *fugire*, *odire* etc.). Deponentia quoque frequentissime sensu passivo usurpantur. *c.*) Praepositiones aliquae (praesertim *in*) sine certa regula cum accus. aut ablat. coniunguntur, aut illis verbis adduntur, quorum relatio solo casu exprimi solet (*misereor super aliquem* vel *de aliquo*, *ulciscor contra aliquem* vel *de aliquo* etc.). *d.*) Pro participio inservit gerundivum (*pertransiit benefaciendo*), quod etiam subiectum et obiectum admittit, ac si esset verbum finitum (*in convertendo Dominus captivitatem Sion*); verba declarandi etc. fere semper coniunguntur cum *quod*, *quoniam*, *quia*, quae sine certa regula indicativum aut coniunctivum post se trahunt, etc. etc. (cfr *Kaulen* Handbuch zur Vulgata., Mainz 1870. ac praesertim *Roensch* Itala und Vulgata. Marburg 1869.). Praeterea latinus interpres, quum graecum suum textum accurate reddere studeret, non tantum multa vocabula graeca retinuit (agonia, agonizare, aporia, aporiari, bravium etc.), sed etiam nova vocabula ad graecum modum composuit (*longanimitas*, μακροθυμία; pusillanimitas, ὀλιγοψυχία; multiloquium, πολυλογία; vaniloquium, ματαιολογία etc.) atque ipsas graecas constructiones conservavit (Spiritus [τὸ πνεῦμα] Domini replevit orbem terrarum et *hoc quod continet* [τὸ σύνεχον] omnia etc.; *quae sunt* Spiritus... spiritualiter *examinatur* [τὰ τοῦ πνεύματος... ἀνακρίνεται]; fortiora *horum* [ἰσχυρότερα τούτων] etc. etc.).

Licet autem eiusmodi proprietates in omnibus libris inveniantur atque satis indicent, eodem circiter tempore et eadem in regione eos esse translatos, dicendi tamen genere differunt singuli et alii aliis videntur melius esse translati; Ecclesiasticus ex. gr. et l. Sapientiae praestant Psalmis, Evangelia Epistolis; sed certi vix quidquam hac de re statui potest, quoniam incertissimus est textus ipse propter multiplices, quas expertus est, recentiores retractationes.

Illud unum tamen addamus oportet, duplicem illum characterem, propter quem S. Augustinus *italam* praeferendam duxit (Doctr. christ. II. 15), quod « verborum nimirum sit tenacior cum perspicuitate sententiae », haud paucis confirmari vocabulorum phrasiumque translationibus : ex. gr. ἐξουθενεῖν, *annullare* vel *nullificare*; ἀποσφράγισμα, *resignaculum* (quam quidem interpretationem κακοζήλως factam dicit S. Hieron.); ἀντιτάσσεσθαι, *contrasistere*; ἐκπορνεύειν, *exfornicari*; παρεισέρχεσθαι, *subintroire*, et hac ratione in multis verbis compositis.

II. Aegyptiacae s. copticae.

5. — Tres cognitae sunt Scripturarum versiones aegyptiacae s. copticae

tribus linguae illius dialectis conscriptae. Ex quibus duae, *memphitica*, qua inferioris Aegypti Christiani utebantur, et *sahidica* in superiore terra adhibita, ante medium saec. 3., et forte iam exeunte saec. 2. sunt exortae; de *bashmuricae*, cuius pauca fragmenta sunt conservata, origine nihil certi statui potest.

Quamprimum ex inferioris Aegypti urbibus et oppidis, in quibus inde ab Alexandri M. tempore lingua graeca erat vulgaris, Evangelium inter indigenas Aegyptios propagari coeptum est, cum nova liturgia nova versio reddita est necessaria; indigenae enim maiorum suorum linguam retinuerant graecaeque semper aditum in templa sua cultumque religiosum negaverant. Prisca Aegypti lingua hodie satis est cognita; antiquam eius formam exhibent monumenta hieroglyphica et pleraque hieratica; iuniorem quamdam formam, quae inde a saec. 7. invaluit, praebent documenta demotica, recentissimam demum libri christiani, in quibus etiam antiquis scribendi generibus (hieratico et demotico, quae immediate ex hieroglyphis derivata erant) relictis graecum alphabetum adoptatum est sex septemve novis additis characteribus ad sonos linguae aegyptiacae proprios exprimendos. Recentissima haec linguae forma, quae in oppositione ad antiquiores vulgo appellatur *coptica*, tribus distinguebatur dialectis; in inferiore terra adhibebatur *memphitica* (s. bachirica), in superiore *sahidica* (s. thebaica), in media, ut videtur, et oasibus occidentalibus *bashmurica* (s. fajjumica); omnes Londini 1836. 1852.). *Sahidicae* versionis fragmenta tantum edita sunt a Tuckio, Mingarellio, Zoëga, de Lagarde; uti etiam bashmuricae pauca ab Engelbreth et Quatremère. *Novi Testamenti memphitici* integram editionem curavit *R. Wilkins* (Oxonii 1716.), criticam inchoavit *M. G. Schwartze* (Evangelia. Lipsiae 1846.), parum accurate terminavit *P. Boetticher* (Acta et Epistolae. Halae 1852.). Maiorem partem *Sahidici Novi Testamenti* exhibet « Appendix ad editionem N. T. ex cod. alex. a C. G. Woid descripti » (Oxonii 1799.); praeterea minora sahidica et bashmurica fragmenta edita sunt a variis.

III. Aethiopica.

7. — Uti ipsa ecclesiae in Abessinia fundatio, ita etiam initia versionis Scripturarum aethiopicae, qua ecclesia illa semper est usa, primae parti saeculi 4. recte attribuuntur; terminata autem versio non esse videtur nisi saec. 5.

In illam interioris Africae partem, quae hodie Abessinia (Habesch) appellatur, tum temporis autem regnum auxumiticum constituit, ineunte saec. 4. duo iuvenes tyrii, Frumentius et Aedesius, Evangelium attulerunt. S. Frumentius a S. Athanasio M. primus illius ecclesiae nascentis episcopus renuntiatus, quum lingua graeca neophytis prorsus ignota sacram liturgiam celebrare non posset, ex variis dialectis, quae in regno auxumitico vulgares erant, eam elegit, quae nobilior habebatur; *Geez* (liberam) eam appellant indigenae, nos eam aethiopicam appellare solemus; ad familiam semiticam pertinet arabicae linguae vicina; in usu quotidiano hodie non amplius est, sed soli liturgiae inservit. Liturgia autem lectiones scripturisticas postulat, quare a priore iam statui potest, eodem tempore, quo liturgiam, etiam Scripturas aethiopice verti coeptas esse. Revera Abessini versionis suae auctores dicunt Abba Salama, quo nomine S. Frumentium designant, « no-

tur, transcripserunt. Quoniam in sahidica versione fere eadem, quae in memphitica, habetur vocabulorum graecorum frequentia, quamvis in superiore Aegypto graeca lingua numquam fuerit vulgaris, dubitatum est, annon sahidica versio sit memphiticae recensio quaedam dialecto superioris terrae accommodata. Iure merito autem duas versiones inter se dependere negamus, quoniam non tantum multis in locis diversum textum graecum supponunt, sed eundem quoque textum tam diversimode reddunt, ut interdum per multos versus vix in uno alterove vocabulo consonent. Hinc apparet magna auctoritas versionum copticarum; duo enim testes inter se non dependentes eum textum nobis exhibent, qui exeunte saec. 2. aut saltem ineunte saec. 3. in Aegypto propagatus erat, antequam versio alexandrina hexaplis Origenis et Novum Testamentum lectionibus antiochenis aut byzantinis corrumpi potuit; atque hunc textum fidelius, quam reliqui fere omnes interpretes reddideruut, quia etiam articulum ubique exprimunt particulasque graecas plerasque retinent.

Procul igitur dubio primitivae copticae editiones imagines fideles fuerunt graeci textus exeuntis saec. 2.; eo magis igitur dolendum, quod hucusque editiones non prodierint, quibus ad illum prototypum restituendum uti possimus. *Veteris Testamenti* nulla est completa editio; *memphiticae* versionis libri aliqui sunt editi atque meliores editiones sunt Pentateuchi (*P. de Lagarde.* Gottingae 1867.), Psalterii (*R. Tukii.* Romae 1744.; et *P. de Lagarde.* Gottingae 1875.), libri Iob (*H. Tattam.* Londoni 1846.), Minorum et Maiorum Prophetarum (*H. Tattam.* ita erant excultae, ut libris scribendis inservirent. Duabus aliis versionibus paullo antiquior a plerisque creditur memphitica, quia ex inferioris Aegypti oppidis inter vicinos indigenas Evangelium proxime sit propagatum. Medio saec. 3. memphiticam omnium librorum sacrorum translationem non tantum adfuisse, sed inter indigenas iam valde propagatam fuisse, integra docet S. Antonii vita a S. Athanasio M. conscripta, ita ut non immerito concludamus, eam exeunte saec. 2. iam esse exortam. Eodem autem fere tempore, quo S. Antonius in inferiore maxime et media Aegypto degens et linguae graecae prorsus ignarus discipulis suis « aegyptiaca lingua dixit, Scripturas sacras ad docendum sufficere » (Vita c. 16), in superiore Aegypto S. Pachomius indigenas ad vitam monasticam instituit, neque tamen quemquam in monasterium admisit; qui non antea aliquos Psalmos addidicisset, nec quemquam in eo retinuit, « qui non de Scripturis aliquid teneret, *ad minimum* Novum Testamentum et Psalterium » (*S. Hier.* Regulae S. Pachom. 49. 139. 140); sahidicam igitur versionem etiam paullo post medium saec. 3. in usum communem Christianorum superioris Aegypti receptam esse, certum est, nec quidquam obstat, quominus illam quoque iam exeunte saec. 2. ortam dicamus.

6. — Utrumque Testamentum ex graeco textu in memphiticam et sahidicam dialectos esse translatum, quum temporis locique, quibus versiones factae sunt, ratio docet tum earum indoles confirmat; ex eadem autem etiam elucet, magna cum sollicitudine et diligentia interpretes munere suo esse functos, ita ut duae versiones illae egregia sint adiumenta ad cognoscendum textum graecum, qui illa aetate in Aegypto adhibebatur.

Quam plurimas voces ac particulas graecas atque eas ipsas, quae sese immediate excipiunt καί γε, καί τοι, ἵνα μήπως, ὅμως μέντοι, ὅτι μὲν γάρ etc.) retinuerunt interpretes hebraicaque nomina propria eo modo, quo in alexandrina versione legun-

vemque Sanctos » i. e. monachos quosdam aegyptios, qui saec. 5. in Abessiniam advenientes monastica vita propagata ecclesiam aethiopicam confirmarunt.

8. — Utrumque Test. ex graeco diligenter est translatum; at primitiva versio a iunioribus saepius retractata atque ita corrupta est, ut hodiernus textus aethiopicus non magnae sit auctoritatis.

Tota aethiopicarum Scripturarum indoles graecam originem prodit; sensus enim graecus ubique exprimitur, graecus ordo graecaeque inscriptiones Psalmorum conservatae sunt, voces graecae difficiliores aliquoties retentae sunt, eadem vocabula hebraica, quae alexandrina versio exhibet, in aethiopica quoque leguntur (*Gen.* 22,13; 4 *Reg.* 12,7; *Iudic.* 5,16); in Novo Test. aliqui errores leguntur, qui ex male lecto textu graeco sunt derivandi (*Matth.* 4,13 confunditur ἐν ὁρίοις et ἐν ὄρεσιν, 1 *Cor.* 12,8 οὓς et οὖς etc.). Neque omnes libros eidem interpreti deberi, docent diversae eorumdem vocabulorum interpretationes, atque nonnullae voces alio modo in V., alio in N. T. redduntur. In genere textum graecum accurate transtulerunt interpretes haud raro ipsam vocabulorum ordinem retinentes. Sed primitivus textus ad nos non pervenit; in codicibus enim, qui omnes tam recentes sunt, ut paucissimi saeculo 15. credantur anteriores, multae et gravissimae inveniuntur differentiae; quare duae vel tres textus aethiopici recensiones admittendae esse videntur, ad quas adornandas forte etiam codices coptici et syriaci sunt adhibiti. Itaque utilitas critica versionis magna non est.

Psalterium et Canticum Cant. iam typis descripta sunt Romae 1513. et Coloniae 1518. a *Ioan. Potken* Coloniensi; a. 1548. totum Nov. Test. Romae prodiit, pauci Vet. T. libri Lugduni Bat. 1660. Parum accurate « Nov. Test. ad codicum fidem » edidit *Th. P. Platt* (Londini 1826.-1830.); criticam totius Vet. T. editionem inchoavit *Dillmann* (Octateuchus. Lipsiae 1853. Quatuor ll. Regum 1871.).

IV. Gothica.

9. — Gothis episcopus eorum arianus *Ulphilas* completam U. T. versionem ex graeco adornavit textu constantinopolitano accurate expresso. Hodie huius versionis pauca tantum et minuta Veteris, multa et magna Novi Test. fragmenta supersunt.

Gothorum pars iam saec. 3. fidem accepit; in Conc. Nicaeno I. enim cum aliis orthodoxo fidei symbolo subscripsit « Theophilus Gothorum episcopus ». At brevi post ad arianismum defecerunt, quum ab Hunnis e sedibus suis pulsi et inter byzantini regni fines recepti ariano imperatori Valenti se gratos praestare vellent. Eo tempore munere episcopali apud eos fungebatur Ulphilas (s. Gulfilas s. Urfilas), de cuius vita varii scriptores varia quidem tradunt, quem tamen arianismi promotorem et novae versionis gothicae auctorem omnes dicunt. Versio eius etiam a catholicis Gothis est recepta atque ab integra gente adhibita, quamdiu in diversis suis sedibus floruit; sed cum Gothorum gente etiam disparuit et versionis illius et ipsius linguae gothicae memoria, adeo ut saec. 17., quum codex argenteus, qui praecipua Evangeliorum gothicorum fragmenta continet, prima vice ederetur, disceptatum sit, quanam lingua sint conscripta; quae controversia novis repertis documentis, de quorum gothica origine non potuit dubitari, mox est composita. Codex argen-

teus saec. 5. vel 6. stichometrice conscriptus longe maiorem exhibet Evangeliorum partem; codices quidam mediolanenses hoc saeculo reperti magna fragmenta omnium epistolarum S. Pauli (excepta ep. ad Hebr.) et paucos versus Psalm. et II. Esdrae complectuntur, quae omnia collecta sunt a *H. C. de Gabelentz* (Lipsiae 1843.), *H. F. Massmann* (Stuttgart 1853.), *F. L. Stamm* (Ed. 6. Paderbornae 1874.). In paucis Veteris Test. fragmentis consonantia quaedam deprehenditur cum graeco textu complutensi; in Novo versio interdum ad latinam prope accedit; ad eam tamen correcta immerito a nonnullis dicitur. Arianismi unum solum deprehenditur vestigium non plane certum (*Phil.* 2,6 ἴσα redditur *galeiks*, quo vocabulo aliis in locis ὅμοιος exprimitur).

V. Armeniaca et georgica.

10. — Armeni medio circiter saec. 5. Scripturarum versionem acceperunt puram et fidelem; in Vet. Test. interpretes textum hexaplarem Origenis videntur adhibuisse, in Novo autem textum, qui iunioribus lectionibus byzantinis nondum erat vitiatus.

Armeni exeunte saec. 3. vel ineunte saec. 4. per S. Gregorium Illuminatorem ad fidem evangelicam iam conversi, primitus liturgia syriaca Scripturisque syriacis usi sunt, usque dum Isaac M. (390.-440.) sedem patriarchalem ascendit. Qui primum quidem cum S. Mesrob graeca opera liturgica armeniace vertit, deinde Scripturas ex syriaco codice transferre coepit. Interea a. 431. codicem graecum Scripturarum accepit, atque relictis illis, quae ex syriaco iam verterant, Isaac et Mesrob novam translationem ex graeco inchoarunt, quam eorum discipuli, qui Athenis et Alexandriae studiis graecis vacaverant, ad felicem finem adduxerunt. Inter classica linguae armeniacae opera versio haec ob linguae puritatem et elegantiam primum locum occupat; pulchritudini autem fidelitas translationis respondet, quum ipsum verborum ordinem, quantum per linguae suae regulas licuit, interpretes retinerent. Ad syriacos codices versionem emendatam esse, asserit Barhebraeus; rectius autem alii vestigia textus syriaci ex eo derivant, quod Isaac et Mesrob ea, quae ex syriaco transtulerant, non plane reiecerint. Prima editio typis descripta (Amstelodami 1666.), quia Vulgatae accommodata erat, nec catholicis nec schismaticis armenis probatur; merito criticae Mechitaristarum editiones (Venetiis 1805. 1856.) praeferuntur. Ex quibus apparet, versionem haud raro cum codice alexandrino (A.) consentire; sed ex hexaplari textu eam esse factam, docent signa diacritica Origenis, quae in nonnullis antiquioribus codicibus armenis inveniuntur, hebraicus vaticiniorum Ieremiae ordo, lectiones quaedam, quae cum massorethico textu contra alexandrinum consentiunt.

11. — Georgiani (Grusiani), qui saec. 4. a vicinis Armenis ad fidem adducti dicuntur, propria sua lingua liturgiam et Scripturarum versionem possident, quae tamen hucusque parum est cognita.

Num saec. 6. an 8., num ex armeniaco an ex graeco exemplari libros suos liturgicos et sacros Georgiani transtulerint, nondum satis est exploratum. Scripturarum editiones georgicae, quae Moscoviae a. 1743. et deinceps typis sunt descriptae, ad fidem modernorum bibliorum russiacorum sunt emendatae ac proin nullius auctoritatis.

VI. Syriacae.

12. — Antiqua sua versione Veteris Test. ex textu primigenio adornata (infra § 14) non contenti Syri novas quasdam ex textu alexandrino sibi compararunt. Inter quas eminet illa, quae ineunte saec. 7. tam fideliter, immo serviliter, ex editione hexaplari est reddita, ut ei restituendae optime inserviat (*Syrohexaplaris*).

Ex Barhebraei testimonio (Horr. myst. Praef.) et codicum subscriptionibus constat, Paulum Monophysitarum episcopum Telensem a. 617. et 618. versionem hanc Alexandriae adornasse. Haud raro neglectis linguae suae praeceptis interpres exemplar graecum tam serviliter est secutus, ut graecis vocabulis syriaca dumtaxat substituisse videatur; in usitatioribus quoque vocabulis graecis reddendis semper eadem syriaca per totam versionem adhibuit, attamen graecae linguae apprime peritus etiam leves graecarum significationum diversitates exprimere studuit. Quoniam diacritica quoque Origenis signa retinuit lectionesque Aquilae aliorumque addidit, opus eius pretiosissimum adiumentum est ad hexaplarem textum restituendum. Sed integra versio non est conservata; in cod. ambrosiano quodam libri sapientiales et prophetici supersunt, quos photolithographice edidit *A. M. Ceriani* (Monum. sacra et prof. VII. Mediolani 1874.); ex aliis codd. editi sunt Genes. et Exod. (*Ceriani* Monum. II.), Iudices et Ruth (per *Scat Roerdam.* Havniae 1861.), 4 Reg. (cum aliquibus aliis libris ex cod. ambros. per *Henr. Middeldorpf.* Berolini 1835.).

13. — Duae aliae versiones ex vulgato alexandrino textu saec. 6. iam erant editae, una a Monophysitis (*Philoxeniana*), altera a Nestorianis, sed paucis fragmentis exceptis plane interierunt.

Circa a. 510. chorepiscopus Polycarpus iussus a Philoxene, episcopo Mabugensi, Vetus Test. ex graeco iam transtulerat, sed hexaplaris tantopere placuit Monophysitis, ut saec. 13. apud eos ipsa memoria prioris translationis interierit, atque hodie paucissima supersint fragmenta (cfr *Wiseman* Horae syr. p. 224 et *Ceriani* Monum. V); de Philoxeniana Novi T. infra dicemus (§ 14). Nestorianorum patriarcha *Mar Abba* († 552) suis quoque novam versionem dedit, sed Nestoriani antiquam Simplicem retinere maluerunt, ut nestorianae novae interpretationis ne fragmenta quidem sint conservata.

VII. Slavonica et arabicae.

14. — Saeculo medio 9. SS. Cyrillus et Methodius ecclesiis inter Slavos a se fundatis una cum liturgia etiam versionem Utriusque Test. *slavonicam* dederunt, quae, quum iam satis recentis sit originis, auctoritate critica fere omni caret. Multo magis eadem carent versiones aliquae *arabicae* inde a saec. 10. ex textu alexandrino exortae.

Versionem *slavonicam* ex antiqua Itala originem ducere et saec. 14. ad textum graecum emendatam esse, erronee opinati sunt aliqui non attendentes, SS. Cyril-

lum et Methodium Graecos origine fuisse eorumque tempore ne apud ipsos quidem Latinos Italam amplius in usu fuisse. Ceterum versio a S. Cyrillo inchoata et post eius mortem a S. Methodio terminata fideliter in Vetere Test. illum alexandrinae editionis textum sequitur, qui in constantinopolitana ecclesia vulgatus fuit, ac similiter in Novo Test. constantinopolitanam recensionem exhibet. Utpote recentiore aetate (saec. 9.) exorta usui critico vix inservit; eo minor autem est eius auctoritas critica, quia editiones typis impressae licentius mutatae dicuntur, codices autem hucusque parum sunt examinati. Psalterium iam a. 1481. et 1491. Cracoviae, Evangelistarium a. 1512. typis descripta sunt; totius autem Scripturae editio princeps a. 1570. Pragae prodiit.

Ex *arabicis* versionibus huc spectat illa Prophetarum ac Salomonicorum librorum editio, quae in Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus exstat. Saec. 10. ex textu hexaplari adornata est; eodem saeculo aut probabilius saec. 12. Maronitae Psalterium ex graeco textu arabice transtulerunt. De aliis arabicis versionibus immediate ex textu primigenio et ex Peschito desumtis cfr *infra* § 14,4 et § 15,1 p. 105 sq.

CAPUT IV.

DE VERSIONIBUS ORIENTALIBUS IMMEDIATIS UTRIUSQUE TESTAMENTI.

§ 13. — *De chaldaicis Veteris Testamenti paraphrasibus (Thargumim).*

1. — Haud diu post Esdrae aetatem apud Iudaeos palaestinenses, quum in vita quotidiana linguam aramaicam (chaldaicam) adoptassent, mos invaluit, ut hebraica Scripturarum lectio populo chaldaice explicaretur. Ita exortae sunt librorum sacrorum interpretationes vel potius expositiones et *paraphrases chaldaicae* (*Thargumim*), quae primitus ore tantum traditae postea etiam literis sunt mandatae.

Iudaei ex exsilio reduces pristinam linguam voluerant quidem retinere (2 *Esdr.* 13,24), sed quum pauci essent numero mediique inter gentes vicinis dialectis chaldaicis utentes degerent, post paucas iam generationes eam reliquerant. Patriae autem linguae oblitis sacri libri hebraici chaldaice erant explicandi; itaque in singulis synagogis constitutus est interpres (תּוּרְגְּמָן), qui ea, quae a lectore hebraice legebantur, e vestigio chaldaice interpretaretur, ita ut in unoquoque versu lector et interpres alternarentur. Procedente autem tempore interpretes libertate sibi concessa abuti suisque explicationibus fabulas intermiscere coeperunt; quapropter chaldaicae illae interpretationes scriptae sunt, ut post hebraicam lectionem recitarentur. Quandonam scribendi ille usus sit exortus, ignoramus; certum est, nullam ex chaldaicis paraphrasibus superstitibus adventu Domini N. esse antiquiorem. Nulla quoque omnes libros complectitur, cuncti tamen libri sacri (exceptis, Daniele et Esdra, qui partim chaldaice sunt scripti), suas habent paraphrases, quas secundum tres iudaici canonis classes recensebimus.

I. Paraphrases Pentateuchi.

2. — Primum inter omnes locum tenet Legis paraphrasis, quae Onkelosi nomine citari solet. Probabiliter iam inde a saec. 1. privato usui inservivit, hodiernam autem suam formam Babyloniae exeunte saec. 4. accepit. In historicis et legalibus pericopis interpres hebraicum textum, qui nonnullis in locis alexandrino quam massorethico vicinior erat, accurate, immo interdum serviliter, sequitur diligenter omnes anthropomorphismos evitans. In propheticis autem et poeticis partibus ita saepe evagatur, ut textus eius primigenius vix ac ne vix quidem dignoscatur.

Onkelosi nomen et opus antiquioribus rabbinis et Patribus prorsus incognita in Thalmude babylonico prima vice commemorantur, sed eadem fere, quae Ge-

mara babylonica de Onkelos, antiquior ierosolymitana de Aquila, graeco Scripturarum interprete, refert, ita ut rabbinos babylonicos duas personas confudisse eorumque relationem fide indignam esse, pro certo asserere liceat. Aliunde igitur primae huius paraphraseos aetas definienda est. Iam vero una ex parte quatuor primis saeculis a palaestinensibus Iudaeis et Origene Hieronymoque prorsus ignoratur; altera autem ex parte lingua eius pura biblicoque chaldaismo vicina eam antiquam esse ostendit, et explicationes quaedam, quae templum nondum esse destructum cultumque leviticum nondum cessasse supponunt (ex. gr. *Gen.* 49,27; *Deut.* 33,18), impedire videntur, quominus *post* 1. saec. scripta dicatur. Quae optime conciliantur, si admittitur, eam iam saec. 1. ex orali traditione Ierosolymis scribi coeptam esse usuique dumtaxat privato fuisse destinatam, sed saec. 4. exeunte rabbinos babylonicos, ut publico synagogarum usui inserviret, eam in hodiernam formam redegisse. Interpres, licet interdum eodem fere modo, quo Aquila, verba literasque premat, in genere tamen historicas et legales partes *clare* reddere studet, metaphoricis proprias expressiones obsoletisque nominibus usitatiora substituens et obscuriores locos paucis insertis vocabulis explicans. Verum autem paraphrasten agit in poeticis propheticisque[1]; in hisce igitur opus eius auctoritate prorsus caret. Praeterea ubique anthropomorphismos evitare studens fere continuo nomina divina mutat circumlocutionibusque Deum verum designare amat[2]. Duobus vaticiniis messianicis (*Gen.* 49,10; *Num.* 24,17) nomen Messiae inserit, alia ita reddit, ut messianicam explicationem saltem non excludat.

Saepius iam saec. 15. impressa paraphrasis in omnibus Polyglottis magnis reperitur; recentissimam editionem curavit *A. Berliner* (Berlin 1884.).

3. — Altera Legis paraphrasis, quae *Ps. Ionathanis* vel *ierosolymitana* appellatur, nec in re critica nec in exegesi ullam meretur auctoritatem, quoniam arbitrario plane modo sacrum textum exponit.

Duas alterius paraphraseos habemus recensiones, quarum prior olim Ionathani, prophetarum paraphrastae, attribuebatur ideoque hodie *Pseudo* Ionathan appellatur; alterius non adsunt nisi maiora fragmenta. Saeculo 7. recentior effrenata cum licentia textum sacrum ad ridiculas insanasque amplificationes adhibet occasionemque ex eo desumit, ut rabbinicas fabulas lectori obtrudat. Exstant in Polyglottis Londinens. etc.

II. Ionathanis Paraphrasis Prophetarum.

4. — Prophetarum paraphrasis, quae IONATHANIS nomine inscribitur,

(1) Exemplo sit *Gen.* 49,27 (« Beniamin lupus rapax » etc.), quae ita redduntur : « In terra Beniamin habitabit Schechina Domini. (שְׁכִינְתָּא דַיְיָ) et in possessione eius aedificabitur sanctuarium; mane offerent sacerdotes oblationes et in tempore vespertino dividentur residuum portionum suarum de reliquis quae sanctificata sunt ».

(2) Onkelos frequenter pro *Elohim* vel *Iahve* adhibet *gloria Dei* (יְקָרָא דַיְיָ *Gen.* 28, 13 « *gloria Domini* » erat in summitate scalae) aut *praesentia Domini* (שְׁכִינְתָּא דַיְיָ *Gen.* 9,27 Deus « habitare faciat *praesentiam suam* in tabernaculis Sem ») aut *nomen Domini* (שְׁמָא דַיְיָ *Exod.* 5,2 dicit Pharao : « *nomen Domini* non est mihi revelatum ») aut *verbum Domini* (מֵימְרָא דַיְיָ *Exod.* 19,17 populus ducitur « in occursum *verbi Dei* » etc.). Ionathan praediligit expressionem *Schechina*.

etiam saec. 1. Ierosolymis scribi coepta est, sed in hodiernam formam redacta a babylonicis rabbinis exeunte saec. 4., qui primi illam commemorant. In prophetis prioribus, i. e. in libris historicis, interpres plerumque translatorem agit; in carminibus autem, quae libris historicis sunt inserta, uti in prophetis posterioribus, ingenio indulget atque non pauca ad arbitrium auget, amplificat, figmentis rabbinicis deturpat.

Eadem, quae de Onkelos, etiam de Ionathan controversia agitatur; ante gemaristas babylonicos enim nemo huius auctoris ullam mentionem fecit, neque improbabile est, eos eodem modo, quo Aquilam et Onkelos, etiam Theodotionem et Ionathanem confudisse, quum nomina consonent (יְהוֹנָתָן = Θεοδοτίων = *Deus-dedit*). Idem quoque huius, qui prioris, duplex est character; nonnulla enim ante urbis templique eversionem conscripta esse videntur (*Ier.* 2,3; *Ezech.* 36, 38; *Hab.* 3,17 etc.), alia illum populi statum supponunt, qui post urbem destructam exortus est (*Is.* 32,14; 53,4 etc.). Itaque de eius origine etiam eodem modo, quo de Onkelosi paraphrasi, iudicemus oportet. Neque absimilis est indoles explicationis in libris historicis. Uti Onkelos, Ionathan anthropomorphismos evitat, at non tam presso pede literam hebraicam sequitur nec tam diligenter ab inutili amplificatione abstinet. In carminibus deinde laxatis frenis omnes in partes vagatur[3], atque similem interpretandi rationem plerumque in vaticiniis tenet. Vaticinia messianica non pauca agnoscit, sed ideis iudaicis imbutus, quum Messiam patientem et pro hominibus satisfacientem ignoraret, satis multa non intellexit.

Ionathanis paraphrasis, iam saec. 15. a Iudaeis impressa, recepta est in Polygl. Antw., Paris., Londini.; meliorem eiusdem editionem curavit *P. de Lagarde* (Lipsiae 1872.).

III. Paraphrases Hagiographorum.

5. — Eodem, immo inferiore fere in loco, in quo Ps. Ionathanis Thargum Pentateuchi, omnes habendae sunt paraphrases Hagiographorum; recenter exortae, non sunt nisi frivolae et haud raro ridiculae sacri textus amplificationes fabellis rabbinicis repletae.

Ex Hagiographis sola « *quinque volumina* » (Cantic., Ruth, Threni, Eccle., Esth.) synagogali lectioni inserviunt, ita ut eorum tantum paraphrasis a publica traditione dependeat. Ante saec. 7. literis non est mandata et tam referta rabbinicis figmentis, ut interpretis attentione sit indigna. In *Cant.* 1,2 et 5,10 ex. gr. Thalmud libris sacris aequiparatur, immo blasphemice Deus ipse Legi et Thalmudi studere dicitur etc. — Reliquae paraphrases sententias privatas aliquorum rabbinorum exhibent. *Proverbiorum*, *Psalmorum*, *Iobi Thargumim* ob sermonis similitudinem eidem auctori attribuuntur; memoria dignum est, Proverbia chaldaica, in quibus interpretandis Thargumista ab amplificationibus abstinuit, tam prope interdum ad syriacam eorum versionem accedere, ut ab hac fere dependere videa-

(3) 2 Reg. (Sam.) 23,4 ita amplificatur : « Beati vos iusti! Fecistis vobis opera bona; propter quae lucebitis in splendore gloriae eius, sicut lux aurorae, quae ornata incedit, et sicut sol, qui ad illuminandum praeparatus est, sicut splendor pulchritudinis eius ter centies et quadragies et ter (i. e. 7. 7. 7), sicut splendor septem stellarum septem dierum » etc., etc.

tur. *Paralipomenon paraphrasis* demum, uti omnium recentissima, ita inutilissima et ineptissima est.

Omnes hagiographorum Thargumim, saepius a Iudaeis editi, etiam in Polygl. Antw., Paris., Londin. habentur; recenter eos edidit *P. de Lagarde* (Lipsiae 1874.).

IV. Samaritana Pentateuchi versio.

6. — Onkelosi paraphrasi similis est versio Pentateuchi, quam Samaritani possident. Accurata quidem eius aetas ignoratur, at saeculo 2. eam non esse recentiorem, certum est, siquidem Origenes Hexaplis suis lectiones samaritanas iam adscripsit, quae fere omnes in versione superstite leguntur.

Samaritanus suum, i. e. samaritanum, Pentateuchum (supra § 2. p. 6 sq.) accurate reddit atque translatorem potius quam paraphrastam agit. Sed eodem modo, quo Onkelos, anthropomorphismos evitat iisdem, quibus ille, circumlocutionibus usus; euphemismis quoque interdum propria verba tegit nominibusque obsoletis usitata substituit. Tam prope interdum ad Onkelosi Thargum accedit, ut eum chaldaicam paraphrasin cognovisse aliqui censeant; sed purus textus samaritanae versionis non est conservatus, ita ut certum iudicium ferri nequeat.

Edita est in Polygl. Paris. et Londin.; novas editiones curarunt *G. Petermann* (Gen. et Exod. Berolini 1872.1882. literis samarit.), *A. Brüll* (Frankfurt 1873.-76. literis quadr.) etc.

§ 14. — *De syriaca Utriusque Testamenti versione simplici (Peschito).*

1. — Antiquissimis versionibus adnumeranda est syriaca Peschito; exeunte enim saec. 1. protocanonicorum Veteris Test. versio iam videtur inchoata et una cum Novi translatione ante medium saec. 2. terminata. De deuterocanonicorum origine nihil certi quidem est traditum, sed eorum quoque versio saeculo 2. rectius attribuitur.

Medio saec. 4. *S. Ephraem* omnium, etiam deuterocanonicorum, librorum versionem velut ab omnibus Syris receptam adhibuit; sed eam multo esse antiquiorem, iure concludimus, siquidem aliqua versionis vocabula non amplius intellexit eaque aut erronee aut dubio modo explicavit[1]; a versionis igitur origine usque ad S. Doctoris aetatem lingua syriaca iam erat aliquantum mutata. Medio saec. 3. *S. Archelaus Charr.* in sua syriaca disputatione contra Manichaeos praeter aliorum, etiam deuterocanonicorum, versionem iam adhibuit (c. Man. 29). Porro exeunte saec. 2. *Bardesanes* contra Marcionem aliosque haereticos multa opuscula syriaca conscripsit (*Eus.* H. E. IV. 30), quae scribere non potuisset, nisi Scripturae syriacae eo tempore adfuissent. Demum *Hegesippus* medio saec. 2. teste Eusebio (H. E. IV. 22) ex syriaco Evangelio testimonia allegavit; ergo saltem Evangelia eo tem-

(1) Ex. gr. statim in *Gen.* 1,1 *S. Ephraem* vocabulum יח, quo interpres hebraicam notam accusativi (את) transcripserat, explicat *substantiam; Gen.* 30,14 de vocabulo יבְרוּחָא ait: « *dicunt* vocabulum hoc significare... ». Multa exempla affert *Wiseman* Horae syriacae p. 118 sqq., qui quaestionem hanc diligentissime tractavit.

pore erant translata. Iam vero integrum Nov. Test. syriacum uni eidemque interpreti deberi, omnes concedunt, atque illa, quae in Novo ex Vetere allegantur, cum syriaco textu Veteris pleraque ita consonant, ut ex illo desumta rectę dicantur. Concludamus igitur oportet, medio saec. 2. integrum Novum Test. syriace iam adfuisse atque Veteris translationem esse antiquiorem. Quare a vero aberrare non videntur, qui versionis syriacae initia exeunti saec. 1. attribuunt.

2. — Protocanonicos Veteris Test. libros ex hebraico a variis interpretibus esse translatos, S. Ephraem asserit et versio ipsa docet; deuterocanonicorum et Novi Test. translatio ex graeco textu adornata est. Licet satis magna sit singulorum librorum diversitas, in genere tamen versio recte *Peschito*, i. e. simplex et plana, dicitur; fidelis enim et perspicua est; minus probanda deuterocanonicorum tantum est translatio.

Unum esse integri Novi Test. interpretem iam diximus; addendum tamen est, quatuor minorum Epistolarum (2 Petr., 2. 3 Ioan., Iudae) et Apocalypseos translationes, quae in hodiernis editionibus habentur, iunioris esse originis; antiquiorem tamen in Peschito adfuisse, iure asseritur, siquidem S. Ephraem, linguae graecae prorsus ignarus, libris illis haud raro est usus. Veteris Test. autem libri nec eodem tempore nec ab eodem interprete sunt translati; de pluribus interpretibus, qui ex hebraico textu Scripturas transtulerint, loquitur S. Ephraem (Opp. syr. I. 305), eiusque testimonium confirmat versionis indoles. In chronologia enim (*Gen.* 5. 11.), in nominum propriorum transcriptione etc. omnino hebraeum sequitur, nec desunt menda, quae ex formis hebraicis male explicatis sunt exorta [2]. Porro inter singulos libros magna est diversitas, sive ad interpretandi genus sive ad textum translatum attentio convertitur. Dum plerorumque librorum interpretes textum hebraicum accurate exprimere studuerunt, in Paralipomenis et in l. Ruth paraphrastico modo textum tractant aliis additis, aliis excerptis, aliis omissis. In Pentateucho, Proverbiis, Ezechiele textus adhibitus ad massorethicum propius accedit, in Isaia et duodecim Minoribus alexandrino est vicinior; multae et magnae differentiae inter Psalterium syriacum et hebraicum procul dubio ex mutationibus exortae sunt, quas uterque textus continuo liturgico usu passus est. Quibus differentiis omnibus non obstantibus versio protocanonicorum Veteris Test. (exceptis Paralip. et Ruth) librorum nomen *simplicis*, i. e. clarae et fidelis, meretur; liberiore quidem vertendi genere usus est Novi Testamenti interpres, at huius quoque fidelitas et perspicuitas merito laudantur.

3. — Peschito omnibus quidem Syris communis est; ab eo autem tempore, quo in sectas sese separare coeperunt, non tantum novas Veteris Test. versiones ex textu graeco adornarunt (§ 12. VI. p. 97), sed etiam diversas Simplicis recensiones adhibuerunt, ita ut genuinus et purus antiquae Peschito textus non sit conservatus.

(2) Ex. gr. *Gen.* 3,10 ואירא « *et timui* » interpres derivat a ראה (*et vidi*); e contra *Exod.* 32,5 וירא « *et vidit* » derivat a ירא (*et timuit*); *Gen.* 49,24 וַתֵּשֶׁב « *et habitavit* » derivat a שׁוּב (*et reversa est*) etc. — Item *graecum* Novi Test. textum arguunt nonnulla menda; interpres enim confudit *Luc.* 14,31 ἕτερος et ἑταῖρος, *Marc.* 6,1 ἐκολλήθησαν et ἠκολούθησαν, *Eph.* 6,12 ἐπουράνιος et ὑπούρανιος; *Col.* 2,22 καὶ τά et κατά etc.

Nestorianorum recensio multis lectionibus a Barhebraeo in sua Psalmorum explicatione allatis innotuit; quorum accurata cum textu vulgato syriaco comparatione instituta *Wiseman* (Horae syriacae p. 139 sqq.) asserere non dubitat, « excepto uno forsan alteroque loco nullius prorsus momenti » omnes differentias in solis punctis vocalibus et apicibus versari. Altera recensione utuntur *Monophysitae*, quae *Karkaphensis* appellatur; karkaphenses enim monachi correctorium quoddam Simplicis ediderunt, in quo varias eius lectiones recensuerunt et diiudicarunt, nomina propria et vocabula graeco-syriaca ad orthographiam graecam revocarunt, difficiliorum vocabulorum genuinam pronuntiationem indicarunt, in divisione autem et ordine librorum Philoxenianam editionem (*supra* p. 97) secuti sunt (cfr *Wiseman* l. c. p. 149 sqq.).

Ad Novum Test. quod attinet, fragmenta quaedam Evangeliorum reperta sunt, quae pro altera Simplicis recensione habentur (Remains of a very ancient recension of the Gospels in Syriac edited by *W. Cureton*. London 1858.). Rudiore et minus eleganti, quam Peschito, stylo conscripta textum graecum liberiore modo reddunt, interdum abbreviatum, interdum amplificatum. Num altera haec recensio textu vulgato sit antiquior an recentior, nondum satis exploratum est. — Memoriae dumtaxat causa addimus, *Philoxenem*, Monophysitarum episcopum Mabugensem, ineunte saec. 6. per Polycarpum chorepiscopum etiam novam versionem plane servilem librorum Novi Test. adornandam curasse, quam ineunte saec. 7. Thomas *Charkelensis* iteratis curis ad graecum textum recensuit. — Porro in uno codice saeculi 10. servata est versio Evangeliorum dialecto syriaca ad chaldaicum prope accedente conscripta, quae *ierosolymitana* nominari solet et saeculo 8. antiquior non videtur.

Critica versionis Peschito editio nondum prodiit; *Novum Test.* saepissime est editum (Viennae 1555.; in Polygl. Paris. et Londin., a Gutbier 1664., in usum Maronitarum Romae 1703. etc.). *Veteris Test.* editio princeps est in Polygl. Paris., melior in Polygl. Londin. *Utriusque Test.* recentiores editiones prodierunt Londini 1816. 1823. 1828. etc.

4. — Ex versione Peschito derivatae sunt aliquae versiones orientales, quae interdum immerito pro auctoritate allegantur.

Huc pertinent *arabica* versio ll. Iudic., Ruth, Regum, Paralip., 2 Esdr. et Iob, quae saec. 13. vel 14. facta invenitur in Polygl. Paris. et Londin., uti etiam *arabica* Psalterii, Evangel. et Epistolarum, qua utuntur Maronitae, atque *altera* Evangeliorum et Epistolarum, quam edidit *Erpenius* (Lugd. Batav. 1616.). Huc quoque pertinet *persica* Evangeliorum versio in Polygl. Londin. edita, quae saeculo 8. est recentior.

§ 15. — *De arabicis et persicis versionibus immediatis.*

1. — Arabicae versiones aliquorum librorum Veteris Test. ex hebraico adornatae, quum saeculo 10. non sunt antiquiores, textus massorethici dumtaxat sunt testes; atque Novum quoque Test. ex graeco translatum satis recentis est originis nec magnae auctoritatis.

Saec. 10. *Saadias Gaon* Iudaeus in Aegypto *Pentateuchum* arabice vertit inter-

dum paraphrasten potius quam translatorem agens; etiam reliquos libros eadem ratione transtulisse fertur, sed praeter Pentateuchum (in Polygl. Londin. et Paris.) solus Isaias (Ienae 1790.) typis descriptus innotuit. — Altera *Pentateuchi* versio, ab editoris nomine *Arabs Erpenii* (Lugd. Bat. 1622.) appellata, saec. 13. vel 14. exorta creditur textumque massorethicum satis serviliter reddit. — *Iosue* arabicus, qui in Polygl. Paris. et Londin. habetur, Iudaeo saec. 10. adscribitur. — *Evangeliorum* versio quaedam immediata a Syris ad syriacum textum recensita est (prodiit Romae 1591.) et a Coptis ad copticum (in Polygl. Paris. et Londin.). Reliquorum quoque N. T. librorum textus arabicus, quem exhibent Polygl., ex graeco quidem translatus, sed recens est.

2. — Minoris fere auctoritatis sunt *persicae* versiones immediatae, quae hucusque innotuerunt.

Nam *Pentateuchus* persicus in Polygl. Londin. receptus saec. 16. a Iudaeo I. Tawus translatus est, et *Evangeliorum* versio (ed. Whelloke. London 1652.-1657.) saec. 14. prodiit; quare in re critica et exegetica maioris non sunt auctoritatis, quam aliae nostrae aetatis versiones.

CAPUT V.

DE VERSIONE LATINA VULGATA.

§ 16. — *De Vulgatae origine, indole, propagatione.*

1. — Latinae Scripturarum editionis, quae *Vulgata* nominari solet, *auctor S. Hieronymus* non immerito asseritur, quoniam longe maiorem eius partem aut ex textibus hebraicis (chaldaicis) graecisque immediate vertit aut ad eos revocavit.

Ex omnibus latinis versionibus, quae saec. 16. circumferebantur, « Veterem et Vulgatam editionem, quae longo saeculorum usu in Ecclesia probata esset », sollemni decreto authenticam declararunt Tridentini Patres; singularem igitur locum occupat haec versio, ita ut in eius originem, historiam, auctoritatem paullo accuratius inquirere debeamus. Usque ad finem saec. 4. totam latinam ecclesiam versione Veteris Test., quae ex alexandrino textu derivata erat, usam esse, supra diximus, atque innuimus quoque, S. Hieronymum iussum a S. Damaso Romae Psalterium et Novum Test. ad graecam fidem revocasse, in Orientem autem reversum integrum Vetus Test. ad hexaplarem textum recensuisse (§ 12. I. p. 90 sqq.). Quibus non contentus, « ut suae linguae homines scirent, quid hebraica veritas contineret », S. Doctor ex ipso textu hebraico novam protocanonicorum librorum versionem comparare statuit (ad Aug. ep. 112,20); a. 389. igitur in bethlehemitica sua solitudine a libris Regum vertendis inchoavit atque quindecim annorum spatio omnes protocanonicos ex primigenio textu transtulit et cum eis simul deuterocanonicos ll. Tobiam et Iudith ex chaldaico sermone atque deuterocanonicas partes ll. Esther et Danielis ex graeco latine vertit. Qui libri a S. Doctore translati, solo Psalterio excepto, cuius versio hieronymiana in publicum usum non est recepta, partem praecipuam constituunt hodiernae Vulgatae; alteram partem efformant Psalterium ab eo ad hexaplarem textum recensitum (Psalt. gallicanum) et Novum Test. ab eo ex graeco emendatum; tertia demum pars quinque libros deuterocanonicos (Baruch, Sap., Eccli., 1. 2 Mach.) complectitur, qui non correcti ex antiqua versione in Vulgatam transierunt. Quoniam de antiqua versione supra (§ 12. I.) iam diximus, restat, ut de nova S. Hieronymi translatione nonnulla addamus.

2. — Multis variisque studiis ad translatoris munus optime praeparatus S. Hieronymus libros sacros ita latine reddidit, ut eius versioni inter cunctas antiquas primus locus ab omnibus attribuatur, licet omnibus numeris absoluta et perfecta dici non possit. Plerumque nec plus aequo literae inhaeret nec longius ab ea discedit, sed *sensum* fideliter et clare, immo saepius cum elegantia quadam reddit; neque desunt tamen loci, in quibus literae hebraicae arctius inhaerens obscurior est, aut in quibus accuratum sensum textus primigenii non plene attigit vel etiam sensum suum privatum sensui sacri scriptoris substituit vel inseruit.

Literis non minus quam philosophicis theologicisque studiis a puero totum suum tempus tribuerat S. Hieronymus, quando quadraginta tres annos natus libros sacros ex hebraico textu vertere coepit. Omnium scholarum exegeticarum optimos, qui tunc floruerunt, interpretes audierat, linguam hebraicam a peritissimis rabbinis didicerat, cum iisque integram Palaestinam peragraverat, ut « antiquarum urbium memorias locorumque vel eadem vocabula vel mutata cognosceret » (Praef. 2 Paral.), multis graecis operibus translatis atque integris Scripturis ad graecum textum revocatis in interpretis munere non parum sese exercuerat, in Scripturarum intelligentia ita profecerat, ut sua aetate parem neminem haberet omnesque undique ei difficultates suas proponerent. Neque minus pietate et sanctitate, quam scientia et eruditione, excelluit, ut fatendum sit, singulari prorsus providentia eum ad tam arduum laborem esse praeparatum. Hebraicus, quem adhibuit, textus massorethico quidem, quam alexandrino aut syro, vicinior, sed non plane aequalis erat; S. Hieronymum enim non tantum aliis vocalibus textum saepius legisse, sed etiam haud raro alias consonantes vocesque prae oculis habuisse, versio docet. Lingua latina impuriore eum in sua versione, quam in aliis operibus, adhibuisse facile intelligitur; una enim ex parte antiquae translationi a puero assuetus plebeium eius rudioremque sermonem quasi invitus imitatus est, altera ex parte « curae ei non erat vitare sermonis vitia, sed Scripturarum obscuritatem quibuscumque verbis disserere » (in Ezech. 40, 5). Uti autem veteris latinae rationem habuit, ita etiam « Septuaginta interpretum consuetudini se coaptavit in illis, quae non multum ab hebraeis discrepabant », atque « interdum quoque Aquilae et Symmachi et Theodotionis recordatus est » (in Eccle. Praef.). Porro in opusculo suo « de optimo genere interpretandi » (ad Pamm. ep. 57) boni interpretis esse docet, ad sensum potius verborum, quam ad verba ipsa attendere; quam regulam eum quoque observare voluisse, vel sola illa iam elegantia ostendit, quae in multis versionis partibus conspicitur; uniformitatem enim styli hebraici evitare studuit parvulas phrases hebraicas rotundis constructionibus complectens superfluamque verbositatem continuasque repetitiones evitans (cfr ex. gr. *Gen.* 39,1 sq., *Exod.* 40,12 sqq. etc. cum textu hebr.). Raro verba nimis premens obscurior fit (ex. gr. *Gen.* 49,22; *Is.* 18,1), frequentius genuinum sensum aut non percepit, aut non clare expressit aut eidem suum ipsius sensum substituit. Etenim omissis illis locis, in quibus nominibus propriis erroneam explicationem addidit (ex. gr. *Iud,* 1,35 הַר־חֶרֶס « in monte Hares, quod interpretatur *testaceo* », rectius *Is.* 19,18 עִיר הֶרֶס « civitas *solis* ») aut nomina propria, ac si appellativa essent, latine reddidit (ex. gr. *Gen.* 12,6 אֵלוֹן מוֹרֶה « convallis illustris », sed *Deut.* 11,30 אֵלוֹנֵי מוֹרֶה « vallis *tendens et intrans procul* ») *a.*) aliquoties a iudaicis suis magistris seductus rabbinicam interpretationem textui inseruit (ex. gr. 2 *Esdr.* 9,7 « eduxisti Abraham *de igne* [אור] Chaldaeorum », sed recte *Gen.* 11,31 « eduxit eos *de Ur* Chaldaeorum », nam « nominis *Ur* occasione Hebraei *fabulam* tradunt, quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem colere noluerit et Dei auxilio liberatus *de igne* idololatriae profugerit » [Quaest. in Gen. 11,28]; similem fabulam secutus est *Ios.* 14, 15, de qua cfr ad Eustoch. ep. 108,11; etc.); *b.*) in alios textus dogmaticos vel morales suam interpretationem inseruit (ex. gr. *Exod.* 23,13 pro hebraico textu : « Nomen deorum alienorum non *commemorabitis* » posuit « Per nomen externorum deorum non *iurabitis* »), praesertim in vaticiniis messianicis; aliqua enim ita vertit, ut in sensum messianicum trahi possint (ex. gr. *Is.* 2,22 « quia excel-

sus reputatus est ipse »; 16,1 « emitte agnum dominatorem terrae » etc.), quamvis in commentario adnotet, alteram versionem, quae messianicam relationem excludat, esse communiorem; alia, quae latiore quodam sensu messianica sunt, ad speciale factum determinat (ex. gr. *Is.* 11,10 « erit *sepulcrum* eius gloriosum »); alia, quae de Messiae regno dicta sunt, ad Messiae personam refert (ex. gr. *Is.* 45, 8 « Nubes pluant *iustum,* aperiatur terra et germinet *salvatorem* »; 51,5 « prope est *iustus meus,* egressus est *salvator meus* », ubi abstracta nomina *iustitia, salus* ponenda erant); alia, quae elliptice sunt dicta, suo modo supplet (*Dan.* 9,26 וְאֵין לוֹ « non erit ei », pro quo *S. Hier.* « non erit eius *populus qui eum negaturus est* », aut ut habet in commentario « non erit illius *imperium, quod putabant se retenturos* »; S. Aug. autem aliud supplementum indicat : « non erit *eius civitatis* » aliaque indicant alii). Hinc etiam fit, ut in commentariis plus semel aliam, quam in versione dedit, explicationem praeferat tacitusque se ipse retractet.

Naevis igitur suis non plane caret nostra translatio, neque ad summam perfectionem adducta est, quia interpres aliquoties nimis festinavit : tres libros salomonicos vocat « tridui opus », Tobiam uno die, Iudith una nocte vertit. Quare nemo quoque mirabitur, quod in versione S. Hieronymi stella a stella differat claritate. Inter omnes libros fidelitate et elegantia historici protocanonici praestant, quibus fidelitate vix quidquam cedit Iob; salomonici quoque libri, non obstante magna interpretis celeritate, satis fideliter versi sunt. In Psalterio S. Doctor literam hebraicam arctius secutus est, unde durior et rudior eius est dictio; atque in prophetis quoque color hebraicus praevalet. Ultimum locum, si ad fidelitatem attenderis, tenent libri Iudith et Tobias.

3. — Nova S. Hieronymi versio, licet eius consilium ab initio non omnibus probaretur, saec. 5. et 6. tamen paullatim ab omnibus Africae, Italiae, Galliae, Hispaniae ecclesiis recepta, inde ab ineunte saec. 7. in toto Occidente *Vulgata* esse et appellari coepit.

Quantas difficultates S. Hieronymi consilium ab initio invenerit, docent omnium fere librorum praefationes, quibus illud defendere debuit; cum S. Augustino enim timebant multi, ne Christiani veteri versioni assueti nova perturbarentur. At S. Augustinus ipse versus vitae finem eam adoptavit, atque maiore cum plausu eam statim receperat ecclesia *gallicana*, cuius praecipui scriptores saec. 5. et 6. ea sola iam usi sunt. Lentius ecclesia *romana* procedebat; plerique enim duorum istorum saeculorum Summi Pontifices antiquam retinebant; *S. Leo M.* (440.-461.) et *S. Hilarus* (441.-468.) utramque, *Ioannes* III (560.-578.) eiusque successores *Benedictus* I. et *Pelagius* II. solam novam adhibebant; *S. Gregorius M.* autem iterum utriusque auctoritate suos commentarios fulcire voluit, « quia Sedes apostolica, inquit, cui Deo auctore praesideo, utraque utitur » (Prol. in Moral.). Ab eo tamen tempore nova omnino praevaluit; *S. Isidorus Hisp.* († 636.) eam « generaliter ab omnibus ecclesiis usquequaque adhibitam » dicit (de Off. I. 12), *Ven. Beda* († 735.) veterem, quam iam « priscam » appellat, rarissime allegat, *Rhabanus Maurus* († 856.) asserit « Hieronymi versione totam uti ecclesiam romanam, sed non in omnibus libris » (Inst. cler. II. 54); scilicet Psalterium ex antiqua erat retentum ex eademque transumebantur quinque libri deuterocanonici et Novum Test. a S. Hieronymo correctum. Praeterea etiam in magna liturgiae parte (Introit., Grad., Offert., Comm., Antiph., Respons.) antiqua dominium suum retinuit, lectiones tamen Missalis et Breviarii ex nova desumebantur.

§ 17. — *Historia textus Vulgatae usque ad Conc. Tridentinum.*

1. — Quamdiu una cum nova versione vetus in ecclesiis adhibebatur, prohiberi non potuit, quominus utriusque lectiones permiscerentur et genuinus novae textus multis mendis interpolationibusque perverteretur. Quod periculum praecavere quidem maloque, quod iam irrepserat, mederi conati sunt viri aeque docti ac pii, inter quos nominasse sufficit Cassiodorum, Alcuinum, SS. Petrum Damianum, Lanfrancum Cantuar., Stephanum Cisterc., sed eorum conatus fere inanes fuerunt.

Ne negligentes aut scioli librarii versiones confunderent, *Cassiodorus* vix centum iam annis post S. Hieronymi mortem, quum una cum vetere etiam exemplar novae a se ipso correctum in sui monasterii bibliotheca deposuisset, sollicite monuerat, quae in iis describendis observanda aut cavenda essent. At extra Vivariensis monasterii moenia nihil profuerunt haec monita, etenim exeunte saec. 8. tanta fuit omnium codicum diversitas, ut *Alcuinus* a Carolo M. iussus Vulgatae corrigendae operam suam impendere deberet; ad antiquos igitur codices textum diligentissime emendavit, atque eius exemplar multis librariis a 9. usque ad 13. saec. pro archetypo erat. Alii tamen corruptum textum describentes nova menda antiquis addiderunt, ut aliae recensiones semper fierent necessariae. Itaque *S. Petrus Damianus* († 1072.) omnes libros « cursim et per hoc non exacte » se correxisse testatur (Op 14), atque circa idem tempus *S. Lanfrancus* († 1089.) ecclesiae suae et *S. Stephanus* († 1134.) omnibus suis monasteriis textum emendatum dederunt. Quid vero hi conatus profecerint, docet *Hugo a S. Vict.* ineunte saec. 12. conquerens : « usu pravo invalescente factum est, ut diversas diversis sequentibus translationes ita tandem omnia corrupta sint, ut paene nunc, quid cuique tribuendum sit, ignoretur » (de Script. 9.).

2. — Inde ab ineunte saec. 13. magna Universitatis Parisiensis auctoritas effecit, ut Vulgatae textus, qui in eius scholis adhibebatur (*Parisius* vel *exemplar Parisiense*), velut typus omnibus fere librariis inserviret atque plurimis codicibus propagaretur. Hinc factum est, ut in multis mediae aetatis codicibus satis magna appareat uniformitas; attamen quum textus parisiensis, quem sequuntur, satis esset vitiosus, eorum uniformitas auctoritatem eorum non auxit, ad errorum autem propagationem non parum contulit. Ad quam impediendam multi theologi apparatus criticos colligere coeperunt, quos nomine *Correctorii* (vel *Epanorthotae*) indito non tantum ad parisiensis exemplaris, sed aliorum quoque codicum emendationem destinatos esse significarunt. Revera una cum antiquioribus codicibus nonnulla Correctoria restituendo genuino Vulgatae textui egregie inserviunt.

De editione Parisiensi et de Correctoriis cfr egregiam *R. P. Denifle*, O. Praed., dissertationem de Correctoriorum saec. 13. codicibus (*H. Denifle* u. *Fr. Ehrle* Archiv für Literatur etc. IV. 1888. p. 263 sqq.). Quoniam textus sacer « pro maiore parte corruptus in exemplari vulgato, quod est Parisiense, et in aliis locis dubius, quae dubitatio cadat in virum sapientem » habebatur (cfr *Rog. Bacon* Opus

tertium. L. c. p. 277), ex antiquis codicibus, Patrum latinorum operibus, textibus quoque primigeniis variae lectiones a multis theologis saec. 13. colligi coeptae sunt, quae addito de praeferendis lectionibus iudicio uno opere comprehensae velut norma et regula essent, ad quam latinus textus transcriberetur et emendaretur (*Correctorium*). Primum eiusmodi opus theologi Ord. Praed. in monasterio Senonensi videntur adornasse (*Correctio Senonensis*); quod quum iustis desideriis non satisfaceret, *Card. Hugo a S. Caro,* O. Praed., alterum elaboravit, cuius usus decreto capituli generalis Ord. Praed. a. 1256. omnibus illius ordinis theologis est praescriptus. Circa idem tempus *Franciscani* aliique ordines coetusque religiosi similia opera condiderunt; inter omnia, quae hucusque diligentius sunt examinata, illud eminet, quod *Sorbonicum* vocatur, quia exemplari in bibliotheca sorbonica conservato iterum innotuit. Quantopere ad hodiernum Vulgatae nostrae textum emendandum Correctoria iuvent, ostendit *Car. Vercellone* (Variae lectiones Vulg. etc. passim); sed pauci admodum hucusque illis examinandis operam suam impenderunt.

Codicum Vulgatae ingens est numerus, sed plerorumque iuniorum, a quibus hodiernus noster textus derivatur, minor est auctoritas, quoniam parisiense exemplar sequuntur. Longe illis praestant vetustiores; antiquitate omnes superat *Bobiensis palimps.*, qui saec. 5. exeunti aut ineunti saec. 6. adscribitur; sed maiorem dumtaxat libri Iudic. partem et fragmenta libr. Ruth et Iob continet. Aetate et auctoritate in Novo Test. eminet *Fuldensis*, in Utroque Test. *Amiatinus;* prior ante a. 546. conscriptus et bis a S. Victore Cap. (a. 546. et 547.) correctus hodie Fuldae asservatur; alter usque ad hos ultimos annos a Servando, S. Benedicti discipulo, c. a. 541. in Italia scriptus credebatur; hodie tamen satis constare videtur, eum ab italo quidem Cassiodori textu dependere sed in Anglia inter a. 690. et 716. scriptum esse; a Ceolfrido abbate Summo Pontifici oblatus et in Amiatino monasterio diu servatus hodie inter κειμήλια bibliothecae Laurentianae Florentiae conspicitur; omnes Utriusque Test. libros praeter Baruch exhibet. A quo nec tempore nec auctoritate longe distat *Toletanus*, qui saec. 8. scriptus etiam omnes libros praeter Baruch continet et textu ad amiatinum prope accedit; eiusdem fere aetatis etiam est *Cavensis* (U. T. cum Baruch), sed singularem textus recensionem habet. Alii codices saec. 8. antiquiores non nisi partes Scripturarum continent : *Foroiuliensis* saec. 6. partem Evangeliorum, *Ottobonianus* saec. 8. Octateuchum, cui multa ex antiqua versione intermiscet etc. Textum ab Alcuino correctum exhibent *Paulinus* vel *Carolinus* et *Statianus* vel *Vallicellanus* saec. 9. conscripti aliique iuniores. Textum S. Petri Damiani codices aliqui romani (inter quos praecipuus in bibliotheca S. Mariae ad Martyres asservatur) tradere censentur, quare recensio ipsa interdum romana appellatur. Inde a saec. 14. duplex dumtaxat distinguitur codicum classis, italorum et germanicorum, quorum priores colore latino puriore superant posteriores, sed idem fere, si ad solum sensum attendis, in utrisque est textus (parisiensis).

3. — Primum, quod umquam typis est descriptum, opus fuit Vulgata (Moguntiae 1450.) primamque illam editionem ante sacculi 15. finem secutae sunt aliae fere centum, quarum omnium textus, utpote ex iunioribus codicibus desumtus non magni est valoris. Ab ineunte quidem saec. 16. maior cura emendandae Vulgatae impendi coepta est, sed mox exorto protestantismo non tantum novatores sed etiam aliqui catholici interpre-

tes sive novis latinis translationibus ex hebraeo et graeco adornatis sive Vulgatae lectionibus ad primigenia exemplaria licentius recensitis et mutatis magnam textus sacri incertitudinem invexerunt, dum pauci tantum genuinam S. Hieronymi versionem restituere sunt conati.

Primi Scripturarum editores de accurata textus sacri recognitione parum solliciti primum, quem fors obtulit, codicem aut exemplar iam impressum pro archetypo adhibuerunt, atque illa ipsa Biblia, quae inde ab a. 1470. « fontibus ex graecis, Hebraeorum quoque libris, emendata satis et decorata simul » sese dixerunt, subscriptione hac emtores allicere dumtaxat voluerunt. Primus *Alb. Castellanus*, O. Praed., editioni suae (Venetiis 1506) varias lectiones addidit atque primus textus, qui emendatus iure vocatur, est *complutensis* (a. 1517); eandem viam, ut ex codicibus textum corrigerent, postea tenuerunt auctor editionis *hittorpianae* (Coloniae 1530) ac praesertim *Rob. Stephanus* (Parisiis 1528 et saepius), cuius editio a. 1540. postea a Lovaniensibus retractata est (cfr § 19,1). Interea autem exorto protestantismo novatores, qui Vulgatam respuerunt, aut novas latinas versiones sibi adornarunt aut Vulgatae textum ad exemplaria primigenia, immo ad ipsam Lutheri versionem germanicam mutare non dubitarunt. Dolendum autem quam maxime est, quod in hac via sequaces habuerint catholicos theologos; *Santes Pagninus* accurate singula verba textuum primigeniorum exprimere conatus est haud infelici cum successu (Lugduni 1526. et saepissime), infelicior *Card. Caietanus*, quum linguarum hebraicae et graecae ignarus esset, a Iudaeo quodam adiutus textum sibi adornavit, quem explicaret (Romae 1531. sqq.), infelicissimi *Eugubinus Steuchus* (Venetiis 1529.), *Isidorus Clarius* O. S. Ben. (Venetiis 1542.) aliique Vulgatam proprio Marte mutarunt novaque sua opera sub Vulgatae titulo propagare ausi sunt.

§ 18. — *Decretum Tridentinum de Vulgaiae auctoritate.*

1. — Patres Tridentini, quum de fontibus revelationis agerent, haec de Vulgata statuerunt : « *Eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat... Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens... decernit et statuit, ut posthac S. Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et Vulgata editio quam emendatissime imprimatur* ».

Duplici ex capite Patres Tridentini, quid de Vulgata sentiendum esset, statuere erant coacti; a novatoribus enim aperte respuebatur, a catholicis nonnullis negligebatur et arbitrario modo mutabatur. Ideo statim ab initio deputati sunt nonnulli Patres, ut abusus, qui circa libros sacros irrepsissent, cognoscerent, eorumque remedia proponerent. Qui duos abusus relate ad Scripturarum editiones adnotarunt, atque primum quidem, quod multae adessent editiones, quae pro authenticis adhiberentur, alterum, quod magna Vulgatae editionis invaluisset corruptio;

cui duplici abusui occurrit decretum Tridentinum, quod iam accuratius est explicandum. Prior enim eius pars non tantum a protestantibus semper impugnata est et hodie impugnatur, sed etiam inter catholicos satis vehementem olim excitavit controversiam, aliis decreti ambitum ultra iustos limites extendentibus, aliis nimis eum coarctantibus; inter quos mediam viam tenentes sensum decreti definire conabimur hisce thesibus.

2. — Decreto suo Patres Tridentini nec textibus primigeniis nec antiquis versionibus, quae semper in Ecclesiae usu erant, Vulgatam praetulerunt, neque Vulgatam authenticum revelationis fontem esse declarantes ullo modo textuum primigeniorum versionumque antiquarum authentiam negarunt.

Continua, quae a plus tribus saeculis repetitur, haec est protestantium obiectio, a Tridentinis primigenias Scripturas et antiquas versiones esse reiectas contemtuique expositas; atque fatendum est, aliquos theologos catholicos ita aliquoties de Vulgata loqui, ac si haec sola esset theologo catholico relicta nec ex aliis textibus validum argumentum dogmaticum desumi posset. Iam vero hanc non fuisse Tridentinorum mentem *a.*) docet *decretum ipsum*, quod ne uno quidem verbulo de textibus primigeniis aut aliis antiquis versionibus loquitur, sed dumtaxat « *ex latinis editionibus, quae tunc circumferebantur* » unam pro authentica declarat. *b.*) Idem elucet *ex decreti historia*. Occasionem enim decreto dedit abusus varietate novarum versionum *latinarum* exortus, ad quem auferendum certe opus non erat, ut textus primigenii aut versiones *non* latinae reiicerentur. Hinc etiam in tota hac quaestione Patres de primigeniis textibus locuti non sunt; quum autem unus alias latinas saltem editiones atque alexandrinam *reiiciendas* esse censuisset, restiterunt reliqui atque decretum illis verbis concipi iusserunt, quibus Vulgata quidem reciperetur, reliquae autem latinae versiones ne *tacite* quidem viderentur reiectae (cfr *Theiner* Acta gen. Conc. Trid. I. p. 83). *c.*) Hunc esse sensum decreti testantur *theologi praecipui*, qui quia Concilio interfuerunt, quae esset Patrum mens optime cognoverunt. Inter quos *A. Salmeron* S. I. longiorem expositionem his verbis terminat : « Licebit itaque nobis salva Concilii auctoritate sive graeci sive hebraici [sive antiquarum versionum] lectionem variam producere eamque ut *verum Bibliorum textum* expendere et enarrare, nec tantum mores per eam aedificare, verum etiam *fidei dogmata comprobare et stabilire atque adeo sumere ab illis efficax argumentum tamquam ex textu S. Scripturae* » (Proleg. 3.). Similia tradunt *Andr. Vega* O. Min. (de Iustif. XV. 9), *I. Laynez* S. I. (cfr Marian. Pro Vulg. 21), *Did. Payva de Andrada* (Defensio fidei Trid. IV.), alii. *d.*) Ceterum *res per se iam clara est*. Supponamus imperatorem Austriae toti suo regno novum legum codicem promulgasse, cuius mox variae versiones hungaricae, polonicae, bohemicae etc. spargi coeptae sunt. Is igitur, si ad iudiciorum in regno hungarico perturbationem vitandam unam ex hungaricis versionibus approbaverit et solam in hungaricis tribunalibus adhibendam declaraverit, num ideo primigenium textum legum germanicum aut versiones polonicas, bohemicas etc. reiecisse censendus est?

3. — Neque decreto suo Tridentini Patres Vulgatam immunem liberamque declararunt ab omni prorsus mendo vel errore, qui fidem morumque regulam non attingat; levissima enim sunt argumenta, quibus

nixi aliqui strictissimam hanc Vulgatae cum sacris autographis conformitatem ex decreto Tridentino derivare conati sunt.

Obsoleta iam est aliquorum hispanicorum interpretum sententia, qui Vulgatae interpretem inspiratum fuisse asseruerunt (cfr *Mariana* Pro Vulg. 22); « aliud enim, inquit *S. Hieronymus,* est esse vatem, aliud interpretem ». A vero autem aberrarunt illi quoque, qui ne levissimum quidem errorem in Vulgata inveniri omniaque, quantumvis minima, recte conversa esse asseruerunt decreto Tridentino nixi (*Poncii* Quaest. exposit. 3, 2.). Etenim *a.*) *hoc assertum contradicit decreti historiae.* Decretum enim, quum approbationis gratia Romam esset missum, romani theologi « acriter initio damnaverunt obiicientes, *multa menda Vulgatae nec amanuensibus nec typographis tribui posse* »; quibus responderunt legati, nihil a romanis theologis opponi, quod a Concilio non esset mature perpensum; « Tridenti quoque animadversa esse Vulgatae menda, se tamen noluisse idcirco eam *universe* pronuntiare mendosam » (*Pallavic.* Hist. Conc. Trid. VI. 15 sqq.). *b.*) Neque minus *contradicit testimoniis theologorum* illorum, qui Concilio interfuerunt. Nam *A. Vega* (l. c.) monet, Concilium non approbasse menda, « quae linguarum periti et in s. literis mediocriter versati in Vulgata deprehendunt », nec quemquam impedivisse, quominus ad fontes recurreret et in medium proferret, quidquid haberet, quo ea, quae sensui Sanctorum et ipsis fontibus magis sunt consentanea, assequeremur ». Cum hoc testimonio, quod *Card. Cervinus*, unus ex praesidibus Concilii, *P. Laynez* aliique confirmarunt. plane consentiunt *Salmeron* (l. c.), *Canus, Andrada* etc. *c.*). Demum *contradicit Vulgatae nostrae ipsi,* in qua multi leguntur textus paralleli, qui in numeris, nominibus aliisque id generis, quae omnia fidem non attingunt, ita inter se dissentiunt, ut alterutro in loco error quidam admittatur necesse sit; cfr ex. gr. 2 *Reg.* 6,23 et 21,8 (et attende ad 1 *Reg.* 18,19 et 25.44); 4 *Reg.* 8,26 et 2 *Par.* 22,2; 4 *Reg.* 24, ∞et *Par.* 36,9 multosque alios textus.

Obiicitur quidem, iuxta decreti verba Vulgatam non licere *ullo praetextu* reiici. ergo eam ne in levissimis quidem ab autographis dissentire; praeterea ex decreto de canonicis Scripturis « *libros integros cum omnibus suis partibus,* prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et *in veteri Vulgata habentur, pro sacris et canonicis* » esse habendos; vocabula autem quaecumque iam esse partes Scripturarum, uti S. Congregatio Conc. die 12. Ianuarii 1571 declarasse dicitur : nam « nihil posse asseverari ait, quod repugnet Vulgatae editioni; etsi esset sola periodus, sola clausula vel membrum, vox sive dictio sola, vel syllaba iotave unum ».

Cum P. Serrario ad ultimam hanc Congregationis declarationem in prioribus editionibus respondimus illam non esse authenticam, sed ab haereticis confictam videri. At id non amplius teneri potest; nam in codice manuscripto quodam recenter reperto, in quo Card. Carafa († 1591), Congregationis istius praeses, singula decreta Concilii explicat, declarationem obiectam ad verba « cum omnibus suis partibus » iam allegat (cfr *P. Batiffol* La Vaticane de Paul III. à Paul V. Paris 1890. p. 73). Nihilominus declarationis auctoritas nulla est. Nam S. Congregatio Conc. nunquam habuit facultatem *authenticae* explicationis *dogmaticorum* decretorum Tridentini; in dogmatico autem decreto verba « cum omnibus suis partibus » leguntur. Si quis autem declarationem illam ea ratione urgeret, ut consultores saltem Congregationis istius eo sensu illam explicasse diceret, responderemus id unum verbis illius prohiberi, ne quid *in rebus fidei et morum* contra id quod habet Vulgata asseratur. Ita enim eam, si authentica foret, esse explicandam declaravit vivae vocis oraculo

Pius IX. hac de re die 1. Augusti 1859. interrogatus (*Franzelin* de Trad. et Script. p. 569). Quo Pii IX. responso indicatur distinctio, qua primum adversariorum argumentum infirmatur : in rebus fidei et morum Vulgatam reiicere non licet, Tr. vel C., in aliis quaestionibus ab ea non licet recedere, N. ; revera Ecclesia romana ipsa in chronologia ab ea recedit sequens alexandrinam versionem (*Martyr. Rom.* 25 Dec.). Ad secundam demum obiectionem adnotasse hoc loco sufficit, *partium* nomine non particulas qualescumque intelligi ; ex Concilii enim Actis constat, Patres illa expressione pericopas nonnullas Evangeliorum eo tempore in dubium vocatas tueri proxime voluisse, sed non negamus illam simul omnes alias partes tueri, quae ad *substantialem* librorum sacrorum integritatem pertinent.

4. — Eo igitur sensu Vulgata est declarata authentica, ut verus et genuinus revelationis fons dici possit ac debeat, ita quidem ut non tantum nulla falsa doctrina fidei vel erronea morum regula ex illa *legitime* deducatur, sed etiam omnia illa, quae ad verbi divini scripti substantiam pertinent, *fideliter* exprimat.

Hoc enim omnino tenendum esse *a.*) *ipsa authentici documenti ratio* nos docet. Quidnam authentici documenti nomine intelligatur, supra (§ 3 p. 66) diximus ; illa igitur sola Scripturarum editio vocari potest authentica, quae ab omnibus erroribus in re fidei et morum libera doctrinas fidei et morum in autographis contentas fideliter exhibet ; hae enim potissimum ad substantiam Scripturarum pertinent, quippe quae, ut fidem doceant moresque instruant, nobis sint datae. Idem *b.*) ex *motivo* eruitur, cui decretum innititur. Nam ideo Vulgata declarata est authentica, quia « *longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata est* » ; atqui divina providentia permittere non potuit, ut Ecclesia per tot saecula usu suo liturgico et dogmatico editionem aut perniciosis erroribus inquinatam aut ab autographis, quod ad eorum substantiam attinet, dissidentem probaret. Neque minus *c.*) *finis*, quem in suo decreto prosecuti sunt Patres, idem ostendit. « *Non parum* enim *utilitatis accedere posse Ecclesiae* » censuerunt, si ex omnibus latinis editionibus eo tempore propagatis una pro authentica declararetur ; atqui si falsum dogma aut erronea morum regula legitime ex Vulgata deduci posset aut si autographorum doctrinas fidei et morum non fideliter exhiberet, decreto suo Patres non parum Ecclesiae nocuissent ; id quod asserere, blasphemum est. Demum *d.*) hunc esse decreti sensum, *testimonia legatorum*, qui concilio praefuerunt, *et theologorum*, qui eidem interfuerunt, confirmant. Romanis enim theologis, quibus decretum non placuit, responderunt legati S. Pontificis, omnes Patres consensisse, tutissimam versionem esse Vulgatam, « quippe cui tam diuturno tempore numquam haereseos nota fuerit inusta » (*Pallavic.* Hist. Conc. VI. 17, 15) ; quibuscum consentiens *Andr. Vega* (l. c.) refert, « eatenus voluisse Concilium Vulgatam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defoedatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset ».

5. — Quod si quaeritur, num *omnes et singuli textus*, qui fidem vel morum regulam attingunt, perfectissimo modo et absolute autographis sacris conformes sint declarati, respondendum videtur, *Tridentinos Patres Vulgatam non ita declarasse authenticam, ut* a.) *modalem quamcumque discrepantiam* in textibus dogmaticis *negarent*, aut b.) *dogmaticis textibus*

iam antea critice dubiis maiorem, quam eo usque habuerant, *auctoritatem attribuerent,* aut c.) *omnes textus dogmaticos,* qui in sacris autographis adfuerunt, *etiam nunc in Vulgata inveniri assererent.*

Modalem differentiam intelligimus non eam solam, qua clarius vel obscurius doctrina quaedam exprimitur, sed illam quoque, qua idem quidem dogma, sed sub diverso aspectu aliaque ratione formali enuntiatur. Nemo catholicus negat, Novi Test. scriptores verba Domini *authentice* retulisse, at nemo quoque ignorat, in eorum relationibus modalem illam, quam diximus, discrepantiam inveniri. Ut unum exemplum afferamus, in verbis institutionis S. Eucharistiae, si ad solam Vulgatam hodiernam attendimus, S. *Lucas* (« Hoc est corpus meum, quod pro vobis *datur* ») innuit *praesens* sacrificium *incruentum,* S. *Paulus* (« Hoc est corpus meum, quod pro vobis *tradetur* ») *futurum* sacrificium *cruentum; SS. Matthaeus* et *Marcus* (« Hic est *sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur* ») directe id, quod est in calice, et indirecte eiusdem effectum enuntiant, SS. *Lucas* et *Paulus* (« Hic *calix Novum Testamentum est in meo sanguine* ») directe effectum et indirecte eius causam indicant. Tales ergo differentiae rationem authentiae nequaquam auferunt, et proin etiam inter Vulgatam et autographa inveniri possunt. Quare *Gen.* 3,15 cum Hebraeo *ipsum* (pro *ipsa*) legere omnino tibi licet, ac similiter *Ps.* 2,6 *at ego constitui regem meum super Sion montem sanctum meum* (pro *ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius*), aut *v.* 12. *osculamini filium* (pro *apprehendite disciplinam*), aut *Is.* 45,8 abstracta *iustitiam, salutem* (pro concretis *iustum, salvatorem*); pariter *Luc.* 22,20 vertere licet *qui pro vobis funditur* (pro *qui pro vobis fundetur*) etc.

Ad textus *critice dubios* quod attinet, Vulgata ideo aliis editionibus latinis praelata est, *quia* « longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata est », ergo etiam *quatenus* eodem usu probata est; tam late patet authentia, quam late patet usus, nec usus qualiscumque, sed usus dogmaticus, ad quem solum attenderunt Patres. Illi igitur textus, qui quia critice erant dubii non eodem modo in scholis theologicis adhibebantur aut omnino relinquebantur, etiam post decretum Tridentinum dubii manserunt; ex. gr. ex 1 Cor. 15,51, quamvis hic versus inter Latinos inde ab Augustini et Hieronymi aetate semper eodem modo sit lectus, illi ipsi theologi, qui authentiam Vulgatae latissime extendunt, certum argumentum deduci non posse fatentur, quia alio modo legatur in textu graeco (cfr *Cani* Loci theol. II. 14 etc.).

Demum authentiae ratio non tollitur alicuius *textus dogmatici omissione.* Namque versionem antiquam latinam, quae usque ad saec. 7. in Occidente erat vulgata, et alexandrinam ipsam, ex qua derivata est, vere authenticas fuisse, negare non possumus, nisi antiquam Ecclesiam authenticas habuisse Scripturas negare velimus; atqui in versionibus istis dogmaticos textus, imprimis vaticinia messiana, defuisse, saepe asserit S. *Hieronymus* (ad August. ep. 112,20; Praef. in Pentat.; Praef. 1. in Paral. etc.) et levi examine comprobatur; eorum igitur textuum, quibus Patres in suis controversiis cum haereticis saepe usi sunt, divinitatem negare non licet ob eam solam rationem, quod in Vulgata non legantur; ex. gr. *Prov.* 8,35 *Alex.* et *It.*; *Is.* 7,9 *Alex.* et *It.* (« Et nisi credideritis, *non intelligetis* » pro quo *Vulg. : non permanebitis* ») etc. etc.

6. — Ex dictis velut corollaria derivantur hae regulae de usu dogmatico Vulgatae textuumque primigeniorum et versionum Ecclesiae usu approbatarum.

1.) Theologus Vulgatam ceu fontem genuinum revelationis tuto semper adhibere potest atque ex omnibus textibus, *de quorum constante usu dogmatico constat*, legitimum deducere argumentum.

2.) Neque tamen textus quoque primigenios antiquasque versiones usu catholicarum ecclesiarum approbatas adhibere ullo modo prohibetur; sed argumenta ex illis legitime desumta eadem gaudent certitudine *intrinseca*, qua argumenta ex Vulgatae verbis derivata.

3.) Si ex critica investigatione constat, textum Vulgatae primigenio esse conformem, nec ulla est in verbis latinis ambiguitas, ex sola Vulgata legitimum argumentum *scripturisticum* efficitur, verba autem primigenia, si sunt ambigua, secundum sensum Vulgatae explicanda sunt.

4.) Quodsi Vulgata et textus primigenius verbis quidem consentiunt, verba latina autem ambigua sunt, ex textu primigenio, si non est ambiguus, desumendus est sensus verborum latinorum.

5). Si forte textus inveniatur in Vulgata, qui in hodierno textu primigenio aliisque versionibus desit, hic quoque legitimum praebet argumentum, quod scripturisticum tamen dici non potest, nisi constans huius textus in ecclesia *catholica* usus demonstrari potest.

§ 19. — *De Vulgatae correctione romana.*

1. — Alter abusus, quem de Vulgata notarunt Patres Tridentini, codicum editionumque fuit corruptio. Cui ut mederentur, statuerunt, « *ut posthac S. Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et Vulgata editio quam emendatissime imprimeretur* » (§ 18,1). Lovanienses autem theologi desiderio Patrum statim obsecuti novam editionem vulgarunt, quae correctoribus romanis non parvo fuit auxilio.

Die 8. Aprilis 1546. promulgatum est decretum Tridentinum, atque a. 1547. *Biblia Lovaniensia* in lucem iam prodierunt; editionem praeparaverat a Facultate theolog. invitatus *I. Hentenius*, O. Praed., integro fere textu R. Stephani (§ 17, 3) retento sed lectionibus triginta codicum additis. Novam emendationem non displicuisse, docent viginti sex editiones, quae paucorum annorum spatio variis in urbibus emissae sunt; nihilominus post Hentenii mortem a. 1566. Facultas Lovan. *Fr. Lucam Brug.* elegit, qui ab aliis theologis adiutus novis curis eam retractaret. Ita autem munere functus est Brugensis, ut textui henteniano, quem non mutavit, aliorum fere sexaginta codicum et complutensium Polygl. varias lectiones adderet. Novorum Bibliorum Lovaniensium celeberrima est editio a. 1583, qua usi sunt correctores romani.

2. —Etenim Patres Tridentini, quum decretum suum Romam mitterent, simul Summum Pontificem rogarunt, ut ipse per idoneos viros emendatissimam editionem curaret, quae omnibus pro exemplari esset. Quod negotium multo facilius esse arbitrati sunt, quam revera erat; licet enim immediate post Concilium terminatum Pontifices emendandae Vulgatae curam suam impendere coeperint, non nisi anno 1590. *prima* correctio romana typis est descripta (*Vulgata Sixtina*).

Patres Tridentini tam cito a romanis theologis emendationem terminatum iri speraverant, ut ipsius Concilii auctoritate approbata in lucem emitti posset; quae spes egregie eos fefellit. Toto enim tempore, quo duravit Concilium, aliis curis et laboribus multis distenti erant Pontifices; vix autem illo terminato Pius IV. quatuor Cardinales deputavit, qui Vulgatae textum ad pristinam puritatem revocarent. Aliquos codices, inter quos praecipuus Paulinus (Carolinus) erat, conferendos curavit congregatio emendandae Vulgatae instituta; at lento gressu progrediebantur theologi, quibus collatio codicum demandata erat, nec Pii IV. neque duorum eius successorum S. Pii V. et Gregorii XIII. tempore multum profecerunt. Gregorium XIII. autem secutus est *Sixtus V.*, qui brevi suo quinque annorum pontificatu (1585.-1590.) uti multis aliis praeclare gestis, ita etiam zelo, quem emendandis Scripturarum editionibus impendit, magnam sibi gloriam acquisivit. Etenim postquam iam a. 1586. alexandrinae versionis editionem, qua meliorem nondum accepimus, publici iuris fecit (§ 10 p. 87), non minorem sollicitudinem terminandae Vulgatae correctioni adhibuit, atque congregatio Cardinalium theologorumque huic negotio praeposita ardorem zelumque Pontificis aemulata est. Codices optimos (inter quos Amiat., Tolet., Paulin., Vallicell., Ottobon. etc.) contulit, lectiones dubias cum primigeniis textibus comparavit, emendationes faciendas post diligens examen in margine Bibliorum Lovaniens. (ed. a. 1583.) adnotavit. Id sibi proposuit congregatio, ut Vulgatam ita restitueret, qualis ex ipsius interpretis manu prodierat, ideoque primum locum auctoritati antiquorum Codicum et Patrum concessit iisque solis in locis, quorum lectio ex illa definiri non potuit, ad textus primigenios confugit, non tamen ut interpretis errata corrigeret, sed ut ex eis, quid probabilius ab interprete esset scriptum, diiudicaret. Post biennium exemplar correctum Card. Caraffa, congregationis praeses, Sixto V. tradidit. Qui illud attente perlegit, lectiones a congregatione in dubio relictas determinavit, emendationum partem approbavit, maiorem partem reiecit; quam proxime enim Lovaniensia Biblia sequi voluit. Suum deinde exemplar Pontifex typographo commisit atque ipse quoque folia singula a typothetarum erroribus purgavit. Hac ratione a. 1590. typis descripta est prima correctio romana, quae *Vulgata Sixtina* iure nominatur, quia in ea adornanda Sixtus primas partes habuit. Editioni constitutionem « Aeternus ille » praemisit, qua hanc suam editionem ab omnibus tamquam illam Vulgatam recipi iussit, quae a Conc. Tridentino authentica sit declarata; neque tamen omnibus numeris absolutam eam esse censuit, quia eam « optime, prout fieri potuit, emendatam » dicit. Ceterum mense Augusto 1590. mortuus est Sixtus, antequam eius editio publici iuris sit facta, quamquam aliqua exemplaria principibus catholicis iam erant transmissa.

3. — Sixtina Vulgata autem tantum abfuit ut omnium suffragia ferret, ut vehementissime impugnaretur; quare Gregorius XIV. eam per novam congregationem ad trutinam criticam revocari iussit. Mense Octobri 1591. paucis diebus ante Gregorii mortem altera correctio erat terminata, atque ita Clementi VIII. contigit, ut post praedecessorum suorum tot consilia curasque atque iteratas virorum eruditissimorum examinationes illam Vulgatae formam stabiliret, quae hodie in usu est (*Vulgata Clementina*).

Correctores sixtini aegre ferentes, quod neglecta maiore emendationum suarum parte textus sixtinus ad Lovaniensia potius Biblia quam ad antiquos codices esset redactus, Gregorium XIV. rogarunt, ut illum publice proscriberet; pontifex autem

Bellarmini consilium secutus novam maluit instituere congregationem, quae praeside Card. Columna Sen. sixtinum opus corrigeret correctumque textum sub nomine eiusdem Sixti ederet « addita praefatione, qua significaretur in prima editione Sixti prae festinatione irrepsisse aliqua errata vel typographorum *vel aliorum* ». Quoniam omnia a praecedentibus congregationibus iam diligenter erant praeparata, res satis celeriter processit; Gregorii mandatis obsecuti correctores nonnulla, quae in sixtina indebite videbantur omissa, iterum receperunt, multo plura contra antiquorum codicum fidem ex Lovaniensibus Bibliis recepta vel mutata removerunt aut emendaverunt, antiquam quoque versuum distinctionem a Sixto mutatam restituerunt; in genere tamen caverunt, « ne fieret mutatio, nisi cogeret necessitas », quare in iis dumtaxat lectionibus, quae sensum variant, « ad codices latinos et graecos atque hebraicos nec non ad SS. Doctores et Patres confugerunt ». At Gregorius XIV. morte praeventus negotium successoribus terminandum reliquit; Clemens VIII. igitur duos elegit Cardinales, Fred. Borromaeum et Aug. Valerium, qui una cum Fr. Toleto S. I. emendationes propositas novo examini subiicerent; diligentissime Toletus, cui Cardinales totam rem commiserunt, singulas perpendit atque paucos iam post menses exemplar a Summo Pontifice approbatum typographo tradidit. Tanta vero cum celeritate maturata est impressio, ut ante finem a. 1592. opus in lucem prodierit. Quamvis in primarum editionum titulis solius Sixti nomen sit positum (« Biblia sacra Vulgatae editionis Sixti V. Pont. Max. iussu recognita atque edita »), nomen autem Clementis VIII. non nisi ab a. 1638. addi sit coeptum, rectissime tamen secunda haec correctio romana vocatur *Vulgata Clementina*, quia Clementis VIII. auctoritate nititur.

4. — Sixtinam editionem, a qua haud parum differt, Clementina sine ullo dubio puritate textus multum superat, quamvis ne ipsa quidem omnibus numeris absoluta et perfecta dici possit; quare nihil obstat, quominus graves ob rationes clementinae alicui lectioni interdum alia ex codicibus hausta praeferatur.

In Clementinae editionis praefatione de solis quidem mendis typographicis Sixtinae correctis est sermo, at ter mille fere locis duo exemplaria inter se differunt, atque quam plurimae sunt differentiae, quae typothetis nulla ratione attribui possunt. Hinc haeretici ansam arripuerunt auctoritatis pontificiae impugnandae (*Thom. James* Bellum papale, sive concordia discors Sixti V. et Clementis VIII. circa hieronymianam editionem. Londini 1600.), at difficilis non fuit calumniarum refutatio, quum nulla ex differentiis fidem aut morum regulam tangat (cfr *Henr. de Bukentop*, O. Min., Lux de luce. Bruxellis 1710.). Quamquam autem gregoriani et clementini correctores nobis puriorem Vulgatae textum dederunt, genuinus tamen, qualis ex interpretis manu prodiit, nondum est restitutus. Ingenue hoc ipsa fatetur Clementinae praefatio rationibus indicatis, cur nonnulla, quae mutanda videbantur, non mutata sint; inter quas illa maximi est momenti, quod offensionem populorum nimiis mutationibus excitare noluerint correctores; unde concludamus oportet, menda illa consulto relicta, etsi fidem et mores non attingant, graviora tamen esse. Quamprimum igitur offensio illa non amplius erit timenda, nova quaedam correctio, dummodo legitima ab auctoritate proficiscatur, illas quoque maculas, quae remanserunt, abstergere poterit. Quare recte monet *Bonfrerius*, bonum esse ab interpretibus ea, quae mutanda censent, adnotari, « ut si quando aliam contingat fieri Bibliorum correctionem, loca haec a correc-

toribus accuratius inspiciantur » (Praef. 15,3). Revera aliqui theologi magna cum cura iam varias lectiones non paucas collegerunt, quae futurae emendationi maximo erunt auxilio (*Luc. Brugensis* Romanae correctionis... loca insigniora observata. Antwerpiae 1601. 1603; *H. de Bukentop* Lux de luce; praesertim *C. Vercellone*, Cler. Reg., Variae lectiones Vulg. lat. Bibliorum editionis. I. II. Romae 1860. 1864.; dolendum quam maxime, quod auctor praematura morte abreptus opus non absolverit). Novum Test. variis lectionibus codicum additis, duo Anglicani, *I. Wordsworth* et *H. I. White*, edere coeperunt, sed sola Evangelia hucusque compleverunt (Oxford 1889.-98.).

Pleniore illa perfectione, ad quam textus noster novis curis adduci potest, non obstante asserere licet, aliam non esse Scripturarum, nedum profani operis, editionem, quae aeque diligenter, atque Clementina nostra, sit praeparata et ad maiorem perfectionis gradum adducta.

§ 20. — *De versionibus ex Vulgata derivatis.*

1. — Quam plurimae versiones ex Vulgata derivatae sunt et quotidie derivantur, quae minoris quidem, quam pleraeque antiquae, sunt auctoritatis, sed sua non carent utilitate, ita ut operae pretium sit, praecipuarum saltem aliqualem tradere notitiam.

Inter antiquas versiones, de quibus hucusque locuti sumus, et inter recentes ex Vulgata derivatas magna illa praeprimis intercedit differentia, quod priores omnes in liturgicum usum proxime adornatae aut in liturgia statim adhibitae publicam ab initio habuerint auctoritatem, atque ob antiquitatem suam primigeniorum textuum eximii sint testes immediati aut mediati. Quo duplici privilegio carent recentiores; in privatum enim fidelium usum sunt factae nec ulla saeculo 8. est antiquior. Attamen traditionalem Scripturarum interpretationem nos docent, ut suo modo antiquis commentariis sint similes. Quapropter praecipuas enumerabimus atque primo quidem in loco eas, quae exorto protestantismo sunt antiquiores.

2. — Immerito iactant Protestantes, Ecclesiam medio aevo fidelibus Scripturas subtraxisse; illi enim libri sacri, qui populo utiliores sunt, diu ANTE EXORTUM PROTESTANTISMUM in omnes fere linguas translati erant atque sat magnus integrarum versionum numerus non paucis editionibus propagatus est, quamprimum inventa typographia id fieri potuit.

Ob multa et gravia damna, quae Scripturarum lectio, si sine debita praeparatione suscipitur, afferre potest et saepe attulit, Ecclesia sapientissimis quidem legibus usum librorum sacrorum in linguas vulgares translatorum temperavit et coercuit; sed quam parum lectionem eorum absolute prohibuerit, docent multae versiones, quae inde a saec. 8. exortae sunt. — ANGLI primi videntur fuisse, qui libros aliquos ex Vulgata in suam *anglosaxonicam* linguam versos acceperunt; ineunte saec. 8. *Adhelmas* Abbas Psalterium, *Ven. Beda* Evangelium S. Ioannis et forte alios libros transtulit; saec. 9. *Alfredus M.* interlinearem Psalterii versionem adornavit, et saec. 10. *Aelfric monachus* Pentateuchum, ll. Iob et Iudith ita reddidit, ut aliqua abbreviaret, alia accurate transferret; integra quoque Evangelia circa idem tempus versa sunt. Quae omnia philologis, quam interpretibus, utiliora

superantur versionibus *anglicis* integrarum Scripturarum, quarum una *Ioanni de Trevisa* (c. a. 1357.) adscribitur, altera iam saec. 13. exorta creditur. Pericopae Evangeliorum et Epistolarum exeunte saec. 15., integrae Scripturae ineunte saec. 16. anglice typis descriptae dicuntur.

Quando GALLIA primam suam versionem acceperit, nondum constat; multi autem cogniti sunt codices, qui variis in dialectis aut librorum historicorum excerpta aut aliquorum librorum completas versiones continent. Psalterium saec. 11., libri Regum saec. 12. translati sunt; magis autem propagata fuit Petri Comestoris Historia scholastica exeunte saec. 13. a *Guiars des Moulins* ita gallice versa, ut eius textui Vulgata substitueretur librique illi, qui in Historia deerant, adderentur. Ex hoc opere, quod totam Scripturarum versionem constituit, gallicum Novum Test. typis descriptum est Lugduni 1478., libri sapientiales 1482.; integri operis editio princeps prodiit Parisiis 1487., quam multae secutae sunt.

GERMANIA plures possedit versiones; paraphrasibus poeticis (Heliand, Otfriedi Krist) omissis supersunt fragmenta Evangelii S. Matth. (saec. 8.), harmonia Evangel. (saec. 9.), Psalterium et Cantica translata a Notker Labeo († 1022.), Williramo Abb. († 1085.) etc. Insequentibus saeculis variae integrarum Scripturarum versiones (aut recensiones) germanicae adornatae sunt; prima Biblia germanica e typis prodierunt a. 1462., ante a. 1520. secutae sunt plus viginti editiones in Germania Super., quatuor in Germania inf., praeter nonaginta Plenaria (Pericop. Evang. et Epist. domin.), quatuordecim Psalteria etc.

In HOLLANDIA prima editio prodiit Delftae 1475. et postea saepius repetita est.

HISPANIA primam versionem per Alphonsum V. (c. 1270.) accepisse dicitur; typis descripta est versio quaedam Valenciae 1478. — ITALIAE Iac. de Voragine, O. Praed. († 1298.), primam translationem dedit; Venetiis a. 1471. e typis prodiit versio a Nic. Malermi, O. Camald., adornata. — HUNGARIS aliquos libros iam saec. 12. transtulerunt monachi O. S. Benedicti, integras Scriptura *L. Bathyani* († 1456). — Instigante S. Hedwige regina translatio POLONICA facta est exeunte saec. 14.; BOHEMICORUM Bibliorum multi codices saec. 15. conscripti supersunt; Novum Test. bohemicum e praelo prodiit a. 1475., integra Scriptura 1488.

3. — Ut ab haereticorum versionibus fideles averterent, INDE AB A. 1520 catholici interpretes multas novas adornarunt, quae partim hodie adhuc in usu sunt.

In GERMANIA primae novae versiones operibus haereticorum oppositae sunt. Novum Test. transtulerunt *I. Beringer* (Strassburg 1526.) et *Hieron. Emser* (Dresden 1527. et saepius); integras Scripturas *Ioan. Eck* (Ingolstadt 1537. et saepius). Catholicis tamen magis probabatur versio *Ioan. Dietenberger*, canonici Mogunt. (Moguntiae 1534. et saepissime), quae a *Casp. Uhlemberg* Colon. ad textum Vulgatae Clementinae revocata (Coloniae 1631. et saepissime) usque ad finem saeculi praecedentis pervulgata erat, quum ab ea interpretationes *Thom. Aq. Erhard, Benedictinorum Etterheim., Ignatii Weitenauer* etc. dependeant. Exeunte autem saec. praecedente novam versionem edidit *H. Braun* (Augsburg 1788. sqq.), quae a *M. Feder* retractata (Nurnberg 1803.) fundamentum est versionis a *Fr. Ios. Allioli* (Landshut 1830. et saepissime) adornatae et hodie quam maxime vulgatae. Aliam novam versionem ediderunt *V. Loch* et *W. Reischl* (Regensburg 1818.-66.; Ed. 3. 1886.). Novum Test. verterunt *I. H. Kistemaker* (Münster 1818.) et *B. Weinhart* (München 1865.).

HOLLANDICAM versionem antiquam, quae Delftae 1475. prodierat, retractavit *Nic. Van Wingh* (Lovanii 1548.), eandem Vulgatae Clementinae adaptaverunt *theologi Lovanienses* (Antwerpiae 1599.), quae retractatio etiam hodie in usu est. Novas suas translationes non terminaverunt *G. Smets* et *P. van Hove*, O. Min. (Antwerpiae 1744. sqq.), *S. Lipman* (Nov. Test. Hertogenbosch 1861.), *Th. Beelen* (Nov. Test. Lovanii 1859. sqq.; Psalmi et libri poetici. 1878. sqq.).

Catholicis ANGLIAE inde ab a. 1582. vel 1609. (Novum Test. Rhemis 1582.; Utrumque Test. Duaci 1609.) inservit *The Douay Bible;* versio haec a Rich. Challoner a. 1750. emendata a Conc. Baltimorensibus (1810. 1820.) in America Septemtr. et ab Hiberniae episcopis a. 1857. approbata est.

Inter GALLIAE versiones, quae multae sunt, nulla pervulgata dici potest; maiorem tamen quamdam auctoritatem sibi acquisivit translatio *Iac. Fabri Stapulensis* (1523.-28.), postquam a Lovaniensibus per *Nic. de Leuze* retractata et correcta est (Lovanii 1550. etc.); ab illa etiam dependent versiones *Petri de Besse* (Paris 1606.) et *Petri Frizon* (Paris 1621.). Translatio *Ludovici Is. Le Maistre de Sacy*, cuius Novum Test. iam antea prodierat (Mons 1667.), integra edita est Parisiis 1672.-85.; licet a Clemente XI. proscripta hodie adhuc propagatur a Societate Biblica. Eandem *Aug. Calmet* O. S. Ben. (Paris 1706. sqq.) et *L. de Carrières* (Paris 1712. sqq.) correxerunt et commentariis auxerunt. Hoc nostro saeculo Scripturas transtulerunt *Eug. de Genoude* (Paris 1821. sqq.), *I. B. Glaire* (Paris 1861.), *M. A. Bayle* (Paris 1871 sqq.). Praeterea multae sunt Novi Test. versiones : *Francisci Veron* (Paris 1648.), *Mich. de Marolles* (Paris 1649.), *Antonii Amelot* (Paris 1666.), *Antonii Godeau* (Paris 1668.), *Dominici Bouhours* S. I. (Paris 1697.), *Richardi Simon* (Trevoux 1702.), *Nicolai Mesenguy* (Paris 1738.) etc.

Pauciores novas versiones possident ITALIA et HISPANIA. Prior antiquam translationem P. Malermi, quae editione *Ant. Bruccioli* haeretici (Venetiis 1530. sqq.), licet a *S. Marmochini* (Venetiis 1538. etc.) fuerit correcta, e loco suo removeri non potuit, usque ad finem saeculi praecedentis retinuit, quo tempore optimam accepit ab *Antonio Martini*, Archiepisc. Florentino (Taurini 1776. sqq.), quae hodie fere sola adhibetur. Hispaniae exeunte saec. 18. novam dedit *Phil. Scio de S. Miguel* (Madrid 1794.), cui tamen hodie altera praefertur a *F. Torres Amat.* paraphrastico quodam modo adornata (Madrid 1823.). LUSITANI quoque exeunte saec. 18. novam interpretationem receperunt ab *Ant. Pereira de Figueiredo* (Lissabon 1784.).

Inter BOHEMIAE Slavos, qui non paucas versiones possident, maiore auctoritate gaudere dicitur illa, quam Patres Soc. Iesu ediderunt Pragae 1677.; inter POLONOS vulgatissima hodie adhuc est translatio *Iac. Wujek* S. I. a Clemente VIII approbata (Cracoviae 1599. et saepius). — HUNGARIS versionem, quae hodie in frequentiore usu est, paravit *Georgius Kaldi* S. I. (Vindobonae 1626. et saepius). *Croati* quoque, *Sorabi*, aliique minores Europae populi, uti in Asia *Arabes, Indi*, *Sinenses* aliique, inter quos missionarii catholici laborant, aut integras iam possident versiones, aut saltem translationes istarum pericoparum, quae fidelibus utiliores sunt.

CAPUT VI.

DE USU CRITICO TEXTUUM PRIMIGENIORUM ET VERSIONUM ANTIQUARUM.

§ 21. — *Criticae sacrae praecepta praecipua.*

1. — « Codicibus emendandis, inquit *S. Augustinus* (Doctr. christ. II. 14), primitus debet invigilare sollertia eorum, qui Scripturas nosse desiderant ».

Ex iis, quae de historia et auctoritate textuum primigeniorum et antiquarum versionum tradidimus, satis elucet, omnes nostras hodiernas Scripturarum editiones haud paucis laborare erroribus, qui, quamvis fidei morumque doctrinam non attingant, nos tamen impediunt, quominus multis in locis genuina scriptoris sacri verba eorumque verum sensum percipiamus. Quare S. Augustini verba hodie eadem ratione, qua olim, valent, atque enixe opera nobis est navanda, ut ex innumera variarum lectionum silva eam seligamus, quae maiore cum iure sacro scriptori attribuitur. Procul quidem arcenda est effrenata illa licentia, qua hodie non pauci interpretes acatholici integrum sacrum textum diiudicare audent; illos enim textus, de quibus in Ecclesia numquam dubitatum est, uti plerosque, in quibus primigenia exemplaria cum versionibus antiquis consentiunt, i. e. longe maximam librorum sacrorum partem, crisi subiicere non licet; circa illos igitur solos, de quorum genuinitate in Ecclesia non constat, critica interpretis ars versatur. Ad hosce autem quod attinet, « ut iam Bellarminus indicavit Lucae Brug., laude digni sunt viri docti, qui scientia ceterisque praesidiis satis muniti suam conferunt operam ad genuinas lectiones in minutissimis quibuscumque explorandas et stabiliendas » (*Card. Franzelin* de Div. Trad. et Script. p. 566); quae enim homini leviter erudito minutissima videntur, ea pleniori sensus intelligentiae haud raro multum inserviunt. Quamobrem utilissima sunt praecepta quaedam, quibus in seligenda genuina lectione duci possimus. (cfr *Encycl.* 14).

2. — Iam vero primum praeceptum est, ut quasi a priore omnes illae lectiones reiiciantur, quae interna veritate aut verisimilitudine carent.

Hinc ab ulteriore examine excludere licet lectiones, *a.*) quae aut nullum aut erroneum sensum fundunt aut contradictiones in S. Scripturam inducunt, *b.*) illasque, quae cum contextu claro et indubitato (sed non ad arbitrium conficto) pugnant. Porro *c.*) iure supponitur, sacros auctores eorumque interpretes praecepta grammaticorum et rhetorum (uti parallelismum in poesi etc.) observasse; lectiones igitur, quae contra illa peccant, saltem minus sunt veri similes et pleraeque reiiciendae, quoniam negligentiae vel humanae fragilitati librariorum debentur; attendendum autem est, agi de lingua hebraica, cuius praecepta ex parvo documentorum numero non omnia desumi possunt, et de dialecto hellenistica atque rustica lingua latina, quae non secundum classicorum opera diiudicandae sunt. *d.*) Suum

quisque habere solet stylum suamque dictionem propriam; quare contra illas lectiones, quae a consueto scriptoris stylo dissonant, grave adest praeiudicium, quod tamen solum ad lectionem aliquam reiiciendam raro sufficit, quoniam iudicium de peculiari alicuius scriptoris stylo periculo erroris semper est expositum. *e.*) Critici profani difficiliorem lectionem faciliori plerumque praeferendam esse statuunt, idque recte, quia in libris profanis magnus numerus lectionum ex emendandi pruritu grammaticorum exortus est. Attamen in Scripturis, quas ceu sanctas Iudaei et Christiani semper venerati sunt, plerique librarii ab eiusmodi arbitrariis mutationibus abstinuerunt, ideoque regula illa, etsi etiam in critica sacra non omni auctoritate careat, raro tamen adhiberi potest.

3. — Repudiatis illis lectionibus, quae ob intrinsecas rationes genuinae esse non possunt, examinandi sunt testes reliquarum, ut ea seligatur, quae non tam numero quam pondere testimoniorum praevalet. Testium autem munere in critico hoc examine funguntur *antiqui codices*, *antiquae versiones, Patrum antiquorumque interpretum allegata.*

Loci paralleli enim, qui interdum inter testes nominantur, licet ad genuinum sensum definiendum plurimum valeant, in hac verborum crisi raro adhiberi possunt, quia diversi scriptores eundem sensum saepissime diversis verbis exprimunt. Itaque primo in loco examinandi sunt *codices manuscripti* atque etiam primae editiones, quae immediate ex codicibus sunt haustae; maxima autem cum sollicitudine inquirendum est, quo tempore, quo in loco, qua cum diligentia sint conscripti et emendati, quo ex fonte sint hausti, num ad certam familiam vel recensionem pertineant; neque enim numerandi sunt, sed ponderandi. Secundo in loco veniunt *versiones antiquae*, atque proxime illae, quae immediate ex primigeniis textibus sunt adornatae; mediatae enim fonti suo dumtaxat emendando directe inserviunt. Antequam autem adhibentur, de earum puritate et fidelitate constare debet; quae si extra prudens dubium est posita, priscae versiones vices gerunt vetustissimorum codicum, ex quibus sunt haustae tantoque praestantiores sunt eorum lectiones, quanto propius illarum origo ad sacrorum autographorum tempora accedit. Tertio in loco non parvi momenti sunt *Patrum allegata*, in quibus tamen attendendum est, antiquiores e memoria potius quam ex codic us Scripturas allegare, atque sciolos librarios haud infrequenter eorum allegationes suis Scripturarum codicibus conformasse. At ex ipsorum Patrum argumentationibus et interpretationibus eorum lectiones saepe cum certitudine cognoscuntur, atque haec testimonia vel ideo sunt maximi momenti, quia codicibus superstitibus Scripturarum pleraque sunt antiquiora.

4. — Interrogatis testibus ad sententiam ferendam iam deveniendum est, in quo iudicio auctoritas testimoniorum, quae inter se pugnant, accurate perpendatur oportet.

Itaque *a.*) lectio non tantum illa, quae omnium testium auctoritate munitur, sed illa quoque, quae *fere* omnium codicum, praesertim si antiquissimi sunt et ad diversas familias pertinent, aeque ac plerarumque versionum atque antiquiorum Patrum testimoniis fulcitur, pro vera et genuina admitti potest et debet. — *b.*) Hodierni textus hebraici lectio, etsi omnium hebraicorum testimonio nitatur, videtur reiicienda, si contra eam pugnant unanimia Alexandrinae, Syriacae, Vul-

gatae testimonia, idque maxime si etiam Chaldaeus et in Pentateucho Samaritanus a Massorethis dissentit; lectio autem, quae omnibus in his versionibus invenitur, tuto recipitur, licet Massorethae dissentiant. — *c.*) Graeca quoque Novi Test. lectio, quae ab omnibus antiquis versionibus dissentit et omnibus graecis Patribus ignota erat, genuina esse non potest; lectio autem, quae omnium aut plerarumque versionum testimonio fulcitur, nec omni antiquorum codicum graecorum auctoritate destituta est, videtur esse recipienda, maxime si accedunt Patrum aliquorum graviorum testimonia. — *d.*) Inter duas lectiones, quae ex codicum familiis, versionibus, Patribus aequalia fere habent testimonia, illa seligatur, quae orationis contextui magis consona aptiorem gignit sensum, aut si contextu definiri nihil potest, illa, quae cum dictione scriptoris cognita magis consonat. — *e.*) Quod si nec externis testimoniis nec contextu et dictione certum iudicium redditur, videndum est, ex quanam lectione origo reliquarum facilius explicatur, eaque probabilior est censenda, quae cum maiore probabilitate mater esse creditur reliquarum. — *f.*) « Omnis autem emendatio, uti recte monet *De Rossi* (Lectiones variae Vet. Test. I. p. LVI), ex auctoritate communium sacrae criticae fontium fiat, *non ex sola coniectura*, nisi textus sit aperte falsatus ac mendosus, hocque urgens et extrema necessitas cogat ». Immo vero in eiusmodi casibus ignorantiam nostram fateri praestat textumque, prout traditus est, relinquere, donec forte aliis documentis antiquis detectis res definiri possit. Ceterum dissentientibus inter se codicibus, codicum familiis, versionibus, Patribus magna exoritur casuum varietas, quos omnes enumerare et diiudicare huius loci non est.

§ 22. — *De sacrae criticae subsidiis.*

Ad sacram criticam exercendam, quae res est summae difficultatis, egregium auxilium praebent opera illa, in quibus variae lectiones additis fontibus, ex quibus sunt haustae, testimoniisque, quibus confirmantur, sunt congestae (*apparatus critici*) atque collectiones textuum antiquorum S. Scripturae (*Polyglotta*).

Qui sacram criticam debito modo exercere velit, multis variisque scientiis ornatus sit oportet. Nisi sit bonus theologus, lectionem admittere facile potest, quae cum revelata doctrina aliqua pugnat; nisi omnium Scripturarum accuratam possideat scientiam, illas lectiones non semper reiiciet, quae textibus indubitatis contradicunt; nisi linguarum hebraicae graecaeque atque aliarum quoque, quarum versiones examinandae sunt, peritissimus sit, numquam de variis lectionibus certum iudicium ferre poterit; vastissima deinde et accurata ei necessaria est cognitio codicum, de quorum auctoritate nihil statuere potest, nisi eorum aetatem, originem, familiam, statum praesentem cognoscat, atque idem dic de Patrum auctoritate etc. Accedit, quod nisi subtile acutumque sit eius ingenium, ex contextu lectiones non poterit diiudicare, neque ex stylo dictioneque, nisi literis apprime sit excultus. Summae igitur procul dubio difficultatis est ars critica, si ad scientias, quae praerequiruntur, animum attendimus; altera tamen ex parte facilior hodie facta est, postquam inde ab ineunte saec. 16. adiumenta externa comparari sunt coepta. Variae enim lectiones undequaque iam sunt collectae, neque desunt hodie bona opera, in quibus ita sunt digestae, ut quaenam sit singularum auctoritas, non nimia cum difficultate percipiatur. *Apparatus criticos*, qui ad

Scripturas primigenias et ad praecipuas versiones sunt comparati, suis locis indicavimus; restat ut de *Polyglottis* pauca addamus, in quibus primitivus textus cum praecipuis versionibus ita est dispositus, ut primo quasi aspectu appareat, quomodo variis temporibus aliquis locus sit lectus atque intellectus. Praeter minora quaedam, quibus non magna est auctoritas, quatuor prodierunt maiora saec. 16. et 17. adornata, quae speciali mentione sunt digna.

1.) COMPLUTENSIA a. 1502. instigante et impensas ministrante Card. *Franc. Ximenes de Cisneros*, O. Min., praeparari sunt coepta; hebraicum et chaldaicum textum curarunt tres Iudaei conversi *Alphonsus Complut.*, *Paulus Coronellus*, *Alph. de Zamora*, graecum et latinum *Dem. Ducas* Cret., *Aelius Antonius* Nebiss., *Iac. Lopez Astuniga* (Stunica), *Ferd. Nunn. de Gusman*. Ineunte a. 1514. Novi Test. impressio erat terminata in urbe *Complutensi* (Alcala de Henares), tribus annis post etiam Vetus Test. erat typis descriptum; in lucem tamen emissum opus non est nisi a. 1522. post Card. Ximenis mortem. Constat sex voluminibus; I. continet Pentateuchum hebr., vulg., alexandr. cum versione interlineari, chald. paraphrasin Onkelosi cum versione latina; II.-IV. reliquos libros Veteris Test. protocanonicos eadem ratione, sed sine paraphrasi chald., deuterocanonicos graece et latine; V. exhibet vocabularium hebr. et chald. atque grammaticam hebr., VI. Novum Test. graece et latine cum vocabulario.

2.) ANTWERPIENSIA seu REGIA munificentiae *regis Philippi II.* debentur; prodierunt autem *Antwerpiae* 1569.-72. editoribus *Ben. Aria Montano*, *Andr. Masio*, *Franc. Luca Brug.*, aliisque. Octo voluminum quatuor priora iis, quae in complutensibus exstant, reliquorum librorum paraphrases chaldaicas cum earum versione latina addunt; V. graeco et latino Novo Test. addit syriacum suis propriis et iterum hebraicis literis descriptum cum latina versione verbali; tria reliqua continent varios tractatus de antiquitatibus sacris etc.

3.) PARISIENSIA splendore externo sed non interno reliqua superant. Impensas *Guido Mich. Le Jay*, advocatus regiae curiae, subministravit; editores fuerunt *Ioan. Morinus* et duo Maronitae, *Gabriel Sionita* et *Abraham Echellensis*; Parisiis decem voluminibus prodierunt. Sex priora ab editione antwerp. in eo solo differunt, quod pro textu syr. N. Test. hebraicis literis conscripto exhibeant arabicum. Ultima quatuor Pentat. Samarit. eiusque versionem samarit., uti etiam syriacum et arab. Vetus Test. cum interpretationibus latinis afferunt.

4.) LONDINENSIA vel WALTONIANA omnium optima sunt, quum plures et accuratiores textus contineant atque amplo et egregio apparatu critico sint instructa. Editoribus *Bryane Walton*, *Edmundo Castello* aliisque prodierunt *Londini* 1657.-1686., octo voluminibus, quorum duo ultima Castelli Lexicon heptaglotton, VI. apparatum criticum ad omnes textus quinque prioribus voluminibus contentos exhibent. Versiones, quae iam in Parisiensibus exstant, multo accuratiores sunt receptae, additae autem sunt versiones aethiopica et persica. Pentateuchus octo variis linguis est datus, Psalterium septem, reliqui libri protocanonici Veteris Test. (praeter Esther) et Evangelia sunt hexaglotta, Esther et reliqui libri Novi Test. pentaglotti, deuterocanonici Veteris Test. plerique tetraglotti, sed Iudith et 1. 2 Mach. triglotti, fragmenta demum Estheris diglotta.

DISSERTATIO III.

DE INTERPRETATIONE S. SCRIPTURAE.

Canone Scripturarum stabilito fontibusque, ex quibus genuinus earum textus hauritur, indicatis restat, ut viam ostendamus, qua ad earum plenam intelligengentiam pervenitur. Quoniam enim Scripturae obscurae sunt, Patres iam acriter reprehenderunt illos, qui « in Scripturis sanctis sine praevio et monstrante viam ingredi se posse » opinabantur [1] regulasque tradiderunt, quibus in earum sensu indagando dirigamur oportet (*Orig.* de Princip. IV., *S. Aug.* de Doctr. christ. I.-III. etc.). Disciplina, quae praecepta haec explicat, *Hermeneutica sacra* hodie appellatur. Duplicem ei finem assignat *S. Augustinus,* quum ipse in suo opere hermeneutico « modum *inveniendi*, quae intelligenda sunt, et modum *proferendi*, quae intellecta sunt » exponeret; at ultima haec praecepta hodie in *Rhetorica sacra* traduntur. Itaque de prioribus dumtaxat disseremus, dissertationem autem in duas sectiones dispertimur, quarum prior variis, quae in Scripturis invenir dicuntur, sensus speciebus expositis regulas, quae ad verum sensum ducunt, theoretice explicat (*systema hermeneuticum*), altera varia systemata, quae decursu saeculorum a catholicis et acatholicis adhibita sunt, historice enarrat, ut clarius appareat, regulas nostras a Patribus interpretibusque catholicis semper fuisse adhibitas, ex erroneis autem acatholicorum systematis divitem errorum segetem esse exortam (*Historia exegeseos*). Cfr *Encycl.* 15. 16. 18.

(1) Cfr. *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53,6. 7. : « Agricolae, caementarii, fabri, metallorum lignorumve caesores, lanarii quoque et fullones, et ceteri, qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore esse non possunt, quod cupiunt; quod medicorum est,

Promittunt medici; tractant fabrilia fabri.

Sola Scripturarum ars, quam sibi omnes passim vindicant :

Scribimus indocti doctique poemata passim.

Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris literis philosophantur. Alii discunt, proh dolor, a feminis, quod viros doceant · et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt... Puerilia sunt haec et circulatorum ludo similia, docere quod ignores, immo ut cum stomacho loquar ne hoc quidem scire, quod nescias. »

SECTIO PRIOR.

Systema hermeneuticum.

CAPUT I.

DE S. SCRIPTURARUM SENSIBUS.

§ 1. — *De sensus scripturistici definitione et speciebus.*

1. — Sensus S. Scripturarum intelligitur omne illud, quod earum verba ex intentione Spiritus S. *immediate* vel *mediate* significant et manifestant. Duae igitur sunt sensus scripturistici species; alia enim Spiritus S. immediate *per verba* manifestat, alia *per personas vel res,* quae ipsae verbis immediate manifestatae a Spiritu S. adhibentur ad alias veritates simul docendas; prior *literalis* (historicus), alter *typicus* (spiritualis) vocatur.

Sensus vocabulo proxime ipsa sentiendi facultas ac dein etiam organa, quibus sentitur, designantur; sed « consuetudo obtinuit, ut etiam mente concepta sensus vocaremus » (*Quinct.*), et quia ea, quae mente concepimus, signis externis et maxime verbis manifestare solemus, his quoque sensum attribuimus; quo nomine igitur eas ipsas cogitationes intelligi volumus, quas signis istis manifestare et cum aliis communicare intendimus. Signi autem *sensus* probe distinguendus est ab eiusdem *significatione.* Significatio enim est notio illa, quae vocabulo vel signo *in se spectato* ex usu et institutione subest, ita ut significatio plerumque multiplex sit, quoniam iisdem signis vel vocabulis multa exprimi solent. Sensum vero vocabuli aut signi dicimus mentis conceptum, quem *hic et nunc* in his adiunctis per illud manifestare volumus, qui proin, nisi ambiguitate uti velimus, semper unicus est relationemque ad loquentis vel scribentis intentionem semper implicat. Sensus igitur Scripturarum in genere veritates illae sunt, quas Spiritus S., primarius Librorum sacrorum auctor, per scriptores sacros manifestare voluit. « Manifestatio autem alicuius veritatis, inquit S. *Thomas* (Quodl. VII. qu. 6. a. 14.), potest fieri *rebus* et *verbis*, in quantum scilicet verba significant res, et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum Deus non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram alterius; et secundum hoc in S. Scriptura manifestatur veritas dupliciter, uno modo secundum quod res significantur per verba et in hoc consistit *sensus literalis* (cfr § 2.), alio modo secundum quod res sunt figurae aliarum rerum, et in hoc consistit sensus *spiritualis* » i. e. typicus (cfr § 3.).

2. — Ex dictis elucet, minus recte a nonnullis praeter duos sensus indicatos etiam *accommodatum* et *consequentem* distingui; neque ad antiquorum scriptorum modum loquendi satis attendunt, qui a theologis scholasticis quatuor aut a Patribus tres scripturistici sensus species statui arbitrantur.

Accommodationibus et consectariis, quorum frequens est usus in Patrum interpretumque operibus, ab antiquis quoque nomen *sensus* interdum attribuitur, attamen definitionem sensus ad illa non quadrare clarum est. *Accommodatio* enim habetur, quando Scripturae verba ad rem adhibentur vel adaptantur *diversam* ab illa re, quam sacer scriptor expressit (cfr *infra* § 4); iam vero *sensus* relationem ad scriptoris intentionem implicat. *Consectaria* autem, si legitime ex sacris verbis deducuntur, procul dubio a Spiritu S. sunt « praevisa et provisa ut occurrerent », relatione igitur ad primarii auctoris intentionem non carent, sed nec directe nec indirecte verbis ipsis manifestantur (cfr *infra* § 2,4).

Porro scholastici notissimo suo versu memoriali : « *Litera* gesta docet; quid credas, *allegoria; Moralis*, quid agas; quo tendas, *anagogia* », noluerunt quatuor diversas sensus species (literalem, allegoricum, moralem, anagogicum) docere, sed, uti egregie iam exposuit *S. Thomas* (Quodl. VII. qu. 6. a. 15; Summa I. qu. 1. a. 10), duos dumtaxat admiserunt sensus, literalem et spiritualem (typicum), alterum vero tribus praecipuis eius argumentis descripserunt, quatenus nimirum sensu spirituali traduntur dogmata credenda, aut praecepta vitae praesentis, aut praemia vitae futurae. Simili modo *S. Augustinus* (de Utilit. cred. 3) libros sacros *quadrifariam exponendos* dixit « secundum historiam, secundum aetiologiam, secundum analogiam, secundum anagogiam », at recte monuit *S. Thomas* (Summ. I. qu. 1. a. 10 ad 2), tria priora ad unum sensum literalem iuxta Augustini sententiam pertinere. Alii demum Patres *Originem* (de Princ. IV. 11) secuti triplicem sensum videntur agnovisse (historicum, tropologicum, spiritualem); at haec divisio, licet ab Origene revera ad Scripturarum sensus referatur, a reliquis ad utilem potius Scripturarum expositionem trahitur, ita ut specie potius quam re dissentiant; explicationes enim, quas tropologicas appellant, aut mere literales sunt vel typicae, aut quia ex consectariis desumuntur vel accommodationes quaedam sunt, ad sensum proprie dictum non pertinent; ceterum attendendum est, magnam esse nominum varietatem, quibus Patres duas istas sensus species designant.

§ 2. — *De sensu literali.*

1. — « Per literalem sensum potest aliquid significari dupliciter, scilicet *secundum proprietatem locutionis*, sicut quum dicitur : *homo ridet*, vel *secundum similitudinem*, sicut quum dicitur : *pratum ridet*. Utroque modo utitur Scriptura, sicut quum dicitur quantum ad primum, quod *Iesus ascendit*, et quum dicitur, quod *sedet a dextris Dei*, quantum ad secundum; et ideo sub sensu literali includitur parabolicus vel metaphoricus ». (*S. Thom.* in Gal. 4. lect. VII.)

Sensus literalis Scripturae, quem Latini saepe vocant *historicum*, Graeci κατὰ τὸ γράμμα, κατὰ τὴν ῥῆσιν, κατὰ τὴν ἱστορίαν, est illa veritas, quam eius verba

immediate ex Spiritus S. intentione manifestant. Iam vero attendatur oportet, verbis metaphoricis quoque vel tropicis conceptum loquentis immediate exprimi; nam « quum Scriptura nominat *Dei brachium*, sensus literalis non est, quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id, quod per hoc membrum significatur, sc. virtus operativa » (*S. Thom.* Summ. I. qu. 1. a. 10 ad 3); hoc solum enim directe et immediate vocabulo *brachii* manifestare nec ullo modo in propria vocis significatione animum nostrum sistere vel morari voluit. Patres quidem metaphoricum sensum interdum vocarunt spiritualem, quia eorum tempore usus theologicus nomina ista nondum accurate definiverat, sed hodie multorum errorum ansam praeberet, qui tropicum sensum nominibus altioris, spiritualis, mystici etc. designaret. Tropici autem vel metaphorici sensus nomine omnia illa comprehenduntur, quae figuris quibuscumque exprimuntur; huc igitur trahendae sunt *allegoria*, quae habetur, quando metaphora per integram sententiam (cfr *Matth.* 5,13; *Luc.* 3,9) aut etiam per integrum librum (cfr *Cantic. Cant.*) continuatur, et *parabola*, i. e. narratio rei confictae, quae tamquam vere facta eo consilio proponitur, ut veritas aliqua vividius repraesentetur et efficacius commendetur vel prohibeatur.

2. — Singulis Scripturarum enuntiationibus sensum literalem subesse, vix opus est demonstrare, quum per se evidens esse videatur; erronea autem sua textuum nonnullorum interpretatione seductus olim Origenes id negavit.

Spiritum S., si per homines sermone humano ad homines loquitur, verbis humanis nativam eorum significationem relinquere, ex ipsa rei natura sequitur; quare eodem modo, quo scriptoris profani, etiam sacrorum scriptorum enuntiationibus omnibus sensus literalis subsit necesse est. De Scriptura profecto actum esset, nec umquam ex illa argumentum certum deduci posset, si hominum arbitrio relictum esset iudicium, utrum eius verba literali sensu intelligi deberent, necne; omni enim textui, qui displiceret, sensus literalis, utpote absurdus vel impossibilis, negari posset. Porro ex communi sententia Patrum « sensus spiritualis *semper* fundatur super literalem et procedit ex eo » (*S. Thom.* Quodl. VII. qu. 6. a. 14); unde textus illi scripturistici, qui sensu literali ex hypothesi carerent, omni sensu destituti essent; id vero asserere absurdum et impium est. Patres autem, qui nonnullis textibus sensum literalem negare videntur, plerique solum *proprium* excludunt; solus *Origenes*, qui legibus quoque nonnullis mosaicis, si literali sensu intelligantur, absurda vel impossibilia praecipi censebat, revera *omnem* sensum literalem illis abrogat; absurdis autem legibus ex. gr. adnumerat, quod esus vulturum prohibeatur, quum nemo isto animali vesci voluerit, quod pueri non circumcisi ex populo Israel exterminari iubeantur, quum parentes potius puniri debeant etc.; impossibilibus legibus adnumerat, quod tragelaphus, qui in rerum natura non inveniatur, inter munda animalia ponatur, quod Iudaei sabbathis e loco suo exire vetentur etc. (de Princ. IV. 11 sqq.). Attamen nec absurdae nec impossibiles sunt leges, dummodo recte explicentur.

3. — Unicus autem singulis in locis Scripturae est sensus literalis; sententia enim, quae eum, saltem nonnullis in locis, multiplicem esse docet, probabilibus argumentis non demonstratur.

S. Augustinum, qui omnium primus literalem Scripturae sensum multiplicem esse posse putavit (Conf. XII. 31; Doctr. christ. III. 27), et *S. Thomam*, qui hanc sententiam adoptasse ferebatur (cfr de Potent. qu. 4. a. 1; Summa I. qu. 1. a. 10), secuti theologi multi olim eam admiserunt simul fatentes multiplicem sensum « *passim* in Scripturis locum *non* habere ». Hodie tamen longe communior est sententia, omnibus Scripturae locis unicum subesse sensum literalem neque hac in re libros sacros a profanis differre. Revera Spiritus S. per homines humano sermone pro hominibus libros sacros scribi voluit; iure igitur admittitur, eum eadem ratione agere voluisse, qua alii scriptores agunt, qui, si recte scribunt, iisdem verbis diversa indicare non intendunt. Procul dubio verba nonnulla, si per se sumuntur, plures res significare possunt, at unam solam intendere solet scriptor, atque haec ex contextu aliisque adiunctis cruenda est; quod si cum certitudine non colligitur, plures quidem habemus verborum expositiones magis minusve probabiles, sed non multiplicem sensum. Fieri etiam potest, ut ex verbis legitima argumentatione aliae veritates deriventur, aut ut sensus verbis Scripturae expressus tam sit abundans, ut, si rite evolvitur, in plures quasi partes dispesci possit (ex. gr. Diliges Dominum Deum tuum etc.), at manet semper sensus unus. Haec enim suo modo etiam in libris profanis locum habent.

Adversarii autem hac in re libros sacros a profanis plane differre contendunt; eorum igitur est, assertionem hanc argumentis demonstrare, et quoniam ipsis fatentibus multiplex sensus Scripturarum est res extraordinaria et supranaturalis, quae a sola libera Dei voluntate pendet, ex fontibus revelationis, i. e. ex traditione et Scriptura, illam adstruant necesse est. Adnotandum autem est, non quaeri, num Spiritus S. iisdem verbis diversas veritates docere *potuerit*, sed num id revera in Scripturis *fecerit*. Iam vero *a.*) *hoc non docetur a traditione.* Ante S. Augustinum nemo de multiplici sensu literali locutus est, S. Doctor ipse suam sententiam non velut certam et ex traditione haustam sed velut *piam et probabilem opinionem* proponit; propter eius tamen auctoritatem sententiam « apud scholasticos *recentiores* et interpretes » invaluisse asserit *Vasquez*, qui ipse eam tenet (In Summ. I. 1,10 Disp. XVII. 3); revera ad S. Thomae auctoritatem immerito provocatur, quippe qui uno in loco (de Potent. qu. 4. a. 1.), ubi S. Augustinum sequens prima verba Geneseos exponit, multiplicem sensum eadem ratione, qua ille, admittit (« Non est *incredibile*, Moysi et aliis S. Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera... sub una serie literae designarent »), aliis tamen in locis, ubi de sensibus Scripturae *diserte* agit, aut sensum literalem latissime sumit (Summa I. qu. 1. a. 10 : sensus literalis est omne id, « quod auctor intendit », ergo etiam sensus typicus), aut etiam directe sensum typicum includit (Quodl. VI. qu. 14. ad 5. « unde non est impossibile simul plura intelligere, *in quantum unum est figura alterius* »). Reliqui scholastici antiquiores etiam clarius unitatem sensus literalis asserunt, uti *Alex. Halensis* (Summa I. qu. 1. m. 4. a. 2. « unicus sensus literae, multiplex in mysterio »), *S. Bonaventura* (IV. Sent. Dist. 21. p. 1. dub. 1 : « Una Scriptura potest multis modis *exponi;* unus tamen est literalis et principalis intellectus ») etc. — Neque *b.*) *ex Scriptura ipsa* colligitur multiplex sensus. Veteris Test. enim textus nonnulli diverso quidem modo in Novo adhibentur, sed unus sensus literalis eis attribuitur. Ex *Ps.* 2,7 literali sensu demonstrat *S. Paulus*, Christum angelos superare, quia est Dei filius ab aeterno genitus (*Hebr.* 1,5); sed ex eius divina natura, quae Ps. 2,7 praedicta est, deinde deducit eum aeterno sacerdotio fuisse clarificandum (*Hebr.* 5,5) et eum resurgere debuisse (*Act.* 13,33). Eadem ratione

S. Matthaeus (8,17) legitimum consectarium ex *Is.* 53,4 colligit, sed verba ipsa in alium sensum non deflectit. Vaticinii autem Danielici (*Dan.* 9,27), quod Dominus in futura urbis destructione impletum iri dixit (*Matth.* 24,15), verba quaedam auctor 1 *Mach.* (1,57) suo argumento accommodat. Ne unus quidem textus hucusque allatus est, cui *authentica* interpretatione Scripturae aut Ecclesiae multiplex sensus sit attributus. Caiphae enim verba (*Ioan.* 11,51) in hac quaestione inepte afferuntur; nam unum solum eorum sensum intendit Spiritus S., qui ea pontifici inspiravit, permisit autem, ut iisdem Caiphas suum sensum exprimeret; simili modo permisit Dominus, ut Iudaei sua verba (*Ioan.* 2,19) alio, quam ipse intendebat, sensu intelligerent. Nullo igitur argumento munitur sententia de multiplici Scripturae sensu.

4. — Ad sensum literalem iure trahuntur consectaria, sive accuratiore et pleniore verborum explicatione hauriuntur, sive ex eis legitima argumentatione derivantur; neutra quidem species *sensus consequens* appellari potest, utraque autem ab interprete diligenter est explicanda.

Idem praedicatum, si de plane diversis subiectis enuntiatur, pro subiectorum natura arctiore aut pleniore et uberiore sensu intelligi potest ac debet; prorsus alia profecto intelligitur potentia, si homo potens vocatur, alia, si Deo potentia attribuitur. Quem perfectiorem et pleniorem sensum, quum consequenter ad praedicati cum *hoc* subiecto coniunctionem exoriatur, aliqui *consequentem* nominant monentes hac ratione multa explicari, quae multiplicem sensum habere a nonnullis dicuntur; etenim id, quod de aliquo subiecto praedicatur, interdum tam amplum et vastum est, ut in varias quasi partes suas dividi debeat, antequam universum intelligatur. Attamen quidquid hac via invenitur, rectissime quidem *sensus* vocatur, quoniam omnia, quae vi et potestate vocabuli alicuius in genuino suo contextu considerati continentur, a dicente vel scribente intenta esse, iure asseritur; *consequens* autem sensus vocari nequit, quia illa, quae vim vocabuli in suo contextu considerati non excedunt, etiam limites sensus literalis non transgrediuntur. Evidens vero est, interpretem officii sui munus non explere, nisi ad ampliorem uberioremque hunc sensum diligentissime attendat. — Sensus literalis limites autem transgrediuntur alia consectaria, quae argumentatione ex Scripturae verbis derivantur. In illis enim sensus verborum non praebet nisi unam ex duabus syllogismi praemissis, altera aliunde additur, ita ut consectarii veritas non a solis Scripturae verbis sed etiam ab addita praemissa et a legitimitate syllogismi dependeat; unde eiusmodi consectarium ad sensum literalem pertinet quidem, sed sensus proprie dictus nominari non potest. Ceterum quoniam praemissae a nobis additae, licet sacris scriptoribus incognitae fuerint, ipsum tamen Spiritum S., primarium auctorem, non latuerunt, legitima eiusmodi consectaria etiam Spiritui S. attribuuntur utpote ab ipso « praevisa et provisa » (cfr *S. Aug.* Doctr. Christ. III. 27). Hinc sacri scriptores ea interdum velut Spiritus S. dicta allegant (1 *Cor.* 1,31 ex *Ier.* 9,23. 24), interdum alteram praemissam simul indicant (1 *Cor.* 9,10. 11 ex *Deut.* 25,4), interdum nuda Scripturae verba allegantes conclusionem lectori colligendam relinquunt (1 *Tim.* 5,18 ex Deut. 25,4). Porro « *omnis* Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia » (2 *Tim.* 3,16); sed si in nudis verbis haeremus, satis multa in Scripturis nullam ex his utilitatibus praestant (ex. gr. 2 *Tim.* 4,13; Philem. 22 etc.); consectariis igitur suis legitime deductis utilia sint oportet, atque quonam modo utilitatem istam haurire possimus, ipsi sacri scriptores nonnullis in

locis atque Patres continuis suis practicis applicationibus nos docent. Tropologica enim eorum explicatio, etsi eam allegoricam, mysticam, spiritualem etc. interdum appellent, vix quidquam aliud est, quam practica conclusio ex verbis Scripturae derivata.

§ 3. — *De sensu typico (spirituali).*

1. — Typicus sensus, uti supra dictum est (§ 1,1), non immediate e verbis hauritur, sed immediatum eius fundamentum sunt personae vel res providentia divina ita dispositae, ut alias res vel personas significarent (*typi*). A sola igitur libera Dei dispositione dependet typica alicuius rei vel personae ratio et in solis Scripturis invenitur typicus sensus.

Praeclare id docet *S. Thomas* (Summa I. qu. 1. a. 10) : « Auctor S. Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, quum in omnibus scientiis voces significant, *hoc habet proprium ista scientia* (theologia), quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid ». Mediantibus igitur personis vel rebus (actionibus, eventibus, institutionibus etc.) ad hunc finem speciali providentia dispositis Deus nobis loquitur; quae personae vel res significantes a *S. Paulo* vocantur *typi* (*Rom.* 5,14; 1 *Cor.* 10,6) aut etiam *exemplaria* et *umbrae* (*Hebr.* 8,5), *allegoriae* (*Gal.* 4,24), *parabolae* (*Hebr.* 9,9), quia similitudinis quaedam ratio inter eas et inter res significatas, quae *antitypi* (cfr 1 *Petr.* 3,21) appellari solent, intercedit.

Haec autem similitudinis ratio, quum a libera Dei voluntate dependeat, nobis esse manifestata debet, ut *typum* ac proin *typicum sensum* aliquo in Scripturae loco agnoscamus. Excluduntur ergo omnes illae explicationes vulgo *allegoricae* dictae, quibus omnes res sensibiles (personae, eventus etc.) in Scripturis commemoratae velut involucrum quoddam considerantur, quo Deus altiores veritates revelaverit; etenim licet in illis quoque interpretes aliquam similitudinem inter figuras istas sensibiles et figurata spiritualia deprehendisse sibi videntur, non constat tamen, eam esse a Deo intentam, ac revera saepissime est mera fictio. A typis autem bene distinguenda quoque sunt *symbola,* quibus prophetae a Deo iussi interdum alias res significabant; etenim in his omnino quidem constat, similitudinem esse a Deo intentam, at symbolicae actiones totam suam exsistendi rationem in hac praefiguratione habuerunt, ut ea sublata iam non essent factae; typi autem suam exsistendi rationem in se habent et praefigurativa vis illis est superaddita. Quae *Ezech.* 12,2 sqq. a propheta fiunt, ideo *tantum* fiunt, ut futuram Sedeciae sortem praefigurent; quae autem de transitu Israelis per mare narrantur (*Exod.* 14,22 sqq.), quamvis etiam mysteria futura praefigurent (1 *Cor.* 10,2 sqq.), minime tamen ad ea sola indicanda facta sunt. Unde symbolicae actiones aeque ac symbolicae visiones limites sensus literalis metaphorici non transgrediuntur (cfr *S. Thom.* Quodl. VII. qu. 6. a. 15. ad 1.).

2. — Sine fidei detrimento non potest negari, typos typicumque sensum in Scripturis inveniri; ipsa enim Novi Test. inspiratio destruitur ab illis, qui levissimis atque attentione vix dignis obiectionibus typos omnes excludunt typicumque sensum pro mero figmento habent.

Quod quanta cum veritate asseratur, facile apparet, si ad Apostolorum rationem

argumentandi attentionem nostram convertimus; eodem enim modo, quo ex literali, etiam ex typico sensu argumentantur Apostoli, neque medios inter textus, qui literali sensu intelligendi sunt, alios afferre dubitant, qui solo typico sensu thesin propositam demonstrant. Quae literali sensu de agno paschali (*Exod.* 12,46; *Num.* 9,12), de populo Israel (*Os.* 11,1) etc. dicta erant, ea in Christo impleta esse docent *S. Ioannes* (19,36) et *S. Matthaeus* (2,15): Christum angelos superare, quia sit filius Dei, demonstrat S. Paulus non tantum ex Ps. 2.7, qui literali sensu de Christo loquitur, sed etiam ex 2 *Reg.* 7, 14, licet ultima haec verba literali sensu de Salomone sint dicta (*Hebr.* 1,5). Nisi igitur typi typicusque sensus admitterentur, sacros scriptores in suis argumentationibus errasse esset dicendum: neque enim velut ornamenta, sed tamquam vera argumenta illos textus typice explicatos attulerunt. Simili modo multa alia typica in Novo Test. allegantur, immo integrum Vetus Test. quodam modo ab Apostolis pro typo Novi habetur: Adam (*Rom.* 5,4) Melchisedech (*Hebr.* 7,3) etc. sunt typi Christi; Sara et Hagar cum filiis suis figurant duo testamenta (*Gal.* 4,21 sqq.); ea, quae Israelitis per mare et per desertum transeuntibus acciderunt, typi sunt beneficiorum Novi Test. (1 *Cor.* 10, 2 sqq.) etc.

Quae tam clare docet Scriptura, ea non minore cum claritate docent Patres, qui ipsi non tantum inde ab apostolicis temporibus typos adhibent et explicant (*S. Barn.* ep. 7. 8. 9. etc.; *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 12 etc.), sed inde a medio iam saec. 2. diserte hunc typicum sensum a literali distinguunt (*S. Iust. M.* c. Tryph. 114: « interdum Spiritus S. efficiebat, ut clare et aperte *aliquid fieret*, quod typus erat futuri, interdum autem et *sermones praenuntiavit* de futuris »; *S. Iren.* c. haer. IV. 26,2 : « si quis intentus Scripturas legat, in iis inveniet de Christo *sermonem* et novae vocationis *praefigurationem* » etc.).

Contra quae nihil aliud afferunt adversarii, nisi confusionem et ambiguitatem typico illo sensu creari humanasque opiniones in divinam Scripturam invehi. At sensus typicus ille non est, quem homo sibi ad arbitrium effingit, sed quem a Deo intentum esse constat. Neque vero ambiguitas aut confusio exoritur, quia « sensus isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces signa esse possunt aliarum rerum » (*S. Thom.* Summa l. c.).

3. — Certum quoque omnino est, ex typico sensu validum posse desumi argumentum, dummodo de typica ratione certo constet.

Oppositam sententiam tenere videtur *S. Thomas*, si « ex solo sensu literali posse trahi argumentum asserit, non autem ex his, quae secundum allegoriam (typice) dicuntur » (l. c.), eique consentiens monet *S. Hieronymus* « numquam parabolam et dubiam aenigmatum intelligentiam posse ad auctoritatem dogmatum proficere » (In Matth. 13,33). At evidens est, SS. Doctores Apostolis contradicere noluisse, qui frequenter ex sensu typico argumentantur, sed id solum innuisse, minus aptum esse sensum typicum ad argumentandum, quia de eo non facile nobis constat. Quam primum vero sive ex alterius scriptoris inspirati sive ex unanimi interpretatione Patrum sive ex Ecclesiae infallibili testimonio typica ratio alicuius textus nobis innotuit, eum eadem ratione, qua literalem, adhibere possumus; eadem enim ratione, qua ille, auctorem habet Spiritum S. Atque haec quidem de argumentatione stricte theologica valent; liberior enim usus typorum typicique sensus in concionibus permittitur; sed in his quoque duae cautiones sunt adhibendae : *a.*) ut vera adsit typum inter et antitypum congruentia neque

levissima iam similitudinis ratio ad statuendum typum sufficere credatur, *b.*) ut typicae explicationis fundamentum praebeat ipsa Scriptura vel Ecclesiae Patrumve auctoritas. Quoniam Salomonem constat esse typum Christi (*Hebr.* 1,5), fundamentum sufficiens adest, ut multa, quae de Salomone narrantur nec tamen in Scriptura Christo applicantur, nos ipsi de Christo explicemus.

4. — Licet ex Apostolorum ratione argumentandi constet, integrum Vetus Foedus typum esse Novi, minime iam sequitur, omnia et singula, quae in vetere oeconomia inveniuntur, typica esse; absurdum autem esset, si quis in omnibus Veteris Testamenti phrasibus sensum typicum quaereret.

Origenes (de Princ. IV. 20) quidem statuit, « Scripturam ubique spiritualem, non autem ubique corporeum sensum habere », neque saec. 17. defuit schola quaedam interpretum protestanticorum, qui in omnibus, vel minutissimis, Veteris Test. rebus typos invenerunt. At recte iam monuit *S. Augustinus* (Civ. Dei XVII. 3) : « Mihi sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere literarum aliquid aliud praeter id, quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur, ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt ». Profecto ut asserere possemus, typicam rationem ad minima quaeque sese extendere, positiva argumenta deberemus habere, quia de libera Dei dispositione agitur; at eiusmodi argumenta nec a Scriptura nec a traditione praebentur. Porro singulis Veteris Test. textibus non inesse sensum typicum, demonstratione non indiget; quinam sensus typicus praecepto Domini « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo » etc. (*Deut.* 6,5) similibusque multis inesse potest?

5. — Sicuti Veteri, etiam Novo Testamento typos sensumque typicum inesse, plerique recte tenent.

Patres nonnulli hoc negasse censentur, quia figuras adveniente Christo cessasse dicant; attamen id unum docere voluerunt, typos messianicos in Novo non adesse, quoniam umbrae iam successerit ipsa veritas. *S. Chrysostomus* autem diserte docet, Dominum, quum veterem prophetiam impleret, novae prophetiae initium fecisse « gestis suis futura praesignificantem » (In Matth. hom. 66,2), atque *S. Thomas* Ps. Dionysii sententiam « novam Legem figuram esse futurae gloriae » approbat (Summa I. qu. 1. a. 10). Cavendum quidem est, ne exemplar et typum confundentes resurrectionem Christi vocemus typum resurrectionis nostrae, quum eius potius sit causa exemplaris, aut ea, quae Christus egit, in typos tropologicos convertamus, quum ipse nobis reliquerit exemplum, ut sequamur vestigia eius (1 *Petr.* 2.21); attamen S. Paulus (*Hebr.* 13,11 sqq.) tropologicum quemdam typum videt in eo, quod Christus extra civitatem passus sit; Dominus ipse futuram destructionem Ierusalem ita describit, ut prius iudicium alterius universalis iudicii typum esse appareat; navicula Petri fluctibus iactata multis Patribus figura est Ecclesiae persecutionibus agitatae etc.

6. — Ex dictis sequitur, interpreti omnino ad sensum typicum Scripturarum attendendum eumque diligenter explicandum esse, quia non minus, quam literalis, est verbum Dei. Altera tamen ex parte cavendum

ei est, ne arbitrarias allegorias pro typico Scripturae sensu venditet; nullum igitur admittat, qui non probabilibus saltem argumentis muniatur.

Argumenta autem haec interpreti praebebunt *a.*) ipsi libri sacri, quum aut dissertis verbis aliquam personam vel rem typum esse asserant (*Rom.* 5,14 etc.) aut id clare supponant (*Hebr.* 1,5 etc.), *b.*) Patres *unanimi consensu* aliquid typice interpretantes. Minus certa argumenta ei suppeditant *a.*) liturgicus usus textuum aliquorum, nam Ecclesia in liturgia etiam accommodationibus utitur, *b.*) analogia manifesta, si quae inter Veteris et Novi Test. personas et res invenitur; quo in argumentorum fonte exhauriendo caute est procedendum; monente enim *S. Augustino* (Doctr. christ. III. 9) « melius est premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere ».

§ 4. — *De S. Scripturae accommodatione.*

1. — Duae sunt species accommodationis, qua Scripturae verba alicui personae vel rei, quam sacer auctor prae oculis non habuit, propter certam similitudinem adaptantur. Quae similitudo aut inter res ipsas habetur, ita ut illa, quae de una dicuntur, quoquo modo in alteram quadrent, aut in solis verbis, ita ut scripturistica verba proprio suo sensu privata ad rem omnino diversam significandam detorqueantur. Prior vocatur accommodatio *per extensionem*, altera *per allusionem*.

Exemplis definitiones illustrantur. Quae de Noe dicuntur « Inventus est iustus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio », aut de Isaac « Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus » etc., aut de Moyse « Similem illum fecit in gloria sanctorum » etc. (*Eccli.* 44,17. 25; 45,1 etc.), illa omnia suo modo etiam recte dici possunt de aliis sanctis, ideoque Ecclesia sensum illorum verborum *extendens* istis laudibus sanctos confessores celebrat, quamvis scriptor sacer laudes Patrum celebrans alios sanctos in mente non habuerit. Prorsus differt altera accommodationis species, quae vix aliud est, quam *lusus verborum*. A Psalmista « Deus mirabilis *in sanctis suis* » (*Ps.* 67,36) i. e. *in sanctuario suo* dicitur; per allusionem verba haec saepe ita adhibentur, ac si Deus miro modo sese *in sanctis hominibus* manifestasse dictus esset. Ut exprimat, Deum erga homines pro eorum meritis et moribus agere, Psalmista utitur verbis « Cum sancto sanctus eris, et *cum perverso perverteris* » sc. « tu, o Deus » (*Ps.* 17,27); quae verba a vero suo sensu detorques, si hominem aliquem illis admones, ut perversorum societatem fugiat, ne pervertatur.

2. — Prior species accommodationis ab ipsis sacris scriptoribus iam adhibita est, non quidem in eorum argumentis, sed in exhortationibus aut descriptionibus.

Rationalistarum sententia, qui vaticinia Veteris Test. dicunt ab Apostolis Christo esse accommodata, ex praeiudicio impossibilitatis vaticiniorum profluit et Novi Test. inspirationem negat; etenim scriptores sacri, si asserunt, hoc vel illud factum esse « *ut* adimpleretur » (ἵνα πληρωθῇ) vaticinium aliquod, non tantum similitudinem inter Veteris Test. verba et rem in Novo narratam indicare

volunt, sed eandem esse rem asserunt, quam praedicit propheta et narrat evangelista. Ad particulae *ut* (ἵνα) vim *finalem* non attendentes sed illam pro consecutiva (= *ita ut*) explicantes aliqui etiam egregii interpretes catholici a vero aberrarunt accommodationemque in nonnullis saltem vaticiniis admiserunt (cfr *C. Ians. Gandav.* et *Maldon.* in Matth. 2,15 etc.). Quomodo autem verba *Isaiae* 6,9 et 29,13, quamvis proxime de populo tempore Isaiae vivente sint intelligenda, rectissime sensu literali in coaevis Christi adimpleri dicantur, olim iam explicavit *S. Basilius* (in Is. 6,9). — Vaticinia igitur a scriptoribus sacris accommodata esse negamus; in exhortationibus autem suis ab accommodationibus non abstinuerunt. Profecto S. Paulus (*Hebr.* 13,5) singulis Christianis applicans verba, quae Dominus ad solum Iosue dixerat (*Ios.* 1,5), accommodatione per extensionem usus est; simili modo ad eleemosynas extendit, quae de manna dicta erant (2 *Cor.* 8,8 cfr *Exod.* 16,18). Ad accommodationem per allusionem autem prope accedit S. Ioannes, si verba illa, quae *Zach.* 4,14 de Zorobabele et Iosue pontifice dicuntur, duobus testibus adaptat, qui Antichristo primi resistent *Apoc.* 11,4); cfr etiam *Rom.* 10, 6-8; 15, 21 etc.

3. — Quoniam Ecclesia in liturgia et sacri scriptores in suis exhortationibus Scripturarum verba accommodare non dubitarunt, recte idem atque laudabiliter a fidelibus fit, dummodo debitae cautiones adhibeantur; cfr *Encycl.* 20.

Non sine pietatis emolumento verba scripturistica accommodari, docent opera Patrum ac praesertim S. Bernardi homiliae, quae, quum verbis Scripturae plerumque accommodatis quasi sint contextae, nescio quid unctionis et pietatis spirant; omnibus enim iis, qui Deum ipsum auctorem Scripturarum esse credunt, phrases ac voces fere singulae habent aliquid sancti et divini, quod ad pios animi affectus ciendos et nutriendos mirum in modum iuvat. Attamen *a.*) numquam licet sensum, quem per accommodationem verbis Scripturae ingerimus, pro vera et genuina Spiritus S. sententia aliis obtrudere; quare in dogmatum demonstratione aut confirmatione accommodationi non est locus[1]. *b.*) Iis solis accommodationibus uti licet, quae caritati et veritati inserviunt; gravissime igitur peccant, qui errores suos et impia quaecumque verbis Scripturae fucare conantur, atque illi quoque peccant, qui frivola atque inania textibus scripturisticis involvunt ac contegunt. *c.*) Cavendum quoque est, ne rebus nimis disparibus et dissimilibus ab ea, quam expressit sacer auctor, eius verba adaptentur et accommodentur, id quod facile fieri poterit, si per allusionem verba scripturistica adhibentur. Demum *d.*) Tridentina Synodus « temeritatem illam reprimere volens, qua *ad profana quaeque* convertuntur et torquentur verba et sententiae S. Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones... mandat et praecipit ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemtum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturae ad haec et similia audeat usurpare » (Sess. IV. Decr. de edit. et usu S. Script.).

(1) *S. Bern.* ipse, ubi Abaelardi vel Gilberti Porret. errores aggreditur, monet : « Seria sunt haec, quae fidem tangunt, neque admittunt ludendi licentiam illam, quam non respuit devotio fide bene fundata aut etiam eruditio liberalis » (cfr *Frassen* Disquis. bibl. IV. 6. § 3.).

CAPUT II.

LEGES HERMENEUTICAE IN SENSUS LITERALIS INVESTIGATIONE OBSERVANDAE.

§ 5. — *Leges interpretationis grammatico-historicae.*

1. — Ad grammatico-historicam interpretationem tria requiruntur: cognitio significationum, quae vocabulis ab auctore adhibitis competunt, definitio illius significationis, quam solam in determinato loco secundum communes loquendi regulas cum vocabulo auctor coniungere potuit, descriptio historica ideae, quam revera exprimere voluit (cfr *Encycl.* 15).

Duplex Scripturarum interpretatio distinguitur, *authentica* et *scientifica*. Authenticus verborum sacrorum interpres est solus eorum auctor, i. e. Spiritus S. qui aut in aliis Scripturis aut vivo et continuo suo in Ecclesia magisterio nos docet, quid verbo suo scripto nobis manifestare voluerit. Scientifica vocatur illa interpretatio, quae adiumentis legibusque hermeneuticis rite adhibitis sacrarum literarum sensum investigat. De hac sola nobis est agendum; sed quia scientifica authenticae repugnare nec debet nec potest, explicemus oportebit, quae illius ratio sit habenda.

Etenim verbum Dei scriptum duobus quasi elementis constat, altero divino, quatenus libri sacri Deum habent auctorem; altero humano, quatenus ab hominibus humano sermone hominum gratia sunt conscripti. Utriusque igitur elementi interpres rationem habeat oportet; in quantum Scripturae ab hominibus pro hominibus sunt exaratae, iisdem legibus, quibus profani libri, subiacent; in quantum sunt verbum Dei Ecclesiae custodiendum et explicandum traditum, praeceptis specialibus indigent. Primo igitur loco illa praecepta exponemus, quae grammatico-historicae interpretationi inserviunt, in sequente paragrapho illa trademus, quae ad catholicam interpretationem requiruntur. Utraque autem paucis absolvemus sapientissimi proverbii memores, longam esse viam per praecepta, brevem per exempla; bonorum enim commentariorum sollers lectio tironi interpreti utilior est, quam diuturnum minutissimarum legum studium.

Porro tota interpretatio eo tendit, ut easdem ideas, quas auctor, quum scriberet, in mente habuit, in mente sua legens reproducat; hinc requiritur, ut ex vocabulis in determinato contextu adhibitis ideas illas colligamus easque ex personarum, locorum, temporum adiunctis, i. e. ex historia, pressius definiamus.

2. — I. Praeprimis cognoscendae sunt adhibitorum VOCABULORUM SIGNIFICATIONES. Tres igitur linguas sacras atque scriptorum sacrorum modum loquendi interpres cognoscat necesse est; cfr *Encycl.* 25. 14.

« Contra ignota signa, inquit *S. Augustinus* (Doctr. christ. II. 11. cfr 16.), magnum remedium est linguarum cognitio. Et *latinae* quidem linguae homines duabus aliis ad divinarum Scripturarum cognitionem *opus habent*, *hebraica* scilicet et *graeca*, ut ad praecedentia exemplaria recurratur, si quam dubitationem

attulerit latinorum interpretum infinita varietas ». Neve quis putet, varietatem illam, postquam Vulgata declarata est authentica, hodie iam esse sublatam. Vulgata enim nostra, quamvis bona sit, sive ob linguae latinae penuriam, de qua saepe conquestus est *S. Hieronymus* (cfr In Gal. 5,18; in Eph. 1,4; 2,14; in Philem. 20 etc.), sive ob humanam interpretis infirmitatem non semper integram textus primigenii vim exprimit, interdum verbis ambiguis utitur, interdum erroneas sequitur lectiones, de quibus omnibus secundum primigenios textus est iudicandum. — Porro singulorum quoque *auctorum modus loquendi* tenearur oportet. Auctores enim a contribulibus et coaevis suis proxime voluerunt intelligi ideoque illis solis significationibus sive propriis sive translatis usi sunt, quas suae gentis suaeque aetatis usu approbatas sciverunt. Moysen inter et Esdram mille circiter interiacent anni, quo longo temporis spatio significationes suas mutarunt multa vocabula; alias significationes classici scriptores ethnici, alias interpretes graeci Veteris Test. et scriptores Novi graecis vocibus dederunt. Accedit, quod metaphoricus vocabulorum usus facilius quam proprius mutatur, quod aliae significationes vocibus attribuantur in vita communi, aliae in scholis philosophorum theologorumque, aliae a rusticis, aliae ab eruditis, ab historicis aliae, aliae a poetis etc.

3. — Auctorum sacrorum loquendi usus praecipue addiscitur *frequente Scripturarum lectione antiquarumque versionum collatione* nec non diligente *patristicorum operum studio;* haud inutile quoque, licet minus certum adiumentum ad eundem finem praebet *etymologia*.

Plerosque hos fontes indicat iam *S. Augustinus* (l. c. II. 9 sqq.), qui maxime continuam *lectionem* commendat, ut « familiaritas cum ipsa lingua Scripturarum » acquiratur, siquidem lectio saepe « ex praecedentibus vel consequentibus vel utrisque ostendit, quam vim habeat quidve significet quod ignoramus », et « ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus exempla sumantur » oportet. Idem quoque « plurimum iuvare *interpretum numerositatem* collatis codicibus inspectam atque discussam » monet, nam « ambiguitatem in propriis verbis » haud raro « solvi interpretum collatione aut praecedentis linguae inspectione ».

Continua autem Scripturarum lectione *Patres* dictionem linguamque suam ad biblicum usum efformarunt; quare ex eorum operibus multae phrases dictionesque scripturisticae illustrantur; neque graecarum tantum et latinarum, sed etiam hebraicarum locutionum significationibus cognoscendis dictio Patrum inservit, quoniam per Scripturam multi hebraismi in linguas graecam et latinam receptae sunt (cfr *S. Aug.* l. c. II. 13. 14). Maximae autem utilitatis sunt commentarii Patrum et antiquorum interpretum, a quibus vocum significationes data opera explicantur. Huc etiam spectat collatio operum Philonis et Fl. Iosephi, qui Apostolorum coaevi historiam doctrinamque suae gentis eadem lingua hellenistica, qua usi sunt Apostoli, tractaverunt.

Etymologia demum per se quidem significationibus cognoscendis egregie inservit, quatenus ex radice ad derivata concludi potest. Attamen vocabulorum hebraicorum multorum *hebraicae* radices nobis non sunt conservatae; ex dialectis igitur affinibus desumendae sunt, transitu autem ex una dialecto ad alteram voces significationes suas frequentissime variant neque semper inter radicis derivatorumque significationes nexus logicus est manifestus, ita ut etymologia, licet utilis sit, certum argumentum haud admodum frequenter praebeat.

Ut autem facilius et citius, quum non omnes directe ex fontibus indicatis hauriri possint, variae vocabulorum significationes inveniantur, magno adiumento hodie sunt *Concordantiae* et *Glossaria*.

Concordantiarum nomine designantur collectiones vocum, quae in Scripturis occurrunt, alphabetico ordine ita dispositarum, ut unicuique omnes textus, in quibus legitur, sint adscripti; earum igitur ope varietas significationum, quae ob contextus adiunctorumque varietatem vocabulo attribuendae sunt, satis facile invenitur. Concordantiarum inventor dicitur Card. *Hugo a S. Caro*, O. Praed. († 1263.), qui primas ad Vulgatam adornavit; eius opus a variis auctum et retractatum *Lucas Brugensis* Vulgatae Clementinae adaptavit (Antwerpiae 1617.), atque ab hac editione dependent modernae, quarum meliores ediderunt *H. Phalesius* (Viennae 1825.), *M. Dutripon* (Parisiis 1838. et saepius), *G. Tonini* (Prati 1861.), *M. Bechis* (Taurini 1887.)[1]. Similia opera ad alios textus Scripturarum adornata sunt; hodie praecipue adhibentur ad *hebraicum* textum Concordantiae hebr. et chald. ed. *I. Furst* (Lipsiae 1840.); ad *alexandrinam* Veteris Test. versionem Concordantiae graecae in LXX interpretes ed. *Abr. Trommius* (Amstelodami 1718.); ad *graecum* Novum Test. Concordantiae omnium vocum N. T. graeci ed. *C. H. Bruder* (Lipsiae 1842.; ed. 4. 1888.); ad *syriacum* Novum Test. Concordantiarum locum tenet *C. Schaafii* Lexicon syriacum concordantiale (Lugduni Bat. 1708.).

Glossariorum, quae vocabulis alphabetico ordine descriptis significationes altera lingua addunt, usus Patribus non plane incognitus fuit; hodie autem eiusmodi opera abundant, ex quibus illa nominamus, quae utiliora sunt. Ad *Vulgatam* inserviunt *Ign. Weitenauer* S. I. Lexicon biblicum Vulgatae (Augustae Vind. 1758. et saepius) et *Fr. Kaulen* Handbuch zur Vulgata (Mainz 1870.). Ad *textum hebraicum : G. Gesenii* Thesaurus linguae hebr. et chald. (Lipsiae 1835-53.); *eiusdem* Lexicon manuale (Ed. 2. Lipsiae 1847.), cuius editionem catholicam curavit *P. L. B. Drach* (Parisiis 1848.); eiusdem Gesenii Hebr. chald. Handwörterbuch (Ed. 10. Lipsiae 1885.; anglicam eius versionem edidit *Ed. Robinson*, Boston 1871.); *I. Fürst* Hebr. chald. Handwörterbuch (Ed. 3. Lipsiae 1876.) etc. Ad *chaldaicam* paraphrasin *Ioan. Buxtorfii* Lexicon chald. thalm. rabb. (Basileae 1639.; Lipsiae 1865. sqq.) et *I. Levy* Chald. Wörterbuch über die Thargumim (Lipsiae 1876.). — Ad *syriacam* versionem *E. Castelli* Lexicon syriacum (cum adnotationibus I. D. Michaelis. Gottingae 1787.), ad solum Novum Test. syriacum *C. Schaafii* Lexicon concordantiale (Lugduni Bat. 1708.). Ad versionem *alexandrinam : I. F. Schleusneri* Lexicon in LXX et reliquos interpretes graecos V. T. (Lipsiae 1820.). Ad *graecum Novum* Testamentum : *K. G. Bretschneider* Lexicon manuale (Ed. 3. Lipsiae 1840.), *C. A. Wahl* Clavis N. T. philol. (Ed. 3. Lipsiae 1843.), *C. L. W. Grimm* Lex. graeco-lat. (Ed. 3. Lipsiae 1888), *H. Cremer* Wörterb. der Neutestam. Graecität (Ed. 5. Gotha 1888.); *C. G. Wilke* Lexcion graeco-lat. ed. *Val. Loch* (Ratisbonae 1858.; opus catholicum). Pleraque haec opera acatholicos habent auctores; in iis igitur adhibendis philologicae explicationes caute et accurate a theologicis assertionibus sunt discernendae, atque prae oculis habendum est, praeiudicia protestantica saepissime ipsi philologiae esse perniciosa.

4. — II. Variis vocabuli significationibus cognitis, quamnam ex illis auctor indicare voluerit, seu quis sit in determinato loco VOCABULI SENSUS

(1) Optimum est Concordantiarum Manuale editum a *PP. de Raze et Lachaud* (Lugduni 1851. et saepius), sed concionatori, quam interpreti, utilius.

ex orationis adiunctis definiendum est. Qua in re praeprimis notandum est, propriam significationem non esse relinquendam, nisi necessitas cogat.

Quoniam omnis qui loquitur vel scribit a suis auditoribus vel lectoribus intelligi vult, aliam significationem determinato in loco cum vocabulo adhibito coniungere non potest, nisi quae consonat cum logicis rhetoricisque regulis aliisque orationis adiunctis, quibus sensus visque verborum definitur. Ex hisce ante omnia dependet, utrum vox proprie an tropice sit adhibita; iam vero, uti bene adnotat *Salmeron* (Prol. 9. c. 33) : « Iurisprudentes, quorum est de verborum significatione iudicare, non aliter a recepta verborum proprietate recedendum docent, quam si mens loquentis alia fuisse vel ex ipsarum rerum absurditate vel ex aliis manifestissimis indiciis deprehendi possit ». Atque diu antea monuerat S. Augustinus : « Quod proprie iam sonat, nulla putetur figurata locutio »; sed « iste omnino modus est, ut quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem neque ad fidei veritatem *proprie* referri potest, *figuratum* esse cognoscas » (Doctr. christ. III. 11. 15; cfr *Tertull.* de Carne Christi 13. etc.).

Quatuor autem sunt, quibus maxime sensus vocabuli definitur, orationis argumentum, occasio et finis, contextus, loci paralleli, inter quae supremum locum occupat contextus grammaticus et logicus.

De *orationis argumento*, i. e. de re, quam sive in toto libro sive in eius maiore minoreve parte auctor sibi tractandam proposuit, generali regula statui potest, omnem significationem, quae ei repugnat, esse reiiciendam, illam, quae sola ei consonat, pro vera esse admittendam; sed haud raro quoque argumentum ostendit, quam late verba sint extendenda, quae in comparationibus et parabolis ornatus causa sint addita etc. Ex toto argumento epistolarum ad Rom. et Gal. innotescit, quid S. Paulus nomine *Legis* et *operum Legis* intelligat; quo sensu *Exod.* 31,3 « spiritus Dei, sapientia » etc., intelligatur, ostendit argumentum istius loci etc.

Occasio, qua scriptor integri libri vel auctor alicuius sermonis in libro relati ad scribendum vel loquendum permoti sunt, atque *finis*, quem sibi proposuerunt, interdum in libris sacris diserte indicantur (cfr ex. gr. *Ioan.* 20,31; *Luc.* 1,4; introductiones evangelistarum ad sermones Domini, prophetarum ad suas conciones etc.) vel ex iis facile cognoscuntur (ex. gr. ex epistolis S. Pauli plerisque), interdum aliorum testimoniis nobis innotescunt (ex. gr. origo Evang. S. Matth. et S. Marci etc.). Iam vero cognita occasione, in qua verba quaedam dicta sunt (ex. gr. *Ioan.* 6,53 sqq., *Matth.* 10,5 etc.), aut perspecto fine, quem auctor sibi proposuit (*Hebr.* 1,5. 7 etc.), facile intelligitur, num verba proprio an translato sensu sint sumenda, quousque extendenda, quo sensu intelligenda.

Velut praecipuum autem adiumentum ad sensum vocis definiendum Patres iam considerant *contextum*, i. e. vocabulorum quum inter se tum cum antecedentibus et consequentibus nexum. Nam « dictorum intelligentiam aut ex praepositis aut ex consequentibus expetendam esse » monet *S. Hilarius* (de Trin. IX. 2), atque *S. Chrysostomus* severe prohibet ne « Scripturae sententiae temere arripiantur, atque *a serie sermonis et argumenti affinitate avellantur* aut nuda verba sumantur eorum subsidio destituta, quae sequuntur aut praecedunt » (Hom. in Ier. 10,23 cfr *S. Aug.* Serm. 50,13 etc.).

Contextus autem variae sunt species. Quantopere contextus *grammaticus* i. e.

syntactica constructio, qua vocabula phrasesque connectuntur, ad sensum genuinum inveniendum conferat, explicatione non indiget, atque prima interpretis lex est, ut ante omnia grammaticum nexum quaerat, nec regularum syntacticarum violationem admittat, nisi *evidentes* rationes id suadeant. Ad grammaticum nexum etiam trahi potest parallelismus poeticus (de quo cfr *Diss.* V. § 1,2. 3).

Neque minoris momenti est contextus *logicus*, qui ex observatis legibus logicae naturalis exoritur quum inter eiusdem phraseos membra aut inter propositiones immediate sese excipientes (contextus *proximus*), tum inter varias phrases totius alicuius partis aut etiam integri libri (contextus *remotus*). Proximus saepe cum grammatico coincidit, remotus, si latissimo sensu sumitur, ea quoque complectitur, quae de argumento et fine orationis diximus, quatenus ab his tota libri alicuius etc. contextio et divisio dependet. Caveatur autem, ne contextus velut a priore stabiliatur, ita ut ideas suas pro ideis scriptoris venditet interpres.

Porro tertia species est illa, quae contextus *psychologicus* nominatur. Fieri enim solet, ut vehementiore interdum animi affectu abrepti ea coniungamus, quae logice quidem intime non cohaerent, sed temporis vel loci adiunctis aut similitudine aliqua externa vel interna in mente nostra ita sunt associata, ut uno conceptu excitato alter simul excitetur. Quod quidem maxime locum habet in poesi lyrica (ex. gr. in Psalmis), in orationibus vehementibus (ex. gr. prophetarum), in dialogis etc. Atque huc quoque trahi potest nexus ille, qui a nonnullis *opticus* vocatur atque in vaticiniis illis invenitur, in quibus eadem visione prophetis eventus sunt exhibiti, qui temporum et locorum spatio ab invicem erant separati (cfr *Diss.* VI. § 2,4).

Demum ad sensum vocum definiendum iuvant *loci paralleli*, i. e. textus illi, qui ab invicem quidem distant, sed quia eadem vocabula in eodem contextu continent aut eandem doctrinam aliis verbis tradunt, se invicem illustrant. « Facilius, inquit *Origenes* (In Num. hom. 24,3; cfr *S. Aug.* Doctr. christ. II. 9; III. 28 etc.), in S. Scriptura quod quaeritur agnoscitur, si ex pluribus locis, *quae de eadem re scripta sunt*, proferantur ». Maioris utilitatis esse solent paralleli rerum, quam verborum, dummodo revera idem (et non simile dumtaxat) argumentum eodem (et non simili tantum) modo tractetur. Utiliores quoque plerumque dicuntur paralleli, qui ex eodem libro aut ex eiusdem scriptoris operibus sunt desumti : Paulus ex Paulo, Ioannes ex Ioanne etc. illustrandus est. At haec regula in solis verborum parallelis locum habet; inspiratio enim non impedit, quominus singuli scriptores sacri suum loquendi usum retineant; ad rerum autem parallelos quod attinet, prae oculis habeamus oportet, unum esse omnium Scripturarum auctorem primarium : etenim « ita sibi omnia in canonica auctoritate concordant, ut tamquam uno ore dicta iustissima pietate credantur et serenissimo intellectu inveniantur et solertissima diligentia demonstrentur » (*S. Aug.* c. Faust. XI. 6; cfr In Ps. 150,2; de Cons. Evang. III. 30; *S. Chrys.* In Matth. hom. 4,5 etc.).

5. — III. Sensus vocis inventus ex HISTORIA accuratius et pressius est describendus.

Auctorem aliquem perfecte non intelligimus, nisi eandem prorsus ideam, quam ipse in mente habuit, nos quoque in mente nostra efformaverimus. Ideae autem, quae iisdem verbis a variis personis exprimuntur, quam maxime variant; cum vocabulo *Deus* aliam omnino ideam coniungit ethnicus, aliam Iudaeus vel Mahommetanus, aliam Christianus; voces *Messiae* et *regni messianici* aliud signi-

ficant in ore Pharisaei cuiusdam, aliud in ore Domini et Apostolorum; בית οἶκος *domus* significant habitationem, at aliam ideam habitationis humanae habet homo barbarus, aliam homo ad civilem cultum perductus. Iam vero, ut auctoris ideam accurate cognoscamus, interroganda est historia. Idea, quae historiae repugnat, erronea est; si historiae testimonio destituitur, dubia manet; *si loquendi usu, contextu, historia confirmatur, pro vera et genuina admitti potest ac debet.* In Scripturis explicandis procul dubio revelationis et inspirationis ratio est habenda; sed Spiritus S. scriptoribus sacris non est usus tamquam instrumentis inanimis et mortuis; quare scriptores sacri cum vocabulis adhibitis alias notiones non coniunxisse recte dicuntur, nisi quas ipsi intellexerunt et a coaevis suis intelligi sciverunt.

Quapropter accurate semper inquiratur oportet, a quo vel saltem quo tempore liber explicandus conscriptus sit, quibusnam primis lectoribus destinatus, quis rerum omnium fuerit status eo tempore, quo exortus est liber.

Quae de auctore integri libri dicta sunt, eadem de auctore verborum in libris sacris relatorum valere evidens est, et quae de primis lectoribus dicta sunt, eadem de primis verborum relatorum auditoribus valent. Innumera autem et scriptores et oratores coaevis suis cognita supposuerunt; quapropter quam plurimae allusiones, expressiones, metaphorae etc., ex populi historia, patria, religione, moribus, consuetudinibus, disciplina, educatione explicentur et definiantur oportet. Idcirco *integrae historiae et archaeologiae sacrae studium* interpreti omnino est necessarium; ea autem, quae de librorum sacrorum scriptoribus eorumque primis lectoribus scitu necessaria vel utilia sunt, in *Introductione speciali* trademus.

§ 6. — *Interpretationis catholicae praecepta.*

1. — I. Scripturae, quoniam a Deo ipso hominibus sunt datae, SACRAE sunt, ideoque velut sacra res sunt tractandae. Nemo igitur ad eas accedat, nisi debito modo animum suum precatione et virtutum exercitio praeparaverit, easque eodem spiritu, quo factae sunt, legat (cfr *Encycl.* 35).

Libri sacri nobis non sunt dati, ut in eis explicandis ingenia exerceamus, sed sunt teste *S. Athanasio* (Ep. fest. 39) « salutis fontes, quorum eloquiis omnis, qui iustitiam sitit, impleatur et ex quibus pietatis doctrina hauriatur ». Quare monet *S. Augustinus* (c. Faust. XIII. 18), « ad commemorationem fidei nostrae et ad consolationem spei nostrae et ad exhortationem caritatis nostrae libros propheticos et apostolicos esse legendos ». Quem finem ut assequamur, ab eo, qui eorum est auctor primarius, genuinus eorum sensus expetendus est. « Ad divinas Scripturas intelligendas quam maxime necessaria est *pia precatio* » (Orig. Ep. ad Greg. Neocaes. 3). Nam « *semper* in exponendis Scripturis, inquit *S. Hieronymus* (in Mich. 1,10) Spiritus S. indigemus adventu », ideoque *S. Augustinus* interpretibus omnibus dicit : « *quod est praecipuum et maxime necessarium, orent ut intelligant* » (Doctr. christ. III. 37). « Piae autem precationi adiungenda est *humilitas*, ne inconsideratius aliqua de Scripturis sentiamus aut dicamus » (*Orig.* l. c.; cfr *S. Aug.* in Ps. 146,6); etenim « ubi humilitas, ibi et sapientia » (*Prov.* 13,2). Porro « cum *fideli mente* » vacandum est Scripturarum

studio, monente Spiritu S. ipso « si non crediderit, non intelligetis » (*Is.* 7,9 sec. LXX.); quare « attendens divinae lectioni recte et *cum firma fide in Deum* quaere illum, qui plerisque absconditus est, Scripturarum divinarum sensum » (*Orig.* l. c.). Demum probe et diligenter considerandum est pii scriptoris monitum : « Numquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonae intentionis in lectione eius et studio assiduae meditationis eius spiritum imbiberis. Numquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsius Psalmorum indueris affectus » (*Guigon. Carth.* Ad fratr. de monte Dei. I. 10).

2. — II. Scripturae, quoniam ipsum Deum habent auctorem VERACES sunt ac proin nihil falsi, nihil erronei, nihil absurdi continere possunt. Hinc tria praecepta gravissima sua sponte derivantur :

a.) Omnis interpretatio, quae supponit scriptorem inspiratum docuisse errorem, reiicienda est (cfr ***Encycl.* 17**).

« Nefas est, inquit *S. Hieronymus* (In Nah. 1,4), dicere Scripturam mentiri ». Eodem modo loquuntur reliqui Patres cum *S. Irenaeo* « rectissime scientes, quia Scripturae perfectae sunt, quippe a Verbo Deo eiusque Spiritu dictae » (c. haer. II. 28) et cum *Clemente Alex.* Scripturas Deiparae comparantes, « quia veritatem pariunt et manent virgines » (Strom. VII. 16). Hinc docet *S. Augustinus* : « In Scripturis si quid absurdum moverit, non licet dicere : auctor huius libri non tenuit veritatem, sed : aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis » (c. Faust. II. 2 cfr In Ps. 118. Serm. 31,5 ad. Hier. ep. 82,2. 22; ad Oros. c. Prisc. 11. etc.)

Praeceptum autem hoc ea sola comprehendit, quae tamquam *sua* sacri scriptores proferunt; ea enim, quae ab aliis dicta referunt, pro veritatibus divinis admittenda non sunt, nisi personae, quae loquentes introducuntur, ipsae divina auctoritate gaudent; reliqua, utpote mere humana, aut vera aut erronea esse possunt.

« In Evangeliis, inquit *S. Augustinus*, quamvis verum sit omnino, *quod* dicta sint, non tamen omnia, *quae* dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse verax Evangelii Scriptura testatur » (ad Oros. c. Priscill. 9). Revera ex libri inspiratione nihil aliud sequitur, nisi verba illa ab indicata persona in occasione illa esse prolata; de eorum veritate ex personarum loquentium auctoritate aut ex aliis rationibus diiudicandum est, quae in singulis textibus accurate sunt perpendendae; criterium enim generale, quo omnia eodem modo diiudicari possint, non habetur. Hae autem regulae plerisque diiudicandis inserviunt : *a.*) Verba, quae auctor inspiratus ipsi Deo loquenti aut angelo vel homini nomine Dei loquenti attribuit, pro divinis habenda sunt; atque *b.*) idem valet de verbis, quae, quamvis a mero homine sint prolata, postea pro divinis aut ab alio scriptore inspirato laudantur (1 *Cor.* 3,19; *Gal.* 4,30 etc.) aut velut divina ab Ecclesia sunt recepta (*Magnificat* aliaque similia); *c.*) idem quoque valet de verbis prolatis a personis, quae utpote in docendo infallibiles errorem docere non potuerunt (Sermones *Apostolorum* in Actibus), aut quas inspiratas fuisse auctor sacer innuit (cfr *Luc.* 1,42. 67; 2,25; 2 *Mach.* 7,21; num vero *Act.* 7,55 ad praecedentem orationem 7,2-53 extendi possit, incertum est). *d.*) Ubi notae hae desunt, plerumque dubii haeremus, nisi ex regulis rhetoricis aliquid definiri potest (cfr infra *Diss.* V. §, 5,2).

b.) Nulla contradictio in S. Scripturis admitti potest, unde omnis interpretatio reiicienda est, quae auctorem inspiratum sibi ipsi vel alteri inspirato auctori contradixisse supponit (cfr *Encycl.* 17).

« Scripturas inter se pugnare, inquit iam *S. Iustinus M.* (c. Tryph. 65) numquam audebo nec cogitare nec dicere », atque ignorantiam suam potius fateri, quam contradictionem in Scripturis admittere vult. Eadem ratione loquuntur reliqui Patres; at haec de sacris autographis proxime sunt intelligenda, in apographis enim et versionibus non deesse minores errores et contradictiones, quibus operis substantia non attingitur, tota historia textuum (*Diss.* II.) docet et Patres concedunt (cfr *S. Aug.* c. Faust. II. 2 etc.). In gravioribus autem rebus etiam hodiernus textus contradictiones veras (*antiphonias*) non habet, sed apparentes tantum (*antiphanias*). Ad quas detegendas et explicandas pauca haec iuvabunt :

a.) *in rebus fidei et morum* attende, non eodem sensu semper eadem vocabula adhiberi; aliud sunt *opera* apud *Iac.* 2,24 et apud Paulum (*Rom.* 3,28); aliud sunt *fratres* apud *Matth.* 12,46 etc., aliud plerisque aliis in locis; *primogenitus* non semper est ille, post quem alii, sed per se tantum is, ante quem est nullus (*Matth.* 1.25) etc. Porro novae alicuius doctrinae additione aut obscurioris clariore propositione non exoriri contradictionem perspicuum est, nec eam exoriri, si antiqua Lex abrogatis nonnullis imperfectionibus perfectior redditur. Demum attende, non omni in loco integram semper doctrinam proponi, sed unam potius quam alteram rationem considerari (ex. gr. *Ioan.* 14,28 et 10,30; — *Act.* 8,12 et *Matth.* 28,19; etc.).

b.) *In historicis textibus* videndum est, num auctor ipse rem narret an ab alio narratam referat (1 *Reg.* 31,9 et 2 *Reg.* 1,6 sqq.), num eandem chronologiam sequatur (*Diss.* IV. § 41,4), num eadem an similia tantum facta referantur, num rationes adfuerint, propter quas unus rem accuratius, quam alter, referre voluerit aut debuerit etc. (cfr *Diss.* VII. § 6.).

c.) *In propheticis locis* attendendum est, num prophetae ex inspiratione divina locuti sint necne (cfr 2 *Reg.* 7,3-17), num eandem personam vel rem in iisdem adiunctis consideraverint (Messias patiens aut gloriose regnans, populus Israel propter peccata puniendus, post poenitentiam salvandus etc.), num sensu proprio an metaphorico, num de uno an de pluribus eventibus loquantur etc. (*Diss.* VI. § 3,4).

c.) Nulla inter Scripturas interque profanas scientias contradictio admitti potest. Caveat igitur interpres ne explicatione sua eiusmodi contradictiones in Scripturas ingerat, memorque sit aureorum praeceptorum *S. Augustini* (In Gen. Op. imperf. 29. 30), « nihil temere esse affirmandum sed caute omnia modesteque tractanda », nec quidquam « temere et incognitum pro cognito asserendum » (cfr *Encycl.* 27.28.30. 33).

Quoniam veritas veritati contradicere non potest, evidens est, uti praeclare iam docuit *S. Augustinus* (De Gen. ad lit. I. 19. 21), una ex parte illud falsum esse non posse, quod Scriptura de re ad profanarum scientiarum dominium pertinente *clare et evidenter enuntiat* ideoque illud a scientiarum illarum cultoribus pro indubitata veritate admittendum esse, altera ex parte id, quod scientia profana verum esse *clare et evidenter demonstrat*, revelatae veritati non posse contradicere, sed ab interprete adhibendum esse, ut secundum illud Scripturas interpretetur. Revera Scripturas inter et profanas scientias non sunt dissidia, sed

inter interpretes et inter scientiarum cultores, qui utrique limites suos transgrediuntur pro sensu Scripturarum aut pro doctrinis scientificis ea venditantes, quae nec a Scriptura nec a scientiis docentur. Itaque interpretis est, ut in historicorum naturalistarumque assertis vera a falsis et certa a dubiis discernat atque certa cum Scripturis plane consonare ostendat.

Quod ut facere possit *a.*) *in rebus historicis* attendat, nec omnia, quae in antiquis monumentis aut documentis reperiuntur, caecam fidem mereri, quum satis constet, antiquos uti modernos scriptores ab adulatione, partium studiis etc. non fuisse alienos, nec omnia illa, quae ex cuneiformibus, hieroglyphicis etc. inscriptionibus hodie afferuntur, sine magna cautione et prudentia posse admitti, quoniam non admodum multa hucusque certa sunt, nonnulla autem odio debentur, quo aliqui rationalistae libros sacros persequuntur. Attamen attendendum quoque est, libros sacros nobis non esse datos, ut historiam chronologiamque nos doceant, ideoque illos non esse tractandos, ac si essent completi tractatus historici et chronologici. Sobrius igitur sit interpres in systematis historicis et chronologicis statuendis, neve Scripturarum verba secundum hodiernum scientiarum statum premat, sed ex sacrorum scriptorum mente et intentione explicet, nam « multa, inquit *S. Hieronymus* (In Matth. 14,8; In Ierem. 28,10), in Scripturis dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat ». Nonne risui sese exponeret, qui ex Scripturis (*Act.* 2,3; *Rom.* 1,18; 3 *Reg.* 4,34 etc.) deduceret, incolas Americae et Australiae in die Pentecostes Icrosolymis fuisse, aut fidem Romanorum tempore Pauli celebrasse aut iam ad Salomonis sapientiam audiendam accurrisse!

Iam vero *b.*) eadem mutatis mutandis *de scientiis naturalibus* dicenda sunt. Prudens interpres nova systemata, quae naturalistae hodie adstruunt, ut cras illa reiiciant, pro fundamento explicationum suarum non sumet, sed contentus erit, si Scripturarum dicta de rebus naturalibus ita explicaverit, ut nullam adesse pugnam appareat cum illis doctrinis, quas naturalistae *certis* argumentis *certas* esse demonstrarunt. At idem quoque meminerit, « Spiritum Dei, qui per scriptores sacros loquebatur, noluisse ista (sc. res naturales) docere homines nulli saluti profutura » (*S. Aug.* Op. imperf. in Gen. 20), nec Scripturas esse compendium rerum naturalium. Ideo a scriptoribus sacris scit non adhiberi linguam scientificam, si de rebus naturalibus loquuntur, sed popularem, ut « ea sequantur, quae sensibiliter apparent » (*S. Thom.* Summa I. qu. 70. a. 1. ad 3.), aut etiam poeticam, in qua scientifica subtilitas non quaeritur. Itaque non mirabitur, si Moyses narrat, Deum fecisse « duo luminaria magna, luminare maius ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas » (*Gen.* 1,16), nec si Iosue solem *stare* iussit (*Ios.* 10,12) aut Ecclesiastes solem oriri et occidere et *ad locum suum reverti* dixit (*Eccle.* 1,5) etc.; eodem enim modo locuti sunt scriptores sacri, quo nos quotidie loquimur, nec professores astronomiae egerunt. Neque mirabitur, si in libris poeticis sermo est de coelis « solidissimis, quasi aere fusis » (*Iob.* 26,11), de « columnis coeli », de « nubibus, quibus invehitur Dominus » etc.

3. — III. *Libri sacri* Ecclesiae traditi sunt *custodiendi et* explicandi, quapropter in iis exponendis interpres ea, quae de eorum interpretatione statuit Ecclesia, semper prae oculis habeat oportet; cfr *Encycl.* 16. 24.

Magnas quidem partes interpretationi grammatico-historicae concedere debemus, maiores autem interpretationi catholicae. In explicandis enim Scripturis, uti in omnibus rebus, quae ad fidem spectant, infallibili Ecclesiae magisterio supremum

competit iudicium neque ulla potest admitti explicatio, quae vel authenticae huius magisterii interpretationi vel apostolicae traditioni non sit conformis. Sicut pharus portum indicat nautae eumque impedit, ne navem suam in scopulos impellat, ita Ecclesiae magisterium explicationibus et legibus suis nobis viam ostendit, quam tenere debemus, ut ad genuinum sensum Scripturarum perveniamus. Illos, apud quos est apostolica successio et infallibilitas, « Scripturas nobis sine periculo exponere », monet iam *S. Irenaeus* (c. haer. IV. 26,5); reliquorum Patrum de hac re doctrinam complectitur *Vincentius Lerin.*, quando « necesse esse ait propter tantos tam varii erroris anfractus, *ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur* ». Quibus Patrum vestigiis insistens *Concilium Trident.* decrevit, « ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium S. Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat » (Sess. IV. Decr. de edit. sacr. ibr.). Quod decretum *Concilium Vatic.* confirmans et renovans, « hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei ac morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu S. Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam S. Scripturam interpretari » (Constit. de Fide cath. c. 2.).

4. — Ex Ecclesiae autem decretis sua sponte haec fluunt praecepta :

a.) Sensum alicuius textus sive explicite sive implicite ab Ecclesia authentice declaratum interpres amplecti et tueri tenetur; cfr *Encycl.* 17.

Authentica enim Ecclesiae declaratio procul dubio nobis exhibet eum « sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia » ; attamen non admodum multorum textuum sensum *directe* definivit Ecclesia, uti ex. gr. inter alia in *Conc. Trid. :* in *Rom.* 5,12 sermonem esse de peccato originali (Sess. 5. c. 2. 4); ex *Ioan.* 3,5 necessitatem absolutam baptismi sequi et in baptismo aquam veram et naturalem requiri (Sess. 5. c. 4. et Sess. 7. de Bapt. c. 2); verba institutionis SS. Eucharistiae *Matth.* 26,26 sq. etc. proprio sensu esse intelligenda (Sess. 13 cp. 1.) etc. Item Patres *Vaticani* (Const. de Eccl. c. 1) sensum verborum *Matth.* 16,16 sqq. et *Ioan.* 21,15 sqq. directe definiverunt. — *Indirecte* damnatione haereseon, quae falsae textuum interpretatione innitebantur, et definitione doctrinarum, a quibus explicatio textuum dependet, multo plures sunt definiti; ex. gr. omnes, quibus abutebantur Ariani, ut Verbum ostenderent esse creaturam, Conc. Nic. quomodo explicandi sint, ostendit. Indirecte quoque *Conc. V. Constant. II.* sensum multorum vaticiniorum accuratius determinavit viamque monstravit, quam in certis Scripturae partibus tenere debemus, damnatis interpretationibus Theodori Mopsuest. (*Mansi* Coll. Conc. IX. 210 sqq.)

b.) Sensus alicuius textus ad res fidei et morum pertinentis, si a Patribus unanimi consensu traditur, interpreti retinendus est; cfr *Encycl.* 19.29.

Duas restrictiones Tridentinum et Vaticanum suo praecepto apposuerunt :

a.) Patrum testimonium in hac quaestione amplectendum est, quia et quatenus sunt testes fidei apostolicae ideoque in quantum de rebus fidei et morum agunt;

nihil igitur obstat, quominus in rebus historicis, physicis aliisque similibus, quae nec fidem nec morum regulam attingunt, Patrum opiniones relinquantur.

b.) Patres autem, si textum aliquem hoc vel illo modo de hoc vel illo dogmate esse intelligendum non asserunt docentque, sed si coniectantium in modum loquuntur, aut eiusdem textus varias explicationes velut probabiles proponunt, aut obiter tantum verba Scripturae tangunt, non agunt testes sed privatos doctores, et licet his quoque in casibus cum pietate et reverentia sunt audiendi, relinqui tamen possunt, si solidis argumentis alia explicatio probabilior esse demonstratur.

c.) Unanimitas vero, quam postulant Concilia, non intelligenda est *physica*, sed *moralis,* quae adesse recte censetur, si aut *certae alicuius aetatis,* in qua dogma quoddam agitabatur, *praecipui* variarum ecclesiarum *Patres* consentientes textum aliquem de hoc dogmate exponunt, aut si *variarum aetatum commentatores* in textu aliquo determinatum dogma inveniunt. Neque consensum tolli arbitramur, si aliqui etiam ex praecipuis *silent;* tollitur autem, si qui aut dogma istud illo textu contineri expresse *negant,* aut textum de altero dogmate ita exponunt, ut indirecte aliam interpretationem excludant.

c.) Attamen non solis definitionibus loquitur Ecclesiae magisterium, sed etiam *quotidiana praxi et continua praedicatione* veram doctrinam tradit. Hinc ab omni explicatione abstinendum est, quae quomodocumque doctrinae alicui ab Ecclesia propositae adversatur; requiritur autem, ut ad fidem Ecclesiae semper attendens interpres *iuxta analogiam fidei* omnia exponat atque paratissimo sit animo ad amplectendas et defendendas illas interpretationes, quas Ecclesia proposuerit; cfr *Encycl.* 17.

Non multos textus ab Ecclesia directe vel indirecte definitos esse diximus; in paucioribus forte consensus ille Patrum invenitur; at in reliquis ideo nondum licet indulgere ingenio. Vivum enim et continuum est magisterium in Ecclesia, ad quod quam maxime attendat oportet, qui a veritatis tramite aberrare non vult. Praeter dogmata definita etiam multae aliae doctrinae ab omnibus omnium aetatum fidelibus ita pro veris et certis sunt admissae, ut interpres catholicus eas interpretationibus suis violare sine temeritate non posse videatur.

SECTIO ALTERA.

Conspectus historiae exegeseos.

CAPUT III.

DE INTERPRETATIONE IUDAEORUM.

§ 7. — *Antiquorum Iudaeorum systemata hermeneutica*

(Thalmudistae, Karaitae, Alexandrini, Kabbalistae).

1. — Omnes antiqui Iudaei duplicem sensum (literalem et mysticum) in Scripturis admiserunt. *Thalmudistae* autem, quum omnes suas consuetudines temporis decursu exortas ex Lege scripta derivare vellent, multiplices singulorum textuum sensus statuerunt, atque in suis explicationibus quum authenticis (*Halacha*), tum privatis (*Haggada*) ita evagati sunt, ut eorum commentarii (*Midraschim*) vix ullius sint pretii.

Iudaeos ante adventum Domini N. praeter literalem etiam typicum s. mysticum Scripturarum sensum admisisse, non tantum ex paucis documentis iudaicis superstitibus (*Ps. Aristeae* epistola de origine vers. alex.; *Aristobuli* fragm.), sed maxime ex argumentationibus elucet, quibus *S. Matthaeus* in suo Evangelio et *S. Paulus* in ep. ad Hebr. utuntur; duos illos libros enim Iudaeis conversis proxime destinatos fuisse constat. Ex Evangeliis autem etiam apparet, *Pharisaeos* iam omnes arbitrarias suas traditiones ex verbis Legis deducere voluisse ideoque miris modis literam Legis contorsisse (cfr *Matth.* 23,16 sqq. etc.). Eadem via progressi eorum successores, *Thalmudistae*, eo devenerunt, ut singulis textibus sexcenta millia legitimarum interpretationum adscriberent. Quem in finem praeter sensum *proprium* (מַשְׁמַע), qui illis erat aut literalis (פְּשַׁט, simplex) aut translatus (סוֹד, arcanus), distinxerunt *derivatum* (דְּרָשָׁה, quaesitus), qui aut logica conclusione e textu eruitur (דרוּשׁ) aut ex uno alterove vocabulo separatim sumto, immo ex una alterave litera arbitrarie desumitur (רֶמֶז, quod innuitur). Duplicem deinde distinguunt interpretationem; prior sola praecepta spectat et *Halacha* (הֲלָכָה) vocatur, quia secundum eam *incedendum* est, aut etiam quia per maiores se eam a Moyse *audivisse* gloriantur, *Schemata* (שְׁמַעְתָּא); altera explicationes illustrationesque omnis generis continet, sed quia tantum privata est, *Haggada* (הַגָּדָה id, quod fertur) appellatur. Prior prorsus arbitraria est, ex altera traditionalis nonnullorum vaticiniorum explicatio uti etiam vocabulorum rariorum si-

gnificationes interdum hauriri possunt. Satis multi sunt eorum *Midraschim;* frequentius allegari solent *Rabboth,* i. e. *magnae* expositiones in Pentateuchum et in quinque Megilloth, quae nomen suum sortitae sunt, quia variorum rabbinorum explicationes complectuntur; singulae a prima voce libri, quem illustrant, denominantur (*Bereschith Rabba* est magna expositio in Genesin etc.).

2. — *Karaitae* halacham prorsus respuunt, in haggadis afferendis sobrii sunt, sensum literalem maxime sequuntur, sed typicum quoque agnoscunt.

Saec. 7. vel 8. exorta Karaitarum secta Thalmudistis eodem modo opposita est, quo olim Pharisaeis Sadducaei; solam Scripturam admittunt omnibus traditionibus reiectis; ideo etiam authenticam explicationem negant et quum unicuique ius explicandae Scripturae attribuant, non immerito a Protestantibus iudaici Protestantes appellantur. Eorum commentatores praecipuos, qui saec. 10. sunt recentiores, infra (§ 8) nominabimus.

3. — Inter Iudaeos *alexandrinos,* qui allegoricam interpretationem praedilexerunt, eminet *Philo,* sed eius opera, quamvis omnia fere de Pentateuchica historia et legislatione agant, interpreti inutilia fere sunt, quia res in Scripturis relatae ei non sunt nisi theosophicarum theoriarum argumenta.

Aristobulus iam integram Legem allegorice explicavit, ut hac ratione Graecorum ab ea aversionem minueret (cfr *Euseb.* Praep. evang. VIII. 9 sqq.); eandem allegoricam explicationem excoluerunt *Esseni* teste Philone (de Vita contemplat. 10. 3 etc.); sed omnes superat Philo ipse. Qui, licet in *plerisque* Pentateuchi locis sensum literalem adesse concedat, eum tamen rudibus solis destinatum putat; sapienti enim in occultiorem sensum inquirendum esse monet, qui typis exprimatur. Itaque personae Veteris Test. Philoni fiunt modi quidam animae (τρόποι ψυχῆς) : Abraham ei symbolum est virtutis doctrina acquisitae, Isaac virtutis a natura productae, Iacob virtutis usu et meditatione paratae, Adam hominis inferioris, Cain egoismi etc. etc. Porro omnia, quae de his personis dicuntur, ad varios animi affectus accommodat; locorum, in quibus anthropomorphismus occurrit, omnem sensum literalem reiicit etc. Quin eiusmodi exegesis sit inutilis, non est dubium.

4. — *Kabbalistae* demum, qui curiosis artificiis secretas suas doctrinas, quas a Moyse traditione accepisse (קבל) gloriantur, non ex Scripturis colligunt sed in eas ingerunt, commemoratione hoc loco non essent digni, nisi duo eorum vestigia in ipsa Vulgata remanere viderentur.

Tria artificia eis sufficiunt, ut quidquid volunt in Scripturis detegant. Etenim aut singulorum vocabulorum literas ceu numerorum signa considerant, ex iisque vario modo dispositis doctrinas colligunt (*Gematria*), aut ex singulis vocabuli alicuius literis totidem nova vocabula efficiunt phrasinque integram componunt, vel etiam ex literis initialibus vocum integrae phraseos novum vocabulum efformant (*Notaricon*), aut demum literas permutant, ut nova vocabula fingant (*Themura*). Si eiusdem tantum vocabuli literas transponunt, Themuram vocant naturalem (*Exod.* 23,23 מַלְאָכִי, « *angelus meus* praecedet te » ; nomen angeli in-

venitur per Themuram מִיכָאֵל, *Michael*); artificialem autem eam vocant, si literis scriptis alias secundum certas leges substituunt; secundum legem *Athbasch* (אתב"ש) primae literae *Aleph* substituunt ultimam *Thav*, secundae *Beth* paenultimam *Schin* etc.; secundum legem *Albam* (אלב"ם) primae *Aleph* substituunt duodecimam *Lamed*, secundae *Beth* tertiam decimam *Mem* etc. Iam vero *Ierem.* 25,26 et 51,41 occurrit nomen *Sesach* שֵׁשַׁךְ, pro quo nomine prorsus incognito S. Hieronymus in suo commentario iam monuit legendum esse *Babel;* secundum legem Athbasch nimirum pro *Beth* scriptum est *Schin*, et pro *Lamed Kaph*. Similiter *Ier.* 51,1 legunt Massorethae יֹשְׁבֵי לֵב קָמַי et Vulgata « habitatores eius, *qui cor suum levaverunt contra me* »; Alexandrini autem τοὺς κατοικοῦντας Χαλδαίους, quia in textu suo כַּשְׂדִים invenerunt, quae vox ex lege Athbasch a rabbinis mutata est in לֵב קָמַי, « *cor adversariorum meorum* ». Evidens est, commentarios eiusmodi explicationibus arbitrariis refertos merito negligi.

§ 8. — *Praecipui Iudaeorum interpretes iuniores.*

1. — Arbitrarios praedecessorum suorum explicandi modos reliquerunt rabbini inde a saec. 11., et licet ipsi quoque, quoniam Iesum esse Messiam in lege et prophetis promissum non agnoverunt, ad plenam Veteris Test. intelligentiam non pervenerint, accuratiore tamen sua investigatione in linguae hebraicae leges atque moderato antiquarum traditionum usu ad profectum studii scripturistici contulerunt. Inter Thalmudicos praecipui sunt *Iarchi, Abenesra, Maimonides, D. Kimchi, Abarbanel;* inter Karaitas *Iacob ben Ruben, Aaron ben Ioseph, Aaron ben Elia.*

R. Salomon Jischaki (i. e. Isaaci filius) plerumque *Iarchi* vel *Raschi* appellatus († 1105.) et *R. Abraham ben Meir Ezra,* vulgo *Abenesra* († 1168.), omnes Veteris Test. libros exposuerunt; uterque literalem sensum accurate investigat; prioris explicationes nonnullas iam recepit Lyranus, alterum autem sequi maluit Paulus Burgensis, eundemque alii quoque christiani interpretes praetulerunt. *R. Moyses b. Maimon,* vulgo *Maimonides* († 1208.), commentarios quidem non scripsit, sed in suo מוֹרֶה נְבוֹכִים (Doctor perplexorum; latine edit. a Buxtorf. Basileae 1629., gallice a Munk. Paris 1856.) docet, quomodo Scripturarum tropi, anthropomorphismi, rariores loquendi modi interpretandi sint. *R. David Kimchi* († 1240.) praeter Pentateuchum omnes libros commentatus est; explicationibus grammaticis excellit, atque lexicon eius hebraicum (ס"שרשים, liber radicum) velut fundamentum est omnium recentiorum. *R. Isaac Abarbanel* († 1508.) Pentateuchum, prophetas priores et posteriores et Danielem commentariis instruxit, qui multis longisque dissertationibus de quaestionibus ad Scripturas non semper pertinentibus referti sunt et saepe christianam revelationem impugnant. Quibus addi potest *R. Elias Levita* († post a. 1542.), unus ex optimis iudaicis grammaticis atque famosus propter suam מַסֹּרֶת הַמַּסֹּרֶת (Traditio traditionis), in qua historiam criticae Massorethorum tradit. — Ex Karaitarum interpretibus *R. Iacob ben Ruben* saec. 12. omnes libros brevibus scholiis instruxit, *R. Aaron b. Ioseph* († 1294.) literales commentarios in Pentateuchum, prophetas priores, Isaiam,

Psalmos et Iob edidit, *R. Aaron b. Elia* saec. 14. Pentateuchum subtiliore et magis diffuso explicationis genere illustravit. — Inter *Kabbalisticos* interpretes eminet *R. Moyses Nachmanides*, interdum *Ramban* appellatus († c. a. 1280.), cuius explicationes in Pentateuchum aliquoties affert Paulus Burg. — *Samaritani* quoque suos habent interpretes qui tamen haggadas magis quam literalem sensum sectantur.

2. — Iudaici commentarii, qui magis celebrantur, collecti sunt in *Bibliis rabbinicis*.

Quo nomine designantur illae librorum sacrorum editiones, quae textui hebraico Massoram, Thargumim, variasque rabbinorum explicationes adiungunt. Septem vulgo enumerari solent. Prima edidit et Leoni X. dedicavit *P. Felix Pratensis*, O. S. Aug., Iudaeus conversus (Venetiis 1517.); Venetiis quoque prodierunt quatuor sequentia novis commentariis aucta (1525. 1548. ex officina *Bombergiana*; 1568. 1617.). Sexta edidit *I. Buxtorf* (Basileae 1618.); septima, quae *Moysi Francofurtensi* debentur (Amstelodami 1724.), omnium ditissima sunt, quia viginti sex rabbinorum aut in omnes aut in aliquos libros commentarios continent. Textus Christianis iniuriosi in editionibus illis omissi sunt.

CAPUT IV.

DE INTERPRETATIONE CATHOLICORUM.

§ 9. — *SS. Patrum varia systemata hermeneutica.*

1. — Simplicem popularemque explicandi modum, quem ex orali institutione Apostolorum eorumque scriptis hauserant, primi tenuerunt Patres in eo tantum discrepantes, quod una cum Vetere Test. etiam, uti par erat, Apostolorum libris ceu inspirato revelationis fonte usi sunt. Interpreti ex antiquioribus Patribus praesertim consulendi sunt *SS. Iustinus* († 167.) et *Irenaeus* († 202.); de his et sequentibus cfr *Encycl.* 6.

Rabbinicam interpretationis rationem in Novi Test. libris invenire volunt nonnulli moderni Protestantes; attamen si cum tota antiquitate duplicem sensum eiusdem auctoritatis, literalem et typicum, in Scripturis admitterent atque consectaria ex sacris verbis legitime deducta Spiritui S. recte attribui concederent, nec Halachas nec Haggadas in S. Pauli epistolis detegerent. Iam eodem modo, quo sacri scriptores, primi Patres Scripturas adhibuerunt, non commentariis eas illustrantes, sed ex duplici eorum sensu argumenta sua desumentes. Ita *S. Iustinus* in suo dialogo contra Tryphonem Iudaeos multis vaticiniis messianicis confutat, aliis literali, aliis typico sensu egregie expositis. *S. Irenaeus* autem contra haereticos dimicans ex omnibus fere Utriusque Test. libris argumenta sua colligit, sed contra Gnosticos literalem sensum maxime urgens nec satis accurate inter sensum proprium et translatum discernens chiliasticis opinionibus favet.

2. — Inde a 3. saeculo Patres integros libros sacros continuis scholiis et commentariis illustrare aut homiliis populo explicare coeperunt, atque ab eo tempore duae quasi interpretum scholae distingui possunt, quae principiis hermeneuticis differunt. Prior literali sensu magis minusve posthabito moralem et allegoricam explicationem praeferebat; *alexandrina* vocatur, quia Alexandriae hic interpretandi modus maxime est excultus.

Systema hermeneuticum Alexandrinorum praecipue expolivit Origenes, qui in allegoricis mysticisque explicationibus quaerendis limites omnes procul dubio est transgressus, ita ut inter reliquos Patres, qui alexandrinae scholae accensentur, nullus inveniatur, qui eius principia in omnibus sit secutus. Trichotomiam platonicam Scripturis applicans in eis corpus (sensum literalem), animam (sensum moralem), spiritum (sensum mysticum) distinguit; quantum autem corpori spiritus praestet, tantum literali sensui mysticum praevalere censet. In nonnullis partibus non esse quaerendum sensum literalem, in aliis esse negligendas allegorias, quia aedificet litera, in aliis omnes tres sensus inveniri docet. Literalem ergo non plane reiicit, at multis in locis iuxta literam Scripturas putat docere impossibilia et Deo indigna, nec posse Evangelistarum antiphanias solvi nisi per solum sensum spiri-

tualem. Totam praeterea legem ritualem et caeremonialem Iudaeorum mystice esse explicandam asserit omniaque, quae de Iudaea, Ierusalem, Israel, Iuda et Iacob, de Aegypto et Aegyptiis, Babylone et Babyloniis etc. a prophetis dicuntur, ad coelestia regna eorumque habitatores, ad bonos et malos angelos etc. esse referenda (de Princ. IV. 11 sqq.).

3. — Altera schola, quae *antiochena* vocatur, quia eius systema hermeneuticum ab antiochenis Patribus est excultum, literalem sensum diligentius investigabat morales applicationes aut allegoricas expositiones magis negligens. Eadem autem principia etiam tenuerunt praecipui interpretes Syriae orientalis, qui scholae *nisibenae* vel *edessenae* adnumerantur. Si pauci antiocheni interpretes, qui a vera fide defecerunt, excipiuntur, fatendum est, ab antiochena schola illud hermeneuticum systema esse statutum, quod catholicus interpres sequi debet.

Antiochenum systema hermeneuticum ex S. Chrysostomi et Theodoreti commentariis et ex S. Isidori Pelusiotae epistolis colligitur. Secundum eos, libri sacri, utpote ab hominibus pro hominibus conscripti, proxime eodem modo, quo libri profani, explicandi sunt, i. e. eorum sensus literalis, quem proprium et translatum distinguunt, ex grammatica, contextu, historia investigandus et determinandus est; atque attendendum quoque esse monent ad singulorum scriptorum stylum loquendique modos, quoniam Spiritus S. scriptoribus ceu instrumentis vivis usus est. Porro in multis V. T. locis agnoscunt sensum typicum; sed eos, « qui omnia ad Christum transferre conantur, reprehensione non carere censent; nam dum ea, quae de ipso dicta non sint, per vim contorqueantur, id effici, ut ea, quae de illo haud contorte dicta sint, in suspicionem veniant ». Effrenum deinde illud allegoriarum studium repudiant, at ab allegoricis accommodationibus non plane abstinent, sollertissimi autem sunt in consectariis practicis ex Scriptura deducendis.

Neque tamen inter Antiochenos defuerunt, qui a sapientissimis praeceptis deviarent; uti Origenes allegoricam explicationem tanti fecit, ut literalem negligeret, ita Theodorus Mopsuest., ut allegorias evitaret, ipsum typicum sensum arctioribus quam par est, limitibus circumscribens aliqua vaticinia, quae in N. T. de Christo explicantur, ei dumtaxat accommodari censuit; Canticum Cant. quoque aliosque libros, quia metaphoricum aut etiam proprium eorum sensum non vidit, ex canone expunxit. Ceterum reliqui Patres omnes mediam quasi viam inter Origenem et Theodorum Mopsuest. tenuerunt, licet ex eorum frequentiore vel minus frequente allegorica explicatione innotescat, quanam ex schola prodierint.

§ 10. — *Praecipui interpretes orientales a* 3. *usque ad* 6. *saeculum.*

1. — Alexandrini primi videntur fuisse, qui commentariis aut scholiis integros libros sacros explicarunt; atque SAEC. 3. inter eos eminuerunt *Clemens Alex.* († 217.), *Origenes* († 254.) eiusque discipulus *S. Dionysius M.* († 265.), cui alter Origenis discipulus, *S. Gregorius Neoc.* Thaumaturgus († 270.) merito adiungitur; de his et sequentibus cfr *Encycl.* 6.

Quoniam in *Introductione spec.* praeclariores commentarios, qui in singulos libros a Patribus et iunioribus interpretibus catholicis conscripti sunt, enumerabimus, in hac exegeseos historia generalem dumtaxat laborum conspectum exhibe-

bimus, quibus pro sua quisque parte ad profectum studiorum scripturisticorum contulerunt. Primus exegeticae scholae alexandrinae fundator iure censetur *Pantaenus* († 206.), quem multos commentarios in S. Scripturam scripsisse testatur S. Hieronymus, et allegoricam interpretationem sectatum esse refert Anastasius Sinaita. Attamen paucissima operum eius supersunt fragmenta ideoque primo loco nominandus est eius discipulus *Clemens Alex.*, qui non tantum in operibus superstitibus (Cohortatio ad Gent., Paedagogus, Stromata) plurimos omnium librorum sacrorum textus affert et interdum explicat, sed etiam in suis octo Hypotyposeon libris universarum Scripturarum breves dedit explicationes, quarum nonnullae latine redditae per Cassiodorum nobis sunt conservatae (« Adumbrationes in 1. Petr. etc.). Ipse iam, quum « fere totam Scripturam aenigmatice (i. e. allegoriis) futura praenuntiare » censeret, nimio allegoriarum studio ad erroneas quasdam explicationes adductus est. Eius discipulus fuit *Origenes*, « quem, inquit S. Hieronymus (de Nomin. hebr. Praef.), post Apostolos Ecclesiarum magistrum nemo nisi imperitus negabit » . De eius systemate hermeneutico supra diximus atque etiam exposuimus, quae eius de canone sententia fuerit et quantopere hexaplis suis de alexandrina versione meritus sit; sed exegeticis quoque laboribus suis eum omnibus fere interpretibus orientalibus et occidentalibus facem praetulisse, iure asseritur. Triplicis generis fuerunt eius opera exegetica teste S. Hieronymo; scholiis ea quae obscura et difficilia videbantur summatim breviterque perstrinxit, homiliis ad captum rudiorum sese demittens selectas pericopas rhetorico quodam modo explicavit, in τόμοις i. e. commentariis suis « tota ingenii sui vela spirantibus ventis dedit et recedens a terra medium in pelagus aufugit » omnibus, quaecunque ingenium et eruditio suppeditabant, ad illustrandas Scripturas congestis. Minor exegeticorum operum pars ad nos pervenit, iis autem adnumeremus oportet longam epistolam, qua contra *Iulium Africanum* († 221.) Susannae historiam defendit. Origenis praeclarissimus discipulus fuit *S. Dionysius M.*, qui licet in genere magistri sui systema tenuit, nimium tamen allegoriarum studium missum fecit. Paucissima tantum eius supersunt exegetica, nec multo plura alterius discipuli, *S. Gregorii Neoc.*, cuius Metaphrasin in Ecclesiasten « brevem quidem sed valde utilem » censet S. Hieronymus.

2. — Non parvos autem progressus scripturistica studia fecerunt SAEC. 4.; illo enim tempore praeter Antiochenos, de quibus statim erit sermo, floruerunt palaestinenses doctores *Eusebius Caes.* († 340.) et *S. Epiphanius* († 403.), alexandrini *S. Athanasius M.* († 373.) et *Didymus A.* († 397.), cappadoces *SS. Basilius M.* († 379.), et *Gregorius Nyss.* († 394.).

Eusebius Caes., licet « in Scripturis divinis studiosissimus et bibliothecae divinae diligentissimus pervestigator » (*S. Hier.*), interpreti tamen operibus suis historicis et apologeticis, quam exegeticis, utilior est. In commentariis suis sensum literalem plerumque sequitur, sed haud raro ad allegorias deflectit, semper autem dignus est, qui ab interprete consulatur. Porro summae utilitatis est eius Historia eccles., cui multa antiquae Ecclesiae monumenta ad Scripturas spectantia inseruit; utilia quoque eius Onomasticon (de Nominibus hebr.) et Chronicon a S. Hieronymo latine reddita, atque eius Demonstratio evangelica et Eclogae propheticae, in quibus multa vaticinia messianica explicantur. Eusebius magnus fuit Origenis admirator, *S. Epiphanius* eiusdem strenuus adversarius; nihilominus alter multo magis, quam prior allegorias sectatur, praesertim in libris « de Men-

suris et ponderibus » et « de duodecim gemmis » ; at in suo « Panario adversus octoginta haereses » multa documenta antiqua interpreti utilia tradit et in suo « Ancoratu » accuratius explicat Scripturas. *S. Athanasius M.* in operibus suis dogmaticis et polemicis testimonia tantum non omnia, quae de SS. Trinitate et de divina Verbi et Spiritus S. natura agunt, diligentissime exposuit; ex operibus autem eius exegeticis pauca ad nos pervenerunt, inter quae eminet eius « epistola ad Marcellinum » de interpretatione Psalmorum. *Didymi Alex.* interpretationem S. Hieronymus summis laudibus exornat, qui se eum magistrum habuisse non semel gloriatur, sed operum exegeticorum, quae a S. Hieronymo enumerantur, non supersunt nisi fragmenta praeter « breves enarrationes in Epistolas catholicas ». Doctores cappadoces quasi mediam viam tenent inter alexandrinam et antiochenam scholas. *S. Basilius M.* in suis homiliis in Hexaemeron solum sensum literalem tradit singulis verbis diligenter explicatis et rebus naturalibus pro aetatis istius ratione diligenter descriptis; in Psalmorum autem et Isaiae expositione a moralibus et allegoricis interpretationibus non abstinet haud pauca ex Origenis commentariis mutuatus. Similem rationem tenuit eius frater *S. Gregorius Nyss.*; in homiliis suis de Hexaemero, quibus fratris sui opus complevit, literalem dumtaxat sensum exponit, in reliquis tamen operibus, quae satis multa de Vetere T. reliquit, allegorias non tantum non respuit, sed praediligere videtur.

3. — Saeculo 4. exortae etiam sunt scholae antiochena et nisibena, quarum praeclarissimi interpretes fuerunt *S. Ioannes Chrysostomus* († 407.) et *S. Ephraem Syrus* († 378.).

A Luciano M. et Dorotheo presbyteris ineunte saec. 4. fundata schola antiochena statim egregiis interpretibus claruit, at plerorumque, uti *Apollinarii Laodic.*, quem S. Hieronymus Antiochiae coluit et in Scripturis magistrum habuit, *Diodori Tars.*, cuius discipuli fuerunt S. Chrysostomus et Theodorus Mopsuest., aliorumque opera perierunt. Solus autem iam *S. Chrysostomus* sufficit ad scholam illam illustrandam. Longe maior pars operum eius de Scripturis agit; pauciores quidem Veteris, at plerosque Novi Test. libros homiliis aut commentariis illustravit; inter omnia autem opera eius eminent homiliae in epistolas Paulinas, nec ullus invenitur inter Patres aut iuniores theologos, qui in Paulina profunditate illuminanda cum attigerit, nedum superaverit. Scholae nisibenae praecipuus doctor est *S. Ephraem*, qui Utriusque Test. omnes fere libros commentariis instruxit, quorum tamen plerorumque maiora tantum minorave excerpta supersunt. Antequam librorum explicationem aggreditur, paucis praefari solet de libri auctore, argumento et fine; in explicatione ipsa praeprimis sensum literalem investigat, deinde saepe ad morales et allegoricas accommodationes transit.

4. — Duo tantum praeclariores interpretes graeci floruerunt SAEC. 5., *S. Cyrillus Alex.* († 444.) et *Theodoretus* Cyri in Syria episcopus († 458.), prior alexandrinae, alter antiochenae scholae sectator. Reliqui exeuntis saec. 5. et ineuntis 6. interpretes graeci, quum catenas potius, quam commentarios ediderint, ad sequentem periodum rectius trahuntur.

S. Cyrillus Alex., « catholicae fidei praeclarissimus propugnator », Scripturae interpres fuit egregius, si non ex solis eius commentariis diiudicatur; in operibus enim dogmaticis literalem sensum diligenter exponit, in exegeticis autem, quae de Veteris Test. libris composuit, allegoriis libenter indulget, et in Novi Test. com-

mentariis, qui supersunt, interdum dogmaticas potius dissertationes quam verborum Scripturae explicationem exhibet. Aliam viam ingressus est *Theodoretus*, qui a nonnullis summus graecae ecclesiae interpres habetur, ab aliis inter summos recensetur. Omnes fere Veteris Test. libros protocanonicos exposuit, ex Novo solas epistolas Paulinas. In interpretandi methodo imitatus est S. Chrysostomum, sed quia numquam oratorem agit, Chrysostomo multo est concinnior et haud raro etiam clarior et accuratior; a moralibus applicationibus et allegoricis divagationibus fere omnino abstinet.

§ 11. — *Praecipui interpretes occidentales a* 3. *usque ad* 6. *saeculum.*

1. — Primi Patres, qui in Occidente SAEC. 3. Scripturas commentariis illustrare coeperunt, *S. Hippolytus* († 235.) et *S. Victorinus Petavionensis* († 297.) allegoricae explicationi favebant; quos secuti sunt SAEC. 4. *S. Hilarius Pict.* († 367.), *Marius Victorinus* († 370.), *S. Ambrosius* († 397.), qui ab Origene aliisque alexandrinis interpretibus interdum dependent.

Duobus extremis vitatis Patres occidentales, uti orthodoxi orientales, cum literali sensu etiam morales et allegoricas explanationes coniungere solebant; attamen quum latini Patres, excepto S. Augustino, graecis commentariis frequenter uterentur, factum est, ut aliqui Origenem maxime secuti in allegoriis afferendis iustos limites transgrederentur. *S. Hippolytus*, qui quamquam graece scripsit occidentalibus merito adnumeratur, multos Veteris Test. libros et Evangelia SS. Matthaei et Ioannis exposuit; sed fragmenta commentariorum superstita eum allegorias praedilexisse ostendunt. Primi Patres, qui latine scripserunt, *Tertullianus* († 245.) et S. *Cyprianus* († 258.) commentarios quidem non ediderunt, sed in suis operibus polemicis (Tertulliani c. Iud. et c. Marcionem, S. Cypriani c. Iud. et de Unitate Ecclesiae) multa interpreti utilia exhibent. *S. Victorini Petav.*, primi latini commentatoris, quem in multis suis commentariis ab Origene dependisse testatur S. Hieronymus, non supersunt nisi scholia in Apoc. et fragmentum de fabrica mundi. Ab Origene quoque omnino dependet *S. Hilarius* in suo commentario in Psalmos, « licet tractatus Origenis non ut interpres, sed ut auctor proprii operis transtulerit » (*S. Hier.*). In primo Evangelio explicando allegorias sectatur, meliorem autem sensus literalis interpretem agit in libris de Trinitate. *Marii Victorini* supersunt commentarii in Gal. Eph. Phil. haud spernendi, quamvis S. Hieronymo non probentur. De *S. Ambrosii* interpretandi ratione iam antiquitus diversae erant sententiae; summis laudibus eum exornant Cassiodorus et ipse Pelagius, sed eum « in verbis ludere et in sententiis dormitare » dixit S. Hieronymus (Praef. in hom. Orig. in Luc.). Revera diversam methodum pro diversis, quos sequitur, graecis interpretibus tenet. Cum Origene quidem triplicem sensum esse distinguendum admittit et cum eodem censet, contradictiones, quas sensus literalis pariat, solvi mystico; alios porro libros, uti Genesim, sensu literali, alios, uti Leviticum, mystico, alios, uti Deuteronomium, morali sensu esse explicandos (Praef. in Luc.). At in suo Hexaëmero multo magis a SS. Hippolyto et Basilio, quam ab Origene, dependet; reliqua quae de historicis libris U. T. nobis reliquit, sunt tractatus ex eius sermonibus ad populum habitis exorti, in quibus omnino praevalet peraenesis. In suis Enarrationibus autem in Psalmos duodecim et in Psalmi 118. expositione, aeque ac in sua interpretatione tertii Evangelii, magis agit interpretem (cfr de his et sequentibus *Encycl.* « Providentissimus » 6.).

Inter eius opera commentarius in tredecim (priores) epistolas Pauli edi solet qui titulo *Ambrosiastri* hodie allegatur; cuiusnam sit, ignoratur, sed illum tempore S. Damasi (366.-384.) esse conscriptum et inter latinas Paulinarum explicationes patristicas eminere, certum est.

2. — Exeunte SAEC. 4. et ineunte 5. SAEC. praeter *Rufinum* († 410.) duo maximi floruerunt interpretes a quibus iuniores latini media aetate maxime dependent, *SS. Hieronymus* († 420.) et *Augustinus* († 430.); reliqui autem saeculi 5. Patres concionatori quam interpreti sunt utiliores.

Tyrannius *Rufinus* tamquam diligens graecorum commentariorum interpres hoc loco nominari meretur; explicatio enim benedictionum Patriarcharum (*Gen.* 49), quam ipse secundum triplicem sensum elaboravit, non est magni momenti, sed Origenis homiliae multae et commentarii sola eius versione ad nos pervenerunt. Neque tamen merum interpretem egit, sed sua primigeniis operibus inserere illaque, quae ei non placebant abbreviare aut omittere non dubitavit. — *S. Hieronymus* totam suam vitam fere libris sacris explicandis tam felici cum successu dedicavit, ut iure merito « Deus eum Ecclesiae in exponendis Scripturis doctorem maximum providisse » dicatur. De profectu enim studiorum scripturisticorum non tantum nova hebraici textus versione mirifice meritus est, sed commentariis quoque aliisque operibus haud parum ea promovit. In commentariis antiquiorum interpretum explanationes diligenter collegit, sensum literalem, utpote allegoricae explicationis fundamentum, fere semper sollerter investigat, at ab allegoricis et moralibus expositionibus minime abhorret; id maxime ei propositum fuit, ut « ecclesiasticam explanationem affirmaret » omniaque « iuxta ecclesiasticam intelligentiam dissereret » (in Dan. 3,37; in Ezech. 38,1 sqq.; 36,16 sqq.). Tres commentariorum eius classes apte distinguuntur. Minoris auctoritatis sunt primi, quos elaboravit, in Eccle. et in aliquot Novi Test. libros; in illis enim variorum interpretum sententias praecipue congessit nec veras semper et orthodoxas ab erroneis et haereticis distinxit. Quare eis longe praestant commentarii in prophetas minores; in hisce suam versionem literali sensu exponere ac deinde alexandrinum textum spirituali magis et morali sensu explanare solet. Tertia classis continet commentarios in prophetas maiores, quos secundum suam solam versionem plerumque exponit, licet ad alexandrinam et alias graecas translationes semper diligenter attendat. Ad haec opera accedunt saltem viginti tres epistolae longiores, in quibus interrogatus varios Utriusque Test. locos explicat, interpretatio latina (satis libera) nonnullorum operum exegeticorum Origenis, Quaestiones hebr. in Genesim, de hebraicis nominibus et de situ ac nominibus locorum hebraicorum libri, in quorum priore Origenem et Philonem se sequi asserit, in altero autem Eusebii opusculum simile emendat et complet. In Psalmos quoque sese commentariolos edidisse testatur, quos nuper iterum invenit et edidit P. Morin, O. S. Ben. (Maredsolani 1895). Breviarium autem in Psalmos, Commentarii in tredecim epistolas Pauli (qui probabiliter Pelagio aut saltem Pelagiano cuidam debentur), Comm. in Iob (qui eius discipulo Philippo attribuitur) aliaque opera exegetica, quae sub eius nomine feruntur, spuria sunt.

S. Augustinus porro, licet non iisdem, quibus Hieronymus, subsidiis esset instructus, multum tamen ad studiorum scripturisticorum profectum contulit. In suis libris « de Doctrina christiana » hermeneutica principia exposuit; Genesim ter quaterve interpretari aggressus est, sed numquam absolvit; difficiliores tamen

locutiones Pentateuchi, uti ll. Ios. et Iudic., explicavit; in Psalmis allegorias et morales expositiones maxime sectatur; Evangeliorum antiphanias in suis libris « de consensu Evangelistarum » diligenter explanavit; in Evangelium S. Ioannis dogmaticos potius tractatus quam commentarios exegeticos composuit, atque eandem viam tenuit in suis tractatibus in ep. ad Parthos (1 Ioan.); epistolam ad Gal. accuratius explicavit. Quibus addantur oportet multi sermones de Scripturis ad populum habiti, nonnullae epistolae aliaque minora. In omnibus fere operibus exegeticis S. Augustinus theologi dogmatici aut concionatoris potius partes agit, quam interpretis; in sermonibus allegorias plerumque sectatur, sed in operibus dogmaticis et polemicis sensui literali fidelius inhaeret — Honoris causa ex aliis saec. 5. interpretibus nominamus *S. Petrum Chrysologum* († 450.), *S. Leonem M.* († 461.), *S. Maximum Taur.* († 465.), qui in suis sermonibus multos Scripturarum locos explanant.

3. — SAECULO 6. praeclariores interpretes habentur *Primasius* († 550.), *Cassiodorus* († 562.) et *S. Gregorius. M.* († 604.).

Attamen *Primasius* ex vetustioribus latinis interpretationibus dumtaxat suum commentarium in Paulinas collegit; *Cassiodorus* autem in suo Psalmorum commentario S. Augustini explicationibus multas bonas addidit; *S. Gregorius M.* demum, quamvis pro praecepto statuat, « in verbis sacri eloquii prius servandam esse veritatem historiae et postmodum requirendam esse spiritualem intelligentiam allegoriae », nec in vastissimo et eruditissimo opere, quod inscribitur « Moralium in Iob libri 35 » nec in suis homiliis in Ezechielem et in Evangelia magnam sensui literali explicando impendit diligentiam.

§ 12. — *Graeci interpretes a* 6. *usuque ad* 13. *saeculum* (*Catenae*).

1. — A saec. 6. in ecclesia orientali et a 7. saec. in occidentali inchoanda est nova periodus historiae exegeseos, quia illius aetatis interpretes plerique ex vetustioribus operibus potius illa, quae utilia videbantur, collegerunt et digesserunt, quam novos commentarios composuerunt.

Neque tamen putandum est, istam aetatem nihil ad exegeseos profectum contulisse; suis enim commentariis iuniores illi interpretes multas et egregias Patrum explicationes nobis conservarunt, et non pauci etiam traditas expositiones diiudicaverunt suisque propriis auxerunt vel illustrarunt. Unde duae istorum interpretum classes distinguantur oportet; alii enim, licet collectores essent, simul tamen commentatorum partes egerunt, alii non sunt nisi catenarum compilatores. Utriusque classis praecipuos enumerabimus, a priore inchoantes.

2. — SAECULO 6. ex Patrum antiquiorum operibus commentarios suos fere composuerunt *Andreas* et *Arethas,* episcopi Caesarienses, *Procopius Gazaeus* († 524.), *Hesychius* presb. ierosolymitanus, *Anastasius Sinaita* († 599.), quos SAEC. 7. secuti sunt *Olympiodorus* († 620.) et *S. Maximus* († 662.), SAEC. 8. *S. Ioannes Damasc.* († 760.).

De aetate *Andreae* et *Arethae* dubitatur; ab aliis saec. 5. vel 6., ab aliis

saec. 8. vel 9. vixisse creduntur; ambo Apocalypsin explicaverunt, prior commentario, alter scholiis, sed pleraque se ex antiquioribus hausisse fatentur. Etiam *Procopius Gaz.* enarrationes suas in Octateuchum, quae integrae non amplius supersunt, ex antiquis collegit, sed nonnulla ad maiorem sententiarum illustrationem adiecit; mera catena fere est eius comment. in Isaiam; in Proverbiis explicandis sensum literalem retinet. — De *Hesychii* Ieros. aetate iterum non satis constat, sed exeunte saec. 6. videtur floruisse. Commentarii eius in Levit. et in Psalm. allegoriis sunt repleti; Minorum Proph. et Isaiae dumtaxat argumenta indicat; utilior est eius « collectio difficultatum et solutionum excerpta per compendium ex Evangeliorum concordantia ». — *Anastasius Sinaita* duodecim libros allegoricis Hexaemeri explicationibus implevit; non tantopere evagatur *Olympiodorus*, licet ipse quoque allegoriis delectetur, aeque ac *S. Maximus*. — *S. Ioannes Damasc.* expositionem suam in Paulinas ita ex S. Chrysostomi homiliis excerpsit, ut pauca ex Theodoreti et S. Cyrilli commentariis adderet. In suis « sacris parallelis » ad varia fidei et morum capita ordine alphabetico disposita textus Scripturae collegit iisque Patrum testimonia adiunxit.

3. — Ultimi graeci interpretes, qui licet schismati essent addicti nominari merentur, sunt *Photius* († 891.), *Oecumenius* (saec. 10.), *Theophylactus* († 1107.) et *Euthymius Zigab.* († 1118.).

Photius in suis Amphilochiis plus ducentos quadraginta textus scripturisticos sobrie explicans satis frequenter Theodoreti aliorumque sententias, tacitis tamen eorum nominibus, transcripsit; in sua Bibliotheca permultorum operum deperditorum excerpta nobis conservavit; minoris momenti sunt fragmenta commentariorum, quos in Novi Test. libros composuit. Perutiles commentarios in Actus Ap. et Epistolas omnes ex antiquorum Patrum tractatibus et homiliis collegit *Oecumenius*, Tricae in Thessalia episcopus; in omnes Novi Test. libros commentarios praesertim ex S. Chrysostomi operibus ita composuit *Theophylactus*, Bulgarorum episcopus, ut allegoricas explicationes non omnino paucas ex proprio penu adiiceret. Quinque ex minoribus prophetis explicavit ex Patrum operibus triplicem expositionem conquirens. Ultimus *Euthymius Zigabenus* in Psalterium, Evangelium et Epistolas reliquit commentarios, qui multa laude digni sunt, quoniam magna cum diligentia nec minore cum iudicio sensum literalem exposuit.

4. — *Catenarum* compilatores, licet commentatoribus recensitis inferiores sint, ob multas tamen Patrum sententias conservatas nec merito carent nec negligi possunt.

Catenarum nomine intelligitur libri alicuius expositio continua ita ex Patrum operibus collecta, ut singuli textus variis explicationibus illustrentur aut propriis Patrum verbis retentis aut eorum sententiis in compendium redactis; συλλογαὶ vel συναγωγαὶ ἑρμηνειῶν vel ἐξηγήσεις συνερανισθεῖσαι a Graecis appellantur. Singulis explicationibus nomen Patris, cui debentur, addi solebant; in codd. tamen nomina saepe mutata sunt, ergo incerta. Multae catenae typis sunt editae, inter quas eminent illae, quas in *Octateuchum* Nicephorus (Lips. 1772.), in *Psalmos* B. Corderius S. I. (Antw. 1643-46.), in *Proverbia* A. Schottius S. I. (Lugd. 1633.), in *Danielem* Ang. Maius (Romae 1831.), in *totum Nov. Test* I. A. Cramer (Oxonii 1838-49.) ediderunt. Maior earum numerus in codicibus latet; de catenis in prophetas iuxta romanos codd. nuper docte egit *M. Faulhaber* (Freiburg 1899.).

§ 13. — *Latini interpretes a* 7. *usque ad* 12. *saeculum* (*Glossae*).

1. — Inter latinos scriptores ecclesiasticos S. Gregorio M. iuniores, quamvis multi ad divulgandas antiquorum Patrum expositiones scripturisticas contulerint, pauci tamen speciali commemoratione sunt digni. A saec. 7. usque ad saec. 9 praeclariores sunt *S. Isidorus Hisp.* († 636.), *Ven. Beda* († 735.), *Alcuinus* († 804.) eiusque discipuli *Haymo Halberstadiensis* († 855.) et *Rhabanus Maurus* († 856.). Cfr *Encycl.* 7.

S. Isidorus Hisp. « in libros V. et N. T. prooemia » conscripsit, quae brevissimam aliquam introductionem constituunt; in suo libro « de ortu et obitu Patrum » haud paucas fabulas Ps. Epiphanium secutus refert; in suis « Quaestionibus in V. T. », uti in suo libro « de allegoriis S. Scripturae », ex antiquioribus operibus ea « quae figuratim sunt dicta vel facta » explicat. Longe eum superat *Ven. Beda*, qui inter omnium aetatum meliores interpretes non ultimo loco est nominandus. Quamquam enim Patrum sententias diligenter collegit, suis tamen multis et egregiis adnotationibus illas auxit et illustravit, sed allegoriis interdum nimium tribuit. Inter exegetica eius scripta alia ad commentariorum, alia ad homiliarum genus pertinent, alia dissertationum in modum difficiliores textus tractant. In fine Historiae ecclesiasticae gentis Anglorum ipse viginti quinque sua opera exegetica enumerat, ex quibus nonnulla sunt deperdita. Similem interpretandi rationem *Alcuinus* eiusque discipuli tenuerunt; haud raro se compilatorum potius quam interpretum partes agere declarant atque satis frequenter eiusdem textus varias expositiones afferunt iudicio lectoribus relicto, sed simul tamen sua non pauca addunt. Quae fuerint Alcuini in emendanda Vulgata merita, iam diximus; praeterea magnum numerum opusculorum reliquit, in quibus vel integros libros vel difficiliores eorum locos explanat. *Haymo. Halberst.* Patrum fere commentarios in breviorem formam redegit, multo plura ex suis addidit *Rhabanus Maurus*, licet ipse quoque Patrum sententias nominibus eorum praenotatas diligentissime afferat. In opere suo de clericorum institutione hermeneuticas regulas tradit ex S. Augustini libris de Doctr. christ. collectas.

2. — Fama, sed non merito, magistrum suum Rhabanum superavit *Walafridus Strabo* († 849.), Glossae ordinariae compilator, cui ex sequentibus solus addendus est *Anselmus Laudunensis* († 1117.), auctor Glossae interlinearis; reliqui enim, qui secuti sunt, omnes eandem viam tenuerunt neque multa nova Patrum explicationibus addiderunt.

Glossa ordinaria est catena quaedam ex Patrum latinorum, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Gregorii M., Bedae atque etiam Cassiodori et Rhabani, rarius ex Origenis et Chrysostomi operibus contexta, quae per totam mediam aetatem tanta in auctoritate fuit, ut eius verba interdum velut scripturistica exponerentur Minoris auctoritatis fuit *glossa interlinearis*, quae vocabula potius quam phrases aut sententias explanat. Ceterum ne haec actas interpretibus caruisse videatur, praecipuorum nomina adscribimus; sunt autem *Remigius Antissiodorensis* († 899.), *Notkerus Balbulus* († 912.), *Bruno Herbipolensis* († 1045.), *Lanfrancus Cantuar.* († 1089.), *S. Bruno Rhem.* vel potius *Coloniensis* († 1101.), Carthusianorum fundator.

§ 14. — *De Scholasticorum interpretatione.*

1. — Theologi scholastici multis quidem magnisque ad Scripturarum intelligentiam subsidiis carebant, sed ad exegeseos profectum nihilominus contulerunt. Subtilioribus enim inquisitionibus assuefacti non tam textus separatos et quasi avulsos explicarunt, sed proximo et immediato contextu non contenti ad longinquiorem quoque attendentes iuxta argumentum tractatum auctorisque finem librum integrum in suas naturales partes apte distribuere singulasque sententias in suo contextu accurate explicare coeperunt. Cfr de his et sequentibus *Encycl.* 8.

A saec. 12. nova inchoari solet periodus historiae theologiae dogmaticae, periodus sc. theologiae scholasticae, sed ab eodem etiam nova exegeseos periodus iure inchoatur. Falsum enim est, quod vulgo iactatur, scholasticos theologos Scripturas neglexisse; siquidem vix ullus e celebrioribus reperitur, qui non aliquos saltem libros sacros commentariis illustraverit. Plerisque linguarum sacrarum, archaeologiae, historiae scientias defuisse non negamus, at profundum eorum doctrinae catholicae studium et continua traditae interpretationis lectio eis magno fuerunt auxilio; immo illa quoque, quae a S. Hieronymo aliisque de vocum hebraicarum graecarumque significatione, de usu loquendi hebraico vel graeco, de rebus historicis geographicisque etc. erant adnotata, diligentissime collegerunt et adhibuerunt. Ceterum de Scripturae sensibus omnes illa tenebant, quae supra secundum S. Thomam exposuimus (§ 1. sqq.), in praxi autem aliqui allegoricis explicationibus nimis indulgebant. Forma externa commentariorum scholasticorum nimiis divisionibus et subdivisionibus satis taediosa est; in minutissimas particulas interpretes interdum textum sacrum dilacerant, sed has divisiones ad pleniorem textus intelligentiam plurimum iuvare, facile perspiciet, quicumque acerbo cortice non deterritus ad medullam pertigerit. Illud enim praecipuum est interpretum scholasticorum meritum, quod singulas phrases revera velut partes integrantes totius libri consideraverunt, in cuius compositionem membrorumque distributionem diligenter inquisiverunt, ut hac ratione singularum particularum vim potestatemque accuratius assequerentur.

2. — Primi quidem, qui saec. 12. floruerunt, interpretes accuratiorem hanc interpretandi rationem nondum tenuerunt, recte tamen velut scholasticorum praecursores cum iis coniunguntur, quoniam ab immediatorum suorum praedecessorum methodo recedentes non tantum Patrum explicationes colligere, sed illas multis novis auctas novo modo proponere conati sunt. Praecipui sunt *Bruno Astiensis* († 1123.), *Rupertus Tuit.* († 1135.), *Hugo a S. Vict.* († 1141.), *Petrus Abaelardus* († 1142.), *Herveus Dolens.* († 1145.), *S. Bernardus Clarav.* († 1158.), *Petrus Lombardus* († 1164.), *Gerhohus Reichersperg.* († 1169.), *Richardus a S. Vict.* († 1173.), *Petrus Comestor* († 1178. vel 1198.).

Inter quos *Bruno Ast.* et *S. Bernardus* in omnibus, Victorini *Hugo* et *Richardus* in plerisque operibus suis exegeticis allegorias et tropologias tradunt, Richardus tamen in nonnullis de solo literali sensu sollicitus est. *Rupertus Tuit.* et *Herveus Dol.*, cuius commentarius in Paulinas sub nomine *S. Anselmi Cant.* olim alle-

gari solebat, multa ex Patribus transcribunt, sed propria non pauca partim allegorica partim sensum literalem illustrantia addunt. *Petrus Abaelardus* Hexaemeron et ep. ad Rom. literaliter explicavit, atque literalem etiam sensum librorum historicorum *Petrus Comestor* tradidit in sua Historia scholastica. Singularem explicandi rationem tenuit *Gerhohus* res suae aetatis in Psalmis praedictas videns. Scholasticis demum interpretibus quodammodo praelusit *Petrus Lombardus* non quidem in Psalmorum commentario, qui ad catenarum genus prope accedit, sed in suis « collectaneis » in Paulinas epistolas. Patrum enim expositionibus, quibus singulas phrases illustravit, epistolarum divisionem sententiarumque nexum addidit atque longiores quoque explicationes dogmaticas inseruit.

3. — Saeculo 13., aureae aetati theologiae scholasticae, egregii labores scripturistici debentur. Criticam sacram eo tempore promoverunt correctoriorum editores (*Diss.* II. § 17,2), ex interpretibus autem nominari merentur *Hugo a S. Caro* († 1260.), *B. Albertus M.* († 1280.), *S. Thomas Aq.* († 1274.), *S. Bonaventura* († 1274.), *Raymundus Martinus* († 1290.).

Paucorum dumtaxat, sed praecipuorum, scholasticorum sacculi 13. opera scripturistica typis sunt descripta. *Card. Hugoni* primas Vulgatae concordantias et unum ex correctoriis deberi iam diximus; eidem etiam in omnes libros sacros Commentarii (Postillae) debentur, in quibus divisionem librorum idearumque nexum plerumque indicat literalemque explicationem ab allegorica ita separat, ut interdum quasi duplicem commentarium tradere videatur. *B. Albertus M.* vario in variis libris genere interpretandi utitur; in nonnullis, uti in Psalmis, omnia allegorice aut tropologice explicat, in aliis, uti in prophetis minoribus, singulos fere textus parallelis illustrat sed ab allegoriis non abstinet, in aliis, uti in Evangeliis, solum sensum literalem ita investigat, ut singula verba diligentissime excutiat et nexum accurate indicet. Maximus saec. 13. interpres est *S. Thomas Aq.;* eius Catena aurea in Evangelia inter omnes latinas primum locum tenet, eius commentarius in Paulinas etiam a modernis interpretibus nullo modo potest praetermitti, alii eius commentarii (in quinquaginta primos Psalmos, in Iob, in Cantic., in Isaiam, in Matth. et Ioan. Evangelia) dignissimi sunt, qui consulantur. Accuratissimus et subtilissimus est in libris dividendis nexuque logico indicando, uberrimus in afferendis parallelis, quibus singula fere vocabula illustrat, diligentissimus in dogmatico argumento explicando et vindicando. *S. Bonaventura* ad practicum piumque potius quam ad scientificum Scripturarum usum in suis commentariis attendit, quare minus presse, quam S. Thomas, literam sequens in allegorias et tropologias facile excurrit. *Raymundus Martinus*, O. Praed., demum linguarum hebraicae et chaldaicae peritissimus opus polemicum (Pugio fidei contra Mauros et Iudaeos) composuit, in quo messianica vaticinia iuxta textum hebraicum et ex libris rabbinorum explicat. Similia opera insequentibus sacculis ediderunt *Porchetus Salvaticus,* O. Carth. († c. 1320), *Hieronymus a S. Fide* († 1430.), *Iacobus Pares* vel *Peres* (c. 1491.), *Petrus Galatinus* († 1530.) aliique, qui ad sequentem periodum pertinent.

4. — Ineunte saeculo 14. linguis orientalibus studium impendere coeperunt theologi, neque umquam ab eo tempore defuerunt, qui in Scripturis explicandis textus primigenios consulerent. Primus, qui saec. 14. scientiam linguae hebraicae in commentariis suis feliciter adhibuit est

Nicolaus Lyranus, O. Min. († 1340.), summus suae aetatis interpres. Praeter eum autem non pauci eodem saeculo floruerunt.

In Concilio Viennensi (1311.) Clemens V. in praecipuis universitatibus cathedras linguarum orientalium erigendas statuit, ut Iudaei Mahummetanique ex suis ipsorum libris a theologis erroris convinci possent. At hoc linguarum studium scripturisticis studiis mirifice profuit, id quod facile apparet ex *Lyrani* Postillis, quae ad omnes Utriusque Test. libros, exceptis partibus nonnullis deuterocanonicis, sese extendunt. Eadem principia hermeneutica, quae praedecessores eius, sequitur, sed in Vetere Test. ad textum hebraicum attendit et aliquoties etiam explicationes R. Salomonis Iarchi affert. In nonnullis libris (Iob, Isaia, Ev. Ioannis, ep. Paulinis) a S. Thoma fere dependet, licet saepius aliam librorum divisionem indicet. Quoniam in suis Postillis solum sensum literalem exposuerat, volumine separato edidit « Moralitates » i. e. allegoricas et tropologicas explicationes, quae postea Postillis ipsis insertae sunt. Saeculo insequente *Paulus Burgensis* († 1435.) ad Postillas adiecit « Additiones », in quibus aut Postillatorem, ubi nimis leviter traditionem exegeticam reliquisse videbatur, ad traditam explicationem revocavit, aut alias expositiones ex Maimonidis et Abenesrae libris addidit. Additionibus Pauli Burg. *Matthias Thoringus*, O. Min († 1460.) opposuit suas Replicas. Trium horum auctorum opera in Lyrani editionibus, quae typis impressae sunt, plerumque cum Glossa ordinaria et interlineari sunt coniuncta (*Biblia ordinaria*). Praeter Lyranum ex saec. 14. interpretibus nominari merentur *Petrus Aureolus*, O. Min. († 1322.), *Thomas Anglicus* s. Vallensis O. Praed. († 1340.), *Robertus Holcoth*, O. Praed. († 1349.), *Nicolaus de Gorham*, O. Praed. († 1375.), *Michael Aygnanus* O. Carm. († 1396. vel 1416.), quorum omnium opera exegetica tanto in honore fuerunt, ut post inventam typographiam *saepius* sint typis descripta.

5. — Ex SAECULI 15. interpretibus plerique, inter quos praecipui sunt *Alphonsus Tostatus* s. *Abulensis* († 1455.) et *Dionysius Carthusianus* († 1471.), scholasticis adnumerandi sunt; a medio autem saec. 15. alii linguistica studia diligentius excolentes sequentis periodi prima semina iacere novamque auream exegeseos aetatem praeparare coeperunt.

Alphonsus Tostatus, episcopus Abulensis, suae aetatis vir eruditissimus, viginti quinque magna volumina explicationibus Octateuchi, librorum Regum et Paralip., atque Evangelii S. Matthaei implevit, diffusissimis quaestionibus omnia scholastico fere modo tractans. Satis diffusae quoque sunt *Dionysii* a Rickel *Carthusiani* enarrationes in omnes libros sacros, quorum sensum literalem ab allegoricis accommodationibus et tropologicis consectariis diligenter distinguit, ita ut interdum duplicem vel triplicem eiusdem libri explicationem tradat.

Licet lingua hebraica iam inde a saec. 14. diligentius esset exculta, graeca tamen fere neglecta iacebat, usque dum post Constantinopoleos expugnationem (1453.) multi Graeci Turcarum iugum effugientes in Italiam advenerunt. *Laurentius Valla* († 1457.) primus graeca sua studia ad Novi Test. explicationem adhibens haud inutiles notas grammaticales edidit, indebita vero cum licentia Vulgatam impugnavit. Circa idem fere tempus primus inter Christianos *Petrus Niger* O. Praed. († c. 1490.) grammaticae hebraicae rudimenta conscripsit, quae brevi postea longe superata sunt operibus similibus *Conr. Pellicani* (de Modo legendi et intelligendi hebraea. Argentorati 1504.) et *Ioan. Reuchlini* (de Rudimentis hebraicis libri tres. Phoscae 1506.). Praeterea *Rud. Agricola* († 1485.) et Cardin.

Hadrianus Castellensis († 1518.) libros sacros ex hebraeo vertere coeperunt, Petrus Niger et *Conr. Summenhart* († 1490.) vaticinia messianica ex textu primigenio explicaverunt. Ineunte deinde saec. 16. et circa eundem annum 1517., quo Lutherus Ecclesiam neglectae Scripturae tam inique accusavit, in Italia *Felix Pratensis,* O. S. Aug., rabbinicos commentarios in primis suis Bibliis rabbinicis (Venetiis 1517.) collegit et *August. Iustinianus*, O. Praed., Psalterium octaplum terminavit (Genuae 1516.) pentaglottamque Novi Test. editionem praeparavit, in Hispania *Card. Ximenes,* O. Min., praeclaris suis Polyglottis complutensibus, quae cunctos libros sacros continent, ultimam manum imposuit (Compluti 1517.), in Germania *Desid. Erasmus* primam suam graeci Novi Test. editionem adnotationibus ex graecis praesertim Patribus illustravit (Basileae 1517.). Lutheri igitur calumniam de Scripturarum studio in Ecclesia neglecto theologi catholici illius aetatis quasi praeoccuparant egregiis illis studii scripturistici auxiliis comparatis (cfr *Encycl.* 9). Itaque aurea exegeseos catholicae aetas, quae inde a finito Concilio Trid. tam uberes segetes produxit, a Pseudoreformatoribus neque initia neque incrementa sua habet, licet fateamur, catholicos theologos maiore cum ardore vires laboresque suos Scripturis explicandis impendisse, ut haereses eo tempore pullulantes efficacius impugnarent.

6. — Non pauci egregii interpretes prima illa semina iam in prima saeculi 16. parte excoluerunt, ex quorum numero prae ceteris nominari merentur Thomas de Vio *Card. Caietanus,* O. Praed. († 1535.), *Santes Pagninus,* O. Praed. († 1541.), *Franciscus Vatablus* († 1547.), *Ioannes Gagnaeus* († 1549.), *Rudolphus Baynus* († 1560.), professores Parisienses.

Card. Caietanus, licet linguarum hebraicae et graecae ignarus esset, secundum primigenios tamen textus libros sacros exponere voluit; quem in finem duos adiutores adhibuit, qui ei hebraici et graeci textus versionem literalem adornarent, quam Vulgata neglecta et haud raro impugnata explicavit. Unde magnum ei exortum est errandi periculum, quod non parum auxit, quia etiam Patrum explicationibus debitam auctoritatem non tribuit. Itaque non in canone stabiliendo dumtaxat a vera via aberravit (*Diss.* I. § 4, 15) deuterocanonicis Veteris Test. et nonnullis Novi libris reiectis, sed etiam multae explicationes eius caute sunt examinandae. *Santes Pagninus* magnam sibi famam acquisivit « Veteris et Novi Test. nova versione », quae ad verbum sequitur textus primigenios, uti etiam hebraico lexico adornato et grammaticae hebraicae institutionibus elaboratis. *Franc. Vatablus* omnes Veteris Test. libros et *Ioan. Gagnaeus* totum Novum Test. scholiis illustrarunt, quae laude sunt dignissima; *Rud. Baynus* commentarium in Proverbia scripsit, qui hodie adhuc melioribus iure adnumeratur. Merito suo etiam minime carent commentarii *Adami Sasbout* O. Min. († 1553.) *Francisci Titelmanni*, O. Capuc. († 1557.), *Hieronymi Oleastri* O. Praed. († 1562.) in varios Vet. et Novi Test. libros.

§ 15. — *Aureum modernae exegeseos catholicae saeculum* (1563.-1660.).

1. — Inde a patristica aetate ad promovenda studia scripturistica nullum saeculum plus illo contulit, quod a finito Concilio Tridentino effluxit. Ingentem enim egregiorum interpretum numerum produxit, qui magno cum ardore nec minore cum fructu omnes disciplinas scripturisticas excoluerunt.

Quidnam illo tempore in sacra critica sit praestitum, in *Diss.* II. passim est indicatum; indefesso theologorum istius aetatis studio imprimis debemus Vulgatam nostram emendatam (1592.), Sixtinam editionem versionis alexandrinae (1587.), primos labores ad restituendum Italae textum (1588.), bina Polyglotta, Antwerpiensia (1569.-1572.) et Parisiensia (1629.-1645.), principes editiones nonnullarum versionum antiquarum. Ab istius aetatis theologis velut nova disciplina fundata et exculta est Introductio in sacras Scripturas, ab iisque quoque conscripti sunt primi tractatus de antiquitatibus sacris. Plura autem et maiora in ipsa interpretatione praestiterunt, neque ullus est Veteris aut Novi Test. liber, qui vere eximiis commentariis illa aetate non sit illustratus. Idem interpretibus illis fuit hermeneuticum systema, quod prioribus aetatibus; aliqui literalem sensum diligentius investigant, alii allegorias praediligunt, alii utramque interpretationem temperate miscent. Dolendum tamen est, quod plerique S. Augustinum secuti multiplicem sensum literalem admiserunt ideoque varias eorundem verborum explicationes velut aeque veras proposuerunt. Gravius est, quod a scholasticis recedentes ad compositionem et divisionem integrorum librorum parum attenderint, ita ut singulos potius textus, quam opera completa et absoluta exponere plerumque videantur. Plus *trecenti quinquaginta* theologi illo saeculo mortui sunt, qui operam suam in promovendis studiis scripturisticis collocaverunt; paucos dumtaxat ex praeclarioribus nominabimus pro varietate operum ab eis compositorum in quinque classes eos distribuentes; de his et sequentibus cfr *Encycl.* 9.

2. — Quaestiones illas, quae ad introductionem latiore sensu sumtam spectant, tractaverunt *Sixtus Sen.* O. Praed. († 1569.), *Christ. Adrichomius* († 1585.), *Flaminius Nobilius* († 1590.), *Ben. Arias Montanus* († 1598.), *Petrus Morinus* († 1608.), *Franc. Lucas Brugensis* († 1619.), *Lud. de Tena* († 1622.), *Ioan. Morinus*, Congr. Orat. († 1659.), *Franc. Quaresmius*, O. Min. († 1660.).

Omnium agmen merito ducit *Sixtus Senensis*, qui primus quaestiones hodie in Introductione tractari solitas a reliquis in sua « Bibliotheca sacra » distinxit, sed non tam historice quam scholastice explicavit. Scholastica quoque et satis diffusa est *Ludovici de Tena*, professoris complutensis, « Isagoge in totam Scripturam », utilis autem quaestionibus dogmaticis, quae ad introductionem spectant, accuratius expositis. Criticae sacrae maxime impenderunt studia sua *Flaminius Nobilius* et *Petrus Morinus*, qui primi ex Patrum allegationibus antiquam Italam restituere conati sunt. De *Lucae Brugensis* laboribus criticis iam diximus; *Ioannes Morinus* autem, unus ex praecipuis Polyglottorum Paris. editoribus, quam plurimum contulit ad superstitiosam massorethici textus venerationem destruendam; eius

« Exercitationes biblicae de hebraei graecique textus sinceritate » virum ostendunt in christianis et iudaicis libris ita versatum, ut hac in parte omnes superet. *Christ. Adrichomius* merito pater dicitur geographiae sacrae, quam non parum etiam promovit *Franc. Quaresmius* sua « Elucidatione terrae sanctae historica, theologica et morali ». *Ben. Arias Montanus* demum, edendis Polyglottis Antwerp. praefectus, in aliquos quidem Veteris et omnes Novi Test. libros commentarios conscripsit, maiora autem merita sibi acquisivit « Antiquitatum iudaicarum libris novem », quibus quasi pater novae huius disciplinae factus est.

3. — Omnes Utriusque Test. libros sacros aut saltem longe maiorem eorum partem commentati sunt *Emmanuel Sa* S. I. († 1596.), *Ioan. Mariana* S. I. († 1624.), *Iac. Tirinus* S. I. († 1636.), *Cornelius a Lapide* S. I. († 1637.), *Iac. Gordon* S. I. († 1641.), *Stephanus Menochius* S. I. († 1655.), *Ioan. de la Haye*, O. Min. († 1661.).

Non tantum mole, sed etiam eruditione reliquos commentarios in totam Scripturam conscriptos superat ille, quem *Corn. a Lapide* composuit, neque ullum puto inveniri, qui verbi divini praedicatoribus magis commendari mereatur; amplissimam enim eorum omnium copiam continet, quae ut cum fructu populo exponatur requiruntur. Non omnium quidem librorum sensum literalem satis accurate tradit, sed semper allegoricum et tropologicum erudite exponit Patrum vestigiis fideliter inhaerens, atque nonnulli ex eius commentariis sine ullo dubio optimi dicendi sunt. Psalterii et Iobi explicationem terminare morte impeditus est. Reliqui, quos nominavimus, *Sa*, *Mariana*, *Tirinus*, *Gordon*, *Menochius* scholia potius, quam commentarios, ediderunt, at tanti eorum opera aestimata sunt, ut *Ioan. de la Haye* ea in sua « Biblia magna commentariorum literalium » una cum Gagnaei et Estii adnotationibus congregaret (Parisiis 1643.) eaque postea iterum ederet in suis « Bibliis maximis », in quibus simul Lyrani Postillas multasque antiquas versiones (omnes latine tantum redditas) congessit (Parisiis 1660. sqq.). Commodiore forma scholia illa, additis Maldonati, Malvendae, Bossuetii notis, edita sunt in « Bibliis Venetis » (Venetiis 1745. 4°. 28 voll.).

4. — Aliquos Veteris simul et Novi Testamenti libros eximiis commentariis illustraverunt *Cornelius Iansenius Gandav.* episcopus († 1575.), *Ioannes Maldonatus* S. I. († 1583.), *Franc. Ribera* S. I. († 1591.), *Nicolaus Serarius* S. I. († 1609.), *Ioannes Lorinus* S. I. († 1634.).

Corn. Iansenius et *Ioan. Maldonatus* Evangeliis explicatis tantam sibi acquisiverunt famam, ut adhuc prioris « Comm. in Concordiam et totam historiam evangelicam » ac praesertim alterius « Comm. in quatuor Evangelia » sine ullo dubio primum locum teneant. Minoris meriti et auctoritatis sunt eorum commentarii in aliquos Veteris Test. libros, nihilominus Iansenii Paraphr. et adnotationes in Psalmos et libros sapientiales, uti Maldonati commentarii in prophetas maiores, semper magno cum fructu consuluntur. *Franc. Riberae* laudantur commentarii in duodecim prophetas minores, neque minus felix erat in explicanda ep. ad Hebr.; minoris aestimantur eius commentarii in Evang. S. Ioan. et in Apoc.; « utiles autem sunt, quos ultimo adiecit, libri quinque de templo et de iis, quae ad templum pertinent ». *Nicolaus Serarius* omnes fere libros historicos Veteris Test. egregie quidem, sed interdum nimis diffuse commentatus est, ex Novo Test. solas Epistolas Catholicas explicavit; ultimo huic commentario praemisit « Pro-

legomena biblica ». *Ioan. Lorinus* multos et prolixos commentarios conscripsit, inter quos eminent « Comm. in Act. Apostolorum », qui fere omnium, quotquot in hunc librum conscripti sunt, censetur optimus, et « Comm. in Psalmos », qui praesertim propter patristica testimonia utilis est. Ex Vetere Test. etiam tres ultimos libros mosaicos, Ecclesiasten et Sapientiam, ex Novo Epistolas Catholicas explicavit.

5. — Nonnullis Veteris Test. libris explicatis laudem gloriamque sibi acquisiverunt *Andreas Masius* († 1573.), *Franc. Forerius*, O. Praed. († 1581.), *Hieronymus Pradus* S. I. († 1595.) et *I. B. Villalpandus* S. I. († 1608.), *Gilb. Genebrardus*, O. S. Ben. († 1597.), *Ant. Agellius*, Cler. reg. († 1608.), *Benedictus Pererius* S. I. († 1610.), *Robertus Bellarminus* S. I. († 1621.), *Casp. Sanctius* S. I. († 1628.), *Thomas Malvenda*, O. Praed. († 1628.), *Ioan. de Pineda* S. I. († 1637.), *Iacobus Bonfrerius* S. I. († 1642.), *Simon de Muis* († 1644.), *Mich. Ghislerius*, Cler. reg. († 1646.), *Ferd. Quir. de Salazar* S. I. († 1646.), *Balth. Corderius* S. I. († 1655.).

Inter hos *Thom. Malvenda* omnes libros explicare voluerat, sed morte praeventus est, quum in Ezechiele esset occupatus. Literalem tradit versionem textus primigenii omnesque addit significationes, quas hebraicus textus forsitan admittere possit. De libris historicis bene meriti sunt *Andr. Masius*, cui optimus, qui prodiit, debetur comment. in I. Iosue, et *Iac. Bonfrerius*, cuius « Pentateuchus Moysis commentario illustratus » velut praestantissima mosaicorum librorum explanatio habetur, cuiusque « Iosue, Iudices, Ruth commentariis illustrati » vix minoris sunt pretii. Libris historicis et propheticis operam suam impenderunt *Ben. Pererius* qui « utilissimum » sed etiam diffusissimum commentarium in Genesin atque egregiam explicationem Danielis edidit praeter selectas disputationes in Exodum et nonnullos N. T. libros, ac praesertim *Casp. Sanctius*, unus ex diligentissimis et eruditissimis Veteris Test. interpretibus; merito celebrantur eius commentarii in omnes prophetas, sed non minore laude digni sunt illi, quibus libros Reg. et Paralip. atque minores libros historicos (Ruth, Esdr. etc.) illustravit: inferiores autem sunt eius commentarii in Iob, in Canticum et in Actus Apost. De solis propheticis libris solliciti erant *Franc. Forerius*, qui Isaiam secundum textum hebraicum docte et accurate explicavit, *Hieron. Pradus* et *I. Bapt. Villalpandus*, qui in magno suo opere praesertim Ezechielis templum illustrare conati sunt, *Mich. Ghislerius*, qui Ieremiae totam suam curam impendit. Inter Psalmorum commentatores laudantur *Gilb. Genebrardus*, *Ant. Agellius*, *Rob. Bellarminus*, *Sim. de Muis*, qui omnes aliis quoque laboribus de scripturisticis studiis bene meriti sunt; Genebrardus aliquos commentarios rabbinicos latine vertit et in magna sua Chronographia multas res interpreti utiles congessit, Agellius et Bellarminus utilissimam operam praestiterunt in praeparandis editionibus versionis alexandrinae et Vulgatae, Sim. de Muis « hebraicam veritatem » contra Ioan. Morinum acriter defendit. Liber Iob egregios commentatores invenit in *Ioan. de Pineda* et *Balth. Corderio*; prior etiam octo edidit libros « de rebus Salomonis », ut ad Salomonicos libros explicandos sibi viam sterneret, atque revera edidit Praelectionem in Canticum et magnum Commentarium in Ecclesiasten; alter in catenis graecis colligendis et edendis diligentissimus fuit. Proverbia, quae Pineda non explicaverat, commentario instruxit *Quir. de Salazar*, qui etiam bonam Ecclesiastae explicationem reliquit.

6. — De nonnullis Novi Testamenti libris demum optime meriti sunt *Alph. Salmeron* S. I. († 1585.), *Franciscus Toletus* S. I. († 1596.), *Gulielmus Estius* († 1613.), *Lud. de Alcasar* S. I. († 1613.), *Benedictus Iustiniani* S. I. († 1622.).

Alph. Salmeron omnes Novi Test. libros, praecipue tamen Evangelia non continuis quidem commentariis, sed dissertationibus illustravit, quibus praemisit prolegomena, quae introductorias quaestiones quum generales tum speciales in Evangelia tractant. *Gul. Estius* et *Ben. Iustiniani* epistolas apostolicas ita explicaverunt, ut eorum commentarii hucusque a nullo iuniore sint superati et antiquioribus quoque praestent; priori etiam debentur utiles adnotationes in difficiliores textus totius Scripturae. *Lud. de Alcazar* explicandam sibi sumsit Apocalypsim suoque commentario velut appendicem subiecit explicationem earum V. T. partium, quas respicit Apocalypsis (Iob 38.-40., Ezech. 1. 10. 38.-40., Dan. 7.-11. etc.). *Fr. Toletus* demum omnium, qui adhuc floruerunt, optimus interpres a nonnullis habetur; certum est, eius commentarios in Evang. S. Ioannis, in duodecim priora capita Ev. S. Lucae ac praesertim in ep. ad Rom. inter opera exegetica unum ex primis locis occupare.

§ 16. — *Studia scripturistica saec.* 2. *et* 3. *post finitum Conc. Tridentinum.*

1. — Mirum est, quantopere a medio saec. 17. studia scripturistica conciderint; admodum pauci enim viri prodierunt, qui magnis saeculi praecedentis interpretibus comparari possunt. Neque tamen plane sterile fuit *secundum saeculum*, quod a finito Concilio Trident. effluxit (1660.-1760.); aliquos enim produxit, qui interpretatione sua aut studiis criticis, plures, qui historicis suis studiis sacras literas promoverunt. Inter priores praecipui sunt *I. B. Bossuet* († 1704.), *Henr. Bukentop.* O. Min. († 1710.), *B. de Montfaucon*, O. S. Ben. († 1741.), *Petrus Sabatier*, O. S. Ben. († 1742.), *Augustinus Calmet*, O. S. Ben. († 1757.), *Ios. Blanchinius*, Congr. Orat. († 1764.).

Inde a medio saec. 17. meliora fere ingenia historicis studiis operibusque patristicis critice edendis tempus viresque suas impenderunt; unde factum est, ut una cum theologia scholastica etiam Scripturarum interpretatio languesceret atque praecipua opera, quae de Scripturis prodierunt, ad historicum genus potius pertineant. Ita etiam *Bern. de Montfaucon* patristicis studiis suis adductus est, ut fragmenta hexaplorum Origenis ex manuscriptis codicibus et editis libris colligeret, atque similem fere finem prosecuti sunt *Petr. Sabatier* in praeclarissimo suo opere « Bibliorum latinae versiones antiquae sc. vetus Itala et quaecunque in manuscriptis et antiquorum libris reperiri potuerunt », atque *Ios. Blanchinius* in suis « Vindiciis canonic. Scriptur. vulg. edit. » et suo Evangeliario quadruplici. Veri intrepretis partes egit *I. B. Bossuet*, qui Psalmos librosque sapientiales scholiis illustravit et novam tradidit Apocalypseos interpretationem; prae reliquis autem ista aetate celebratur *Aug. Calmet*, cuius opus « la Sainte Bible en latin et en français avec commentaire littéral et critique » (latine postea redditum ab I. D. Mansi) non tam ob exegeticas et criticas adnotationes, quae tamen satis

bonae sunt, quam ob multas et eruditas dissertationes hodie adhuc magno in honore habetur. *Henr. Bukentop* in suo opere « Lux de luce » ambiguas locutiones et varias lectiones Vulgatae ex textibus primigeniis illustravit. Ex aliis eiusdem saeculi interpretibus nominari possunt *Franc. Carrière*, O. Min. († 1665.); *Thomas Le Blanc*, S. I. († 1669.), qui diffusum commentarium reliquit in Psalmos; *Bern. a Piconio*, O. Cap. († 1709.), qui « triplicem expositionem epistolarum D. Pauli » satis bonam dedit; *Lud. Carrières*, Congr. Orat. († 1717.), *H. L. de Vence* († 1749.) et *Steph. Rondet* († 1785.), ex quorum trium operibus coaluit « la Bible de Vence » etc.

2. — Historico magis modo studia scripturistica promoverunt *Rich. Simon*, Congr. Orat. († 1712.), *Claudius Frassen* O. Min. († 1711.), *Bern. Lamy*, Congr. Orat. († 1715.), *Daniel Huetius* († 1721.), *Nat. Alexander*, O. Praed. († 1722.), *Erasmus Froehlich*, S. I. († 1758.), eiusque discipulus *I. Khell*, S. I. († 1772.). Huc quoque referendi sunt, qui eadem aetate historiam literariam exegeseos tractarunt *Iul. Bartolocci*, O. Cist. († 1687.), eiusque discipulus *C. I. Imbonatus*, O. Cist. († 1694.), *Lud. Ellies Dupin* († 1719.), *Iac. Lelong*, Congr. Orat. († 1721.) et *Nic. Desmolets*, Congr. Or. († 1760.).

Inter omnes eminet *Rich. Simon*, cuius opera de historia critica Veteris et Novi Test., etsi ob singulares quasdam et parum catholicas sententias caute nonnullis in locis sint legenda, immensam tamen auctoris eruditionem demonstrant eumque modernae introductionis *historicae et criticae* patrem constituerunt. Scholasticam methodum retinuit *Cl. Frassen* in suis « Disquisitionibus biblicis », historicam vero adoptavit *Dan. Huetius*, episcopus Abricensis, in priore parte « Demonstrationis evangelicae » suae, in cuius altera parte vaticinia messianica explicat. Idem quoque aliquas dissertationes conscripsit de antiquitatibus biblicis, quas magis promovit *Bern. Lamy* suo Apparatu biblico ac praesertim opere suo posthumo « de tabernaculo foederis, de civitate Ierusalem et de templo ». Integram fere historiam et archaeologiam sacram Utriusque Test. multis dissertationibus exposuit *Nat. Alexander* in sua Historia ecclesiastica; *Erasmus Froehlich* autem et *Ios. Khell* solam historiam temporis machabaici editis et vindicatis « Annalibus regum et rerum Syriae » dilucidarunt.

Ad historiam literariam studiorum scripturisticorum quod attinet, *Iul. Bartolocci* et *C. I. Imbonatus* « Bibliothecam magnam rabbinicam de scriptoribus et scriptis hebraicis » ediderunt, cui multas dissertationes de historia et archaeologia sacra inseruerunt; *Lud. Ellies Dupin*, vir eruditus sed non immaculatae fidei, in sua « Bibliotheca auctorum ecclesiasticorum » fuse agit de Scripturarum interpretibus; accuratius autem idem argumentum tractavit *Iac. Lelong* in sua « Bibliotheca sacra » non tantum omnes, quas cognoscere potuit, Scripturarum editiones enumerans et describens sed etiam catalogum exhibens operum, quae ad eius usque aetatem de Scripturis edita sunt. Quod opus eius discipulus *Nic. Desmolets* non parum auxit; priorem autem partem scriptor protestanticus, *A. G. Masch*, novis curis supplevit et in meliorem ordinem redegit.

3. — *Tertii saeculi*, quod post finitum Conc. Tridentinum effluxit (1760.-1860.), prior pars non admodum multa ad profectum studiorum scripturisticorum contulit. De critica sacra tamen eo tempore bene meriti sunt

C. Fr. Houbigant, Congr. Orat. († 1784.), ac praesertim *I. B. de Rossi* († 1831.); utiles suppetias interpreti subministraverunt *Ios. Sim. Assemani* († 1768.) et *Blas. Ugolini* († 1769.); Scripturarum divinitatem contra exortum rationalismum valide defenderunt *I. Fr. Marchini* († 1774.), *H. Goldhagen,* S. I. († 1794.), *Laur. Veith,* S. I. († 1796.); haud pauci demum vernaculis linguis Scripturas interpretati et commentati sunt.

C. Fr. Houbigant et *I. B. de Rossi* textui hebraico curas suas criticas impenderunt; prior ingeniosis et haud raro audacibus coniecturis massorethicam lectionem mutare potius, quam emendare voluit; alter meliorem viam ingressus ex ingenti codicum manuscriptorum et versionum copia varias lectiones magna cum sollertia collegit, atque etiam multis operibus de commentatoribus et scriptoribus iudaicis, de codicibus et editionibus librorum hebraicorum etc. variisque opusculis de hermeneutica sacra etc. studia scripturistica promovit. De Syrorum interpretibus egregie tractavit *Ios. Sim. Assemani* in magna sua « Biblioheca orientali ». Circa idem tempus *Bl. Ugolini* congestis undequaque operibus, quae decursu temporum de archaeologia sacra prodierant, ingentem « Thesaurum antiquitatum sacrarum » edidit. — Minoris auctoritatis sunt reliqui exeuntis saec. 18. et ineuntis saec. 19. interpretes; unus dumtaxat nominandus esset *Ioan. Iahn* († 1816.), vir acuti ingenii atque multae variaeque eruditionis, nisi in linguis orientalibus magis quam in theologia versatus opera sua introductoria et exegetica, ceterum multis nominibus commendanda, haud paucis erroribus satis gravibus foedasset.

4. Ineunte saec. 19. ita perturbata erat ubique Ecclesiae pax, ut mirum non sit, quod eo tempore studia scripturistica aeque ac reliqua languerint; postquam autem Ecclesiae et mundo pax est reddita, una cum aliis disciplinis theologicis etiam exegesis resuscitata est, neque desunt germina, quae laetos iam eius fructus promittunt.

Omnibus enim in terris hodie multa et eximia ingenia illis disciplinis studere inceperunt, quae sacris libris melius intelligendis inserviunt, atque ad puriores antiquitatis catholicae fontes reversi cum philologicis studiis, quae a protestantibus non parum aucta et promota libenter fatemur, vera hermeneuticae catholicae principia coniungentes egregia iam nonnulla opera ediderunt. Immo illud addere possumus et debemus, aliquos modernos commentarios antiquis sub triplici respectu praestare. Scholasticorum enim methodum sequentes moderni interpretes in integri libri, quem exponere volunt, compositionem, dispositionem, finem accuratius inquirunt, dum immediati nostri praedecessores singulas potius phrases solo contextu proximo contenti exposuerunt. Accuratius quoque ad historicas rationes, quas scholastici neglexerant, attendunt moderni interpretes, atque demum sacrae philologiae studium, quod media aetate fere iacebat, inde a saec. 15. et 16. diligentius excoli est coeptum, hodie quam maximos fecit progressus, qui exegesi magnopere inserviunt.

Longum esset, si completum eorum catalogum texere vellemus, qui hac nostra aetate de Scripturis bene meriti sunt; paucos tantum nominabimus, qui ultimum diem suum iam obierunt, sed ne eorum quidem opera adscribemus, quia pleraque alibi in hoc opere nominantur. Celebriores igitur in ITALIA sunt *Fr. Finetti* S. I. († 1842.), *Al. Ungarelli* O. Barn. († 1845.), *Ros. Parisi* S. I. († 1859.), *I. B. Pianciani* S. I. († 1862.), *Coel. Cavedoni* († 1865.), *Car. Vercellone* O. Barn. († 1868.),

Al. Vincenzi († 1880.), *F. X. Patrizi* S. I. († 1881.), *Ub. Ubaldi* († 1884.); in GALLIA porro *A. E. de Genoude* († 1841.), *Dav. P. Drach* († 1865.), *A. M. Le Hir* († 1868.), *A. Plantier* († 1877.), *M. A. Bayle* († 1877.), *I. B. Glaire* († 1878.), *F. X. Pailloux* S. I. († 1887.), *C. Trochon* († 1889.), *N. L. Bacuez* († 1892.), *I. M. Péronne* († 1892.), Em. Card. *G. Meignan* († 1897.); in BELGIO deinde *I. H. Ianssens* († 1853.), *Th. Beelen* († 1884.), *Ios. Corluy* S. I. († 1896.); in MAGNA BRITANNIA porro *Ios. Dixon* († 1860.), Emin. Card. *Nic. Wiseman* († 1865.), *G. Smith* († 1886.), *I. Mc Evilly* († 1890?), *H. Coleridge* S. I. († 1893.); in GERMANIA demum *F. Ackermann,* Can. Lat. († 1831.), *I. H. Kistemaker* († 1834.), *I. G. Herbst* († 1836.), *I. Leon Hug* († 1846.), *I. M. A. Scholz* († 1852.), *Fr. C. Movers* († 1856.), *Fr. Windischmann* († 1861.), *Fr. Xav. Reithmayr* († 1872.), *F. Allioli* († 1873.), *M. Aberle* († 1876.), *Dan. B. Haneberg*, O. S. Ben. († 1876.), *Laur. Reinke* († 1879.), *A. Bisping* († 1884.), *B. Welte* († 1885.), *Petr. Schegg* († 1885.), *Ad. Maier* († 1889.), *M. Wolter* O. S. Ben. († 1890.), *I. Bade* († 1892.), *Val. Thalhofer* († 1892.), *Val. Loch* († 1892.), *I. Danko* († 1895.), *Ios. Grimm* († 1896.), Em. Card. *Phil. Krementz* († 1899.), *L. I. Hundhausen* († 1900.), *I. H. Friedlieb* († 1900.).

CAPUT V.

DE INTERPRETATIONE PROTESTANTICA.

§ 17. — *Ab orto Protestantismo usque ad Rationalismi origines.*

1. — Ps. reformatores immerito a suis celebrantur, quod interpretationi Scripturarum novam viam aperuerint; etenim cuncti, licet contra Ecclesiam nova sua principia de Scripturarum sufficientia et perspicuitate statuerent, in praxi viam tritam non reliquerunt eorumque interpretatio in eo solo a tradita differt, quod suas haereses in Scripturis invenire vel potius in eas inferre voluerunt. Quapropter etiam eorum commentarii interpreti catholico prorsus sunt inutiles.

Si protestanticis auctoribus caecam fidem adhiberemus, pseudoreformatores de Scripturis mirifice meritos esse diceremus; illos vincula rupisse dictitant, quibus Ecclesia omnium animos ligatos tenuit, Scripturas ipsas per multa saecula neglectas in lucem protraxisse, novas vias ad genuinum sensum inveniendum monstrasse. Revera duo nova et inaudita principia statuerunt, solis scilicet libris sacris omnes fidei controversias esse dirimendas, atque unicuique ius competere Scripturae, quippe quae perspicua sit, secundum proprium iudicium interpretandae. Quid de illa « sufficientia » sentiendum sit, exponitur in theologia dogmatica; interpretandi autem licentiam pseudoreformatores sibi quidem sumserunt, sed asseclis suis non concesserunt, ita ut Reuss, licet ipse protestans sit, fateri cogatur, « liberum examen », prout hodie a protestantibus intelligitur, nec theoretice nec practice a novae religionis fundatoribus esse stabilitum.

Neque novum systema hermeneuticum statuerunt. Interdum quidem ita loquuntur, ac si solum sensum literalem agnoscerent, vehementerque in allegorias invehuntur; at tantum abest, ut quidquam novi de sensibus Scripturae statuerint, ut Melanchthon allegoriam dicat « semper fore inter locos praecipuos doctrinae christianae », atque Flacius Illyricus allegorice esse explicandam Scripturam doceat, « ubi necessitas cogat vel utilitas exigat ». i. e. « ubi sensus grammaticus cum sana doctrina pugnet (!?!) vel bonis moribus adversetur (!?!), aut verba grammatice sumta nullam afferant utilem doctrinam vel institutionem (!?!), aut si aliquam afferant, longe tamen uberior proveniat, si interpretatio allegorica adiungatur ». Ea autem, quae de multiplici sensu docuerunt, in suis commentariis etiam practice secuti sunt; Luthero ex. gr. Seraphim (*Is.* 6) significant apostolos et concionatores, eorum alae ministerium verbi, eorum volatus praedicationem Evangelii etc. Neque nova praecepta hermeneutica dederunt, sed unicum eorum meritum est, quod aliquos textus perverse interpretati sunt, deuterocanonicos libros contra antiquitatis testimonium reiecerunt, eos quoque protocanonicos impugnaverunt, qui eorum haeresibus contradicebant, Patrum explicationes, quae eis non favebant, spreverunt. Quoniam ipsi protestantes patrum suorum commentarios hodie admodum raro consulunt, licet verbis eos celebrent, nostrum certe non est, illos ad novam vitam resuscitare.

2. — Etiam ab ineunte saec. 17. usque ad medium fere saec. 18. inter *Lutheranos* et *Zwinglianos* exorti non sunt commentatores, qui nominari mereantur; inter *Calvinistas* autem et *Anglicanos* aliqui reperiuntur, quorum opera in philologicis et historicis quaestionibus inservire possunt. Maiorem tamen utilitatem, quam commentarii, haud paucorum protestantium praebent opera de antiquitatibus biblicis.

Eandem viam quam ps. reformatores, tenuerunt primi eorum sequaces; arctioribus tamen limitibus, ut unitatem aliqualem conservarent, interpretandi licentiam circumscribere conati sunt. Ideo « analogiam fidei » velut primum et ultimum principium hermeneuticum statuerunt; at quum Scriptura ipsa eis esset unicus fons et unica regula fidei, maximam experti sunt difficultatem in illa « analogia fidei » derivanda et definienda, atque in praxi eo devenerunt Lutherani, ut ea, quae in suis libris symbolicis habuerunt, velut prima principia, quae demonstrari nec possint nec debeant, proclamarent omnemque interpretationem, quae novis suis dogmatis non consentiret, a limine reiicerent; ita Scriptura illis commentatoribus vix aliud erat, quam collectio locorum novas haereses probantium. Meliorem viam inierunt Calvinistae in Hollandia. *Ioan. Drusius* († 1616.), *Lud. de Dieu* († 1642.), *Hugo Grotius* († 1645.) scholiis potius, quam commentariis libros sacros explicaverunt; Drusius antiquas versiones Patrumque atque etiam mediae aetatis commentatorum opera diligenter adhibuit, ita ut catholicismi suspicionem incurreret; alter solum grammaticalem sensum investigavit de doctrinis parum sollicitus; Grotius ex historiis profanis, quidquid ad Scripturas explicandas pertinere putavit, ita attulit, ut rationalismo praeluderet et vaticinia messianica infirmaret. Eruditione ac praesertim critica subtilitate praedecessores suos longe superavit *Ludovicus Cappellus* († 1658.), Calvinista Gallus, qui absolutam textus massorethici auctoritatem primus inter suos impugnans magnam tempestatem excitavit, quum Lutherani Germaniae et Zwingliani Helvetiae duce Ioan. Buxtorfio filio sententiam eius sollemni decreto condemnarent; at frustra, nam hodie haec sententia ab omnibus recipitur et Cappelli « Critica sacra » adhuc magni aestimatur. Merito inferior non est Anglicanus *Brianus Walton* († 1658.); optima enim ei debentur Polyglotta Londinensia, quibus Prolegomena de antiquarum versionum origine et historia praemisit.

Ioan. Cocceius († 1679.), figuristarum pater, in Vetere Test. omnia et singula in typos convertit. Multi ex eius discipulis magistrum arbitrariis explicationibus superarunt; unus autem ex eis *Campegius Vitringa* († 1722.) meliorem viam ingressus in Isaiam commentarium edidit, qui, quamvis in nonnullis caute sit legendus, optimis tamen est adnumerandus; utiles quoque sunt eius « Observationum sacrarum libri sex » et libri tres « de Synagoga ». *Ioan. Clericus* († 1736.) unus est ex praecipuis rationalismi praecursoribus, ceterum philologum magis agit, quam exegetam, aeque atque *Alb. Schultens* († 1750.), qui arabicae linguae peritissimus significationes vocum hebraicarum novis indicatis etymologiis arabicis interdum non infeliciter explicavit. Praecipuos commentarios saeculi 17. collegerunt theologi aliqui anglicani (*Ioan. et Rich. Pearsons* etc.) in magno opere, quod inscribitur *Critici sacri* (Londini 1660.; meliores editiones auctae Francof. 1696. et Amstelod. 1698.), quibus addiderunt aliquos auctores catholicos. Ex quo opere multisque aliis commentariis *Matth. Polus* († 1679.) excerpsit suam « *Synopsin criticorum* » (Londini 1669.; optima editio Francof. 1709.).

Sua non carent utilitate opera nonnulla protestantica de antiquitatibus biblicis.

Ex Thalmude rabbinorumque libris ea, quae Novo Test. intelligendo inserviunt, collegerunt *I. Lightfoot* († 1675.) et *Chr. Schoettgen* († 1751.) in suis « Horis hebraicis et thalmudicis ». Geographiam sacram excoluit *A. Reland* († 1718.), historiam naturalem *S. Bochart* († 1667.), civiles et religiosas Iudaeorum antiquitates *Ioannes Buxtorf* uterque, pater († 1629.) et filius († 1664.), qui etiam Bibliis rabbinicis, Concordantiis hebraicis, lexicis hebr. chald. thalmud. studium textus hebraici promoverunt, *Thom. Goodwin* († 1665.), *Ioan. Spencer* († 1695.). Neque omittendus est Lutheranus *I. G. Carpzov* († 1767.), qui in sua Critica sacra et in sua Introd. libros sacros erudite defendit.

§ 18. — *Varia rationalismi biblici systemata.*

1. — Interpretes protestantici omnes usque ad medium saec. 18. divinum Scripturarum characterem agnoverunt; ab eo autem tempore nova excogitare coeperunt systemata hermeneutica, quae quum omnem revelationem supranaturalem respuant atque solam rationem ducem agnoscere praetendant, communi nomine *rationalismi biblici* designantur, secundum varias autem suas formas varia sortita sunt nomina.

Usque ad medium fere saec. 18. principes urbiumque magistratus protestantici, utpote summi sectarum episcopi, invigilaverant, ne a suis theologis contra libros symbolicos Scripturae explicarentur; attamen quando deistarum anglicorum et pseudophilosophorum gallicorum opera ubique propagata antiquas fidei reliquias, quas Protestantes conservaverant, labefactare coeperant, principes theologis suis frena laxarunt et theologi eandem interpretandi licentiam, quam maiores eorum usurpaverant, sibi quoque vindicarunt. Itaque multi ex iis cum deistis omnem revelationem supranaturalem, omnem inspirationem, omnia vera vaticinia et miracula reiecerunt; Scripturas divino charactere spoliatas eodem modo, quo libros profanos quoscumque, explicandas esse statuerunt; Veteris Test. libros enim nihil esse nisi monumenta nationalia Iudaeorum iactarunt, Novum Test. collectionem dixerunt librorum de Christo tractantium; Dominum N. pro mero homine habuerunt sapiente quidem sed erroribus obnoxio; ideo religionem eius multas quidem bonas doctrinas continere, sed erroribus non carere blasphemarunt. Ut haec dogmata stabilire possent, etiam humana auctoritas librorum sacrorum destrui debuit; quem in finem *criticam sublimiorem sublimioremque hermeneuticam* excogitarunt, quarum prior docet, quomodo librorum authentia et veracitas impugnentur, altera ostendit, quomodo ea, quae relicta erant, supranaturalia facta aut dicta supranaturali suo charactere priventur; cfr *Encycl.* 10. 26.

2. — Rationalismi biblici parens, *Ioan. Sal. Semler* († 1791.), vix non integro Vetere Test. reiecto ad Novum explicandum excogitavit systema *accommodationis*.

Semlero canon non fuit nisi collectio librorum, qui olim in coetibus christiani sint praelecti, neque tamen maiorem, quam profani, habuerint auctoritatem. Mirum esse ait, quod Christiani Iudaeorum libros cum verbo Dei, quod in nonnullis tantum eorum partibus inveniatur, confuderint; plerasque Veteris Test. narrationes nobis prorsus esse inutiles atque vaticinia de sola republica Iudaeorum agere; itaque libros plurimos Veteris Test. posse negligi. In Novo Test. deinde multa inveniri ratus, quae rectae rationi adversentur, nec tamen Dominum aut

Apostolos erroris accusare ausus statuit, Dominum Apostolosque aliquoties sese falsis Iudaeorum opinionibus *accommodasse*, i. e. multa docuisse, quae cum falsa iudaica doctrina consentiant, quamvis ea falsa esse scirent; quam ob causam diligenter discernendas esse veras Domini doctrinas ab erroribus iudaicis i. e. ab omnibus doctrinis, quas Iudaeos illa aetate tenuisse, opera Philonis, Iosephi, rabbinorum ostendunt. Criterium multo facilius statuit *I. G. Eichhorn* († 1827.), omnia illa pro iudaicis commentis esse habenda, quae cum recta (i. e. cum deistica vel rationalistica) ratione non conveniant. Quam impium absurdumque sit hoc systema, demonstratione non indiget. Novae suae distinctionis inter libros sacros ipsos et verbum Dei in eis contentum unica ratio Semlero fuit experientia; libros enim Veteris Test. historicos legens aliquando pios animi motus expertus est, plerumque frigidus languidusque mansit; num quis tale argumentum refutatione dignum habet? Ad accommodationem autem quod attinet, gravissimum sane est peccatum, si quis aliorum errores externe et positive approbat, licet interne dissentiat; blasphemus igitur est Semler, qui Dominum aperti mendacii incusare audet.

3. — *Immanuel Kant* († 1804.), ut solam suam naturalem religionem in libris sacris doceri ostenderet, « authenticam interpretationem » invenit, sed ne unum quidem sequacem in hac via habuit.

Primum principium kantianum est, sola praecepta moralia constituere essentiam religionis, dogmata eatenus tantum esse admittenda, quatenus virtutis exercitium promoveant; solam religionem naturalem esse veram, eas vero, quae se revelatas dicunt, mera esse figmenta humana, attamen bona, si saltem principium quoddam contineant, cuius ope cum naturali religione conciliari possint. Iam vero christianae religioni Kant hoc principium « authentica interpretatione » sua suppeditare voluit, cuius unicus canon est, ut non quaeratur, quid auctor dixerit, sed quid dicere debuerit, ut liber eius nihil praeter naturalem religionem kantianam contineat.

4. — Cum Kantio in definienda religione consentit *H. E. G. Paulus* († 1851.) in eo tantum ab illo recedens, quod non integram historiam sacram pro superflua habeat. Praecipuum eius studium fuit, ut ex sacra historia omnia removeret miracula; quem in finem *notiologico-philologicam* seu *psychologicam* interpretationem statuit.

Totum artificium huius interpretationis in nova quadam distinctione inter *factum* et inter *iudicium* de hoc facto consistit; priore nomine designat rem, quam spectatores accidisse testantur, altero opinionem, quam sibi de huius rei causis efformarunt; in narrationibus autem factum et iudicium ita copulari et permisceri censet, ut plane confundantur. Interpretis igitur munus esse statuit, ut in evangelicis narrationibus factum purum a spectatorum et auctorum iudiciis separet; quare inquirat oportet, quaenam adiuncta ob erroneum iudicium forte sint omissa, quaenam alia addita. Ex. gr. Dominus N. quinque panibus quinque millia hominum satiasse narratur; iam vero hoc fieri non potuit, supplenda igitur est circumstantia quaedam ab evangelistis omissa; sc. Christus ipse revera non dedit nisi quinque panes hordeaceos, sed sua liberalitate permovit alios, ut ipsi quoque panes et pisces, quos secum habuerunt, inter pauperes distribuerent, qui nihil

attulerant; en totum miraculum disparet. Nonne mirum, quod eiusmodi absurditates hodie adhuc interdum venditentur?

5. — Interea autem aliud systema paullatim est excultum, quod hodie praeplacet. *Mythicismus biblicus* vocatur, quia libros sacros eodem in loco habet quo carmina aliaque opera mythologica ethnicorum.

S. Semler primus aliquas Veteris Test. narrationes (de Samsone etc.) mythis adnumeravit, *I. G. Eichhorn* in historia creationis et lapsus protoparentum mythos invenit, *I. Sev. Vater* († 1826.) mosaica Pentateuchi origine negata mythicismum ad omnes Legis libros extendit et *L. de Wette* († 1849.) reliquos libros historicos Veteris Test. mythis scatere contendit. Audacia et impietate praedecessores superans *David Fr. Strauss* († 1875.) novum systema Evangeliis applicavit; sed eius sententia ab initio paucos invenit apertos asseclas, usque dum triginta fere annis postea ab *Ern. Renan* poetice exornata iterum spargi coepta est et ab omnibus incredulis magno cum plausu recepta. Praeter hos mythicismi auctores, plerique interpretes protestantici magis minusve ei favent, atque mythos in sacris libris inveniri concedunt, etsi historiam iudaicam et evangelicam in genere admittant. Systematis autem fundamenta praecipua sunt haec. *a.*) Miracula et vaticinia sunt impossibilia, ergo in narratione vere historica locum non habent. Assertum hoc esse erroneum, docent philosophi et apologetae; addimus autem historiam ex fontibus historicis esse diiudicandam, non ex praeiudicatis opinionibus efformandam. — *b.*) At fontes nostros vere historicos esse negant; Pentateuchum enim non a Moyse esse scriptum, sed exsilii aut etiam Esdrae aetate esse terminatum, reliquos libros historicos Pentateucho esse recentiores, propheticorum quoque magnam partem esse conscriptam, postquam res, quae praedici feruntur, iam evenerunt, Evangelia demum satis diu post Domini mortem saec. 2. esse composita. In Introductione speciali authentiam omnium librorum sacrorum vindicabimus; interim autem gratuitis rationalistarum assertionibus constantem et unanimem Iudaeorum et Christianorum traditionem de librorum sacrorum suorum origine opponimus, quae hucusque nullis argumentis labefactari potuit. — *c.*) A mythis omnium populorum historia et religiones inceperunt, ergo ex analogia concludendum est, a mythis Iudaeorum et Christianorum religionem inchoari. At analogia haec pernegatur. Christianae religionis origines non in fabulosis temporibus sunt quaerendae, quibus ethnici origines suas adscribunt; eo tempore, quo Dominus apparuit, Iudaea iam dudum habuit suos scriptores; Iudaeis autem res sua aetate gestas narrantibus non minor fides debetur, quam Graecis Romanisque res suas scribentibus. Porro Christum discipulos reliquisse, qui res a se visas ecclesiis tradiderint, ipsi adversarii concedunt; num omnes illae ecclesiae vix quinquaginta aut sexaginta annis post ultimi Apostoli mortem iam res gestas Domini sibi traditas ita oblivioni tradiderant, ut figmenta qualiacumque sibi obtrudi sinerent? Procul dubio mythi et fabulae de Christi vita primis illis temporibus narrabantur; id enim demonstrant apocrypha evangelia; Ecclesia autem veras inter et fabulosas narrationes optime distinxit; id enim probat apocryphorum reprobatio. — At Veteris quoque Test. narrationes quam plurimum differunt, sive auctores, sive forma, sive argumentum considerantur; Moyses poeta non fuit, sed historiographus, qui in quatuor ultimis libris ea narrat, quae ipse gessit aut quibus testis interfuit, in Genesi historiam trium patriarcharum gentis suae fusius exponit, quorum memoria satis recens fuit. Unica difficultas de primis Ge-

neseos capitibus moveri potest; quorum absolutam veritatem demonstrari non posse fatemur nisi demonstrata Moysis inspiratione; sed haec exceptio non impedit, quominus ex reliquis operis partibus legitima argumenta deducamus. Atque illud quoque addamus, omnia illa studia, quibus hodie antiqua Aegyptiorum, Assyriorum, Babyloniorum etc., monumenta perlustrata sunt, confirmandae auctoritati historicae Veteris Test. inservisse. — *d.*) Quum analogia illa, praesertim si de Novo Test. sermo est, non nisi absurde asseratur, affirmarunt rationalistae, Christianos ex Vetere Test. ideam messianicam assumsisse omnesque illos characteres, quos Iudaei illo tempore Messiae suo attribuerunt, Iesu Nazareno affinxisse et hac ratione mythos efformasse. At hoc assertum repugnat historiae, quae docet, Iudaeos Messiae ideam prorsus diversam sibi efformasse ab illa, quam exhibent Evangelia atque ipsos Apostolos usque ad Christi resurrectionem hac in re cum aliis Iudaeis errasse.

6. — Ut ultimorum, qui remanebant, Novi Testamenti librorum auctoritatem destrueret, *Neo-Tubingensium* schola novas origines ecclesiae catholicae excogitavit, quae saec. 2. ex Petrinis, i. e. Christianis iudaizantibus, et Paulinis, i. e. Christianis universalistis, coaluerit; in omnibus enim Novi Test. libris oppositionem duarum illarum partium apparere atque maiorem eorum numerum conscriptum esse, ut partium unionem praepararent oppositionemque tegerent delerentque.

Neotubingensis scholae fundator est *Ferd. Christ. Baur* († 1860.), Straussii magister, qui eodem anno, quo Strauss suam « Vitam Iesu » edidit, Pauli epistolas ad Tim. et Tit. exeunti saec. 2. adscribere non dubitavit, quia systemata gnostica, praesertim Marcionis, in eis respici putavit; mox autem ulterius progressus quatuor tantum epistolas Paulinas (Rom., 1. 2 Cor., Gal.) genuinas esse statuit et Actuum quoque authentium negavit. Secundum Baur Christianismus, quem Petrus et reliqui Apostoli profitebantur, non erat nisi doctrina quaedam iudaica, quare etiam inter ethnicos non est propagatus; vera autem Iesu doctrina, quae toti generi humano destinata erat, neglecta iacebat, donec Paulus eam detegeret et propagare coepisset. Hinc in primitiva ecclesia exorta est magna lis inter illos, qui cum Petro iudaizabant, et inter illos, qui cum Paulo religionem ab omni fermento iudaico purgatam inter ethnicos propagare volebant. Cui liti originem debent primi libri Novi Test., sc. Apocalypsis a iudaizantibus composita et quatuor illae Pauli epistolae contra iudaizantes pugnantis; utraque factio suum quoque habet Evangelium, ex iudaizante postea exortum est primum nostrum Evangelium et ex paulino tertium nostrum. Etenim post Apostolorum omnium mortem duae factiones pacem inire volentes suas doctrinas, quibus distinguebantur, mitigare et delere studuerunt eumque in finem circa medium saec. 2. reliqui libri paullatim sunt conscripti. Ut novum suum systema stabiliret, Baur indiguit novo systemate hermeneutico; itaque sicut Strauss in Evangeliis ubique mythos invenit, eius magister in omnibus libris particulas et doctrinas aut petrinas aut paulinas detexit omniaque ex fine illo, quem singulis a priore quasi praefixit, explicanda docuit. At non multos invenit, qui integrum eius systema amplectebantur, multos autem, quibus effrenata licentia placuit, qua pro libitu libri sacri tractantur et velut colluvies variarum doctrinarum considerantur. Licet igitur neotubingensis schola ipsa cum eius fundatore sit mortua, eius principia in hodierna exegesi protestantica remanent, ut pauci interpretes illis non sint infecti. Neotubingenses autem vocari

nolunt, sed « *scholae criticae* » asseclas sese dicunt; nos utroque nomine promiscue utemur, quia utriusque scholae principia sunt eadem. Ceterum integri systematis refutatio ad Introductionem specialem pertinet, in qua singulorum Novi Test. librorum authentiam et unitatem vindicabimus.

§ 19. — *Studia scripturistica modernorum Protestantium.*

1. — Ingens est Protestantium numerus, qui hoc saeculo disciplinas scripturisticas excoluerunt et excolunt, neque negari potest, eos, licet plerique rationalismo sint addicti, ad illarum profectum contulisse; imprimis enim utilia subsidia philologica et historica interpreti comparaverunt.

Ultimis his temporibus omnia fere studia theologica Protestantium exegesi sola comprehenduntur, ita ut mirum non sit, quod tantus sit numerus operum scripturisticorum, quae singulis annis ubique terrarum ab eis eduntur. Sed multa quoque ex illis ad profectum disciplinarum scripturisticarum contulerunt, atque cum nostro dedecore fateri cogimur, Protestantes studiis suis philologicis et historicis Catholicos superasse atque rem eo deduxisse, ut catholicus interpres, qui Scripturis accuratius studium impendere velit, protestanticis operibus philologicis, historicis, archaeologicis carere nequeat. Nulla lingua studio Scripturarum inservit, quam diligentissime non tractaverint et grammaticis lexicographicisque laboribus non illustraverint, res historica nulla, in quam sollertissime non investigaverint. Longus contexendus esset catalogus, si nuda nomina eorum adscriberemus, qui inde a fine praecedentis saeculi linguae hebraicae vicinarumque dialectorum scientiam felici cum successu promoverunt, nec brevior foret catalogus eorum, qui archaeologicis et historicis studiis impensam operam dederunt. Ab illis autem nominandis hoc loco abstinemus, quia illa opera, quae quotidiano usui inservire possunt, passim iam indicavimus, partim in sequentibus dissertationibus nominabimus; id tamen repetimus, quod iam aliquoties innuimus, etiam in philologicis et historicis operibus Protestantium adhibendis prudentem cautionem requiri, nisi quis eorum praeiudiciis in errorem induci velit.

2. — Neque minus utilia sunt moderna opera protestantica, quibus subsidia ad textuum sacrorum criticam exercendam continentur; commentarii autem, licet inter eos quoque non desint, qui cum fructu adhiberi possint, in genere commendari non merentur utpote rationalistico aut protestantico veneno nimis infecti.

Quid in textu genuino librorum sacrorum restituendo Protestantes hoc nostro tempore praestiterint, non repetemus, quia in *Diss.* II. passim iam indicavimus, nos in sacri textus critica quoque, si Vulgatam excipimus, omnino ab eorum laboribus dependere. Alia autem omnino est commentariorum protestanticorum ratio. Ab ineunte enim hoc saeculo usque ad quartum eius decennium ne unum quidem, opinor, interpretem alicuius nominis invenimus, qui rationalismo vulgari non adhaereat aut saltem ad eum inclinet; inde autem ab a. 1830. circiter exorta est nova schola interpretum, qui magna cum fortitudine neque minore cum eruditione rationalisticam interpretationem impugnaverunt in eo solo fere a catholicis interpretibus dissentientes, quod, quum suas haereses in Scripturis invenire velint,

traditionalem exegesin negligant aut etiam contemnant. At hodie non nisi paucae reliquiae huius « scholae orthodoxae » supersunt et plerique, qui hodie ei adnumerari solent, in praxi rationalistica principia frequenter sequuntur. Itaque triplex commentatorum protestanticorum genus est distinguendum.

« Orthodoxorum » commentarii, dummodo debita ne desit cautio, plerique non sine fructu consuluntur; huc spectant commentarii in Vet. Test. conscripti ab *E. W. Hengstenberg* († 1862.), scholae istius fundatore, *H. A. Haevernick* († 1845.), *C. F. Keil* et *Fr. Delitzsch* (Biblischer Commentar über das A. T. Leipzig 1860. 17 voll.), et commentarii in N. T. conscripti ab *H. Olshausen* († 1839.), *C. F. Luthard, I. H. Ebrard, F. Godet* etc.; quibus adde comm. in U. T. editos in Germania ab *I. P. Lange* (Theologisch homiletisches Bibelwerk. Bielefeld 1864. sqq. 36 voll.) et in Anglia a *F. C. Cook* (The holy Bible with an explanatory and critical commentary. London 1871. sqq. 11 voll.).

Praecipuos rationalistas iam nominavimus; eorum autem opera interdum utiles notas grammaticales praebent, sed plerumque sine magno damno negliguntur. Ex commentariis in omnes Scripturas praeter alios huc spectant *C. C. I. Bunsen* Vollständiges Bibelwerk für die Gemeinde (Leipzig 1858. sqq. 10 voll.), *Ed. Reuss* La Bible. Traduction nouvelle avec introductions et commentaires (Paris 1875. sqq. 14 voll.); in solum Vetus T. Kurzgefasstes exeget. Handbuch zum A. T. (Leipzig 1856-92. — 17 voll.); in solum Nov. Test.: Handkomm. zum Neuen Test. a H. I. *Holtzmann*, *Lipsius*, *v. Soden*, *Schmiedel* editus (Freiburg 1892.93. Ed. 2. — 4 voll.). Huc etiam recte trahuntur: Kurzer Handkomm. zum A. T. a *K. Marty* cum multis aliis inchoatus (Freiburg 1897 sqq.) et Handkomm. zum A. T. a *W. Nowack* cum aliis editus (Gottingae 1892-99. — 16 voll.).

Tertia classis illos interpretes complectitur, qui duabus quasi sellis insidere volentes neque calidi neque frigidi sunt ideoque ipsis rationalistis facilius seponuntur. Huc iure trahuntur Kurzgef. Kommentar zu den hl. Sch. A. u. N. T. und den Apocr. a *Zoeckler* et *Strack* cum multis editus (Nördlingen 1886-99. — 14 voll.) nonnullaque opera in Britannia et America sept. edita, inter quae The international critical Commentary on the Old and New Test. per *S. R. Driver*, *A. Plummer*, *Ch. Aug. Briggs* multis adiuvantibus evulgari coeptus (Edinburg 1895 sqq.).

Demum potest quartum genus illorum statui, qui de theologica interpretatione minus solliciti grammaticis quaestionibus delectantur; inter eos praecipui sunt, qui cum *H. A. W. Meyer* († 1873.) ediderunt opus, cui titulus Kritisch exegetischer Commentar zum Neuen Test. (Göttingen 1832. sqq. 16 voll.); sed interpretes, qui novas huius operis editiones curaruut, iam ad tertiam classem pertinent.

Pauca haec de *commentariis* protestanticis sufficiunt, quia interpreti catholico tot egregii commentarii catholici antiqui et moderni praesto sunt, ut protestanticos illos sine dispendio negligat. De cauto operum heterodoxorum usu cfr *Encycl.* 21.

PARS II.

INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

SINGULOS VETERIS TESTAMENTI LIBROS.

DISSERTATIO IV.

DE VETERIS TESTAMENTI LIBRIS HISTORICIS.

CAPUT I.

DE PENTATEUCHO MOSAICO.

§ 1. — *De Pentateuchi argumento et partitione.*

1. — Quinque primi Veteris Test. libri a Domino et Apostolis, uti ab Hebraeis, semper *Lex* appellantur, argumenti ratione habita; hodie *Pentateuchus* appellantur ob primariam suam partitionem.

A prima rerum creatione exorsi illos quidem enarrant eventus, quibus adductus Deus posteros Abraham ad genuinam suam revelationem conservandam elegit atque praeparavit, attamen maxime in illis divinis praeceptis tradendis et inculcandis versantur, quibus populus israeliticus a reliquis gentibus separatus dignum se reddere debuit, qui omnibus salutem afferret; ideoque nomen *Legis* vel potius « divinae institutionis » aptissimum est[1]. Neque minus apta est *Pentateuchi* appellatio, siquidem operis in quinque libros partitio non tantum antiquissima est et testibus *Philone* (de Abrah. 1) et *Fl. Iosepho* (c. App. I. 8) iam Christi tempore pervulgata fuit, sed ab ipso auctore profecta recte creditur. Ea enim est illius dispositio, quae aliam partitionem non admittat; libri 1. 3. 5. suis argumentis a reliquis partibus sese distinguunt; 2. brevi quadam recapitulatione (*Exod.* 1,1-7) velut novo exordio inchoatur, 3. sua clausula (*Lev.* 27,34) a sequente separatur, atque eadem ratione suam clausulam habet 4. (*Num.* 26,13), et 5. suum exordium (*Deut.* 1,1-5).

Singulis libris Iudaei palaestinenses, a primo, quo inchoantur, vocabulo, alexandrini, quorum morem adoptavit Ecclesia, a praecipuo eorum argumento nomina imposuerunt.

« Primus apud Hebraeos liber vocatur *Beresith* (בראשית « In principio »), quem nos *Genesim* dicimus; secundus *Veelle Semoth* (ואלה שמות « haec sunt

(1) Hebraicum *Thora* (תורה a rad. ירה, quae in Hiph. *monstrandi, docendi, instituendi* significationem habet), licet interdum de singularibus praeceptis adhibeatur, latiore tamen sensu, quam gr. νόμος et lat. *lex,* quibus reddi solet, explicetur necesse est, quotiescunque de opere mosaico usurpatur. Ceterum haec nomina in S. S adhibentur : *Liber Legis* (Deut. 31,26; Ios. 1,8 etc.), *liber Legis Domini* vel *Dei* (2 Paral. 17,9 etc. 2 Esdr. 8,18 etc.), *liber Legis Moysi* (Ios. 8,31 etc.), *Lex Moysi* (2 Paral. 23,18 etc.), *Lex* (2 Esdr. 8,2 etc.). Eadem fere nomina in Novo Test. usurpantur, in quo etiam *Lex* interdum omnes Veteris Test. Scripturas designat (cfr *Ioan.* 10,34; 12,34; 15,25 etc.)

nomina »), qui *Exodus* appellatur; tertius *Vajikra* (ויקרא « et vocavit ») i. e. *Leviticus;* quartus *Vajedabber* (וידבר « et locutus est »), quem *Numeros* vocamus; quintus *Elle haddebarim* (אלה הדברים « haec sunt verba »), qui Deuteronomium praenotatur. Hi sunt quinque libri Moysi, quos proprie *Thora* (תורה) i. e. *Legem* appellant » (*S. Hier.* Prol. gal. cfr *Orig.* in Ps. 1. apud *Eus.* H. E. VI. 25).

2. — *Genesis* est velut fundamentum et praeparatio legislationis in sequentibus libris tradendae; etenim narrat, quomodo *Deus unam familiam* ad revelationem suam conservandam *elegerit* eandemque ad suam missionem *educaverit*. Quapropter *argumento spectato* in duas partes apte distribuitur, quarum prior (1.-11.) historiam generis humani usque ad Abrahami electionem adumbrat, altera (12.-50.) singularem providentiam demonstrat, qua Deus electam familiam direxerit et protexerit usque ad illud tempus, quo in Aegyptum adducta in magnum populum excrescere coepit. Quod si *forma externa* simul attenditur, decies repetita formula « *haec est historia...* » decem sectiones ita distinguit, ut quinae duabus illis partibus attribuantur.

« Genesis vocatur, inquit *Ps. Athan.* (Synops. S. S. 5.), quia et universorum, coeli pariter ac terrae hominumque et omnium rerum ortum (τὴν γένεσιν) et ipsam paradisi plantationem complectitur ». Arctiorem esse hanc argumenti descriptionem, quum sola tria priora capita complectatur, evidens est, atque rectius dicemus, Genesim ortum et initia tradere oeconomiae supranaturalis; de electione enim et educatione illius familiae agit, in qua benedicendae erant omnes nationes. Huius autem familiae historiam ita narrat, ut reliquas quoque familias gentesque omnes attingat, earum cum electa nexum manifestet, earumque fatis brevissime expositis ad praecipuum suum argumentum revertatur. Hinc decies illa repetita formula « Haec est historia... », quae omnes sectiones arcte inter se connectit argumento praecedentis sectionis in memoriam revocato[2].

Brevissimus hic *Geneseos conspectus* ostendit, quo arcto nexu singulae

(2) Formula hebraica אֵלֶּה תוֹלְדוֹת vel זֶה סֵפֶר תוֹלְדוֹת (2,4; 5,1; 6,9; 10,1; 11,10; — 11,27; 25,12; 25,19; 36,1; 37,2) ab Alexandrinis quidem redditur αὗται αἱ γενέσεις (αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως) et a S. Hier. *istae* (*hae*) *sunt generationes* (« *hic est liber generationis* »), quoniam *Tholedoth* etymologice *generationes*, *familias* significat. Verum quoniam Orientalium historiae genealogiis fere inchoantur et genealogiis maxime constant, *Tholedoth* etiam *historiam* significat atque hoc sensu in inscriptionibus nostris sumatur necesse est. Ex. gr. 37,2 (« hae sunt generationes Iacob. Ioseph quum sedecim esset annorum » etc.) historiam narrat filiorum Iacob, quorum generatio s. nativitas diu antea erat relata (*Gen.* 29. 30. 35.). Simili modo 2,4 (« istae sunt generationes coeli et terrae ») non de creatione agit, quae narrata iam erat (1,1 sqq.), sed de iis, quae in terra gesta sunt. Animadvertatur enim oportet, inscriptionibus illis praecedentem sectionem plerumque in memoriam revocari atque nexum indicari (cfr 5,1 cum 2,7 sqq.; 6,9 cum 5 29 sqq. et 6,8; 10,1 cum 9,18. 19. etc.). — Ad id autem etiam probe attendendum est, quomodo in tota sectionum dispositione auctor semper animos lectorum ad praecipuum suum argumentum dirigat. Paucissimis enim absolvit eas gentes et familias, quae non sunt electae earumque historiam semper narrat ante electi rami ulteriora fata : Cain ante Seth, Cham et Iaphet ante Sem, reliquos posteros Sem ante Abraham, Ismael ante Isaac, Esau ante Iacob.

sectiones inter se colligentur et qua ratione omnes ad eundem finem conspirent.

Exordium (1,1-2,3) magnifica creationis descriptione non tantum Dei potentiam et bonitatem, sed omnimodam quoque creaturarum a Deo dependentiam demonstrans docet, tam potenti et bono domino perfectam obedientiam deberi.

Prima pars (2,4-11,26) deinde primordiis generis humani adumbratis ostendit, Deum hanc obedientiam in hominibus non invenisse ideoque inobedientibus relictis unum solum hominem elegisse, in cuius familia genuinam revelationem promissionesque conservaret.

1. *Historia coeli et terrae* (2,4-4,26) igitur lapsu primorum parentum (2,5-3,24) et Caini fratricidio (4,1-16) enarratis posteros Caini enumerat et eliminat (4,17-26).
2. *Historia Adami* (5,1-6,8) alterius filii posteros, Sethitas, enumerat (5,1-32) eosque quoque viam suam ita corrupisse docet, ut unus inter eos Noe gratiam coram Deo invenerit (6,1-8).
3. *Historia Noe* (6,9-9,29) nec diluvii poena, quo genus corruptum ablatum est (6,11-8,19), nec novo pacto cum Noe eiusque filiis inito (8,20-9,17) homines esse emendatos tradit, sed inter ipsos Noe filios unum maledictione patris esse reiectum, alterum autem esse electum, in quo permanerent benedictiones (9,18-29).
4. *Historia filiorum Noe* (10,1-11,9) gentes ex eis progenitas (10,1-32) novam sibi poenam superbia sua attraxisse docet (11,1-9).
5. *Historia Sem* (11,10-26) demum eius posteros enumerat usque ad Thare, patrem Abraham, in cuius semine benedicendae erant omnes gentes.

Altera pars (11,27-50,26) singularem providentiam describit, qua Deus Abrahamo eiusque posteris invigilaverit eosque educaverit, usque dum in Aegyptum eos duceret, ut ibi (ab omnibus separati) in magnum populum excrescerent. Verum ne Israelitae putarent, solo sanguine abrahamitico aliquem verum filium Abrahae fieri (cfr *Rom.* 9,7), illi posteri Abrahae, qui filii promissionis non erant, enumerantur, ut eliminentur.

1. *Historia Thare* (11,27-25,11) Abrahae vocationem, transmigrationem in terram Chanaan, foedus cum Deo initum, promissiones acceptas et reliqua eius fata fuse enarrat, quia Abraham exemplum erat, quod eius posteris imitandum proponebatur.
2. *Historia Ismael* (25,12-18) tribus ab Ismael progenitas eliminat.
3. *Historia Isaac* (25,19-35,29) historiam filiorum eius, Esau et Iacob, narrat.
4. *Historia Esau* (36,1-37,1) eliminat tribus Esau enumeratas.
5. *Historia Iacob* (37,2-50,25), cuius omnes filii duodecim erant electi, ut patres fierent filiorum Israel, res eorum usque ad Iacobi et Iosephi mortem perducit.

3. — Tres libri, qui sequuntur, corpus quasi constituunt mosaici operis, cuius Genesis est exordium, Deuteronomium epilogus; integram enim fere legislationem continent, quam Genesis praeparat, Deuteronomium inculcat.

Leges autem eo ordine fere proponuntur, quo occasione data a Deo per Moysen sunt promulgatae, intimeque cum populi israelitici historia sunt connexae; qua-

propter libri ipsi, etsi multas leges tradant, historicis recte adnumerantur; solus tertius in legibus dumtaxat tradendis versatur.

Secundus inscribitur *Exodus,* « quia egressum (τὸν ἔξοδον) filiorum Israel ex Aegypto continet » (*Ps. Athan.* Synops.), sed latius patet eius argumentum, quam nomen indicat; nam filiorum Israel historiam a morte Ioseph usque ad secundum emigrationis annum tradit, licet tempus a Ioseph morte usque ad Moysis nativitatem paucissimis absolvat. Summum argumentum brevis conspectus divisionis indicat.

Exordium (1,1-7) enumeratis duodecim filiis Iacob atque morte Ioseph iterum commemorata sequentem narrationem cum praecedente coniungit atque posteros Iacob in Aegypto in magnum populum excrevisse docet.

Pars prima (1,8-13,16) *de exitu populi ex Aegypto.*

1. Iudaeis a novo Pharaone oppressis Deus in Moyse liberatorem praeparavit (1,8-2,25).
2. Qui in deserto vocatus et ad missionem instructus fratrem Aaronem socium missionis obtinet (3,1-4,31).
3. Ambo a Pharaone liberationem populi frustra expetunt, nec novem prioribus plagis Deus cor eius frangere potest (5,1-10,29);
4. decima autem plaga, morte primogenitorum, commotus Pharao populum dimittit (11,1-12,36), qui in liberationis memoriam quotannis pascha celebrare iubetur (12,37-13,16).

Pars altera (13,17-18,27) *de itinere Israelitarum ad montem Sinai,* magna miracula narrat, quibus Deus populum ad recipiendam Legem praeparavit.

1. Columna nubium et ignis ducti et protecti mare rubrum transeunt, in quo Aegyptii persequentes demerguntur (13,17-15,21).
2. Aqua amara in dulcem eis convertitur, coturnices eis mittuntur, manna de coelo et aqua ex rupe eis dantur, Amalecitae orante Moyse ab eis vincuntur (15,22-17,16).
3. Iudicibus constitutis forma futuri regiminis indicatur (18,1-27).

Pars tertia (19,1-40,36) *de foedere in monte Sinai inito et renovato.*

1. Populo a Deo ipso promulgatur decalogus, sed terrore perculsi filii Israel rogant, ut deinceps per Moysen Deus leges suas promulget (19,1-20,21).
2. Itaque Moyses nonnulla praecepta una cum continuae protectionis divinae promissione promulgat atque sacrificio oblato foedus populi cum Deo initum confirmat (20,22-24,8).
3. Solus deinde in monte quadraginta diebus cum Deo conversatur ab eoque de tabernaculo foederis exstruendo aliisque rebus ad cultum pertinentibus edocetur (24,9-31,18).
4. Interea filii Israel sibi fecerant vitulum aureum, quem adorarent; quod quum reversus vidisset, Moyses Legis tabulas a Deo acceptas confregit, idololatras occidi iussit, superstitibus autem veniam a Deo impetravit, foedereque renovato novas Legis tabulas accepit (32,1-34,35).
5. Exstruitur deinde tabernaculum cum vasis eius, atque Dominus illud gloria sua implens ostendit, se populum hunc sibi proprium fecisse (35,1-40,36).

4. — Tertius liber a rabbinis haud raro « *lex sacerdotum* » (תּוֹרַת הַכֹּהֲנִים) vel « *lex sacrificiorum* » (תּוֹרַת הַקָּרְבָּנוֹת), ab Alexandrinis Λευϊτικὸν (sc. βιβλίον),

a Latinis *Leviticus* appellatur, « quia proprie et peculiariter totam levitici ministerii formam continet » (*S. Chrys.* Synops. S. S.). Quam arcte cum praecedente libro cohaereat, clarum est. Etenim postquam de foederis tabernaculo actum est, in quo Deus continuo habitans populo suo praesens adfuturus esset, de illis iam erat agendum, *quae ex sua parte filii Israel Deo inter ipsos habitanti praestare et quibus continua divina praesentia sese dignos reddere debuerunt.* Magna quidem est praeceptorum in hoc libro traditorum varietas, sed pro duplici officio, quod populo incubuit, in duas classes apte distribuuntur, ut duae sint libri partes.

Pars prior (1,1-10,20) *de iis, quae Deo inter filios Israel habitanti praestanda sunt*, i. e. de sacrificiis, agit.

1. Sacrificiorum variae enumerantur species et ritus describuntur (1,1-6,7),
2. deinde personarum, per quas offerenda sunt, i. e. sacerdotum, in iis offerendis munera et iura indicantur (6,8-7,38),
3. primorumque sacerdotum consecratio et institutio narrantur (8,1-10,20).

Altera pars (11,1-27,34) *de munditie ob divinam praesentiam requisita.*

1. In integro populo requiritur mundities externa legalis, ideoque ea enumerantur, quibus conservari debet (11,1-18,30); ad externam autem interna accedat oportet (19,1-20,27).
2. In sacerdotibus maior requiritur mundities externa et interna, ideoque specialia praecepta observare debent (21,1-22,33).
3. Populum et sacerdotes spectant reliqua praecepta, uti etiam promissiones et maledictiones, pro Legis observatione aut violatione (23,1-27,34).

5. — Quartus liber ab Alexandrinis Ἀριθμοί, a Latinis *Numeri* appellatur, « quia in eo totius populi numerus continetur tribu unaquaque Iudaeorum secundum Dei praeceptum recensita » (*Ps. Athan.* Synops.); aptius tamen a rabbinis interdum « *in deserto* » (במדבר) vocatur, quia integri illius temporis, quo filii Israel in deserto peregrinati sunt, historiam continet.

Legislatione enim sinaitica, quam exhibet Leviticus, narratio itineris interrupta erat eamque nunc continuat auctor atque a mense 1. anni 2. usque ad m. 11. a. 40. perducit. Neque tamen serie continua historiam narrat, sed eadem ratione, qua longum tempus a Iosephi morte usque ad Moysis nativitatem silentio praetermisit, etiam triginta septem peregrinationis annos brevissime absolvit. Pro fine enim suo illa sola fata populi sui narrare voluit, quae proxime et directe ad salutem per Israelitas omnibus gentibus conservandam spectabant; at murmurationibus suis omnes illi, qui viri ex Aegypto egressi erant, indignos sese reddiderant, qui divinam revelationem conservarent, atque iusto Dei iudicio condemnati sunt, ut in deserto morerentur. Quare Moyses, postquam sententiam latam retulit, eius exsecutionem praetermittit, neque quidquam de tota illa generatione tradit praeter paucissima facta, quae Deum etiam tum Legis observationi invigilasse docent. Generatione autem illa mortua Moyses narrationem suam resumit et de ultimo peregrinationis anno satis fuse agit.

Secundum temporis rationem tres libri Numerorum partes distinguuntur, quarum summum argumentum hoc est :

PRIMA PARS (1,1-14,45) *ea narrat, quae ante rebellis generationis repudiationem gesta sunt,* atque praeprimis ea, quae duobus primis mensibus a. 2. acciderunt, ordine tamen inverso[3]. Nam

1. describuntur illa, quae m. 2. statuta sunt (1,1-6,27). Censu sc. populi habito ordo tribuum muneraque levitarum in itinere praescribuntur variaeque leges de munditie castrorum etc. adduntur.
2. Deinde illa narrat Moyses, quae m. 1. acciderunt in munerum oblatione post tabernaculi erectionem et in paschatis celebratione (7,1-9,14),
3. atque demum transit ad narrandam peregrinationem usque ad generationis illius reiectionem.

   Signis definitis, ad quae iter erat ordinandum (9,15-10,10), populus Israel progreditur usque ad Cades in deserto Pharan; sed in itinere murmurat de defatigatione et de carnium defectu atque ipsi Aaron et Maria contra fratrem suum rebellant (10,11-12,15); per speculatores infideles absterritus populus terram promissam ingredi non vult ideoque mortis sententiam contra adultos tulit Deus (13,1-14,45).

ALTERA PARS (15,1-19,22) *de generationis reiectae peregrinatione*,

1. leges quasdam tradit de libamentis etc. et sanctionem legis de observatione sabbathi (15,1-41),
2. narrationem de Core Dathan et Abiron sacerdotium ambientibus et de sacerdotio Aaroni familiaeque eius confirmato (16,1-17,13),
3. legesque alias de iuribus et officiis sacerdotum levitarumque etc. (18,1-19,22).

TERTIA PARS (20,1-36,13) *historiam itineris a m.* 1. *ad m.* 11. *a.* 40 *perducit.*

1. Mors Mariae; murmuranti populo aqua de rupe iterum datur, sed Moysi et Aaroni dubitantibus ingressus in Chanaan negatur (20,1-13). Longo itinere Israelitis montes Idumaeae circumeuntibus moritur Aaron, populus murmurans serpentibus immissis punitur (20,14-21,24).
2. Amorrhaeorum terra occupatur; Moabitae Israelitas Balaami maledictionibus perdere frustra conantur, Madianitae eos ad idololatriam seducunt (21,21-25,18).
3. Novo populi censu propter terrae distributionem instituto Iosue successor Moysi destinatur (26,1-27,23).
4. Leges variae de sacrificiis, festis, votis repetuntur et complentur (28,1-30,17).
5. Caesis Madianitis terra transiordanica datur Rubenitis, Gaditis et dimidiae tribui Manasse (31,1-32,42).
6. Mansiones filiorum Israel in deserto (33,1-49).
7. Chanaanitae interimi iubentur et regulae de terra distribuenda statuuntur (33,50-36,13).

6. — *Deuteronomium* a Graecis et Latinis, *Mischne hatthora*[4] a rabbi-

(3) Interroganti, cur ordinem chronologicum Moyses inverterit, respondebimus, id sapiente consilio videri esse factum. Nam de peregrinationibus per desertum acturus nec ordinem tribuum nec munera singulis familiis levitarum in itinere obeunda praetermittere potuit. Haec autem, quoniam a censu partim dependebant, m. 2. statuta sunt. Itaque ne seriem rerum gestarum ordine tribuum et leviticis muneribus descriptis interrumpere cogeretur, prius descripsit illa omnia, quae semper toto peregrinationis tempore observata sunt, atque deinde seriem rerum gestarum inchoat a mense 1. a. 2.

(4) Notandum est, expressionem Mischne hatthora (מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה *Deut.* 17,18 et *Ios.*

nis quintus Pentateuchi liber vocatur, quia « summariam aliquam repetitionem continet eorum, quae in prioribus libris sive gesta sive praecepta referuntur » (*Theodoret.*) legesque iam promulgatas explanat et inculcat. Namque si ultima capita (31.-35.), quae saltem ex parte ab altero scriptore operi terminato sunt addita, seponuntur, Deuteronomium tribus concionibus die 1. m. 12. a. 40. a Moyse habitis constat, quibus beneficia a Deo partim iam accepta partim promissa velut argumenta ad Legem amplectendam proponuntur et Lex ipsa, paucis novis praeceptis additis, paraenetica forma repetitur. Summum libri argumentum hic conspectus exhibet :

Exordium (1,1-5) concionum argumentum, tempus, locum definit.

Concio prima (1,6-4,40) *enumeratis divinis beneficiis ad Legem observandam auditores exhortatur.*

1. Praecipuis peregrinationis eventibus narratis Moyses benignitatem et iustitiam divinam demonstrat (1,6-3,29),
2. ut inde deducat, foedus cum Deo initum esse observandum (4,1-40).

Interiectis paucis versibus de urbibus refugii (4,41-49),

Concio altera (5,1-26,19) *totam foederis oeconomiam duabus partibus, una generali, altera speciali, denuo proponit.*

1. *In generali parte* (5,1-11,32) repetito decalogo rationibusque indicatis, cur Deus per Moysen Legem promulgaverit (5,1-33), primum mandatum explicatur atque omnis societas cum gentibus prohibetur (6,1-7,26). Quae ut profundius inculcet, Moyses gratias et poenas divinas iterum in mentem revocat, victorias de Chanaanitis reportandas promittit, Legem observantibus divinam benedictionem, eam transgredientibus maledictionem promulgat (8,1-11,32).
2. *In parte speciali* praecipua officia populo inculcat (12,1-26,19) : relate ad Deum, cui debitus cultus exhibendus (12,1-32), a quo numquam est recedendum (13,1-18), cuius praecepta de ciborum distinctione observanda (14,1-15,23), coram quo tria festa quotannis celebranda sunt (16,1-17); — relate ad publicos Dei vicarios, i. e. in vita civili ad iudices (16,18-17,13) et futuros reges (17,14-20), in vita religiosa ad sacerdotes (18,1-8) et prophetas (18,9-22); — relate ad proximorum vitam (19,1-21,23) et bona externa atque ad relationes virum inter et mulierem (22,1-30). — Quibus varia praecepta de sanctitate et munditie populi adduntur (23,1-26,19).

Concio tertia (27,1-30,20) *iterum variis argumentis ad Legem observandam exhortatur.*

1. Iordanem transgressi Legem lapidibus inscribere iubentur atque benedictiones maledictionesque promulgare, quae cum divinorum praeceptorum observatione vel violatione coniunctae sunt (27,1-26);
2. hinc accuratius exponuntur bona et mala, quae a Lege dependent (28,1-68),
3. atque bonitate divina celebrata omnes ad fidelitatem erga Deum provocantur (29,1-30,20).

8,32) ab Alexandrinis quidem et S. Hieronymo verti *Deuteronomium,* a chald. paraphraste autem et a Syro rectius explicari *alterum Legis exemplar;* etenim de solo quinto Pentateuchi libro illis in locis non agitur.

Appendix historica (31,1-34,12) exhibet *a.*) narrationem de Iosuae electione et de Lege per Moysen in testimonium contra Israel deposita (31,1-30), *b.*) ultimum Moysis canticum, quo beneficiis divinis opponitur ingratitudo populi (32,1-52), *c.*) benedictionem duodecim tribuum (33,1-29), *d.*) narrationem de Moysis morte et sepultura (34,1-12).

§ 2. — *Variae sententiae de Pentateuchi origine.*

1. — Universum Pentateuchum, si ultima Deuteronomii capita ac nonnullas glossas additionesque a iuniore manu insertas excipis, Moysi auctori deberi, usque ad saec. 18. finem unanimis erat quum Iudaeorum tum Christianorum persuasio; atque in tota retro antiquitate paucissimi inveniuntur, qui hanc sententiam addubitaverint.

Omissis antiquis nonnullis haereticis (*Nazaraeis*, *Manichaeis* etc.), qui divinam potius *Legis*, quam mosaicam *Pentateuchi* originem negabant, praeter *Celsum*, quem complures Pentateuchi auctores admisisse suspicatur *Origenes* (c. Cels. IV. 42), et *Ps. Clementinarum* auctorem, qui Legem per Moysen quidem datam sed post eius mortem scriptam dixit (Hom. 3,47), nemo in tota antiquitate Moysi libros nostros abiudicavit. Neque adversariis proprie dictis adnumerari possunt interpretes aliqui iudaici mediae aetatis (*Aben Esra* etc.), neque ipse *Carlostadius* saeculo 16.; quippe qui cuncti de glossis dumtaxat aut brevibus pericopis a iuniore manu additis loquantur. Simili enim modo catholici interpretes saec. 16. et 17. haud pauci cum *Masio* docuerunt, longe post Moysen tempore Pentateuchum interiectis hic illic verborum et sententiarum clausulis omnino explicatius esse redditum. Longius autem saec. 17. a veritatis tramite aberrari coeptum est : *Thomas Hobbes* (Leviathan 1653.) solum « librum Legis » i. e. *Deut.* 11.-27. Moysi scriptori attribuit, *Isaac Peyrerius* (Praeadamitarum systema 1655.) Pentateuchum ex genuinis mosaicis libris excerptum dixit, *Ben. Spinoza* (Tract. theol. polit. 1670.) et *A. van Dale* (de Ortu idololatriae 1693.) hodiernam Pentateuchi formam Esdrae adscripserunt. Quibus acatholicis unus accedit catholicus auctor *Rich. Simon,* leges quidem Moysi, narrationes autem scribis publicis attribuens (Hist. crit. du V. T. 1685.).

2. — Exeunte autem saec. 18., postquam in scholis protestanticis rationalismus biblicus praevaluerat, vehementissimum bellum contra mosaicam Pentateuchi originem exarsit, atque eo usque hodie res pervenerunt, ut inter protestanticos interpretes paucissimi sint, qui Moysi integrum opus attribuere audeant, adversariorum autem plures fere sunt sententiae diversae, quam capita. In eo tamen omnes fere conveniunt, quod Pentateuchum a variis auctoribus conscriptum dicant, atque ad tres classes omnia varia systemata revocantur, quum secundum alios Pentateuchus ex variis longioribus *documentis,* secundum alios ex brevioribus *fragmentis* coaluerit, secundum alios sit unum quidem documentum, sed longo temporum decursu a multis auctum, retractatum, *suppletum.*

Circa medium saec. 18. *Ioannes Astruc,* medicus parisiensis, ut mosaicam Ge-

neseos originem facilius explicaret, Moysen varia documenta antiquiora adhibuisse eaque vix mutata in suum opus recepisse coniecit. Praeter decem minora distinxit duo maiora, quorum unum ex nomine divino *Elohim* constanter adhibito *elohisticum,* alterum ob nominis *Iehovah* usum *iehovisticum* nominavit. Quae coniectura ab aliis eruditius et accuratius exculta fundamentum constituit omnium modernarum hypotheseon de Pentateuchi origine. Neque enim in sola Genesi aut primis Exodi capitibus, etsi inde ab *Exod.* 6. nomina *Elohim* et *Iahve*[1] promiscue adhiberi omnes fateantur, sed in toto Pentateucho atque adeo in ll. Iosue, Iudicum, Samuel similia documenta inveniunt rationalistae, qui facilius auctoritatem Pentateuchi aliorumque librorum destructum iri sperant, si eorum unitatem antea destruxerint. Itaque omnem suam diligentiam et sagacitatem in variis fragmentis vel documentis apte distinguendis eorumque aetate definienda posuerunt.

Atque alii quidem cum Astruc longiora documenta distinxerunt (*hypothesis documentorum*), sed de eorum numero inter eos non convenit. In sola Genesi septemdecim documenta a *tribus* scriptoribus exarata detexit *D. Ilgen;* duobus, uno elohistico, altero iahvistico, contentus erat *W. Gramberg*, sed tribus, elohistico I., elohistico II., iahvistico, iterum indiguit *H. Hupfeld* etc. — Alii documenta in minuta *fragmenta* discerpere maluerunt (*hypothesis fragmentorum*), quae variis temporibus a variis exarata aut narrationes aut notas genealogicas aut leges etc. continuerint atque recentiore aetate in unum opus sint compacta. Systematis huius patroni *I. S. Vater, W. Gesenius, Th. Hartmann* etc. de numero et aetate suorum fragmentorum, uti facile concipitur, quam maxime dissenserunt. — Verum quoniam evidens erat, fortuita documentorum vel fragmentorum coagulatione Pentateuchum hodiernum exoriri non potuisse, alii *unum documentum* statuerunt ab uno vel pluribus scriptoribus decursu temporum *suppletum* ac demum in hodiernam Pentateuchi formam redactum (*hypothesis supplementorum*). Hoc quoque systema ab *H. Ewald* (Studien. Kritikenu. 1831.) prima vice propositum ab eodem et ab aliis diversis modis est mutatum et retractatum.

3. — Hodie vix ullus invenietur « criticus », qui unum ex istis systematis purum sequatur, sed longe plerique primum et tertium fere coniungunt, atque nonnulli praeterea fragmentis indigent, ut operis nostri originem explicent. Tanta autem est hodie hypotheseon varietas, ut semper patronum aliquem invenias, quidquid de numero vel aetate scriptorum statueris. Quibus omissis id unum adnotemus oportet, vehementem litem hodie inter ipsos « criticos » agitari de relatione Deuteronomii ad priores libros. Deuteronomii auctorem (Deuteronomistam) a priorum librorum auctoribus esse distinguendum, omnes conveniunt, sed utrum Deuteronomium, an priorum librorum praecipua documenta sint antiquiora, inter eos nondum constat.

Non minus inutile, quam taediosum et difficile onus in se susciperet, qui omnes errores hac nostra aetate de Pentateuchi origine exortos enumerare et refutare

(1) Nomen יהוה, non suis, uti decuit, sed vocabuli אֲדֹנָי vocalibus a Massorethis instructum esse constat; quare genuinam eius pronuntiationem יַהְוֶה (*Iahve*) retinere malumus ideoque nomina *Iahvista, iahvisticus* etc. (non Iehovista, iehovisticus etc.) usurpabimus.

vellet. At refutationis onus ipsi nostri adversarii inter se digladiantes in se susceperunt, et quam incerta sint principia, quibus nituntur, luce clarius apparet, si ad eorum dissensum de documentorum fragmentorumve numero et origine et de diasceuastarum redactorumve aetate animus advertitur. Alii cum Tuch *duos*, alii cum De Wette *tres*, alii cum Hupfeld *quatuor*, aut cum Vaihinger *quinque*, aut cum Noeldeke et Knobel *sex* vel *septem*, aut cum Ewald *innumeros fere* scriptores ad Pentateuchi documenta vel fragmenta exaranda et coniungenda concurrisse censent. Primum documentum vel fragmentum, quod Pentateucho componendo inservivit, alii *ante Moysen*, alii *mosaica aetate*, alii *tempore Iosuae*, vel *Iudicum*, vel *Saulis*, vel *Davidis* etc. prodiisse dicunt; Pentateuchus autem terminatus asseritur ab aliis *tempore Iosuae*, ab aliis *tempore Saulis* aut *Davidis* aut *Salomonis*, aut *Iosiae*, ab aliis *brevi ante exsilium* babylonicum, ab aliis *brevi post illud*, aut *Esdrae aetate*, aut *tempore intermedio inter Nehemiam et Alexandrum M.*, aut *aetate primorum Ptolemaeorum*, aut demum *tempore machabaico*. Quae fusius persequi operae pretium non est; sed praecipuam « criticorum » litem plane praetermittere non licet. Communi fere « criticorum » consensu usque ad haec ultima tempora receptum erat, Deuteronomium esse recentissimam Pentateuchi partem, antiquissimam vero illud opus, quod a rerum omnium creatione incipiens legislationem intermediorum librorum continuisse dicitur atque ab aliis « *Liber originum* », ab aliis « *Annales* » vel « *Elohistae I. opus* » etc. nominatur. Incunte quidem iam saeculo nostro *L. De Wette* (Beitraege zur Einl. ins A. T. II. 1807.) dubitaverat, num legislatio, quae mosaica dicatur, exsilio babylonico esset antiquior, atque quarto saeculi nostri decennio *W. Vatke* (Biblische Theologie. 1835.) et *I. F. L. George* (Die aelteren jüdischen Feste. 1835.) Deuteronomium legislatione librorum intermediorum antiquius esse asseruerant; at eorum sententiae oblivioni fere erant datae, quando ultimis his temporibus novo cum ardore a *K. H. Graf* (Geschichtliche BB. des A. T. 1866. etc.), *A. Kuenen* (De Godsdienst van Israel. 1869. etc.), *E. Reuss* (Histoire sainte de la loi, 1879. etc.) propositae atque tanto cum vigore a *I. Wellhausen* assertae sunt, ut vix non omnes « critici » victas iam dederint manus[2].

(2) Quoniam *I. Wellhausen* inter Pentateuchi « criticos » primatum hodie tenet eiusque sententia ubique iam satis est propagata, systema eius paucis proponemus, ut simul habeatur specimen modernarum coniecturarum rationalisticarum. Secundum eum (cfr *eius* Prolegomena zur Gesch. Israels. 1883.) decalogus antiquissima pars est Pentateuchi, sed Moyse recentior. Ex tribus operibus coaluit Hexateuchus (sc. quia non Moysis mors, sed occupatio Palaestinae sit clausula apta, rationalistae Pentateucho addunt librum Iosue et de Hexateuchi origine loqui solent). Sua sponte Deuteronomium a reliquis partibus secernitur, illudque eo tempore est conscriptum, quo inventum dicitur, i. e. rege Iosia, exeunte saec. 7. Reliquae partes ex duobus operibus coaluerunt, uno legali, altero historico. Alterum opus, quod paucas leges continebat (praeter *Exod.* 20.-23. 34), ipsum ex duobus antiquioribus quidem scriptis compositum est, ex iahvistico et elohistico, sed eius diversa elementa accurate nondum discernuntur; brevi ante destructionem regni Israel exortum est, i. e. medio circiter saeculo 8. Opus legale autem, licet a creatione mundi inchoetur, paucissima tamen historica retulit, quibus leges (i. e. integrum Leviticum et multas partes Exodi et Numer.) introduceret colligaretque. *Codex sacerdotalis* a Wellhausen appellatur, atque iuxta eundem tempore exsilii paullatim conscribi coeptus est. Eodem circiter tempore opus historicum et Deuteronomium in unum volumen sunt coniuncta, cui Esdras « codicem sacerdotalem » inseruit; atque hac ratione a. 444. a. Chr. terminatus et promulgatus est Pentateuchus. De fundamentis, quibus hoc systema innititur, infra (§ 6. 5 sqq.) dicemus.

4. — Mirum profecto est, quod viri docti et eruditi, qui Pentateucho diuturnum studium impenderunt, commenta sua de eius origine tanta cum certitudine proponant, licet incerta et levia esse eorum argumenta, ipse eorum continuus dissensus luce clarius demonstret. Sed quoniam de re maximi momenti agitur, praecipua eorum systemata et argumenta examini subiiciamus oportet.

Quod ut ordine fiat, primo in loco mosaica Pentateuchi origo certis argumentis erit demonstranda (§ 3), atque a praecipuis obiectionibus vindicanda (§ 4); deinde vero illa, quibus unitas operis a modernis impugnatur, examini sunt subiicienda (§ 5), atque complementi gratia ultimo loco erit investigandum, quid de antiquitate legislationis, quum illius, quae in Deuteronomio continetur, tum alterius, quae in libris intermediis (« codice sacerdotali ») exhibetur sit sentiendum (§ 6).

§ 3. — *De mosaica Pentateuchi origine.*

1. — Ut adversariorum cavillationes facilius evitentur, duo sunt praemonenda. Atque 1. quidem illi, qui Moysen dicunt quinque librorum, qui eius nomine in canone praenotantur, auctorem esse, ideo non negant, nonnulla, quae referuntur, iam ante eum literis esse consignata atque ex antiquioribus libris ab eo in suum opus transumta; neque 2. mosaicam Pentateuchi originem ita asserunt, ut omnia et singula, quae hodie in textu hebraico leguntur, a Moyse profecta dicant.

Etenim ut aliquis historici operis auctor esse iure dicatur, requiritur et sufficit, ut eius consilium et finem mente conceperit, historiae partes praecipuas et integras conscripserit, illaque quae forte aliunde hausit consilio finique suo adaptaverit atque hac ratione sua fecerit. Nihil vero obstat, quominus ex scriptis fontibus, uti ex orali traditione, argumenta narrationis hauserit. — Porro communem aliorum librorum sortem non effugit Pentateuchus; quare procul dubio non tantum librariorum menda in eum irrepserunt, sed fieri etiam potuit, ut nominibus vocabulisque obsoletis recentiora substituerentur glossaeque nonnullae explicationis gratia insererentur. Neque mosaica operis origo destruitur, si terminato nonnulla a iuniore scriptore (inspirato) addita esse dicimus : quo spectant ultima Deuteronomii capita, in quibus praeter alia etiam Moysis mors et sepultura narrantur. — Quibus praemissis thesin nostram quinque argumentis demonstramus, quorum tria priora Moysen esse Pentateuchi auctorem directe evincunt, duo reliqua, quamquam directe et proxime solum id ostendant, opus *mosaicae aetati* esse attribuendum, prioribus tamen confirmandis et corroborandis quam plurimum inserviunt.

2. — Primum argumentum praebet Christi D. N. testimonium, quod omnibus Christianis solum sufficere potest ac debet. Iudaeos enim Christi tempore consensu unanimi integrum opus Moysi auctori attribuisse, inter omnes constat : atqui tantum abest, ut communem hanc populi sui persuasionem Dominus improbaverit, ut auditores suos disertis verbis in ea confirmaverit. Ergo nisi quis impius et blasphemus Dominum errorem approbasse dicere velit, fateatur oportet, eum infallibili suo testimonio mosaicam Pentateuchi originem extra dubitationem posuisse.

Argumenti nostri minor probatur *a.*) illis textibus, in quibus Dominus de *libro Moysi*, de *lege Moysi* loquitur (*Marc.* 12,26; *Luc.* 24,44), quibus expressionibus alium sensum exprimere non potuit nisi eum, quo solo ab eius auditoribus intelligebantur : « in libro, quem Moyses scripsit ». Quibus vicini sunt alii textus, qui praecepta pentateuchica, quamquam divina esse credebantur, Moysi diserte attribuunt (*Matth.* 8,4; 19,8; *Marc.* 1,44; 7,10; 10,5; *Luc.* 5,14; 20,28; *Ioan.* 7,19; 8,5 etc.). — *b.*) Ne quis vero dicat, Dominum loquendi modo Iudaeorum sese accommodasse (ea fere ratione, qua illi quoque, qui Homerum vixisse negant, tamen formula : « Homerus scripsit » utuntur), ad *Ioan.* 5,45 sqq. provocamus. Iudaeis enim ipsum interficere quaerentibus dixit : « Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis et mihi; *de me enim ille scripsit.* Si autem illius literis (τοῖς ἐκείνου γράμμασι, *scriptis* vel *libris eius*) non creditis, quomodo verbis meis credetis? » Integrum Pentateuchum, quatenus sive verbis sive rebus (typis) adventum Domini praedixit, hoc textu designari, nemo prudens negaverit (cfr v. 39.); neque minus certum est, eum Moysi *auctori* attribui. Ergo si Moyses eius auctor non esset, Dominus errorem asseruisset! — *c.*) Confirmationis gratia addamus, Apostolos, si *Moysen legi* asserunt (*Act.* 15,13; 2 *Cor.* 3,15), aut si de libro loquuntur, quem Moyses coram populo legerit et sanguine asperserit (*Hebr.* 9,19; cfr *Exod.* 24,7), aut si praecepta, vaticinia, narrationes Pentateuchi ad Moysen referunt (*Luc.* 2,22; *Ioan.* 1,17. 45; *Act.* 3.22; 28.33; *Rom.* 9,15; 1 *Cor.* 9,9 etc.), profecto a Domino non esse edoctos, libros istos non nisi per errorem Moysi attribui, eos vero Iosiae aut Esdrae tempore esse compositos.

3. — Alterum argumentum desumitur ex IUDAEORUM TRADITIONE IN SE IPSA CONSIDERATA. — Inde a saec. 5. aut saltem a saec. 3. a. Chr. communis et constans fuit omnium Iudaeorum persuasio, Pentateuchum a Moyse legislatore suo esse conscriptum; atqui haec tam antiqua, communis, constans persuasio in re tanti momenti non explicatur, nisi in facti veritate fundata sit.

Libros nostros ea, qua hodie exstant, forma saec. 5. vel saltem saec. 3. non esse recentiores, docent Pentateuchus samaritanus, qui probabiliter iam ante saec. 5., certo non post saec. 4. ad Samaritanos venit, et versio alexandrina ineunte saec. 3. exarata. Eos etiam semper Moysi auctori attributos esse constat testimoniis non tantum *Philonis* (Vita Moysis III. 39) et *Fl. Iosephi* (Antiqu. IV. 8.48), qui vel ipsam suam mortem Moysen scripsisse tenuerunt, sed etiam ethnicorum scriptorum, *Alexandri Polyhist.* (saec. 1. a. Chr.), *Eupolemi* (saec. 2. a. Chr.), *Hecataei* (saec. 4. a. Chr.), qui « Moysen legislatorem historiam rerum iudaicarum narrasse », « Iudaeis leges scripsisse » asserentes ea referunt, quae ipsi a Iudaeis suae aetatis audierant. Eadem veneratione Moysen velut Pentateuchi auctorem et Legis suae promulgatorem prosequebantur Pharisaei et Sadducaei, Samaritani et Esseni, Iudaei palaestinenses et hellenistae, « omnibusque statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum et innatum erat, ut Dei haec esse praecepta crederent eorumdemque causa, si opus esset, libentissime mortem perferrent » (*Fl. Ios.* c. App. I. 8 cfr 2 *Mach.* 7,30; 1 *Mach.* 1,65; 2,20 sqq. etc). Iam vero qui fieri potuit, ut Iudaeis inde a saec. 7. a. Chr. in varias terras dispersis et in sectas dilaceratis persuaderetur, libros recenter editos Moysen legatum Dei habere auctorem? Neque enim de libris agebatur, quorum originem negligere licuit, sed de libris, qui, quia a

Moyse scripti credebantur, totam eorum vitam religiosam, civilem, politicam regebant, eorumque superbiam quam maxime deprimebant. Num iñteger populus, nullo reclamante vel repugnante, hos libros velut mosaicos a nescio quibus impostoribus sibi obtrudi sivit?

4. — Tertio loco PENTATEUCHUS IPSE suam mosaicam originem testatur. Librorum enim de se ipsis suaque origine testimonia firmum exhibent authentiae argumentum, nisi illa falsa esse aliunde certo constet. Duplicis autem generis sunt testimonia, quae in Pentateucho de eius auctore inveniuntur; in aliis enim Moyses certas pericopas scripsisse asseritur, alia universum opus a Moyse scriptum docent. Pentateuchi igitur ipsius testimonio Moysen eius auctorem demonstrari, iure asseritur.

1. Prioris generis testimonia sunt quatuor. Victoriam precibus suis et virtute Iosuae de Amalecitis relatam Moyses « ob monumentum in libro scribere »[1], atque iterum foedus renovatum literis mandare iussus est (*Exod.* 34,27); post primum autem foedus initum « *scripsit Moyses* universos sermones Domini » (*Exod.* 24, 4) et versus peregrinationum finem « *descripsit iuxta mandatum Dei* » mansiones filiorum Israel (*Num.* 33,2). Quatuor quidem haec sola istis testimoniis diserte demonstratur scripsisse, sed reliqua eum etiam scripsisse iure concludimus. Eadem enim ratione, qua prophetae, quamquam omnia vaticinia sua scribebant, nonnulla tamen graviora scribere diserte iubebantur aut se scripsisse diserte testantur (*Is.* 30,8; *Ierem.* 30,2; *Ezech.* 43,11; *Hab.* 2,2 etc.), Moyses quoque quatuor illa gravissima scribere diserte quidem est iussus, primam foederis sanctionem eiusque renovationem, primam victoriam auxilio Dei reportatam, diuturnae peregrinationis poenam, sed reliqua quoque scribere debuit.

2. Omnis dubitatio excluditur aliis verbis in Deuteronomio relatis : « *Scripsit itaque Moyses Legem hanc* et tradidit eam sacerdotibus... praecepitque eis dicens : Septimo quoque anno, anno remissionis, in sollemnitate tabernaculorum convenientibus cunctis ex Israel... *leges verba Legis huius* coram omni Israel » etc. (*Deut.* 31,9 sqq.; cfr 31,24 sqq.). — Iam vero *a.*) expressione « *Legem hanc* », « *verba Legis huius* » integrum Pentateuchum designari, docet exegetica Iudaeorum traditio, quam in hac quaestione relinquere non licet, quia de praecepto singulis septenniis implendo agitur; in tabernaculorum festo autem anni remissionis integrum Pentateuchum (vel potius : pericopas ex toto Pentateucho selectas) legi debere, rabbini semper docuerunt. — *b.*) Sed si quis cum nonnullis modernis interpretibus opinatur, expressione « hanc Legem » solum Deuteronomium designari, integrum tamen manet argumentum, siquidem priores libros a Moyse esse conscriptos concedere cogitur, qui Deuteronomium ab eo conscriptum esse concedit. Etenim α.) Deuteronomium totum quum in suo historico tum in suo legislativo argumento praecedentes libros supponit. Prima concio Moysis (*Deut.* 1-4.) plena est allusionibus, quae ex praecedente narratione explicandae sunt; altera concio (Deut. 5. sqq.), quae in Lege commendanda versatur, haud pauca praecepta magni momenti (de sacerdotum levitarumque distinctione, de immunditiis legalibus, de connubiis prohibitis etc.) aut omittit aut levissime attingit;

(1) *Exod.* 17,14. Textus massor. habet בַּסֵּפֶר i. e. in libro isto iam cognito, in quo sc. omnia referre solebat. Articulum Alexandrini quidem non expresserunt, contextus autem videtur postulare.

manca igitur fuisset Lex, si solum Deuteronomium scripsisset Moyses; nihilominus benedictiones promittit populo custodienti « praecepta, quae *in hac Lege* (text. hebr. *in hoc libro Legis*) scripta sunt » (*Deut.* 30,10). Nonne bonum ex *integra* causa? β.) In concionibus, quas Moyses *ore protulisse* dicitur (*Deut.* 5,1), non semel sermo est *de libro Legis iam scripto* (17,18 sq.; 28,58; 29,19. 26 sq.) atque, uti ex textibus allatis constat, in isto volumine contentae erant plagae aegyptiacae, quae in solo Exodo narrantur. γ.) Denum Deuteronomii exordium non intelligitur praecedentibus libris non suppositis. Neque enim quid sibi velit temporis indicatio (1,3), potest sciri, neque loci descriptio intelligi (1,1. 2).

5. — Quartum argumentum ex reliquis Veteris Test. libris totaque historia israelitica desumtum intime cum secundo cohaeret illudque complet. Nullam enim in israelitica historia periodum inveniri ostendit, in qua Pentateuchus Israelitis incognitus fuerit aut ab eis Moysi auctori non fuerit adscriptus. Si quis ab illo tempore, quo Pentateuchum compositum esse asserunt adversarii, i. e. ab Esdrae aetate, usque ad filiorum Israel in Palaestinam ingressum ascendens historiam israeliticam examinaverit, eam totam inveniet legislationi pentateuchicae inniti, semper apud eos opus aliquod historicum et legislativum, quod eadem, quae Pentateuchus, continuit, publica summaque auctoritate esse gavisum, idem opus interdum Moysi auctori diserte attribui. Quapropter aut omnibus libris historicis et propheticis omnis fides est neganda atque tota historia israelitica dicenda est continuum mendacium, aut Pentateuchus aetati mosaicae atque ipsi Moysi, legato divino, attribuatur necesse est.

In argumento explicando authentiam librorum propheticorum et historicam auctoritatem historicorum supponimus; priorem fere concedunt adversarii, alteram infra demonstrabimus; hoc loco adnotasse sufficit, etiam plerosque « criticos » concedere, libros historicos ex documentis fide dignis narrationes suas hausisse.

1.) « *Libri Legis* » *a propheticis et historicis Veteris Test. libris interdum Moysi auctori diserte attribuuntur.* Prophetica testimonia sunt *Mal.* 4,4; *Dan.* 9,11. 13; (13,62; *Bar.* 2,2. 28 sqq.). Frequentiora sunt in historicis; cfr 1 *Esdr.* 3,2 etc.; 2 *Esdr.* 8,1 sqq. etc.; 1 *Par.* 16,40; 2 *Par.* 17,9 etc.; 4 *Reg.* 22. 23; 3 *Reg.* 2,3; (*Iudic.* 3,4); *Ios.* 1,7 etc.; (quibus addatur ex deuterocanonico *Tob.* 1,8; 6,13; 7,1 sqq. *Gr. C.*).

2.) *Pentateuchum ab Israelitis semper cognitum et agnitum fuisse*, multis testimoniis certis constat. A recentioribus ad antiquiora ascendimus.

a.) *Post regnum divisum* apud septemtrionales tribus non minore auctoritate gavisus est, quam apud meridionales; ergo ante regni divisionem iam exstitit.

α.) In *regno Israel* saec. 8. *Osee* et *Amos* legislativum et historicum Pentateuchi argumentum semper prae oculis habent illudque auditoribus suis cognitum supponunt. Liberatio ex Aegypto eis est initium intimae unionis Deum inter et populum (*Os.* 2,15; 7,16; 11,1; 12,9; 13,4; — *Am.* 2,10; 3,1; 9,7), ad longam peregrinationem in deserto et minutos eius eventus alludunt (*Os.* 13,5 sq.; 2,14 sq.; 9,10; — *Am.* 2,10; 5,25), item alia facta in Pentateucho allata, unico verbo ita attingunt, ut intelligi non potuissent, nisi populo pentateuchica narratio cognita fuisset (*Am.* 4,11 et *Os.* 11,8; cfr *Deut.* 29, 23; — *Os.* 6,7; 12,2. 3. 12;

Am. 1,11 etc.). Ambo Israelitas puniri docent, quia *Legem Domini* abiecerint (*Os.* 4,6; *Am.* 2,4) atque multa praecepta mosaica supponunt aut afferunt (*Os.* 2,11; 12,9; 4,8 sq.; 5,6; 6,6; 9,3 sqq.; *Am.* 5,21 sq.; 8,10; 4,4 sqq.). Ne quis vero haec ex sola traditione hausta dicat, prohibent quum disertum *Oseae* (8,12) testimonium, Deum multas leges *scripto* dedisse tum haud parvus textuum numerus, qui dictionibus suis pentateuchica verba in memoriam revocant[2]. Quae res tam clara est, ut adversarii ipsi plerique saltem multas et magnas Pentateuchi partes ante Oseae et Amos aetatem scriptas esse concedant. — Dudum autem ante hos duos prophetas libros mosaicos in regno Israel agnitos fuisse, historia aliorum prophetarum docet. Ex. gr. conferatur Eliae sacrificium et pseudoprophetarum occisio (3 *Reg.* 18) cum *Lev.* 1,6-8; 9,24. 39 et *Deut.* 17, 5; 18,20; historia Naboth 3 *Reg.* 21,3 et *Levit.* 25,13; 3 *Reg.* 21,10 et *Deut.* 17,5. 6; verba pseudoprophetae Sedeciae 3 *Reg.* 22,11 cum *Deut.* 33,17 etc.

β.) Frequentiora sunt testimonia in *regno Iuda.* In 3. 4. *Reg.* et 2 *Paral.* vix unius ex regibus vita narratur, quae Legem non supponat. Sufficit haec adnotasse : Iosaphat misit sacerdotes, qui populum docerent « *librum Legis Domini* » (2 *Par.* 17,7 sqq.), Ioae una cum diademate traditur « testimonium » i. e. liber Legis (4 *Reg.* 11,12; 2 *Par.* 23,11), Iosiae tempore « liber Legis » manu Moysis conscriptus reperitur in templo (4 *Reg.* 22,9 sqq., 2 *Par.* 34,14 sqq.).

Prophetarum regni Iuda exhortationes intelligi non possunt, nisi mosaica Lex cognita supponatur. Sume primum caput *Isaiae* et cfr 1,2 cum *Deut.* 32,1. 6. 10; *Exod.* 4,22; *Gen.* 12,2; *Deut.* 26,29; — ad 1,3. 4 cfr *Gen.* 32,26 sqq.; *Exod.* 19,6; *Deut.* 26,18; *Num.* 17,6; *Deut.* 1,8; 14,1; — ad 1,5-7 cfr *Deut.* 28,33. 35 50 sq.; *Lev.* 26,33; — ad 1,9 cfr *Gen.* 18,23 sqq.; — ad 1,10-15 cfr leges de sacrificiis, festis maioribus et minoribus etc. etc.

b.) *Tempore primorum regum ante divisionem regni* Pentateuchum cognitum et agnitum fuisse, pauca haec exempla satis docent. *Salomon* in sua precatione (3 *Reg.* 8,23 sqq.) *Deuteronomii* verba adhibet et continuo ad Levitici promissiones respicit (8,29 et *Deut.* 12,11; — 8,31. 32 et *Lev.* 5,1. *Deut.* 25,1; — 8,33. 34 et *Lev.* 26,17; — 8,35. 36 et *Lev.* 26,19 etc.), templum aedificat, ut tabernaculi mosaici sit imago (3 Reg. 6. et *Exod.* 26,8 sqq.; cfr 2 *Paral.* 3,10 sqq. et *Exod.* 25,18; 26,31). — *David* de regno aeterno sibi promisso gratias agit verbis *Deut.* 4,7; 10,21; 13,16 (cfr 2 *Reg.* 7,22-24), totus autem status politicus illa aetate is est, quem ex Pentateucho cognovimus[3]. — Verbis *Deut.* 17,14 quoque populus a Samuele regem postulat (1 *Reg.* 8,5), *Samuel* vero pentateuchicas leges (1 *Reg.* 12,13 cfr *Num.* 16,15; *Deut.* 16,19), promissiones (1 *Reg.* 12,14 sq. cfr *Deut.* 1,26; 7,12 sq.; 2,15; *Exod.* 9,3), narrationes (1 *Reg.* 12,6-8) cognitas supponit atque *Saul* quoque verbis quibusdam mosaicis utitur (1 *Reg.* 15, 29 cfr *Num.* 23,19); cfr etiam 1 *Reg.* 15,2 sqq. et *Exod.* 17,8.

(2) Cfr textum hebraicum, in quo verborum similitudo clarius conspicitur : *Os.* 2,10 et *Deut.* 7,13; *Os.* 2,19 et *Exod.* 23,13; *Os.* 9,10 et *Deut.* 32,10; *Os.* 11,9 et *Exod.* 4, 22; *Os.* 12,5 et *Exod.* 3,15 etc.; — *Am.* 3,2 et *Deut.* 14,2; *Am.* 4,6 et *Deut.* 4,30; *Am.* 4,11 et *Deut.* 29,22; *Am.* 5,11 et *Deut.* 28,30 etc.

(3) De publico rerum statu cfr 1 *Paral.* 12,24 sqq.; 13,1; 15,5 sqq.; 27,1 etc.; cfr etiam 28.4 et *Gen.* 49,8 sqq. De statu religioso cfr 1 *Par.* 15,5. 8; 23,6. 26 sqq.; 13,2; 23, 28 etc. Praeterea ad 1 *Par.* 16,40 cfr *Exod.* 29,39; — ad 2 *Reg.* 1,21; 6,17; 24,25; 1 *Par.* 23,29; cfr *Exod.* 29,2; 23,40; *Lev.* 6,14; 2,5; — ad 1 *Par.* 23,28; 29,21; 15,26; cfr *Exod.* 25,30; *Lev.* 1,2 sqq.; etc. etc.

c.) *Tempore Iudicum* leges pentateuchicae in usu erant (cfr 14.3; 15.8; — 3, 6. 7; 14,3; 21,7; — 13,4-14 etc.), cognitae erant narrationes (11,12 sqq.; — 1,16; 4,11; — 1,20 etc.), neque has ex sola traditione orali, sed ex ipso Pentateucho haustas esse, iterum docet verborum similitudo multis in locis (2,1 sqq. cfr *Exod.* 34,12 sq.; 23,32 sq.; *Deut.* 7,5; — 6,8 et *Exod.* 20,2; — 6,16 et *Exod.* 3,12 etc.).

d.) *Libri Iosue* auctori integrum Pentateuchum cognitum fuisse concedunt adversarii; nihilominus pauca exempla complementi gratia adscribimus. Ad Moysis praecepta et dicta semper recurritur (1,3. 12 sqq.; 4,12 sqq.; 9.24 etc.), Iosuae ultima concio est epitome quaedam narrationis pentateuchicae (24,2 sqq.), atque ea, quae de sepultura Ioseph narrantur, libris mosaicis non suppositis non intelliguntur (24,32 cfr *Gen.* 50,24; 33,19; *Exod.* 13,19).

6. — Quintum argumentum ex Pentateuchi indole et natura desumtum tertio corroborando proxime inservit, siquidem cum Moysis ipsius testimonio opus ipsum conspirare docet; at contra modernos « criticos », qui solis internis argumentis originem librorum definiunt, singulari pollet vi et auctoritate; a recentioribus enim scriptoribus Pentateuchum, sicuti hodie exstat, conscribi non potuisse demonstrat. Ad quatuor vel quinque capita recte revocantur, quae de indole Pentateuchi hac in quaestione dicenda sunt.

a.) Si Moyses auctor est Pentateuchi, opus in deserto conscriptum sit oportet; atqui *non tantum tota legislatio sed ipsa quoque narratio Pentateuchum in deserto conscriptum esse prodit.*

Etenim ut de praeceptis illis, quae peregrinationem ipsam spectant (*Num.* 2,2-5,4; 10,2 sqq. etc.), taceamus, quam plurima, quae de sacrificiis, de mundationibus etc. praescribuntur, desertum et castra supponunt (*Levit.* 1.-7.; 13; 14; cfr 4,11. 12. 21; 13,46; 14,3; 16,21 etc.); alia singulis Israelitis tabernaculum foederis vicinum fuisse ostendunt (*Levit.* 17,3 sqq.; 15,14. 29. 31; 12,6; *Num.* 6.10); alia Aaronem eiusque filios superstites fuisse docent, quippe per quos dicantur implenda (*Levit.* 2,3. 10; 16,2; *Num.* 19,3; *Exod.* 28,1 sqq. etc.). — Porro peregrinationis narratio testem ocularem demonstrat. Occasione data multi loci ita accurate definiuntur, ut mosaica descriptione adiuti exploratores illos hodie adhuc recognoscere possint. In tabernaculo foederis vasisque eius non adhibentur nisi res, quae in deserto illo facile inveniuntur; praeter thesauros ex Aegypto allatos lignum acaciae (non cedri vel quercus, quae in Palaestina quidem, sed non in deserto frequentes sunt), pellis *Thachasch* (*Exod.* 25,5 etc.) in Palaestina tam incognita, ut nomen hoc semel tantum in reliquis V. T. libris (*Ezech.* 16,10) repetatur. Inter animalia, quorum esus permittitur, nonnulla in deserto quidem, sed non in Palaestina degunt etc.

b.) Iunior scriptor nec ipse accuratam rerum aegyptiacarum scientiam habuisset, nec eam in lectoribus suis supposuisset; atqui *auctor Pentateuchi res aegyptiacas optime cognovit et lectoribus cognitas supposuit.*

Velut recenter ex Aegypto egressis auctor lectoribus suis liberationem illam velut motivum ad praecepta observanda continuo proponit (*Exod.* 20,2; 13,3; 16,6; 29,46; 22.20; *Lev.* 11,25; *Deut.* 5, 15 etc.; cfr *Exod.* 12.27 sqq.; *Num.* 3,12 sqq.) eosque monet, ne mores aegyptiacos imitentur (*Lev.* 18,3), neve in Aegyptum

revertantur (*Deut.* 17,16). Gravius est, quod multi Aegyptiorum ritus ab omni superstitionis specie mundati per Moysen Israelitis sint traditi : ipsa arca foederis eiusque portandae modus, vestes sacerdotales, praecepta nonnulla sacerdotibus imposita etc. illa, quae in antiquis monumentis aegyptiacis adhuc conspiciuntur, in memoriam revocant. — Porro omnia, quae de Iosephi fratrumque eius rebus in *Genesi*, atque in *Exodo* de filiorum Israel laboribus, de plagis aegyptiacis, de exercitu Aegyptiorum referuntur, cum iis concordant, quae ex monumentis aegyptiacis innotuerunt. Atque ille quidem ubique rerum aegyptiacarum status supponitur, quem patriarcharum et Moysis aetate fuisse, antiquiora monumenta demonstrant. — Adde nonnulla vocabula aegyptiaca, explicatione non addita, adhiberi (*Gen.* 41,43. 45) oppidaque aegyptiaca lectoribus cognita fuisse (*Gen.* 41,45; 47,11; *Exod.* 1,11; 12,37; 13,20; 14,2).

c.) Iunior auctor, si in Palaestina Pentateuchum scripsisset, se terram Chanaan resque chananaeas de visu cognovisse alicubi prodidisset; atqui *Pentateuchi auctor nec eo tempore, quo scripsit, in Palaestina vixit neque eam de visu cognovit.*

Urgere nolumus, quod auctor in tota legislatione *futurum* populi in terram promissam ingressum respiciat neque usquam ad populum sedes stabiles iam habentem loquatur (*Exod.* 12,25 etc.; *Lev.* 14,34 sqq. etc.; *Num.* 15,2 sqq. etc.; *Deut.* 6,10 sqq. etc.), sed illud utique urgemus, quod de celebrioribus Palaestinae urbibus loquens eas « in terra Chanaan » sitas esse moneat (*Gen.* 23,2. 19 etc.; *Deut.* 11,30 etc.), dum de situ oppidorum aegyptiacorum aut stationum deserti (*Num.* 33,3 sqq.) nihil addat, quodque regionis alicuius pulchritudinem descripturus eam non cum regione palaestinensi, sed cum regione Aegypti comparaverit (*Gen.* 13,10). — Attende quoque, quam obiter in Pentateucho terrae fines, praesertim septemtrionales, indicentur (*Num.* 34,2-12), qui multo accuratius in l. Iosue definiuntur (*Ios.* 15,1-4. 21 sqq.; 13,4-6).

d.) Iunior scriptor, si leges sua aetate vigentes collegisset et in unum corpus redegisset, certo quodam ordine eas ita disposuisset, ut eae, quae de eadem vel simili re agunt, essent coniunctae; atqui *in Pentateucho tota legislatio coram oculis nostris quasi exoritur.*

Neque enim completum quoddam legum systema coram se habuit auctor, sed eas, prout peregrinationis tempore latae atque novis rerum rationibus accedentibus completae vel mutatae sunt, literis mandavit. Cfr leges de paschate (*Exod.* 12,1 sqq.; *Num.* 5,2 sqq.; 9,6 sqq.), de blasphemia (*Exod.* 20,6; 22,27; *Lev.* 24,10 sqq.), de sabbatho (*Exod.* 20,10; *Num.* 18,32 sqq.) etc. Apertissima est haec legislationis indoles, si tres libri intermedii cum Deuteronomio comparantur; in prioribus enim Israelitae per desertum peregrinantes fere spectantur, in Deuteronomio autem immediate ante ingressum in Palaestinam promulgato legislator eos in novas suas sedes mox intraturos coram oculis habet. Cfr leges de celebratione maiorum festorum (*Exod.* 23,14 sqq.; 34,18 sqq.; *Lev.* 23,4 sqq. et *Deut.* 16, 5 sqq.), de mactatione animalium (*Exod.* 20,24; *Levit.* 17,3. 4 et *Deut.* 12,15; 11, 11. 12) etc. — Confirmationis gratia addimus, etiam narrationibus quibusdam testem, qui rebus gestis praesens adfuerit, prodi. Quo spectant diligens temporum indicatio (*Exod.* 15,22; 16,1; 19,1-3. 10. 20; 24,16 etc.), minuta rerum descriptio (*Exod.* 1,15; *Lev.* 10,1. 4; 24,11; *Exod.* 31,2; 35,20 etc.), accurati catalogi, qui passim traduntur (*Num.* 1.-4; 13,1-13; 26,1 sqq.; 34,16-29 etc.).

c.) Demum addere licet, *Pentateuchum etiam lingua sua maiorem, quam reliquos V. T. libros, antiquitatem prae se ferre.*

In genere quidem lingua hebraica longo illo temporis spatio, quo s. libri exarati sunt, haud multum est mutata; attamen non desunt vocabula, quae in solo Pentateucho leguntur. Maioris momenti est, quod formis nonnullis grammaticis Pentateuchus ab aliis libris prorsus distinguitur. Quo spectant pron. הוּא et substant. נַעַר, quae pro utroque genere adhibentur, pronomina demonstrat. הַלָּזֶה et הָאֵל (hic et hi); praeterea infin. constr. verborum לִ"ה satis frequenter ־וֹת — vel וּ terminantur (pro וֹת —); 3. pers. plur. haud raro ־וּן — (pro וּ —) etc. Quae omnia magnam quidem vim probandi per se non habent, sed contra rationalistas, qui eiusmodi singularitatibus linguisticis frequenter abutuntur, reliquis internis argumentis confirmandis inserviunt.

f.) Quae de Pentateuchi indole dicta sunt, ea procul dubio illum mosaicae aetati deberi demonstrant; sed *Moysen ipsum* quoque *auctorem esse evincunt, si consideratur, quodnam munus Deus ei assignaverit.*

Etenim Moyses, utpote unicus Deum inter et populum mediator atque legislator divinitus constitutus, neque soli orali traditioni conservationem tot legum divinarum permittere neque earum collectionem alteri relinquere potuit. Maximo enim periculo tota legislatio esset exposita, si populus, cui ad occupandam terram promissam gravissima et diuturna bella erant gerenda, Legem scriptam non habuisset; porro Lex, ut contra populum esset in testimonium (*Deut.* 31,26), *authentice* erat scribenda, i. e. ab illo ipso, qui illam a Deo immediate acceperat et tamquam legatus divinus promulgaverat. Attamen si leges a Moyse conscriptae sunt, narrationes ei abiudicari non possunt; tam arcto nexu enim Lex et historia pentateuchica sunt coniunctae, ut alterutra alteram supponat et explicet.

§ 4. — *De praecipuis obiectionibus, quibus Pentateuchi origo mosaica impugnatur.*

1. — Postquam certis argumentis mosaica Pentateuchi origo demonstrata est, restat ut ab adversariorum obiectionibus vindicetur. Atque praeprimis illae erunt examini subiiciendae, quibus antiquitas Pentateuchi impugnatur.

Duplicem obiectionum classem distinguendam esse supra innuimus; aliis enim recentiori aetati originem Pentateuchi adscribendam esse adversarii demonstrare volunt, aliis eius originem ex variis documentis vario tempore et a variis scriptoribus exaratis explicare conantur. De altera hac classe infra (§ 5) agemus. Merito autem illas praetermittimus, sive antiquitatem sive unitatem librorum nostrorum spectant, quae aut obsoletae iam sunt (de arte scribendi Moysi ignota, de tertia persona, qua Moyses in opere semper designatur etc.), aut ex solis praeiudiciis rationalisticis (de miraculorum, vaticiniorum, revelationis impossibilitate) exoriuntur, aut propter nimiam suam levitatem refutatione non indigent.

2. — Inter eas, quae EX IUNIORIBUS LIBRIS desumuntur, duae videntur esse graviores: Iosiae enim tempore aut totum Pentateuchum aut saltem

Deuteronomium prorsus fuisse ignotum, ex narratione de « libro Legis » per Helciam invento (4 *Reg.* 22,8 sqq.; 2 *Paral.* 34,14 sqq.) constare asserunt, atque quam plurimas leges easque gravissimas ante exsilium numquam fuisse observatas ac proinde non exstitisse. At perversae textuum interpretationi innituntur haec asserta.

1. In explicatione 4 *Reg.* 22,8 sqq. et 2 *Par.* 34,14 sqq. ad haec est attendendum : *a.*) « Liber Legis » tempore Iosiae in aerario repertus fuit integer Pentateuchus; nusquam enim solum Deuteronomium ita appellatur, neque ex solo *Deut.* 16,1-8 Iosias definire potuit, quomodo Pascha esset celebrandum (cfr 4 *Reg.* 23, 11 sqq.). *b.*) « Liber Legis » eo tempore non fuit res prorsus incognita; neque enim liber repertus hoc nomine appellari potuisset, si « liber Legis » antea fuisset ignotus, neque violationi Legis antea prorsus ignotae potuissent omnes regni calamitates attribui (4 *Reg.* 22,13), neque rex et populus potuissent « *suscitare* verba foederis » alicuius incogniti (23,3). *c.*) Magna regis populique commotio reperto libro excitata facile explicatur, quia illud ipsum fuit exemplar, quod sua manu conscriptum (cfr 2 *Par.* 34,14) Moyses in tabernaculo velut « testimonium contra Israel » deposuerat (*Deut.* 31,24 sqq.), quodque postea cum reliquis vasis sacris templo illatum (3 *Reg.* 8,4) disparuerat, quando Iosiae avus Manasses in sanctuario idola posuerat (4 *Reg.* 21,7; 2 *Par.* 35,5). *d.*) Demum interrogare licet, num prophetae, qui Iosiae tempore vixerunt (Ieremias, Sophonias, Holda), inter deceptores an inter deceptos fuerint; scilicet a sacerdote Helcia librum illum esse confictum et velut mosaicum regi et populo obtrusum asserunt rationalistae.

2. Exempla, quibus Lex non observata ac proin incognita fuisse demonstratur, pleraque aut non sunt ad rem, quia de singulari praecepto a personis privatis ignorato vel laeso agunt (2 Reg. 13,13; *Iudic.* 14,1-4; 11,29) aut recta verborum explicatione facile expediuntur (uti 2 *Reg.* 8,18 non negatur aaroniticum sacerdotium, siquidem titulus כהנים, qui filiis Davidis attribuitur, ibi, uti recte iam viderunt *Alex.*, *Chald.*, *Syr.*, designat *ministros regios* cfr 1 *Paral.* 18,17; nec 1 *Reg.* 8,4 sqq. incognita supponitur lex deuteronomica de futuris regibus, uti ex verbis ipsis satis apparet etc.). Gravius est, quod integra lex ritualis ante Iosiam, immo ante exsilium, incognita fuisse asseritur, sed de hac obiectione, quae hodie maxime urgetur, infra erit agendum (§ 6).

3. — Multa deinde IN PENTATEUCHO IPSO contineri dicuntur, quibus iunior eius origo demonstretur. Inter quae primo loco affertur tota operis indoles; epicis enim poematis adnumerandum esse Pentateuchum volunt; auctorem res mosaica aetate gestas velut priscas et perantiquas narrare atque toto narrandi modo prodere, se testem ocularem non fuisse. Quae obiectio tam levis est, ut refutatione vix indigeat.

Etenim *epicam* non esse Pentateuchi formam, statim elucet, si cum poeticis Veteris Test. libris comparatur; argumentum vero epicum ab illo solo vocatur, qui omnia miracula et miraculosa inter mythos reiicit. — Res mosaicae velut *priscae* narrari dicuntur *Num.* 15,22 sq.; 28,6; *Deut.* 1.-3.; verum illis in locis auctor, velut historiographus, de praeteritis quidem rebus loquitur, sed tempus *diu* praeteritum ne verbulo quidem innuit[1]. — *Lacunis* auctorem suam ignoran-

(1) Cfr *Deut.* 3,4. 5. 15, ubi prima persona adhibita tempus *diu* praeteritum excludit,

tiam prodere asserunt adversarii, quoniam quadringentos fere annos inter Iosephi mortem et Moysis nativitatem silentio praeterierit et triginta septem peregrinationis annos paucis capitibus (*Num.* 15.-19.) absolverit. At nec prius exemplum mosaicae operis origini obstat, quia nihil prohibet, quominus Moysen nec ex traditione nec ex revelatione quidquam certi de toto illo tempore scivisse dicamus, nec alterum, de quo cfr § 1,5 p. 183. — Porro tam *ieiunas* esse nonnullas narrationes asseritur, ut a teste oculari scribi non potuerint (*Exod.* 15, 25; 17,8-16; 33,7-18; *Num.* 7,89; 21,33); ieiuni autem nihil detegitur, nisi forte statuatur, testem oculatem omnes rerum, quas vidit, minutissimas rationes referre *debere*. — *Ordo chronologicus et naturalis* nonnullis in locis negatur esse observatus; at immerito. Moysis enim et Aaronis genealogia recte ibi affertur, ubi velut personae publicae coram Pharaone agere coeperunt (*Exod.* 6,14 sqq.). Neque ex *Exod.* 18,5. 12. 19. sequitur, Iethronem ad Moysen venisse, postquam Lex in monte Sinai iam erat data et tabernaculum exstructum; nam *mons Dei* (v. 5) est Horeb, i. e. totum illud montanum, cuius Sinai praecipuum est cacumen; *panem comedere coram Domino* (v. 12), i. e. epulas sacrificales celebrare, potuerunt Israelitae ante Legem datam; atque populi res « *ad Deum* » (v. 19) etiam ante tabernaculi exstructionem referebantur. Unica chronologici ordinis inversio ab auctore ipso indicatur (*Num.* 1,1 sqq. et 7,1 sqq. cfr § 1,5, n. 3. p. 184). — Sed quid plura? Omnes enim textus obiectos examinare vel ideo est superfluum, quia, si tot essent lacunae, narrationes ieiunae, repetitiones, ordinis inversiones etc., quot invenisse adversarii sibi videntur, nihil contra mosaicam operis originem efficeretur; ad summum esset concedendum, Moysen in scribendis libris parum fuisse versatum.

4. — Alterum obiectionum fontem constituunt *expressiones nonnullae notaeque historicae, archaeologicae, geographicae,* quae a Moyse conscribi non potuisse dicuntur. Quas omnes cum mosaica operis origine sine ullo negotio conciliabit, qui cum multis antiquis et modernis interpretibus catholicis eas esse dixerit glossas ab Esdra vel alio scriptore inspirato aut etiam a sciolis librariis insertas (cfr § 3, 1. p. 189). Attamen ut modernorum obiectiones refutentur, ad eiusmodi glossas recurrere opus non est; vix non omnes enim genuina textuum explicatione evanescunt, id quod ex praecipuarum examine patebit[2].

a.) Formula « *usque ad hanc diem* » nullam creat difficultatem, quoties in Genesi adhibita est, nec *Deut.* 2,22; 10,8; 29,3, qui textus aut de rebus ante Moysis aetatem peractis aut de initio peregrinationis agunt, nec *Deut.* 34,6, qui versus una cum integro capite libro terminato a iuniore manu additus ab omnibus conceditur. Attamen *Deut.* 3,14 nomen *Basan Havoth Iair,* quod civitatibus illis non nisi *paucis mensibus* antea imponi potuit, « usque ad hanc diem » perseverasse dicitur. Ad quam difficultatem solvendam recte monent plerique, eiusmodi for-

Num. 28,6 agit de holocausto quadraginta fere annis antea instituto; *Num.* 15,22 sq. de praeceptis, quae in monte Sinai patribus et deinceps toto peregrinationis tempore novis crescentibus generationibus data sunt.

(2) Ingens textuum farrago ab antiquioribus rationalistis congesta a recentioribus despicitur ideoque etiam a nobis praetermittitur; eas solas igitur difficultates proponemus, quas in recentissimis Introductionum suarum editionibus retinuerunt *De Wette Schrader* (1869.), *Bleek-Wellhausen* (1878.), *Vatke* (1886.), *Driver-Rothstein* (1896.).

mulas idem fere significare atque « *ab illo tempore* », ut ad longam brevemve durationem non attendatur (cfr 1 *Reg.* 1,16; 29,8; *Exod.* 7,16; *Ios.* 22,3 etc.). Porro civitates, de quibus agitur, « munitae muris altissimis portisque et vectibus aereis » erant (*Deut.* 3,4-5; 3 *Reg.* 4,13); per iocum igitur dumtaxat a Iair nominari potuerunt *Havoth* i. e. *pagi* vel *viculi*, quales nomades inhabitare solent; ac proinde satis mirum fuit, quod nomen ioci causa impositum in communem usum abiret et per aliquot menses adhiberetur. Revera mox disparuit; *Havoth Iair* enim in Basan sitae (*Deut.* 3,14 et *Ios.* 13,30) sexaginta numero distinguantur oportet ab *Havoth Iair* in Galaad sitis (*Num.* 32,41; *Iudic.* 10,4; 3 *Reg.* 4,13; 1 *Paral.* 2,23), quae viginti tres vel triginta fuerunt.

b.) *Difficultates historicae.* Abrahamo in Chanaan veniente « Chananaeus *tunc* (אָז) in terra Chanaan fuisse » dicitur (*Gen.* 12,6; 13,7), ac proin tempore, quo scriptus est Pentateuchus, non amplius fuit in Chanaan. At particula אָז (*tunc*) non magis ad consequens (tunc, sed non nunc), quam ad praecedens (tunc, sed non antea) tempus respiciens simpliciter indicat, quis status rerum in Palaestina tempore Abrahae fuerit, ut explicet, cur Abraham a Sichem usque ad Hebron terram peragraverit, antequam tentorium figeret, et cum Lot « communiter habitare » non potuerit. — *Gen.* 36,31 sqq. enumerantur reges, « qui regnaverunt in Edom, *antequam regem haberent filii Israel* »; ergo supponitur Israel reges habuisse, quo tempore scriptus est Pentateuchus. Illegitima est conclusio; nam Moyses ad promissionem Iacobo factam et paucis versibus antea commemoratam (*Gen.* 35,11) alludens reges idumaeos enumerat ad eam confirmandam : si enim filii Esau, cui promissio facta non erat, tot reges iam habuerunt, multo magis filii Iacob propter divinam promissionem sperare possunt, se reges habituros. Ceterum a matrimonio Esau usque ad Exodum saltem trecenti (secundum alios : quingenti) anni effluxerant; tempus igitur plane sufficit, ut eius posteri octo iam reges usque ad Moysen habuerint (36,31 sqq.); illi autem, qui 36,15 sqq. 40 sqq. nominantur, sunt phylarchae, qui eodem tempore cum regibus Idumaeos regebant; *electione* enim reges idumaeos esse assumtos, docet catalogus a Moyse traditus. — *Exod.* 16,36 praeceptis de manna colligendo additur : « *Gomor* autem decima pars est Ephi »; num Moyses mensuram aliquam toti populo cognitam hac ratione cum alia mensura comparare potuit? At *Gomor* non est nomen certae mensurae, sed significat parvum catinum vel poculum, quale Orientales per desertum peregrinantes secum gerere solent; vasculorum autem eo tempore usitatorum magnitudinem indicavit Moyses, ut posteri quoque cognoscerent, quanta cum liberalitate Deus cibum miraculosum populo dedisset[3]. — Omittimus *Deut.* 3,5. 9,11, quia ne speciem quidem seriae difficultatis exhibent. — *Exod.* 16,35 non esse scriptum asseritur, nisi postquam manna cessavit; manna autem cessavit post Moysis mortem (*Ios.* 5,12). Per se nihil obstat, quominus aliquis versum a Iosua additum dicat; attamen temporis definitio etiam ipsi Moysi opus suum brevi ante mortem terminanti attribui optime potest; immo iunior scriptor, opinor, cessationis tempus accuratiore modo indicasset. — Expressio « quum essent filii Israel in solitudine » (*Num.* 15,32) nihil miri habet isto in loco, quia praecedentes leges de futura terrae

(3) Distinguatur oportet עמר, quod in *sola* relatione de manna legitur (*Exod.* 16,16-36) ab altero עמר (*Lev.* 23,10-15) quod *manipulum* significat. Decima pars Ephi *nusquam* vocatur *Gomor*, sed aut *assirith haepha* aut *issaron* (*Lev.* 5,11; 6,13, *Num.* 5, 15; 28,5; *Exod* 29,14 etc.)

possessione agunt (15,1. 17) atque ultima poenam mortis statuit in eum, qui « per superbiam aliquid commiserit »; in cuius sanctionis confirmationem refert auctor, etiam « in deserto » iam hominem, qui sabbathum publice violaverat, morte esse punitum. — Verba *Deut.* 2,12 apte explicantur de terra transiordanica, quam Moyses ipse occupavit expulsis Amorrhaeis; in *Levit.* 18,28 autem versio vulgata (« sicut evo*muit* gentes »), utpote non satis accurata corrigenda et pro perfecto (evomuit) legendum est futurum exact. (evom*uerit*).

c.) *Difficultates geographicae.* Atque primum quidem *nonnulla civitatum nomina* adhiberi dicuntur, quae iunioribus scriptoribus usitata, mosaicae vero aetati incognita fuerint. Inter quae *Hebron* (*Gen.* 13,18), quae antea *Kiriath Arba* appellabatur (*Ios.* 14,15; 15,13), recentius suum nomen per Caleb, satis diu post Moysis mortem, accepisse asseritur. Verum *Hebron* respondemus primum nomen fuisse, quo civitas appellabatur, quamdiu Hethitae eam tenuerunt (*Gen.* 23,3. 20); Hethitis autem ereptae alterum nomen *Kiriath Arba* impositum est ab *Arba patre Enacitarum* (*Ios.* 14,15 hebr.); Caleb igitur civitati nomen patriarchis usitatum restituit. — *Dan* (*Gen.* 14,14) quoque post Moysis aetatem, quum a Danitis occupata esset, nomen suum accepisse dicitur (*Ios.* 19,47; *Iudic.* 18.29); antea enim *Lais* vel *Leschem* appellabatur. Dubitari quidem potest, num de eadem civitate Geneseos auctor et libri Ios. et Iudic. loquantur; rectius autem dicemus, Danitas oppido pristinum nomen restituisse, sed alteram ei significationem attribuisse. Nam prope Lais vel Leschem Pan, quem Phoenices Baal Iaan, vel *Dan Iaan* (« *dominum* vel *iudicem tibicinem*) appellabant, celeberrimum habebat fanum, a quo civitas ipsa interdum *Dan Iaan* nominabatur (2 *Reg.* 24,6 hebr.; *S. Hier.* legens דן יער vertit « Dan sylvestria »). — *Bethel* hoc nomine, antequam tabernaculum foederis eo sit translatum, appellatum esse negatur; mosaico enim tempore *Luza* eius nomen fuisse (*Ios.* 18,3; *Iudic.* 1,23). Attamen Iacob civitati isti nomen *Bethel* iam imposuit (*Gen.* 28,19; 35,1 sqq.), eiusque posteri illud retinuerunt, licet incolae civitatis ipsi eam Luzam appellare continuarent, donec ab Ephraimitis sint expulsi. — *Havoth Iair* (*Num.* 22,41) difficultatem non creant, quia *Iudic.* 10,4 (*hebr.*) non asseritur, eas nomen a *iudice* Iair traxisse. Multo minore cum iure afferuntur *Bala,* quae est *Segor* (*Gen.* 14,2. 8), *fons Misphat*, quae est *Cades* (*Gen.* 14,7), *Ephrata* quae est *Bethlehem* (*Gen.* 35,19), siquidem nominum istorum origo ab adversariis non minus, quam a nobis ignoratur.

Civitatum nominibus addunt *expressiones nonnullas geographicas.* Ioseph se dicit sublatum « *de terra Hebraeorum* » (*Gen.* 40,15), atqui hoc nomine Palaestina non nisi post Iosuae aetatem appellari potuit. Sed « iure potuit Ioseph regionem Chanaan dicere terram Hebraeorum sive Trans-Euphratensium, utpote qui iam satis numerosi sedes ibi habebant et vicinis gentibus eo nomine erant noti » (*Goldhagen*). Immo vero hoc nomen potius probat narrationis antiquitatem, quippe quo numquam utantur iuniores scriptores, qui omnes Palaestinam semper vocant « terram Chanaan », « terram Israel », « terram filiorum Israel ». — Regio meridionalis vocatur *negeb* (נגב, *siccitas. Exod.* 27,9), occidentalis *iam* (ים *mare. Gen.* 12,18 etc.); atqui hae expressiones auctorem in Palaestina scripsisse docent. Id quidem minime, sed docent, eum illam linguam adhibuisse, quam maiores eius in Palaestina degentes adoptaverant secumque in Aegyptum transferentes filiis suis reliquerant. Num Moyses sibi ipse linguam suam creavit? — Idem responsum valet de expressione « trans Iordanem » (עבר הירדן). Patriarchae illo tempore, quo in Palaestina degebant, cum Chananaeis illam regionem, quae a Iordane

versus Orientem patet, « trans Iordanem » appellare assuefacti erant; ideoque si in illa ipsa regione commorabantur, eam etiam « *trans* Iordanem » appellarunt, licet revera eis *cis* Iordanem tunc esset. Hinc facile explicatur, Moysen in principio Deuteronomii dici conciones habuisse « trans Iordanem » in terra Moab (*Deut.* 1,1). Romanus sive Romae sive Lugduni scribens *Galliam transalpinam* vocavit illam antiquae Galliae partem, quae Romae degentibus « trans Alpes » erat[4].

d.) Ultimo loco *leges nonnullae* illum rerum statum, qui post Moysis mortem et Palaestinae occupationem exortus est, supponere dicuntur. Quod assertum, etsi per se concedi possit, quum integra fere legislatio futurum statum populi respiciat, brevi tamen examine indiget.

Legem de futuro rege (*Deut.* 17,14 sqq.) per Moysen ferri non potuisse censent, quoniam regia dignitas cum theocratia per Moysen introducta pugnet. At pugna haec perperam asseritur. Abrahae et Iacobo Deus iam praedixerat, reges ex eorum lumbis esse exorituros tribuique Iuda sceptrum promiserat (*Gen.* 17,6; 35,11; 49, 10); iuniores autem prophetae, qui legislationem mosaicam prae oculis semper habent, populum numquam vituperant, quod regem sibi dederit, atque Paralipomenon auctor, quem integrum Pentateuchum cognovisse omnes adversarii concedunt, reges dicit sedisse « in throno regni Iahve super Israel ». Revera Dominus mansit populi rex, eiusque vices usque ad Samuel gerebant Iudices immediate a Deo vocati, post Saulem et Davidem reges iure haereditatis constituti. — *Legem de non transferendis terminis* (*Deut.* 19,14) non nisi postquam diuturnum tempus Israelitae quieti in terra promissa peregerant, scribi potuisse, asserunt quidem adversarii, sed argumentis non probant; sola *futura* possessio in illa lege supponitur. — *Leges de bello gerendo* (*Deut.* 20) post occupationem terrae latae dicuntur propter 20,5. 6; sed quid tunc dicemus de 20,16 sqq.? Optime, opinor, haec conciliantur, si Moysen, legislatorem providum, in hac lege ante occupationem lata respexisse dicamus omnia bella, quae sive in Palaestina expugnanda sive postea filiis Israel erant gerenda. — Etiam *leges de primitiis offerendis* (*Exod.* 22,28 sq.; 23,10. 11. 16) nullam creant difficultatem consideranti, haud raro leges ferri satis diu antequam exsecutioni sunt mandandae. — Quodsi *Exod.* 23,19 *de domo Domini* iam est sermo, quamvis nondum eo tempore fuerit tabernaculum foederis, attende, eo in loco (23,18. 19) explicari, quid in tribus festis antea institutis (23,14-16) sit agendum, in quibus « omne masculinum coram Domino Deo » apparere debuit (23,17); « domus Dei » igitur ibi est idem, quod « coram Domino », et Moyses, quoniam omnia eodem tempore tradere non potuit, accuratiorem « domus Dei » descriptionem in aliud tempus distulit. — Obiectiones demum, quae ex Levit. 26,30. 34,43 et ex *Deut.* 32,12 sqq. desumuntur, vaticiniorum possibilitati negatae innituntur ideoque hoc in loco refutatione non indigent.

§ 5. — *De Pentateuchi unitate.*

1. — Recentiorem Pentateuchi originem moderni « critici » omnes praesertim ex eo demonstrari asserunt, quod integrum opus ex variis

(4) Nihilominus vocabulum עֵבֶר nativam suam significationem (*trans*) non amisit, sed sicut Romanus Lugduni scribens, si nulla ambiguitas erat pertimescenda, etiam septentrionalem Galliam vocare potuit *cisalpinam*, ita Moyses etiam occidentalem plagam Iordanis *transiordanicam* appellavit (Deut. 3,25). Ad evitandam tamen ambiguitatem

fragmentis aut documentis coaluerit, quae ipsa pleraque sint Moyse recentiora quorumque particulae etiam in ll. Iosue, Iudicum, immo Samuel et Regum, deprehendantur. Quapropter ut Pentateuchi authentia plene vindicetur, inquirendum est, quid de operis unitate sit sentiendum et quo cum iure illud variis documentis compositum dicatur.

Positivis tamen argumentis unitatem demonstrare opus non est; namque a plus tribus millibus annorum omnes, quotquot divinam revelationem agnoverunt, Iudaei et Christiani, unum et completum opus esse Pentateuchum professi sunt; in possessione igitur sumus, atque adversariorum est titulos instrumentaque afferre, quibus iniustam esse possessionem nostram demonstrent. Ceterum ea unitas, quae in opere quodam historico et legislativo requiritur, quum ex argumento et divisione supra expositis tum ex linguae stylique conformitate satis elucet; atque adversarii ipsi, quibuscum hodie res est agenda, unitatem quamdam, quam eorum maiores negaverant, ultro iam concedunt, siquidem « redactorem » statuunt, qui varia documenta secundum certum finem elegerit et electas particulas disposuerit.

2. — I. Primum et praecipuum fundamentum, cui omnia moderna systemata de fragmentis vel documentis pentateuchicis distinguendis innititur, est DIVERSORUM NOMINUM DIVINORUM USUS. Aliis enim in Geneseos pericopis nomen *Elohim*, in aliis nomen *Iahve* adhiberi videntes varia olim exstitisse documenta concluserunt, quae nominibus istis diversis se a diversis scriptoribus exarata esse testentur. Atque eandem distinctionem in reliquis Pentateuchi libris admittendam esse collegerunt ex certis characteribus, qui documentis illis proprii etiam in aliis operis partibus detegantur.

Neminem profecto, qui attente perlegerit Genesin, effugiet, nonnullis in pericopis nomen *Elohim* (*Alex.* ὁ θεός, *Vulg.* Deus), in aliis *Iahve* (*Alex.* ὁ κύριος, *Vulg.* Dominus) praevalere. Tertullianus iam (adv. Hermog. 3), S. Augustinus (de Gen. ad lit. 11), S. Chrysostomus (in Gen. hom. 14,2), quum in historia creationis (1,1-2,3) solum *Dei* (Elohim), inde autem a 2,4 *Domini Dei* (Iahve Elohim) nomen adhiberi viderent, in huius varietatis rationem inquisiverunt. Accuratius autem quaestio tractari coepta est, quando saec. 18. Astruc non in solis illis capitibus, sed in integra Genesi nominum divinorum variationem inveniri asserens praeter alia duo praecipua documenta, elohisticum et iahvisticum, distinxit. Alii deinde eandem varietatem in *Exod.* 1.-5. observarunt atque promiscuum nominum usum tunc demum inchoari monuerunt, quando Deus nomen suum *Iahve* Moysi revelaverit (*Exod.* 6,2 sqq.). Hinc moderni « critici » occasionem arripuerunt, ut in toto Pentateucho duo illa documenta distinguerent. Quamvis enim omnibus fatentibus divina nomina inde ab *Exod.* 6. in Pentateucho eadem ratione, qua in aliis libris, promiscue adhibeantur, in elohisticis tamen iahvisticisque Geneseos particulis diversum dicendi genus, diversas opiniones religiosas etc. deprehendere sibi visi sunt, quorum ope ubique varii illi scriptores detegi possent. Quid novi illi characteres valeant, postea dicemus; hic de solo nominum divinorum usu agemus.

interdum coeli regio additur (*Deut.* 11,30; *Ios.* 5,1; 12, 7 etc.), atque hac ratione utraque significatio in eodem versu coniungitur (*Num.* 32,19).

3. — Iam vero *praeprimis* notandum est, *solis* divinis nominibus paucas admodum pericopas, si hoc nomine continua narratio vel relatio completa intelligitur, in Genesi et primis Exodi capitibus, nullas in reliquis libris distingui. Quapropter qui ob sola nomina divina in Genesi varios scriptores distinguere voluerit, aut eam in minuta fragmenta discerpere aut multis in locis nomina divina a iuniore manu mutata dicere cogetur; neutrum autem licere evidens est.

Difficilis est accurata pericoparum elohisticarum et iahvisticarum distinctio, quia in distinguendis pericopis ipsis iam dissentiunt interpretes. Quodsi in *triginta quatuor* sectiones *Genesis et Exod.* 1.-5. secundum argumenta dividuntur, dumtaxat *quinque* sunt mere *elohisticae*, *sex* mere *iahvisticae*, etsi illas addamus, in quibus integris semel aut bis tantum nomen divinum ponitur[1]. Si capitum divisionem sequaris, inter *quinquaginta quinque* sola *tredecim* uno nomine Iahve aut Elohim utuntur. Inter triginta quatuor illas sectiones invenies *tres*, quae utrumque nomen adhibent; longe pleraeque autem simul cum nomine Iahve aut Elohim alia nomina divina usurpant[2], atque *octo* Iahve *et* Elohim una cum aliis nominibus ponunt. Si minores pericopas iuxta argumenta distinxeris, completas invenies narrationes, in quibus nullum nomen divinum est adhibitum[3].

Quam parum nominibus divinis separatio sectionum fieri possit, pauca exempla docebunt : In narratione de paradiso et protoparentum lapsu (2,4-3,24) generatim quidem *Iahve Elohim* (20ies), sed in Evae et serpentis colloquio, quod a reliqua narratione avelli nequit, *ter Elohim* solum usurpatur. In pericopa de filiis Adam (4,1-26) *Iahve* praevalet, sed v. 25. cum suo *Elohim* a sequente cum eius *Iahve* seiungi non vult. Enumeratio posterorum Adam (5,1-32) propter tria *Elohim* et tria *Haëlohim* dicitur elohistica, sed 5,29 legitur *Iahve;* narratio de filiis Dei et filiabus hominis (6,1-8) reputatur iahvistica propter quinque sua *Iahve*, sed neglectis duobus *Haëlohim*. Atque ita per totam Genesim, immo in eodem immediato contextu atque in brevissima sententia utrumque nomen interdum coniungitur (7,16; 9,26. 27; 14,19-22; 27,27. 28; *Exod.* 3,4). Itaque ei, qui ex nominibus divinis solis varios scriptores distinguere vult, nihil restat, nisi ut librum in minuta fragmenta discerpat aut nomina divina a librariis saepe mutata

(1) Solum nomen *Elohim* legitur *Gen.* 1,1-2,3 (Creationis historia; 35ies), 19,29-38 (Lot et filiae eius; BIS), 23,1-20 (Sarae mors; SEMEL), 25,1-18 (Abrahae mors; SEMEL), 50, 1-26 (Iosephi mors; *quater*). — Solum *Iahve* legitur 10,1-11,10 (posteri Noe et turris babelica; 7ies), 12,1-13,18 (Abrahae vocatio et prima fata; 13ies), 24,1-67 (Rebeccae desponsatio; 19ies), 25,19-26,35 (Nativitas Iacob et Esau; 11ies), 38,1-30 (Iuda et Thamar; *ter*); *Exod.* 5,1-6,1 (Israelitae in Aegypto oppressi; 8ies.)

(2) Alia nomina, quae adhibentur, sunt *Haëlohim*, *El* et *Haël*, *El elioṅ* (Deus excelsus), *El roï* (Deus omniscius), *El schaddai* (Deus omnipotens), *El olam* (Deus aeternus), *Adonâi* (Dominus). Adhibentur autem in pericopis, in quibus praevalet *Elohim* (ex. gr. 5,1-32 : *Elohim* ter, *Haëlohim* ter, *Iahve* semel; 17,1-27 : *Elohim* 7ies, *Iahve* semel, *El schaddai* semel; etc.), atque in illis, in quibus praevalet *Iahve* (ex. gr. 22,1-14 : *Iahve* 5ies, *Haëlohim* ter, *Elohim* bis; *Exod.* 3,1-4,31 : *Iahve* 24ies, *Haëlohim* 7ies, *Elohim* ter; *Gen.* 15,1-21 : *Iahve* 5ies, *Adonâi* bis; 16,1-16 *Iahve* 8ies, *El roï* semel; etc.).

(3) Nullum nomen divinum legitur ex. gr. 11,10-32 (Generationes Sem), 34,1-31 (Simeonis et Levi crimen), 36,1-37 (Generationes Esau), 37,2-36 (Ioseph et fratres eius), *Exod.* 2,1-22 (Nativitas et fuga Moysis). — Quam ob causam a nonnullis quatuor pericoparum classes distinguuntur : *elohisticae*, *iahvisticae*, *mixtae* (in quibus Elohim et Iahve promiscue usurpantur), *latentes* (in quibus nullum nomen divinum ponitur).

dicat. Utrumque autem foret petitio principii, quoniam velut certum supponit, scripta elohistica a iahvisticis esse distinguenda, licet id in quaestione adhuc versetur. Atque frustra quoque mutatio nonnullorum nominum statueretur; etenim si nonnulla mutata dicuntur, nihil obstat, quominus omnia a iuniore manu mutata dicantur. Neque minus temere statuitur tertius scriptor (Elohista II.), cui omnia illa attribuantur, quae nec Iahvistae nec Elohistae dari possunt.

4. — *Secundo loco* adnotetur oportet, pericopis illis, quae elohisticae aut iahvisticae dicuntur, nequaquam opus aliquod completum constitui, quod, uti volunt plerique moderni « critici », continuam narrationem bene inter se contextam ita exhibeat, ut scriptor elohisticus vel iahvisticus ea non supponat, quae a Iahvista vel ab Elohista sint tradita. Quicumque igitur soli divinorum nominum usui hypothesin « documentorum » vel « supplementorum » superstruere voluerit, temere supponere cogitur, « redactorem » omnia illa, quae ad contextum restituendum requiruntur, in primitivo opere elohistico (vel iahvistico) invenisse quidem, sed reliquisse, ut illa (nescio cur) ex alio fonte desumeret.

Etenim in supposito illo *documento elohistico* lapsus protoparentum non commemoratur, nihilominus 6,11-13, qui versus ab omnibus Elohistae tribuuntur, universa generis humani corruptio notatur. A Dei foedere cum Noe (9,17) Elohista in mediam historiam Abraham transilit (17,1), cuius genealogia prorsus ignoratur, nisi forte 11,10-32, qui « latentis characteris » sunt, Elohistae tribuantur; at ne tunc quidem omnis difficultas effugitur, nam 11,31 Abraham habitat in Mesopotamia, sed 17,1 sqq. (cfr v. 8) in Chanaan iam dudum habitavit; Abrahae igitur vocationem, cui tota innititur reliqua historia, ignoravit Elohista. Ab Ismaele (25, 18) idem ad mediam historiam Iacob (27,46), a morte Isaac (35,29) ad Iosephum in Aegypto ex carcere liberatum (41,1 sqq.) transilit. Quis autem iahvistici operis sit nexus, ex eo solo iam apparet, quod Iosephum in carcere relinquat (39,23), ut cum Moyse ex Madian in Aegyptum revertatur (*Exod.* 3,1 sqq.). — Iterum autem est mera petitio principii, si ex intermediis pericopis particulas sibi conquirunt adversarii, ut nexum restituant, aut si supponunt, in primitivis operibus illa adfuisse, quae ad contextum efficiendum requiruntur

5. — *Tertio loco* adnotetur, usum diversorum nominum apte explicari, etiamsi unus Geneseos et totius Pentateuchi auctor statuatur. Etenim multis in locis Moyses diversa illa nomina adhibuit ad eorum genuinam significationem attendens, in aliis autem eodem modo, quo reliqui sacri scriptores plerumque, pro libitu alterutrum adhibuit, interdum eodem continuans, interdum altero varians orationem.

Etenim *Elohim* et *Iahve*, etsi vero Deo significando inserviant, eum sub alia et alia ratione designant; *Elohim* enim Deus vocatur magnitudinis et potentiae ratione habita[4]; communissimum nomen divinum est usurpaturque, ubi de Deo

(4) Nomen אלהים (plur. excell.; sing. אֱלוֹהַּ) moderni non pauci a rad. אלה derivant, quae in arab. lingua significat aut *obstupuit*, *tremuit* (intrans.) aut *coluit*, *adoravit* (transit.), ita ut *Elohim* sit numen *timendum* vel *colendum*. At rectius alii *Elohim* ab altero nomine *El* (אל) non esse separandum monent, sive ultimum hoc derivetur a rad.

creatore, gubernatore, supremo rerum domino sermo est, sed de falsis quoque diis adhibetur. *Iahve* vero, quod vi etymologiae suae τὸν ὄντα significat[5], i. e. eum qui absolute est exsistens et independens (*Exod.* 3,14) ideoque aeternus (*Gen.* 21, 23; *Is.* 4,1) et immutabilis (*Mal.* 3,6) ac proinde fidelissimus in suis promissis (*Deut.* 7,9 etc.), est nomen Dei, quatenus filios Israel speciali foedere sibi coniunxit; quapropter de falsis diis ethnicorum nec umquam praedicatur nec praedicari potest, suum autem locum habet, ubi verus Deus falsis diis opponitur aut specialis illa relatio, quae Deum inter et populum foederis intercedit, effertur.

Atqui auctorem Geneseos ad hanc specialem nominum significationem haud paucis in locis attendisse facile apparet. In *creationis* narratione Deus semper vocatur *Elohim*, ens potentissimum omniumque rerum dominus (1,1-2,3); quam primum autem ea narrantur, quibus Deus benignissimus protoparentes secum coniungere voluit, atque relatio, quae post primum peccatum homines inter et Deum exorta est, futuraeque redemtionis promissio describitur (2,4-3,24), nomen *Iahve Elohim* adhibetur; utroque enim nomine coniuncto ostendit auctor, eundem esse *Elohim*, qui sua potentia omnia creavit, et *Iahve*, qui benignitate sua homines secum coniungere voluit; at in hac eadem narratione Eva et serpens colloquentes Deum appellant *Elohim* (3,1-5), idque aptissime, ut patet. Noe quoque *Elohim* invocat, ut Iapheth dilatet, sed *Iahve* vocat Deum Sem, in cuius posteris benedictiones erant conservandae (9,26. 27); Melchisedech, qui ex semine electo non erat, Deum appellat *El elion*, sed eundem Abraham vocat *Iahve El elion* (14,19-22); immo in tota patriarcharum historia nomen *Iahve* praevalet, maxime quotiescumque de promissionibus sermo est[6]. Atque idem nomen, quod singulari quadam ratione divinam *immutabilitatem* connotat, velut tessera et symbolum assignatur illi periodo, qua Deus promissiones implere incipiens populum liberavit secumque arctiore foedere coniunxit (*Exod.* 3,14). Attamen utrumque nomen Israelitis erat sacrum, utrumque usitatum; ideo nihil miri in eo est, quod alterutrum etiam a Moyse pro libitu sit adhibitum, ubi specialis ratio unum prae altero non postulavit. Idem enim aliis in libris obtinet; habemus Psalmos elohisticos et iahvisticos, atque idem *Ps.* 13. (14.), qui est iahvisticus, repetitur in altero Psalterii libro (*Ps.* 52. [53.]) nomine Iahve expuncto; habemus satis longas aliorum librorum pericopas, in quibus alterutrum nomen solum aut fere solum adhibetur, nec quisquam ideo varios auctores distinguit.

6. — Ex nominis *Iahve* significatione id quoque apte explicatur, cur inde ab *Exod.* 6. illud nomen omnino praevaleat. Intimus enim nexus,

אול vel אִיל (*praecedere*, *fortem esse*), sive vocabulum sit primitivum, quod « etymo radicis אול quodammodo aptatum et accommodatum sit, ita ut Hebraeis in vocabulo illo *roboris* et *fortitudinis* notio obversaretur » (*Gesen.*).

(5) Nomen יהוה a verbo הוה (= היה, *fuit*) derivari ad similitudinem formarum יַעֲקֹב יִצְחָק etc., quibus perpetuus et continuus status exprimitur, communis hodie est et certa sententia; ideo *Iahve* significat illum, *qui erat et qui est et qui futurus est* (cfr *Apoc.* 1,8) i. e. qui absolute et per se solum est.

(6) In historia primitiva (1,1-11,32) *Elohim* invenitur circiter 60^ies^, *Iahve* circiter 30^ies^; sed in historia patriarcharum (12,1-50,26) *Iahve* circiter 110^ies^, *Elohim* circiter 80^ies^. — *Iahve* in promissionibus adhibetur 12,1. 7; 13,5; 15,7. 18; 18,7; 22,16; 24,7; 26,2 sqq.; 27,27; 28,3.

qui inter *Exod.* 6,3 (« Ego sum *Iahve* et apparui Abrahae Isaac et Iacobo tamquam *El schaddai*, sed quod ad nomen meum *Iahve* attinet, non me manifestavi eis ») et inter continuum usum nominis Iahve in reliquo Pentateucho concedendus est, non ex eo potest derivari, quod nomen *Iahve* tum temporis prima vice sit revelatum.

Si adversariis nonnullis credimus, scriptor ille, cui *Exod.* 6.3 debetur, eo usque ab usu nominis *Iahve* abstinuit ac proin auctor elohisticarum pericoparum Geneseos est dicendus. Quae explicatio erronee supponit, patriarchis nomen *Iahve* fuisse incognitum; illud autem Moyse esse multo antiquius et patriarchis optime fuisse notum *a.*) iam docent nomina propria cum nomine Iahve composita : mater Moysis vocabatur *Iochebed* (Iahve est gloria eius. *Exod.* 6,20); *Achia* (frater i. e. amicus est Iahve) et *Ionathan* (Iahve est donator. 1 *Par.* 2.25. 32) personae sunt Moyse antiquiores; *Moriah* (visio Iahve. Gen. 22,2) nomen impositum est ab ipso Abraham. Idem *b.*) docet nominis forma derivata a verbo הוה, cuius loco tempore mosaico adhibebatur היה; *c.*) idem quoque elucet ex eo, quod Deus Moysi ad populum ituro nomen suum Iahve velut signum dedit, quo divina eius missio cognosceretur (*Exod.* 3,13. 14); nomen autem ignotum et eo usque inauditum non erat signum aptum; atque *d.*) in Genesi patriarchae Deum hoc nomine frequenter appellant, Deusque ipse, ubi patriarchas alloquitur, hoc nomine sese designat; in colloquiis in Genesi relatis nomen Iahve 40^{ies} legitur.

Illa igitur opinione praetermissa attendamus ad differentiam nominum *El schaddai* et *Iahve; El schaddai* enim, quod nomen in sola Genesi et in solis quidem promissionibus adhibetur [7], significat *Deum omnipotentem*, qui promissiones suas *implere potest*, *Iahve* autem designat *Deum fidelem*, qui promissiones suas *revera implet* [8]; patriarchis igitur promissiones dans sese manifestavit *El schaddai*, promissiones autem factas implere incipiens sese revelavit *Iahve;* atque ita clarum est, cur Moyses inde ab *Exod.* 6 in ultimis suis libris, qui integri in promissi foederis fundatione et legislatione versantur, ab usu nominis El schaddai et Elohim magis abstinuerit Deumque potius *Iahve*, « ens absolutum, immutabile, fidelissimum », appellaverit.

7. — II. Solis nominibus divinis varios scriptores non distingui, certum est; quid vero valeant munimenta, quibus debile hoc fundamentum consolidare conati sunt adversarii, restat inquirendum. Elohistam et Iahvistam asserunt DICENDI GENERE non minus quam RELIGIOSIS ET HISTORICIS OPINIONIBUS inter se differre ideoque eorum pericopas illis quoque in libris dignosci posse, in quibus nomina divina promiscue adhibeantur. Attamen antequam singulae, quas statuunt, distinguendi rationes examinentur, *praeprimis* animadvertatur oportet, illas omnes petitioni principii inniti,

(7) *Gen.* 17,1; 28,3; 35,11; 43,14; 48,3; *Exod.* 6,3. — Neque in reliquis libris Pentateuchi neque a iunioribus scriptoribus sacris *El schaddai* usquam adhibetur, nisi semel ab *Ezech.* 10,5. Solum nomen *Schaddai* bis in Pentateucho (*Num.* 24,4. 16 a Balaam), frequenter in l. *Iob*, dumtaxat 7^{ies} in reliquis libris usurpatur.

(8) Prophetae Osee et Ezechiel quoque, ut doceant, Deum promissiones et minas suas certo certius esse impleturum, hanc nominis *Iahve* significationem populo in mentem revocant vaticiniis suis velut sigillum addentes : « *Et scietis, quia ego Iahve* » (*Os.* 2, 22; *Ezech.* 5,13 et fere 70^{ies}).

arbitrario quoque modo ad pericoparum distinctionem adhiberi neque tamen ad finem intentum adducere.

Namque nullo fundamento nixi (nominibus enim divinis nihil effici ostendimus), diversos esse Pentateuchi auctores, a priore atque pro certo statuunt, sibique suum Elohistam suumque Iahvistam aut auctores suos annalisticum, propheticum, theocraticum, deuteronomicum *creant;* deinde in pericopis, quas iterum nullo certo argumento nixi scriptoribus istis fictis attribuerunt, vocabula, locutiones, dicendi modos, opiniones etc., conquirunt, illasque uni ex istis ita declarant proprias, ut eius characteres sint distinctivi. Mero igitur arbitrio innituntur omnes novi illi characteres, neque tamen adversariis nostris sufficiunt. Illa enim, quae Elohistae propria declararunt, etiam cum nomine Iahve coniuncta videntes Elohistam II. sibi creant, cui ea attribuere possint, quae nec satis pure sunt elohistica nec satis pure iahvistica, aut faciliore effugio contendunt Iahvistam studiose imitatum esse Elohistam, colorem elohisticum adhibuisse, marginem vel subscriptionem elohisticam retinuisse etc., aut ficto suo redactori illa attribuunt. — Arbitrariae autem hae regulae magis arbitrario modo adhibentur. Dicendi quidem genere styloque atque etiam argumento tractato interdum scriptores distingui posse non negamus; verum ut iure et cum aliqua probabilitate id fiat, scriptum aliquod continuum habeamus oportet. Moderni autem « critici » tam accurate Elohistae I. et II, Iahvistae et redactoris linguam, stylum, opiniones cognoscunt, ut non tantum pericopas eorum discernant, sed sine ulla haesitatione definiant, qui versus, quae versuum partes, immo quae vocabula illis debeantur. *Num.* 16,27 a. Elohistae I., 27 b. Elohistae II., nomina autem « Dathan et Abiron » Iahvistae deberi edocemur. Brevis narratio de exploratoribus reversis (*Num.* 13,25-33) ita esse composita dicitur : *Eloh. I.* v. 25; *Eloh. II.* 26 a.; *Eloh. I.* 26 b. c.; *Eloh. II.* 26 d.; *Eloh. I.* 26 e.; *Eloh. II.* 26 f. 27 a.; *Iahv.* 27 b.; *Eloh. II.* 27 c. 28. 29 a.; *Iahv.* 29 b.; *Eloh. II.* 30. 31; *Eloh. I.* 32. 33 a.; *Iahv.* 33 b.; *Eloh. I.* 33 c. d. Nonne iocari videntur? — Neque tamen ad finem, quem intendunt, hac via perveniunt. Gloriantur utique, quod in singulis partibus particulisque inter suos Elohistas et Iahvistas distribuendis tam concordes sint, consensumque suum pro argumento afferunt, quo principia, quibus ducuntur, vera esse demonstrentur[9]; ac si consensus ille non nisi in paucissimis inveniretur et consentaneo falsi principii usu consensus quidam effici non posset; at ubinam sunt documenta illa elohistica aut iahvistica, quae continuam atque bene contextam relationem historiae contineant? Ad frustula dumtaxat et fragmentula hac via pervenitur.

8. — Porro *diversum dicendi genus* Elohistae et Iahvistae paucissimis vocabulis illis, quae infelici manu elegerunt, aliisque pluribus, quae forsitan eligi possint, non demonstratur, nisi antea pro praecepto statuitur, scriptori vocabula synonyma adhibere non licere eumque, etsi de diversis rebus loquatur, iisdem vocabulis uti debere. *Stylisticas differentias* adesse hucusque nemo ostendere potuit, atque *diversae opiniones religiosae et historicae* scriptoribus illis fictis attribui nequeunt, nisi arbitrario modo pericopae inter illos distribuantur.

(9) Pro exemplo consensus provocant ad distinctionem relationum de diluvio (*Gen.* 6,1-8,22), sed neutra est completa. Omni nexu neglecto ex. gr. Iahvista transilit a 6,5-8 ad 7,1 sqq., a 7,12 ad 7,16 b., a 8,13 b. ad 8,20 etc.

Omnia et singula, quae ab adversariis in hac quaestione afferuntur, examini subiicere, commentatoris munus est; hoc loco pauca exempla attulisse sufficit, quibus eorum arbitrarius argumentandi modus illustretur. Mirum sane est, quod *diversum dicendi genus* in tam vasto opere a Delitzsch *octo*, a De Wette Schrader *duodecim* vocabulis demonstrari credatur; magis mirum, quod tam infelici manu pauca illa elegerint. Uterque asserit, Mesopotamiam ab Elohista *Paddan Aram*, a Iahvista *Aram Naharaïm* vocari; sed alterum hoc nomen in tota Pentateuchi parte, de qua agitur, *semel* tantum legitur et significatione sua a priore (quod etiam *Gen.* 33,18, in parte iahvistica, reperitur) plane differt; nam *Aram Naharaim* est tota Mesopotamia, *Paddan Aram* est nomen *planitiei* (פַּדָּן), quae oppidum Haran circumiacet, neque usquam adhibetur, nisi in illis Geneseos capitibus, quae de Abrahami propinquis in Haran habitantibus agunt. Vocabulum אֲחֻזָּה (possessio) dicitur elohisticum, sed etiam legitur *Gen.* 48,4 et *Num.* 32,5 in pericopis iahvisticis. Expressio זָכָר וּנְקֵבָה (masculum et femina) Elohistae, אִישׁ וְאִשָּׁה (vir et femina) Iahvistae attribuitur, at non eadem est earum significatio et prior a Iahvista (*Gen.* 7,3. 9), altera ab Elohista (*Exod.* 36,6; *Lev.* 13, 29 etc.) adhibetur etc. — *Stylus* Elohistae dicitur diffusus, narratio eius plena repetitionibus; sed si *Gen.* 2. 3.; 13; 24. etc., quae omnia sunt pure iahvistica, legeris, eandem verbositatem similesque repetitiones invenies; fusiore enim dicendi genere utuntur omnes scriptores semitici. — *Genealogiis* delectari dicitur Elohista, sed prima (*Gen.* 4,17 sqq.) in parte mere iahvistica legitur, aliae temere tantum Elohistae attribui possunt. *Etymologiis* ludere asseritur Iahvista, ideoque ex mediis pericopis elohisticis omnes versus, si etymologiam continent, Iahvistae addicuntur. — Simili modo differentia *opinionum religiosarum creatur*. Pro principio enim statuitur, solum Iahvistam in priscis temporibus cognovisse altaria, sacrificia, animalia munda et immunda, etc., atque deinde illi elohisticarum pericoparum textus, qui huic principio contradicunt, aut iahvistici esse arbitrarie asseruntur (*Gen.* 22,1 sqq.; 35,1 sqq.) aut negliguntur (2,3; 9,4; etc.).

9. — III. Frustra quoque adversarii ad REPETITIONES CONTRADICTIONESQUE provocant; veri enim nominis repetitiones aut contradictiones nec in historica nec in legislativa parte deteget, quicumque praeiudiciis sepositis eas examinaverit.

Procul dubio, si omnes narrationes, quae de similibus rebus agunt, de eadem agere dicuntur, haud paucae *repetitiones* deprehenduntur; at profecto omnes ex adiunctis satis facile demonstrantur diversae (cfr *Gen.* 12.10 sqq.; 20,1 sqq.; 26, 6 sqq.; — 15,1 sqq. et 17,1 sqq.; — 16,7 sqq. et 21,9 sqq.; — 21,22 sqq. et 26, 26 sqq.; — *Exod.* 16,1 sqq. et *Num.* 10,1 sqq.; — *Exod.* 16,13 sqq. et *Num.* 11, 30 sqq. et si quae sunt similes). — Porro satis facile etiam longe maior numerus *contradictionum* in narrationibus expeditur. Neque enim quisquam haesitabit in *Gen.* 6,9 et 7,2; — 8,20-22 et 9,8-17; — 25,27 sqq. et 27,1 sqq.; — 27,26 sqq. et 27,41-45; — 30,35 sqq. et 31,6 sqq.; — 32,22 sqq. et 33,10; — 37,25. 27 et 39,1 aliisque similibus conciliandis. — Duplex de creatione relatio (1,1-2,3 et 2,4 sqq.) nec in tempore creationis animalium (1,20-26 et 2,18 sqq.) nec in auctore productionis plantarum (1,11 sq. et 2,5) consentire asseritur; sed duplicem relationem de creatione tradi negamus; inde enim a 2,4 terminata creationis descriptione Moyses loquitur de paradisi plantatione deque hominum in paradiso

degentium historia. Animalium autem creationem (2,18 sqq.) non secundum temporis rationem post viri creationem esse positam, S. Hieronymus optima sua versione[10] iam indicavit; neque plantarum creatio Deo abiudicatur, siquidem 2,5 non de earum prima productione, sed naturali propagatione sermo est. — Paucis in locis utique corruptionem hodierni textus concedere debemus, ex. gr. in nominibus trium uxorum Esau (*Gen.* 26,34; 28,9 atque 36,2), sed hac differentia « critici » ad suum systema stabiliendum uti non possunt, quia omnes tres textus eidem auctori, sc. Elohistae I., attribuunt. — In paucis aliis ad genuinam vocum significationem attendendum est. Ex. gr. si *Exod.* 2,18. 21 *Raguel* filiam suam Sephoram Moysi uxorem dedit, nihilominus *Iethro* (*Exod.* 3,1; 4,1; 18) Moysis socer (חֹתֵן) vocatur ac postea *Hobab, filius Raguel* חֹתֵן Moysis dicitur (*Num.* 10,29), notandum est, vocabulis hebraeis, quae consanguinitatem vel cognationem indicant, latiorem esse significationem, ita ut חֹתֵן designet *socerum* et *cognatum* (uti חָתָן, *sponsum*, *generum*, *cognatum*); dicendum igitur, Sephoram, Raguelis neptem, filiam Iethronis et sororem Hobabi, nupsisse Moysi.

Unitatem Pentateuchi non destrui repetitionibus et antiphaniis in parte legislativa occurentibus, clarum est, quamprimum in iis explicandis eae regulae observantur, quae in aliis codicibus legum interpretandis adhibentur. Variae enim leges, etsi de eadem re latae esse videantur, eam tamen sub alia ratione attingunt, ita ut una alteram aut explicet, aut severius definiat, aut ad certas causas restringat; interdum antiquior lex recentiore mutatur quidem, in codice tamen ad iuniorem explicandam relinquitur. Quibus accedit, mosaicum codicem non iuxta argumenti sui, sed temporis, quo leges latae sunt, rationem esse dispositum. Qui ad haec attenderit, non inveniet difficultatem in lege de sanguine non comedendo quinquies repetita, quia semper aliquid novi additur (*Lev.* 3,17; 7,26 sq.; 17,10; 19,26; *Deut.* 12,23), aut de carnis morticinae prohibitione (*Exod.* 22,30; *Lev.* 11,40; 17,15), aut de primogenitis filiis (*Exod.* 13,2. 11 sqq.; 34,19; *Num.* 3,11 sqq.), de primogenitis animalibus immundis (*Exod.* 13,13 et 34,20; *Lev.* 27,27 et *Num.* 18,15) etc. — Adde, arbitrariis interpretationibus haud paucas contradictiones creari. Etenim *Lev.* 23. et *Num.* 28. 29. cum *Exod.* 23,14 sqq., 34,18 sqq. et *Deut.* 16 non pugnant, nisi statuitur, semper completum festorum catalogum tradi debuisse; nec *Lev.* 23,18 sq. cum *Num.* 28,27 sq., quia de diversis sacrificiis, licet eodem die offerendis, agunt etc.

10. — IV. De inscriptionibus et clausulis, quibus primi unitatis Pentateuchi adversarii ad fragmentorum systema stabiliendum abusi sunt, vix opus est dicere; eadem enim ratione, qua aliis scriptoribus, Moysi partes vel particulas operis sui distinguere licuit.

Neque ulla ratione ex clausulis *Lev.* 7,37 sq. aut 11,46 aut 14,54 sq. etc. sequitur, praecedentes leges olim totidem constituisse collectiones, quas redactor quidam coniunxerit; sed Moyses ipse eas immediate post earum promulgationem literis mandatas formulis istis a reliquis separare potuit. — *Laxiorem nexum* quoque, quem aliqui contra unitatem urgent, immerito afferri, clarum est. In intermediis enim libris, qui leges secundum temporis rationem disponunt, inter-

(10) Is Hebraeorum modus est narrandi, ut temporis ordine non attento interdum ea coordinent, quae nos temporibus acuratius indicatis subordinamus; cfr ex. gr. *Is.* 37,1-5; 3 Reg. 7,13 (cfr 6,9. 14. 37; 7,1 sqq., 2 *Par.* 2,12) etc., etc.

num earum nexum nemo prudens exspectabit; in aliis autem historicis pericopis nexus ille non deest, qui in reliquis Vet. Test. libris historicis observatur.

§ 6. — *De mosaica origine legislationis deuteronomicae et « Codicis sacerdotalis ».*

1. — Rationalisticarum obiectionum refutationi addenda videtur brevis inquisitio in duo systemata, quae hodie in « criticorum » scholis propugnantur. In bina enim castra divisi alii Deuteronomium esse recentissimam Pentateuchi partem contendunt Ezechiae circiter (vel Iosiae) tempore exortam eiusque leges legislationem intermediorum librorum iam absolutam ita supponere, ut illam partim excoluerint, partim mutaverint. Alii vero leges intermediorum librorum, quas nomine « codicis sacerdotalis » comprehendunt, Deuteronomio esse recentiores asserunt atque post exsilium ab Esdra confictas vel collectas esse.

Quae domestica « criticorum » dissidia, quum ad nos non pertineant, libenter praetermitteremus, nisi utriusque systematis refutatione thesis de mosaica Pentateuchi origine confirmaretur. Priorum enim argumentis, quibus iuniorem Deuteronomii aetatem stabilire conantur, refutatis simul contra eos stabilivimus, priores libros, quos « Deuteronomistae » cognitos fuisse concedunt, Moysi non recte abiudicari. Atque contra eos, qui in « codice sacerdotali » Deuteronomium supponi censent, eo ipso quod legislationem leviticam inde a mosaica aetate semper cognitam fuisse ostendimus, integri operis mosaicam originem vindicabimus.

2. — I. Deuteronomium aeque ac reliquos libros pentateuchicos mosaica aetate et a Moyse ipso conscriptum esse, supra (§ 3) iam est demonstratum; at praeterea tota eius indoles satis docet, illud ad mosaicam aetatem esse referendum.

Tres conciones deuteronomicas, de quibus quaestio agitur, tam arcte inter se cohaerere, ut una sine altera repudiari non possit, nobiscum fatentur plerique « critici ». Atqui quam plurima in iis leguntur, quae eo dumtaxat tempore scribi potuerunt, quo filii Israel ex Aegypto recenter egressi in Palaestina sedes fixas nondum occupaverant. Continuo enim monentur, ut aegyptiacae servitutis memores sint (5,15; 7,18 etc.), continuo edocentur, quid post *futuram* terrae occupationem agendum sit (4,1 sqq.; 6,1. 10 etc.), immo de reditu in Aegyptum cogitari vetantur (17,16). Ergo mosaica aetate scriptum est Deuteronomium. At nec tota eius indoles, nec auctoris de se ipso testimonia, nec iuniorum allegationes ex eo desumtae impedire potuerunt, quin recentiori aetati (Ezechiae, immo Iosiae) attribueretur. Satis multas obiectiones, quibus sententiam suam « critici » confirmare volunt, iam attigimus; hoc loco de illis paucis tractabimus, quibus rem suam plane evincere sibi videntur.

3. — Diu post priores libros Deuteronomium esse scriptum, maxime legibus nonnullis demonstrare conantur. Etenim propter frigescentem populi fervorem ea, quae de decima levitis debita antea erant statuta (*Num.* 18,20-32), in Deuteronomio mutari debuisse (*Deut.* 14,22-29) as-

serunt, non animadvertentes de diversis decimis in Num. et Deut. agi. Levitas quoque in *Num.* 35,1 sqq. certis oppidis donari, a *Deut.* (12,12. 18; 14,27 sqq.; 16,11. 14 etc.) autem velut *peregrinos* inter reliquos Israelitas degentes supponi monent, iterum non attendentes, qua ratione peregrinis levitae assimilentur. Demum in prioribus libris inter levitas et sacerdotes accurate distingui, in Deuteronomio autem omnem eorum distinctionem plane disparuisse censent, at distinctio haec in Deut. 18. satis clare est expressa.

Adversariorum πρῶτον ψεῦδος est, quod tum in libris intermediis tum in Deuteronomio completas legislationes tradi censeant neque attendant, priorem legislationem deuteronomicis concionibus partim explanari, partim compleri. Ad decimas quod attinet, non una tantum, sed tres erant solvendae, quae omnes per Moysen sunt praescriptae. « Decimam dabam, inquit Tobias (*Tob.* 1,7 *Gr.*; cfr Fl. Ios. Antiqu. IV. 8,22), filiis Levi ministrantibus in Ierusalem (cfr *Num.* 18,22 sqq.), secundam divendebam et ibam et expendebam ea in Ierusalem per singulos annos (cfr *Deut.* 14,22 sqq.), et tertiam dabam, sicut conveniebat », sc. tertio quoque anno levitis et pauperibus (cfr *Deut.* 14,28). — Peregrinis assimilantur levitae in Deuteronomio, quatenus « partem et possessionem » eodem modo, quo reliquae tribus, non obtinuerant. Ceterum in illis ipsis oppidis, quae levitis erant concessa, non soli habitabant (*Lev.* 25,32 sqq. cfr *Ios.* 21,11. 12; 1 *Reg.* 6,13. 15), neque statim a principio omnia oppida illis promissa, quippe ex quibus Chanaanitae nondum essent ejecti, occupare potuerunt, quare semper nonnulli levitae medii inter alios Israelitas habitare cogebantur. — Eatenus demum Deuteronomium a prioribus libris differt, quatenus sacerdotes non amplius « filios Aaron » sed « filios Levi » aut « sacerdotes levitas » (*Vulg.* « sacerdotes levitici generis ») appellet; at tantum abest, ut novo hoc nomine differentia levitas inter et sacerdotes negetur, ut illi iuniores scriptores, qui differentiam hanc valde urgent, illo uti non dubitent (2 *Paral.* 5,5; 23,18; 30,27; 1 *Esdr.* 10,5 etc.). Attendas autem, quomodo *Deut.* 18. primum « sacerdotibus, levitis, toti tribui Levi » pars et haereditas in Israel negetur (v. 1. 2.), deinde autem describatur, quid sacerdotibus (v. 3-5) et quid levitis (v. 6-8) competat.

4. — Quodsi nonnulli, ut recentiorem eius aetatem demonstrarent, Deuteronomium religiosis quoque opinionibus a praecedentibus libris differre monuerunt, in doctrinam praecedentium librorum parum investigasse videntur; infelici enim manu omnia sua exempla elegerunt.

Mosaicos libros ita inter se differre concedimus, ut non omnia omnino doctrinae capita in omnibus commemorentur, neque ullo modo negamus, Deuteronomium novas revelationes doctrinae in prioribus libris revelatae addidisse. At ne hoc quidem exempla ab adversariis afferri solita demonstrant. Etenim in Deuteronomio (4,35. 39) *unitatem Dei* praedicari asserunt, ac si priores libri pluralitatem docerent, *invisibilitatem Dei* (*Deut.* 4,12. 15) doceri, quae clarius iam expressa est *Exod.* 33,20, et *intimam eius relationem ad populum, quem foedere sibi coniunxit* (*Deut.* 4,7; 10,14 sqq.), de cuius foederis fundatione integri tres libri intermedii agunt diserte asserentes Deum elegisse populum Israel, ut sibi « regnum sacerdotale et gens sancta » (*Exod.* 19,5. 6) esset, ideoque cum eo foedus pepigisse (*Exod.* 24,4 sqq.). Saepius quidem in ultimo, quam in prioribus libris

(cfr *Exod.* 20,6; *Levit.* 19,2 sqq.), interna sanctitas et amor Dei commendantur, at haec frequentia paraenetica Deuteronomii indole satis explicatur. Demum de immediato commercio Dei cum filiis Israel idem, quod *Deut.* 5,20 sqq., traditur *Exod.* 20,18 sq. — Haec autem omnia sunt exempla, quibus nixi diversitatem doctrinarum nonnulli asserunt.

5. — II. « Codicis sacerdotalis » nomine recentissima « criticorum » schola illam Pentateuchi partem intelligit, quam altera opus Elohistae I. aut Annalistae aut « documentum fundamentale » (Grundschrift) appellat, at praedecessoribus suis contradicens eam post exsilium babylonicum exortam esse asserit.

Integro *Levitico* affinibusque *Exodi* (25-31.; 35-40.) et *Numer.* (1-10.; 15.-19.; 25.-36.) capitibus constat atque historicam eius introductionem formant elohistae particulae Geneseos et prioris Exodi, conclusionem autem paucae Deuteronomii et satis multae I. Iosue pericopae. Quo cum iure haec a reliquo Pentateucho separentur, opus non est denuo inquirere, siquidem iisdem fundamentis, quae iam examinavimus, novum quoque systema innititur; inquiramus autem oportet, quo cum iure legislatio haec post exsilium exorta dicatur. Uno solo argumento utuntur novi « critici »; totum cultum in « codice sacerdotali » praescriptum ante exsilium nec observatum nec cognitum fuisse asserunt; quinque autem capitibus, quae ex ordine examini subiiciemus, unicum suum argumentum explicant.

6. — Praeprimis erronee docent, *unitatem loci cultus* in Levitico praescriptam ante exsilium prorsus fuisse incognitam atque « tabernaculum foederis » a iuniore scriptore ad instar templi esse confictum, ut legem de unitate loci cultus a Moyse derivare posset. Certis enim testimoniis constat, « tabernaculum foederis » inde a mosaica aetate usque ad exstructum templum semper pro legitimo centro cultus religiosi esse habitum, post exstructum templum autem montem Sion solum fuisse legitimo cultui destinatum. Lex igitur de unitate loci cultus, etsi certis temporibus minus bene sit observata, immo tempore primorum duorum regum oblivioni fere fuerit data, semper exstitit.

a.) Ut ab antiquioribus temporibus incipiamus, in toto libro Iosue ne levissimum quidem invenitur vestigium sacrificiorum aliis in locis oblatorum; omnia agebantur « coram Domino » ad ostium « tabernaculi foederis », quod fixerat Iosue in Silo (*Ios.* 18,1. 8. 10; 19,51; 22.29). Sed postquam sedem stabilem nactum est tabernaculum, eius forma exterior aliquantulum est mutata; antiqua enim est traditio iudaica in Thalmude conservata (Mischna. Tract. Sebachim 14,6), « in Silo non fuisse contignationem ligneam, sed structuram lapidum inferius, et aulaea superius »; *domus* igitur erat, quae aulaeis contecta speciem *tabernaculi* retinebat; quare utroque nomine « domus Dei » et « tabernaculum foederis » apte appellabatur[1]. Antiqui utique tabernaculi a Moyse exstructi, quod quadraginta annorum peregrinatione procul dubio erat contritum, praeter altare holocaustorum et vasa sacra nihil supererat, nisi rudera et reliquiae; iure tamen silonitica « domus Dei » continuabat antiquum « tabernaculum foederis » eodemque nomine

(1) Hinc etiam *Ios.* 22,29 « tabernaculum foederis » iam vocatur מִשְׁכַּן יי, « *habitatio* Domini »; de eodem enim loco sermonem esse 18,1 et 19,51 et 22,29, luce clarius est.

vocari poterat. — *Iudicum* liber de statu religioso admodum pauca tradit, at in Silo, ubi tabernaculum positum erat, annua festa celebrari videmus (*Iudic.* 21, 19), quia ibi erat « domus Dei » (*Iudic.* 18,31). In eodem tamen libro sacrificiorum aliis in locis oblatorum mentionem fieri fatemur (2,1 sqq.; 6,25 sqq.; 13,9)[2]; sed apparitionibus « Angeli Domini » loci illi erant consecrati atque permittente, immo iubente, Deo legislatore sacrificia ibi offerebantur ac proin legem non violabant. Versus finem aetatis Iudicum tabernaculum semper fuit in Silo, nec aliud isto tempore exstitisse sacrarium neque alium locum sacrificiis legitimis destinatum fuisse, tota narratio de nativitate et pueritia Samuelis clare docet (1 Reg. 1. 2. 3.).

b.) A Samuele autem usque ad templum exstructum res aliter se habuisse videtur. Difficultatem quidem non creant sacrificia Samuelis ipsius (1 Reg. 7. 9. 16.), qui utpote propheta instinctu divino agebat, nec Saulis (1 *Reg.* 14.35) aut Davidis oblationes (2 *Reg.* 24,25), quia in Saulis exercitu illo tempore adfuit arca Domini (1 *Reg.* 14,18) et angeli apparitione consecrata erat area Arcuna. Attamen mos videtur fuisse, ut familiae in domo sua (1 *Reg.* 20,28. 29) vel in praecipua tribuum civitate (2 *Reg.* 15,7. 8) sacrificia offerrent. Quae contra legem fuisse fateamur oportet[3]; ex eo autem, quod lex per certum aliquod tempus non observatur, non sequitur, eam illo tempore non exstitisse; etenim ad maiora mala vitanda superiores aliquando eius observationem forte non urgebant, aut ipsi quoque negligentiae reos se exhibebant.

c.) Quam primum templum erat terminatum, arca Domini et tabernaculum foederis mosaicum in illo reponebantur (3 *Reg.* 8,4), atque ab eo tempore mons Sion factus est centrum religiosum Israelitarum, ut extra templum sacrificare non liceret. Cui asserto nec Eliae aut Elisei, utpote prophetarum, sacrificia recte opponuntur, nec « excelsa », quorum frequens in 3. 4. Regum et 2. Paral. libris fit mentio. Excelsorum enim cultum *pii* reges Asa (2 *Paral.* 14,2), Iosaphat (2 *Paral.* 17,6), Ezechias (4 *Reg.* 18,4; *Is.* 36,7), Iosias (4 *Reg.* 23,8) pro viribus impugnabant et delere studebant, prophetae constanter et vehementer vituperabant (*Is.* 1,29; 17,7. 8; *Mich.* 1,5; *Os.* 4,15; 5,8; *Am.* 3,14; 4,4 etc.). Eosdem autem reges et prophetas una cum sacris poetis semper cultum templi, utpote solum legitimum, promovere et augere videmus. Profecto nec Psalmi multi nec librorum prophetarum textus haud pauci intelliguntur, si ante Iosiam Sion non considerabatur velut centrum religiosi cultus[4].

(2) Huc tamen non spectat *Iudic.* 20,18 sqq., quia illa sacrificia coram arca foederis offerebantur, coram qua, utpote praesentis Dei symbolo, legitime semper sacrificabatur. Attende, a S. Hieronymo in 20,18 verba « hoc est in Silo » perperam esse inserta, uti etiam nomen *Bethel* non erat vertendum (« domus Dei »).

(3) Neque tamen desunt rationes, quibus minor haec fidelitas explicatur. Illo enim tempore arca Domini a tabernaculo foederis erat separata (*Reg.* 4. sqq.), ita ut duo quasi legitima sanctuaria essent in Israel; nam sicuti coram arca, ita etiam coram tabernaculo, coram quo relictum erat altare holocaustorum, legitima sacrificia offerebantur (2 *Paral.* 1,3). Tabernaculum autem locum suum aliquoties mutavit ex Silo in Nobe, deinde in Gabaon translatum (1 *Reg.* 21,1 sqq.; 3 *Reg.* 3,4 sqq.; 2 *Paral.* 1,3), unde animorum incertitudo de sacrificiorum loco facile exorta est. Ad quam augendam accedebat, quod eodem tempore duo aderant summi sacerdotes, quorum unus a maiore Aaronis filio, Eleazaro, alter a minore, Ithamar, genus ducebat (2 *Reg.* 20,25; 3 *Reg.* 2,27; cfr *Fl. Ios.* Antiqu. VIII. 1. 3). Qui status durabat ab Heli, primo summo sacerdote ex Ithamaridis, usque ad Salomonem, qui ultimum ex eadem linea sacerdotio privavit.

(4) Cfr *Ps.* 2,6; 14,1; 9,12; 3,5; 19,3; 64,2; 124,1 etc. etc.; *Is.* 2,1 sqq.; 4,2-6; 8,18; 18,7; 29,1; 30,29; 31,9; 33,20 etc.; *Am.* 1,2; 3,14; 4,4; *Or.* 4,15; 5,8 etc. etc.

7. — *Alterum* obiectionum fontem *leges de sacrificiis* praebent. Nonnulla scilicet prophetarum verba, quibus non sacrificia ipsa, sed animum, quo interdum a Iudaeis offerebantur, vehementer vituperant, male interpretati moderni « critici » ante exsilium leges de sacrificiis non exstitisse concludunt. Atque perversis quoque et arbitrariis interpretationibus nititur oppositio, quam inter cultus historiam et inter ritus sacrificiorum in Pentateucho praescriptos deprehendunt.

Haud pauci sunt textus prophetici, quibus sacrificia Israelitarum condemnantur; at profecto opera illa mere externa, in quibus filii Israel legibus omnibus moralibus conculcatis spem suam ponebant, nec a Deo nec a Moyse erant praescripta et iure merito a prophetis reiiciebantur. Atque idem quoque docet *Ieremias* (7,22), cuius tempore saltem Deuteronomium adfuisse cuncti concedunt, sive eius verba ex hebraeo accuratius reddis : « Non praecepi eis... *propter* (עַל־דִּבְרֵי cfr *Gen.* 12,17 etc.) sacrificia », scilicet ac si illis indigerem et legislatio mea ad illa obtinenda tenderet (cfr *Ps.* 39,7; 49,12 sqq. etc.), sive cum antiquioribus interpretibus dicis, « prophetam loqui comparate, uti *Os.* 6,6, scilicet Deum non praecepisse sacrificia, quia prius et diligentius bonos mores praeceperat, vel quia non praeceperat offerri sibi sacrificia sine bonis moribus » (*Mald.*). — Porro temere asserunt adversarii antiquitus « nec sacrificium sine epulis nec epulas sine sacrificio fuisse » ideoque sacrificia, quae *pacifica* vocantur, praevaluisse, in « sacerdotali codice » autem praevalere *holocausta* iisque addi sacrificia *pro delictis et peccatis*, quae ante exsilium fuerint incognita. Etenim prima sacrificia tantum non omnia vocantur holocausta et epularum cum sacrificiis coniunctarum vix umquam mentio invenitur (*Gen.* 22,1 sqq., *Exod.* 10,25; *Ios.* 8,31; *Iudic.* 6,26; 13,16; 11,31, etc. etc.). Sacrificia pro delictis per Moysen sunt introducta, atque falsum est, ea usque ad esdrinam aetatem, in qua « codex sacerdotalis » confictus esse dicitur, fuisse incognita (cfr *Ps.* 39,7; *Os.* 4,8; *Is.* 53,10 etc.).

8. — Neque rectius *tertio* « codicis sacerdotalis » *leges de festis* cum legislatione deuteronomica et cum historia pugnare asseruntur.

Tria enim festa maiora olim, inquiunt, a Iudaeis eum solum in finem agebantur, ut de inchoata et terminata messe gauderent; in Deuteronomio autem et maxime in « codice sacerdotali » cum exitu ex Aegypto coniunguntur. At argumenta non afferunt, quibus demonstrent, Iudaeos tria illa festa umquam pro mere naturalibus habuisse; quae enim festa ante Moysen celebraverint Israelitae, rationalistae non minus ignorant, quam nos. — Deinde in ceremoniis festorum inveniunt contradictiones; sed post exsilium Iudaei ritus omnes in intermediis libris et in Deuteronomio praescriptos observarunt, ac profecto, quomodo Esdras, quem ultimum Pentateuchi redactorem statuunt adversarii, in codice legum, quae quotannis observandae erant, contradictorias reliquisset? — Demum festa in reliquis libris commemorari negant, ideoque ea nec celebrata nec praescripta fuisse concludunt. Festa, quae ordinario et consueto modo quotannis celebrabantur, in libris historicis rarius commemorari, certum est, sed nihil admirationis habet. Si ex tali silentio quidquam concludere liceret, magnum expiationis diem numquam ante destructum templum exstitisse diceremus; disertum enim eius testimonium non habemus nisi *Hebr.* 9., quae epistola ex « criticorum » sententia exeunte saec. 1. aut ineunte saec. 2. p. Chr. scripta est. Ceterum cfr *Ios.* 5,10; (*Iudic.* 21,19); 2 *Par.* 8,13; 30,1.

9. — *Duo ultima obiectionum capita* de sacerdotibus levitisque agunt. Primis enim reipublicae israeliticae temporibus *sacerdotium* exstitisse negat moderna schola; *aaroniticum* enim sacerdotium usque ad exsilium plane ignotum fuisse et *sacerdotum levitarumque distinctionem* per Ezechielem esse invectam. Quae tria erronee asseri patet, quamprimum historicis libris vel minima auctoritas conceditur eorumque testimonia rite explicantur. Nonnulla praeterea adduntur de sacerdotum levitarumque redditibus, sed tam levia, ut iis immorari opus non sit.

Iudicum regumque tempore omnibus Israelitis ius sacrificandi fuisse, variis testimoniis confirmare volunt adversarii (*Iudic.* 6,25 sqq.; 13,9; 1 *Reg.* 7,9; 10,8 etc.; 13,9; 2 *Reg.* 6,17; 24,25; 3 *Reg.* 8,5. 62 etc.); sed in ipso « codice sacerdotali » duplex sensus voci *sacrificandi* attribuitur; sacrificare enim dicitur quum ille, qui victimam affert, tum ille, qui victimae sanguinem coram Deo effundit (*Lev.* 1,2. 5). Priore sensu omnis Israelita sacrificare potuit et debuit atque « populus cum rege » aut « populus » etc. sacrificasse leguntur; altero sensu ius sacrificandi solis sacerdotibus competebat. Porro Deus, quando Aaronem eiusque posteros ad sacerdotium assumebat, sibi dispensandi potestatem non ademit, ut certis in casibus etiam aliis personis ius sacrificandi proprio sensu concederet. Qui ad haec duo attenderit, testimonia a criticis conquisita facile explicabit. — Sacerdotale munus in Aaronis familia haereditarium fuisse, omnes libri historici clamant. Tempore Iosuae et primorum Iudicum Eleazarus et Phinees, filius et nepos Aaronis fuerunt sacerdotes (*Num.* 26,1; *Deut.* 10,6 etc.; *Ios.* 14,1 etc.; 22,13. 21; 24,33; *Iudic.* 20,28); ab ultima Iudicum aetate usque ad Salomonem sacerdotium fuit penes Heli eiusque filios et posteros (1 *Reg.* 1,3 etc.; 14,3; 21,1; 22,1), quos ab Ithamar, filio Aaronis minore, genus duxisse constat (1 *Par.* 24,3 cfr 1 *Reg.* 22,20 et 14,3; 1 *Reg.* 2,7 sqq.). At Davidis tempore alter quoque nominatur sacerdos Sadoc, filius Achitob, quem solum summo sacerdotio fungi voluit Salomon (2 *Reg.* 8,17; 15,24 sqq.; 20,25; 3 *Reg.* 2,26. 27. 35) et a quo omnes sacerdotes descenderunt, qui usque ad exsilium babylonicum et postea summa dignitate sacerdotali erant ornati (*Ezech.* 44,15); illum autem Aaronitam fuisse, invicte constat ex 1 *Paral.* 6,8. — Levitis demum in omnibus libris inferior conditio, quam sacerdotibus attribuitur. Obvia sunt librorum *Iosue* et *Paralip.* testimonia, neque desunt in aliis libris; cfr 1 *Reg.* 6,15 (« *Levitae* deposuerunt arcam... *Bethsamitae* obtulerunt holocausta »; Bethsames enim erat civitas sacerdotalis *Ios.* 21,13-16), 2 *Reg.* 15,24 sqq., 3 *Reg.* 8,3 sq.; *Is.* 66,21. Ab Ezechiele (44,9 sqq.) autem inferiorem levitarum conditionem is solus derivabit, qui integram legislationem intermediis libris contentam ab Ezechielis prophetica descriptione dependere asserit. At absurde dependentia haec asseritur, siquidem « Ezechielis Thora », ut adversariorum loquendi modum adoptemus, a « codice sacerdotali » quam maxime dissentit; ne ipsum quidem summum sacerdotem nec ullam hierarchiam sacerdotalem commemorat, quamvis hierarchiam illam agnoscant non tantum « codex sacerdotalis », sed etiam libri omnes historici atque ipsi prophetae (*Ierem.* 19,1; 20,1; 29.25. 26); officia autem, quae propheta levitis attribuit (*Ezech.* 44,11. 14; 46,24), ignorat « codex sacerdotalis ». Ceterum si quis omnia illa, quae Ezechiel (40.-48.) in prophetica regni messianici descriptione de sacerdotibus, sacrificiis etc. tradit, sensu literali et proprio intelligere voluerit, etiam illa, quae de mira terrae divisione (45. 48.), de fluvio subter limen templi exeunte (47.) etc. tradit, proprio

sensu intelligat necesse est. « Thora Ezechielis » non minus quam « codex sacerdotalis » mera sunt figmenta rationalistica (cfr *Diss.* VI. § 14,4).

§ 7. — *De Pentateuchi auctoritate.*

1. — Demonstrata mosaica Pentateuchi origine simul etiam demonstrata iam est *auctoritas historica* quatuor ultimorum librorum, in quibus Moyses ea narrat, quae aut ipse gessit aut ipso praesente gesta sunt.

Etenim si profanis scriptoribus res a se aut suo tempore gestas narrantibus fidem non negamus, multo maiore fide dignus censendus est Moyses. Coram illis enim libros suos scripsit et legit, qui aeque atque ipse rerum narratarum testes fuerant aut a patribus suis eas accurate audiverant; is autem illi fuit scribendi finis ut magnis Dei beneficiis propositis filios Israel ad fidelem Legis durae et molestae observationem perduceret, atque ut opus suum esset « in testimonium contra Israel ». Quomodocumque igitur res consideratur, fatendum est, Moysen ne potuisse quidem magna, quae narrat, miracula fingere, si voluisset; ab impostore enim Legem sibi imponi Israelitae non sivissent.

2. — At in Genesi quoque summa est eius auctoritas historica, licet eorum, quae in illa narrantur, testis non fuerit. Praeprimis enim ipsa Moysis persona atque narrationis indoles satis iam testantur, vere historicum opus esse Genesin.

Moyses in ultimis suis libris nobis apparet tamquam legatus divinus, qui singulari modo a Deo electus, conservatus, vocatus populo suo legislationem divinam traderet eumque ad illam observandam erudiret et efficaciter exhortaretur. Legislationi autem suae velut introductionem praemisit Genesin, in qua peculiarem providentiam, qua Deus ab initio creationis humano generi invigilaverat atque Abrahamum eiusque semen, ut in eo omnes gentes benedicerentur, prae ceteris omnibus elegerat, lectoribus suis ante oculos posuit, idque eum in finem, ut populus libentiore animo Legem amplecteretur. Num talis ac tantus vir hisce in conditionibus positus ad hunc finem consequendum fabulas mythosque colligere atque velut certam historiam proponere potuit? Annon potius dicendum est, eum nihil literis mandasse, nisi quod diligentissimis investigationibus verum et certum esse cognoverat? — Iam vero eum ita egisse, docet narrationis indoles.

Narratio in priore parte sobria et ieiuna tum demum copiosior et uberior evadit, ubi auctor ad illa tempora pervenit, quorum certam traditionem facile habere potuit. Ex tota primitiva historia praeter genealogias illos solos eventus narrat, quorum memoria ob eorum gravitatem perire non potuerat (protoparentum lapsum, Caini fratricidium, generis humani corruptionem, diluvium). Neque fusior est in historia temporum, quae diluvium immediate secuta sunt; etenim solam dispersionem generis humani narrat conspectumque populorum tradit ex Noe filiis progenitorum et nudam Abrahami genealogiam. Fuse autem narrat Abrahami, Isaaci, Iacobi eiusque filiorum res gestas. Quam diversa haec narrandi ratio est ab illa, qua ethnici de deorum heroumque suorum fatis et portentis mythicis agunt! Qui umquam chaldaicam creationis et diluvii descriptionem in cuneiformibus monumentis conservatam cum Geneseos descriptione comparaverit, in Genesi veram traditionem conservatam esse, sed arbitrariis figmentis foedatam esse narrationem

chaldaicam fateri cogetur. — Urgere nolumus, quod longaevitate patriarcharum traditiones facilius conservatae sint; nam incerta est primitivorum temporum chronologia, quum solis genealogiis nitatur, in quibus nonnulla membra facile omittuntur et quarum numeri in omnibus textibus differunt. Iure autem addemus, omnibus hodie fatentibus artem scribendi dudum ante Moysis aetatem inventam esse, archivioque in Tell Amarna reperto invicte demonstrari, Moysis tempore eam late propagatam atque, ut ita dicam, in usu communi fuisse. Quare opus non est, ut ex orali sola traditione aut ex nova rerum antiquarum, quas narrat, revelatione eum scientiam hausisse dicamus; nihil enim obstat, quominus eum in scribenda Genesi scriptis fontibus usum esse concedamus. Ex illis igitur non tantum genealogias longiores, sed etiam nonnullas narrationes probabiliter desumsit. Narratio quippe, quae *Gen.* 23. legitur, testem ocularem prodit, atque eiusmodi aliae quoque inveniuntur pericopae in patriarcharum historia.

3. — Alterum argumentum historicae veritatis Geneseos praebet violentum illud bellum, quod a duobus saeculis contra eam geritur. Ut eius auctoritatem convellerent, increduli omnes ex omnibus scientiis arma conquisiverunt, at irriti fuerunt eorum conatus, neque ullius erroris hucusque eam coarguere potuerunt; quin etiam quo accuratius antiquae populorum historiae cognoscuntur, quo plura primitiva monumenta innotescunt, quo diligentius scientiae omnes excoluntur, eo magis historica Geneseos auctoritas confirmatur.

Contra aliarum gentium cosmogonias nemo disputat, quia fabulosas eas esse et ridiculas primo aspectu apparet; contra mosaicam cosmogoniam quam plurimi rerum naturalium peritissimi insurrexerunt, at tantum abest, ut falsam et erroneam eam esse aliquis demonstraverit, ut eam crescente et progrediente scientia confirmari potius quam infirmari non pauci hodie censeant. Omnium hominum ab Adam et Eva originem ante haud multos annos non pauci viri docti declararunt impossibilem; hodie ne unus quidem, qui rebus naturalibus operam impendit, invenietur, qui eam *possibilem* esse negare audeat. Mosaica chronologia saeculo praecedente antiquis Indorum Sinensiumque historiis impugnabatur, atque hoc nostro tempore contra eandem ex instrumentis lapideis, quae in straturis terrae profundis aut in cavernis una cum ossibus animalium, quae hodie disparuerunt, satis multa reperiuntur, arma desumuntur. At de Indorum Sinensiumque fabulis omnes hodie rident, neque ex aliarum gentium historia quidquam *certi* hucusque esse allatum, quod cum mosaica chronologia recte explicata pugnet, prudentiores et sinceriores adversarii fatentur. Quae pauca hoc loco inuisse sufficit, ut clarius pateat, irritum vanumque incredulorum bellum recte pro argumento auctoritatis historicae Geneseos afferri.

4. — De divina Pentateuchi auctoritate, qua omnia illa quoque, quae naturali modo Moyses cognoscere non potuit, extra dubium ponuntur, quidquam addere superfluum est; siquidem invictissima divinae inspirationis argumenta in ipsius Domini N. et Apostolorum disertis testimoniis possidet (cfr § 3,2), atque in continua antiquae Synagogae et christianae Ecclesiae fide.

§ 8. — *De praecipuis commentariis catholicis in Pentateuchum.*

I. Patres orientales. — *Origenis* Fragmenta in omnes libros; homiliae in quatuor posteriores; — *Eusebii Caes.* Praeparatio evang. VII. De Hebraeorum doctrina; VIII. De eorum historia; — S. *Basilii M.* Homiliae novem in Hexaëmeron; — *S. Gregorii Nyss.* in Hexaëmeron explicatio apologetica; De hominis opificio; de Vita Moysis; — *S. Ioannis Chrysost.* Homiliae et sermones in Genesim; — S. Ephraem Syri Commentarius in Pentat. (Opp. syr. I. p. 1 sqq.); — *S. Cyrilli Alex.* de Adoratione in spiritu; Glaphyra; — Theodoreti Quaestiones in Pentateuchum; — *Procopii Gaz.* Comment. in Gen. et fragmenta. — *Nicephori* Catena in Octateuchum et libros Regum (Lipsiae 1772.).

Patres occidentales. — S. *Ambrosii* In Hexaemeron; de paradiso terrestri; de Cain et Abel, etc.; — S. *Hieronymi* Quaestiones hebr. in Genesim; de situ et nominibus locorum hebr.; — *S. Augustini* de Genesi contra Manich.; de Genesi ad literam opus imperfectum; de Genesi ad literam libri duodecim; Quaestiones in Pentateuchum; Locutionum libri quinque in Pentat; — *Rufini* de Benedictionibus patriarcharum; — *Ven. Beda* Hexaëmeron s. libri quatuor in principium Genes.; Comment. in Pentat.; de Tabernaculo et vasibus eius et vestibus sacris; Quaestiones super Pentat; — *Rhabani Mauri* Comment. in Pentateuchum; — *Wal. Strabonis* Glossa ordinaria.

II. Mediae aetatis interpretes. — *Brunonis Ast.* Expositio in Pentat; *Ruperti Tuit.* de SS. Trinitate et operibus eius; — *Hugonis a S. Vict.* Adnotationes elucidatoriae in Pentat.; — *S. Honorii Augustod.* Hexaëmeron; de Decem Plagis Aegypti; — *Petri Abaelardi* Expositio in Hexaëmeron; — *Cardin. Hugonis a S. Charo,* O. Praed., Postilla in Pentat. (Venetiis 1754. I.); — *Nicolai Lyrani,* O. Min., Postilla (Venetiis 1588. I.); — *Alphonsi Tostati* Opera I.-IV. (Venetiis 1728.); — *Dionysii Carthus.* Enarrationes piae ac eruditae in quinque mosaicae legis libros. Coloniae 1548.

III. Recentioris aetatis interpretes. — *Saec.* 16-18. : *Card. Caietani,* O. Praed., Commentarii in quinque mosaicos libros. (Romae 1531.); — *Hier. Oleastri,* O. Praed., Comm. in Pentat. iuxta editionem Santis Pagnini (Olyssipone 1556.). — *Santis Pagnini* O. Praed. Catena argentea in Pentat. (Antwerpiae 1565.); — *Al. Lippomani* Catena in Genesin et Exodum ex auctoribus ecclesiasticis plus minus sexaginta graecis et latinis connexa (Parisiis 1546. 1550.); — *Sim. de Muys* Varia sacra ex variis rabbinis in Pentateuch. (Parisiis 1631. Opp. 1649. vol. 2.); — *Iac. de la Haye* Comm. liter. in Gen. et Exod. (Parisiis 1636. 1641.); — Iac. Bonfrerii S. I. Pentateuchus Moysis commentario illustratus (Antwerpiae 1625.); — *Corn. Iansenii Ypr.* Comm. in quinque ll. Moysis (Lovanii 1639.); — *Claudii Frassenii,* O. Min., Disquisitiones in Pentat. (Rothomagi 1705. Opp. Lucae 1769. II.); — Ben. Pererii S. I. Comm. in Genesim (Romae 1589.); — *G. Hammeri,* O. Praed., Comm. in Genesim (Dilingae 1564.); — *Franc. Sylvii* Comm. in quatuor priores libros Pentat. (Opp. Antwerpiae 1678. VI.); — *Ben. Fernandii* S. I. in Genes. comment. et observationes moral. (Lugduni 1618.); — *Seb. Barradii* S. I. Itinerarium filiorum Israel (Antwerpiae 1612.); — Ioan. Lorini S. I. Comm. in Levit., Numer., Deuter. (Lugduni 1619. 1622. 1625.); — *Petri Serrani* Comm. in Levit. (Antwerpiae 1572.); — *Andr. Masii* Annotationes in Deut. 16.-34. (in Criticis sacris). — Quibus adiungantur oportet tres auctores, qui licet integrum fere V. Testamentum commentariis illustrarint, Pentateucho tamen maiorem dili-

gentiam impenderunt : *Thom. Malvendae*, O. Praed., (Commentarii Lugduni 1650.), Corn. a Lapide (Comm. in Pentat. Antwerpiae 1616.), Aug. Calmet, O. S. Ben., (La Sainte Bible avec commentaire littéral et critique, Paris 1707.; latine per I. D. Mansi. Venetiis 1754.).

Saeculo nostro, praeter eos qui vernaculis suis linguis Scripturas universas scholiis illustraverunt, nullus hucusque interpres catholicus totum Pentateuchum accuratiore commentario instruxit. *Fr. de Hummelauer* S. I. tamen iam quatuor priores libros interpretatus est (Parisiis 1895-99. 3 voll.) et quinti interpretationem mox additurus speratur. Tres priores autem libros *H. I. Crelier* explicavit (Paris 1886-89. 3 voll.) eiusque opus *C. Trochon* duobus reliquis explicatis complevit (Paris 1887-88. 2 voll.). Quibus addere licet opusculum ab *H. Weiss* de Moysis vita conscriptum (Moses und seine Zeit. Freiburg 1885.) egregiasque homilias a *M. Eberhard*, ep. Trev., de variis quinque librorum pericopis habitas (Ed. 3. Freiburg 1897-98). — Solius Geneseos explicationi operam suam impenderunt *Fr. de Schrank* (Comm. lit. in Gen. Sulzbach 1835), *Th. I. Lamy* (Comment. Mechliniae 1883), *A. Tappehorn* (Erklärung. Paderborn 1888), *G. Hoberg* (D. Genesis nach dem Literalsinn. Freiburg 1899).

Multi porro authentiam mosaicamque Pentateuchi originem, obiectionibus dissolutis, egregiis dissertationibus vindicarunt[1], inter quos eminere censemus *B. Welte* (Nachmosaisches im Pentat. Freib. 1841; Vorgebl. Verstösse gegen die hist. Wahrheit im Pentateuch. Tub. Quartalschr. 1851), *W. Smith* (The Pentat. in its authorship. London 1868), *B. Neteler* (Stud. ü. d. Echtheit des Pentat. Münster 1867-72), *L. Reinke* (Beiträge z. Erk. d. A. T. III. V. VIII. Münster 1851-74), *I. Knabenbauer* S. I. (Stimmen aus M. Laach. II. III. Freiburg 1873), *A. Scholz* (Die Aegyptol. u. die BB. Moses. Würzburg 1878), *Fr. I. Selbst* (Katholik 1887. I), *Fr. Vigouroux* (La Bible et les découvertes modernes. Ed. 4. Paris 1881-82, germanice Mainz 1885), *M. Flunk* S. I. (Ztsch. f. kath. Theol. Innsbruch 1885; Kirchenlex. Ed. 2. IX. 1895), *Em. Schöpfer* (Gesch. des A. B. Brixen 1895), *P. Schanz* (Apologie. Ed. 2. II. Freiburg 1897.) etc.

Quamplurimi quoque singulas quasdam pericopas (praesertim de hexaemero, de diluvio, de linguarum confusione etc.) aeque doctis ac fusis dissertationibus explicare conati sunt; quos quum omnes recensere longum sit, illos solos hic nominamus qui de vaticiniis messianicis Pentateuchi interpretandis bene meriti sunt : *F. Herd* (Erkl. d. mess. Weissag. im Pentat. Regensburg 1827), *Fr. X. Patrizi* S. I. (de Gen. 3, 15. Romae 1853; Biblicarum quaestionum decas. Ed. 2. Romae 1877. p. 1-170), *G. Meignan* (Les prophéties mess. du Pentat. Paris 1856), *L. Reinke* (Beiträge II. IV. Münster 1853-55; Die Weissagung Iakobs 1849), *I. Bade* (Christologie. I. Paderborn 1850). *G. K. Mayer* (Die patriarchal. Verheissungen. Nördlingen 1859). *F. Himpel* (Tüb. Quartalschr. 1859-60), *Ph. Krementz* (Das Evang. in d. Genesis. Coblenz 1867), *I. Corluy* S. I. (Spicilegium dogmatico biblicum. Lovanii 1884.).

(1) Defendendae authentiae Pentateuchi ex protestanticis operibus egregie inserviunt *F. H. Ranke* Untersuchungen über den Pentateuch. 1834.-40.; *F. W. Hengstenberg* Die Authentie des Pentateuchs. 1836.-39.; *H. A. C. Haevernick* Spezielle Einleitung in den Pentateuch 1837.; Ed. 2. auxit et retractavit *C. F. Keil* 1856.

CAPUT II.

DE LIBRO IOSUE.

§ 9. — *De libri Iosue argumento, divisione, fine.*

1. — Moyses, quia apud « aquam contradictionis » fiduciam Dei perfectam non conservaverat, una cum fratre suo Aarone in terram promissam ingredi prohibitus est (*Num.* 20,12); sed « ne populus Domini esset sicut oves absque pastore » (*Num.* 27,17), successorem, qui opus inchoatum terminaret, substituere sibi iussus est *Iosuen.*

Cuius nomen antea fuit Osee (הוֹשֵׁעַ, *salus*), sed in electionis signum, ut videtur, mutatum est in *Iosue* (יְהוֹשׁוּעַ, *Iahve est salus*), quod nomen Alexandrini legerunt Ἰησοῦς, *Iesus* (cfr *Act.* 7,45; *Hebr.* 4,8). Pater eius fuit *Nun* (נוּן, pro quo per errorem, ut videtur, librarii sive hebraici sive graeci Alex. legerunt Ναυῆ, It. *Nave*) ex tribu Ephraim. Statim post exitum ex Aegypto sese strenuum exhibuerat belli ducem (*Exod.* 17,9 sqq.); ab eo tempore fidelis minister Moysi adhaerens (*Exod.* 24,13; 33,11 etc.) unus fuerat ex duodecim terrae exploratoribus, atque solus cum Caleb multitudinem exhortatus, ne rebellis fieret contra Dominum, dignus est habitus, qui Palaestinam ingrederetur (*Num.* 14,6 sqq.). Mortuo Moyse « Iosue filius Nun repletus est spiritu sapientiae, quia Moyses posuerat super eum manum suam, et obediverunt ei filii Israel » (*Deut.* 34,9).

2. — Duplex autem negotium successori suo reliquerat Moyses: terra promissa vi erat expugnanda, expugnata inter decem tribus ita distribuenda, ut nulla inter filios Israel exoriretur invidia aut discordia. Quomodo non minore cum fortitudine quam sapientia Iosue duo haec negotia ad felicem exitum perduxerit, narrat liber, qui eius nomine inscriptus est atque pro duplici argumento in duas partes apte distribuitur.

Pars prior (1,1-12,24) *terrae promissae expugnationem narrat.*

1. *Ingressus in Palaestinam* (1,1-5,16). — Iosue a Domino confortatus populum sese praeparare ad occupandam terram iubet (1,1-18); et per duos speculatores, qui a Rahab in Iericho proteguntur, de rerum statu certior factus statim hostes aggredi proponit (2,1-24). Itaque cum populo Iordanem miraculo exsiccatum transgreditur (3,1-77), atque duo monumenta in miraculi memoriam erigit (4,1-24). Circumciduntur Israelitae in Galgala et pascha celebrant; Iosue nova apparitione divina confortatur (5,1-16).
2. *Occupatio terrae promissae ita narratur, ut divinum auxilium clare innotescat* (6,1-12,24). — Iericho magno miraculo capitur et devovetur (6,1-27); propter Achani peccatum autem Israelitae ab incolis Hai vincuntur, neque nisi peccato illo detecto et punito (7,1-26) oppidum istud expugnant (8,1-29). Porro in Sichem progressi Legis promulgatione terram in suam possessionem transiisse manifestant (8,30-35). Gabaonitae dolo

Iosuam adducunt, ut secum foedus ineat sed dolo detecto servituti addicuntur (9,1-27). Quinque reges Amorrhaeorum proelio, in quo Iosue solem stare iussit, devincuntur (10,1-27). Brevi conspectu proponitur expugnatio terrae meridionalis (10,28-43) et septemtrionalis (11,1-23), et terminatur pars enumeratione regum trans Iordanem (12,1-6) devictorum et cis Iordanem (12,7-24).

ALTERA PARS (13,1-12,34) *terrae occupatae distributionem enarrat.*

1. Inter novem et dimidiam tribus terram distribuere iubetur Iosue (13,1-8), quia Ruben, Gad, dimidia Manasse sortes suas trans Iordanem acceperant (13,9-32), Levi autem haereditatem non erat acceptura (13,33).
2. *Distributio terrae transiordanicae* (14,1-19,51) facta secundum Moysis mandata (14,1-5). — Haereditas familiae Caleb et sors tribui Iudae addicta (14,6-15,62); sortes Ephraim et dimidiae Manasse (16,1-17,18); sortes reliquarum tribuum (18,1-19,48) et haereditas Iosuae (19,49-51).
3. *Urbium refugii et civitatum leviticarum designatio* (20,1-22,34). — Cis et trans flumen ternae urbes refugii constituuntur (20,1-9), sacerdotibus autem levitisque quadraginta duae civitates dantur (21,1-42). Completo distributionis negotio dimittuntur tribus transiordanicae (21,43-22,9) et monentur, ne a veri Dei cultu deficiant (22,10-34).

EPILOGUS (23,1-24,33) exhibet ultima Iosuae monita (23,1-16) foederisque renovationem (24,1-28), et relationem de Iosuae morte, de Iosephi ossibus in Sichem tumulatis, de morte Eleazari (24,29-33).

3. — *Finis praecipuus* auctoris is fuit, ut divinam fidelitatem celebraret. Non tantum terram Chanaan Deus Patriarchis iam promiserat promissionemque suam saepius repetierat, sed etiam post Moysis mortem se populo suo speciali semper providentia invigilaturum esse pollicitus erat (*Num.* 27,12 sqq.). Quanta cum fidelitate Dominus has promissiones impleverit, Iosue ostendit.

Quam ob causam ex tota *expugnationis* historia paucos dumtaxat elegit eventus, in quibus miraculoso auxilio Deus providentiam suam specialem manifestaverat (transitum per Iordanem, occupationem Iericho et Hai, victoriam de quinque regibus), reliquorum autem regnorum expugnationem, quae multis expeditionibus facta aliquos annos absumsit, paucis absolvit. Gabaonitarum tamen deditionem etiam fusius describit, quia illa quoque Deum populo suo non defuisse demonstrat; sua enim ipsorum culpa duces populusque effecerant, ut illi a communi sorte Chananaeorum eximerentur. Atque haec quidem in priore parte; altera autem de terrae *distributione* his verbis terminatur : « Dedit Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum iuraverat... *Ne unum quidem verbum, quod illis se praestiturum esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia* » (21,41. 43). Utraque igitur pars fidelem Deum esse in suis promissionibus demonstrat; practicam vero ex hac doctrina conclusionem deducunt duae epilogi conciones. Quae eo tendunt, ut magnis Dei beneficiis in memoriam revocatis divinae fidelitati fidelitatem populi in Lege observanda respondere debere ostendant, nisi poenas gravissimas in se attrahere velint (*Ios.* 23,6). Hac ratione liber Iosue, velut Pentateuchi complementum, etiam est « in testimonium contra Israel ».

§ 10. — *De libri Iosue unitate.*

1. — Eodem modo similesque ob rationes, sicut Pentateuchi, etiam libri Iosue unitatem « critici » negant eiusque originem iisdem (fragmentorum, documentorum etc.) hypothesibus explicant; olim enim librum Iosue cum Pentateucho unum opus (Hexateuchum) constituisse asserunt. At non tantum fundamento historico caret haec sententia, sed ipsa quoque libri indole refutatur. Arcto quidem nexu duo opera inter se cohaerent, siquidem liber Iosue pentateuchicam narrationem continuat et complet; sed suum proprium habet argumentum, suum tractandi modum, suum finem, ita ut a Pentateucho plane sit separandus.

Quam longe Iudaei a Pentateucho et l. Iosue coniungendis abfuerint, clare docet locus, quem operi nostro in canone iam olim assignarunt : solus enim Pentateuchus, velut totius veteris oeconomiae fundamentum, prima canonis parte continetur; l. Iosue autem inter « prophetas priores » in secunda parte primum locum obtinuit. At eius narratione adversarii rem suam evincere conantur. Pentateuchum, quatenus codex legum sit, mosaicarum legislatoris morte apte quidem terminari dicunt, quatenus autem sit opus historicum, eum continuari debuisse usque ad Palaestinae expugnationem et distributionem; descriptionem scilicet praeparationum ad terram expugnandam plane esse superfluam, nisi expeditionis ipsius narratio statim sequatur; neque ullo modo admitti posse, Pentateuchi auctorem, quum Esdrae aetate opus suum terminaret, media in narratione cessasse eamque imperfectam reliquisse. Attamen si daremus, quod falsissimum esse iam demonstravimus, Pentateuchum tempore Esdrae esse compositum, tota adversariorum argumentatio multiplici modo peccaret. Scriptoris enim est definire, quid in opere suo tractare velit, neque umquam intellexit, quem locum Moyses in salutis oeconomia occupat, quicumque eius res gestas solas dignum operis completi argumentum esse negare audeat. Porro si argumentatio ista valeret, eodem cum iure morte Iosuae opus illud apte terminari negaremus; uti enim Pentateuchus animos praeparat ad expugnationem terrae promissae, ita l. Iosue eos praeparat ad reliquam historiam israeliticam. Res tam clara est, ut eiusmodi argumentationem a viris eruditis proferri et repeti merito mireris.

Ceterum dubitari nequit, quin auctor l. Iosue *completum et absolutum conspectum* occupationis et divisionis Palaestinae dare voluerit, idque ut Dei fidelitatem probaret. Nam hanc ob causam ea, quae de Rubenitarum et Gaditarum occupatione terrae transiordanicae iam narrata erant, ipse repetit (*Num.* 32,20 sqq. et *Ios.* 1,12 sqq.; *Num.* 32,33 sqq. et *Ios.* 13,15 sqq.; cfr etiam *Deut.* 4,41 sqq. et *Ios.* 20,8); quae repetitio explicari nequit, si idem auctor Pentateuchum et l. Iosue velut unum opus continuum scripsisse vel redegisse dicitur. Porro fines quoque utriusque operis, licet ambo sint « in testimonium contra Israel » differunt: Pentateuchus enim misericordiam et iustitiam, l. Iosue fidelitatem Dei, celebrat. Demum attende, linguae singularitates Pentateucho proprias a l. Iosue exsulare (cfr § 6,3 p. 200).

2. — Immerito igitur librum Iosue cum Pentateucho coniungunt « critici », atque immerito quoque negata eius unitate multos ei assignant

auctores. Unum enim et completum est eius argumentum, unus eius finis, unus idemque per totum librum sonus atque stylus.

Conqueruntur quidem adversarii, quod aliquae libri narrationes inter se aut cum historia aliunde cognita pugnent, ideoque e variis relationibus opus nostrum ab inepto compilatore esse consarcitum concludunt; at perversis interpretationibus innituntur eorum argumenta. *a.*) « Iosue, inquiunt, omnes Chananaeos exstirpasse totamque terram occupasse narratur (11,16-23; 12,7 sqq.; cfr 21,43 sqq. et 22,4); cui narrationi contradicit status rerum, qui 13,1 sqq. exhibetur multis enumeratis regionibus nondum subiectis (cfr 17,14 sqq.; 18,3; 23,5. 12) ». Sed animadverte, Deum integram terram *statim* Israelitis tradere noluisse, ne in solitudinem verteretur (*Exod.* 23,29. 30; *Deut.* 7,22); Iosue autem « occupavit terram omnem *secundum omnia, quae locutus erat Dominus ad Moysen* » (11,32). Itaque post quinque reges amorrhaeos devictos rapidis expeditionibus per totam terram meridionalem et septemtrionalem omnes quidem Chananaeos terrore perculit, sed nec omnes urbes cepit, nec captas praesidiis munire potuit ad ulteriores expeditiones proficiscens; quare incolae primo Israelitarum incursu eiecti post eorum discessum in pristinas sedes reversi sunt. Ita factum est, ut Caleb urbes Hebron et Debir, a Iosue iam expugnatas (10,36 sqq.; 11,21 sqq.), incolis reversis iterum eripere debuerit (15,13 sqq.), atque facile solvuntur, quae de duplici earumdem civitatum expugnatione obiiciuntur (Asor *Ios.* 11,10 sq. cfr *Iudic.* 4,2 sqq.; Ierusalem, Gazer, Bethel, Dor, Mageddo *Ios.* 12,10. 12. 16. 21. 23 cfr *Ios.* 15,63 et *Iudic.* 1,8. 21; *Ios.* 16,10 et *Iudic.* 1,29. 22; — *Ios.* 16,12 et *Iudic.* 1,17.; Horma et Arad *Ios.* 12,4 cfr *Num.* 21,1 et Iudic., 1,17). — *b.*) « Porro ex variis locis (1, 6; 11,23; 12,7; 13,8; 14,1-5) colligitur, terram aequali modo inter filios Israel esse distributam; attamen postquam Iuda, Ephraim et Manasse sortes suas acceperunt (*Ios.* 15.-17.), totum distributionis negotium abrumpitur atque postea alio in loco (18,1; 19,51) ita recipitur, ut prior distributio in nonnullis mutetur (18,11-19,51) ». Quomodo haec obiectio unitatem libri nostri destruat, nemo dixerit. Procul dubio terra cisiordanica inter tribus aequali modo pro familiarum numero erat dividenda; at hoc negotium in terra fere incognita necdum pacata aut integra subiecta difficillimum erat: sors enim solam terrae regionem tribubus assignandam indicavit, terrae vero extensio definiri non potuit, antequam tribus eam integram occupaverant. Quapropter Iosue, postquam tribui Iuda meridionalem et tribubus Ioseph septemtrionalem regionem assignavit, distributionem interrumpere coactus est. Interea tabernaculum foederis in Silo translatum est, atque reliquae tribus, quum continua bella viderent, quibus Iuda, Ephraim, Manasse territoria sua expugnare debuerunt, desides factae sunt, Iosue autem experientia edoctus alio distributionis modo electo per legatos reliquam terram prius describi ac deinde sortes mitti iussit. Qua terrae integrae exploratione compertum est, Iudam maiorem, quam qua indigebat, partem occupasse ideoque prioris distributionis mutatio quaedam facta est. Omnia igitur plane consonant. — *c.*) « Secundum priorem libri partem (1.-11.) omnes tribus simul duce Iosua Chananaeos debellant, sed aliunde constat, singulas tribus (cfr 17,14 sqq.; *Iudic.* 1,1 sqq.), immo singulas familias (15,13 sqq.), territoria sua occupasse ». Quae obiectio evanescit, si prima terrae incursio, qua omnes hostes terrore perculsi sunt, ab ipsa territoriorum stabili occupatione distinguitur. — *d.*) « Status religiosus tempore Iosuae velut florens describitur (3,3 sqq.; 5,1 sqq.: 8,33; 14,1; 18,1; 21,1 sqq.; 22,10 sqq.); quibuscum pugnat, quod Iosue in ultima sua concione in

idololatriam invehi debuerit (24,23), quam etiam immediate post Iosuae mortem invenimus (*Iudic.* 3,5) ». At haec non pugnare evidens est, quum etiam in populo, qui ob fidelitatem laudari meretur, infideles et scelesti inveniri soleant. — *e.)* Diversos esse libri auctores concludunt nonnulli, quia in historica parte *tribus* vocatur *schebet* (שבט), in geographica *matteh* (מטה), in priore cum Iosua nominentur *principes* et *seniores* velut populi duces, in altera *capita* (vel principes) *familiarum* una cum Eleazaro et Iosua. At hic diversus loquendi modus ex diverso argumento explicatur. Etenim *Eleazarus*, summus sacerdos, quem Moyses primo loco inter eos, qui terram distribuerent, constituerat (*Num.* 34,27), in secunda quidem, sed non in priore libri parte nominari debuit; cum eo nominantur *capita familiarum*, quia terra inter *familias* erat distribuenda; in priore autem parte, quae de bellis agit, cum Iosua duce nominantur *principes* populi. Demum *schebet* designat tribum, quatenus politica unitate et auctoritate pollet (cfr in secunda parte 13,20. 33; 18,2. 4; 21,6 etc.), *matteh* eandem, quatenus in varios ramos et multas familias sese expandit (נמה); hinc adhibetur, ubi de terrae divisione agitur, sed etiam in priore parte 7,1. 18. — *f.)* Deuteronomistae demum manus in libro Iosue deprehenditur; nonnulli enim textus ab eo conscripti (8,30-35; 14,6-15; 22,11-24,8), alii ab eo retractati (1,1-9. 16-18; 3,3; 9,27; 10,12-27) sunt. At auctorem et Deuteronomium et totum Pentateuchum cognovisse omnino concedimus; neque quidquam plus probat similitudo textuum obiectorum.

§ 11. — *De libri Iosue origine.*

1. — De libri Iosue *auctore* etiam inter illos, qui eius unitatem et integritatem agnoscunt, non una est sententia, aliis ipsi Iosuae auctori opus attribuentibus, aliis brevi post eius mortem, aliis non nisi Esdrae aetate illud exortum esse censentibus.

Longe plerique Patres Iosuam auctorem dixerunt, *Theodoretus* tamen erronea codicis sui lectione seductus iuniorem esse auctorem suspicatus est, atque *Ps. Athanasius* nullo allato argumento titulum « liber Iosue » explicat « liber de Iosuae rebus gestis »[1]. Saec. 15. *R. Abarbanel* nonnulla in libro legi putavit, quae morte Iosuae sint recentiora, quare *Tostatus* illum Samueli, anonymus quidam apud Serarium Eleazaro pontifici, *Masius* Esdrae attribuere voluerunt. Inter modernos catholicos etiam plerique, quia res quasdam Iosua recentiores narrari putant, librum ei abiudicant, sed brevi post eius aetatem in hodiernam formam redactum dicunt. Eadem fere in sententia sunt moderni acatholici, qui inspiratum Veteris Test. characterem admittunt.

2. — Qua in sententiarum varietate antiquior illa merito praefertur, quae integrum librum Iosuae auctori attribuit[2]. Etenim ante Davidis ae-

(1) *Theodoret.* In Ios. quaest. 14. legit : « nonne haec scripta sunt *in libro reperto* » (ἐπὶ τὸ βιβλίον τὸ εὑρεθέν *Ios.* 10,13) pro ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς (« in libro iustorum » *Vulg.*), unde concludit, recentiorem scriptorem librum exarasse « ex alio libro capta occasione ».

(2) Evidens est ultimos versus (22,29-33) quibus Iosuae mors narratur, a iuniore scriptore esse additos. Neque glossas nonnullas a recentiore manu insertas esse negamus; non satis purum enim textum libri ad nos venisse, dissensus inter Massor. et Alex. iam docet; ex ipso autem textu hebr. vel vulg. demonstrari potest, nonnulla esse omissa (15,32 etc.), nonnulla addita (19,15. 30 etc.).

tatem eum conscriptum esse, certo constat; auctorem autem, qui rebus narratis praesens adfuerit, tota libri indoles satis clare prodit; neque desunt, quae suadeant, ut Iosuae potius quam alteri eiusdem aetatis viro liber attribuatur, praesertim quum etiam Siracides Iosuam sacris *scriptoribus* adnumerare videatur.

Tempore, quo scriptus est liber, Chananaeus habitabat in Gazer (16,10), Iebusaeus in Ierusalem (15,63), « Sidon magna » principatum tenuit Phoeniciae (19,29), sed ante Salomonis aetatem Aegyptii deleverant Chananaeos in Gazer (3 *Reg.* 9,16), David ipse Iebusaeis eripuit Ierusalem (2 *Reg.* 5,5 sqq.), Tyrus inde a saec. 12. hegemoniam tenuit Phoenicum. Porro Davidis tempore, qui cum Tyriis foedus amicitiae inierat, nullus scriptor israeliticus Phoenices inter populos delendos enumerare potuit (13,6), nec in enumeratione civitatum Iuda omisisset « Ephrata, quae alio nomine vocatur Bethlehem » (cfr *Gen.* 35,16 sqq.; 48,7)[3]. — Ante Davidem igitur scriptus est liber, sed etiam a viro, qui Iosuae aetate vixit. Illam enim aetatem prodit inaequalis descriptio territoriorum singulis tribubus addictorum, quae statui rerum, qui eo tempore fuit, apprime consonat. Tribuum enim Iuda et Beniamin, quae territoria statim occuparunt et Chananaeos ex plerisque civitatibus eiecerunt, fines et oppida accurate enumerantur (15,1 sqq.; 18,11 sqq.); Ephraimitarum autem, qui sortem statim occupare non potuerunt (17,16), soli fines indicantur (16,5 sqq.); aliarum quoque tribuum, prout maiorem minoremve civitatum numerum expugnaverant, territoria magis minusve accurate definiuntur. — Simili ratione pars historica testi coaevo debetur; id enim ostendunt accuratae et perspicuae eius descriptiones (transitus per Iordanem, expugnationis urbis Iericho etc.), colloquia tam accurate relata, ut ipse illis interesse tibi videaris (14,6 sqq.; 15,18 sq.; 17,14 sqq. etc.), et nonnullae dictiones; namque auctor, licet de Israelitis tertia persona utatur, bis tamen quasi sui oblitus prima adhibita se ipsum praesentem fuisse innuit (5,1. 6. *text. hebr.*); praeterea « *usque ad praesentem diem* » *Rahab* in medio Israel habitare (6,29) et *Caleb* Hebronem possidere dicuntur (14,14). — Porro inter Veteris Test. auctores alius non est, qui nostro melius Pentateuchum cognovit, verborum mosaicorum frequentius recordetur, Moysis nomen saepius in ore gerat; unde licet concludere, eum Moysi perfamiliarem fuisse; nemo autem Moysis familiaritate et amicitia magis fruitus est, quam Iosue. Ac profecto Iosue « omnia verba haec in volumine Legis Domini » scripsisse asseritur (24,26); quae expressio, etsi de sola foederis renovatione immediate antea relata explicari per se possit, aptius tamen de toto libro intelligitur, cuius Iosue se auctorem esse testetur. Idque eo magis, quia Siracides Iosuam appellat διάδοχον Μωυσῆ ἐν προφητείαις (*Eccli.* 46,1); sed προφητεῖαι in Prol. Eccli. vocantur *libri prophetarum;* iure igitur asserimus, ab inspirato Eccli. auctore Iosuam *scriptoribus sacris* adnumerari ac proin librum nostrum ei attribui.

3. — Immerito autem nonnullae res post Iosuae mortem gestae in libro Iosue referri dicuntur. Etenim Danitarum expeditio contra Lesem (19,47 cfr *Iudic.* 18,1-31) et occupatio civitatum Hebron et Dabir (15,13-19 cfr *Iudic.* 1,8-16) ultimis Iosuae annis rectius attribuuntur.

(3) Ultimum hoc argumentum omittendum est, si *Ios.* 15,59 lectio alexandrina praefertur, quae *Ephrata* nominat.

Variis quidem argumentis iunior libri origo a nonnullis demonstratur; sed praeter duo facta enuntiata nullum affertur, quod difficultatem creat. Satis frequens enim usus formulae « *usque ad hodiernam diem* » facile explicatur, si Iosuam librum versus finem vitae exarasse dicimus; nam de solis rebus adhibetur, quae saltem viginti annis ante Iosuae mortem acciderunt. — Neque difficilius explicatur allegatio « *libri iustorum* » (סֵפֶר הַיָּשָׁר 10,13); nam liber ille carminum militarium collectio fuisse videtur, cui variis temporibus nova carmina addita sunt (cfr 2 *Reg.* 1,18); itaque si proelium illud, in quo Deus populum magno miraculo adiuvit, immediate postea carmine celebratum est, Iosue profecto viginti vel triginta annis postea illud e libro scripto allegare potuit. — Neque expressio « *mons Iuda et mons Israel* » (11,21) impedit, quominus Iosuae auctori librum attribuamus; nam licet *regna* Iuda et Israel tempore Roboam complete sint separata, dudum antea *tribus* Iuda ita praevaluerat, ut a reliquis « filiis *Israel* » distingueretur (2 *Reg.* 2,9. 17. 28; 19,41; 1 *Reg.* 11,8; 15,14; *Iudic.* 20,18. 19; 1,1. 2). Tribui Iuda, cui singularis promissio data erat (*Gen.* 49,8), in divisione terrae prima sors cecidit, quam statim occupavit reliquis tribubus prope Galgala remanentibus (*Ios.* 15.). Altera sors cecidit tribubus Ephraim et Manasse in parte septemtrionali, ubi cum eis coniunctas invenimus reliquas tribus (18,1). Itaque iam Iosuae tempore populus in duas quasi partes erat divisus, quarum numerosior nomen « filiorum Israel » retinuit; quapropter iam illa aetate nomina *mons Israel* et *mons Iuda* exoriri potuerunt et exorta sunt. — Restat igitur, ut quid de duobus illis factis probabilius sentiendum sit inquiramus.

Quominus *Danitarum expeditio*, licet in libro Iudicum fusius narretur, iam ante Iosuae mortem facta esse dicatur, nihil impedit. Neque enim obstare unicam temporis indicationem, « in illis diebus non fuisse regem in Israel » (*Iudic.* 18,1), clarum est; neque obiici potest, Iosuae aetate non fuisse illum Legis contemtum, quem narratio supponit, siquidem Iosue senex fuit grandaevus, quando distributionis negotium incepit (13,1), ideoque non est mirum, quod viginti illis annis, quibus post inceptam distributionem vixit, res eo pervenire potuerint, ut « unusquisque faceret, quod rectum sibi videbatur « (*Iudic.* 17,6); ex ultima eius concione satis constat, eo iam tempore idololatras in Israel fuisse (24,23). Itaque facile fieri potuit, ut Danitarum pars, quum territorium in australi parte eis assignatum occupare non valerent, iam Iosuae aetate alias sedes in septemtrione sibi quaererent ibique a reliquarum tribuum societate quasi remoti idololatriam publice exercere coepissent.

In narranda *Calebi expeditione* libri Ios. et Iudic. ad verbum fere consonant, ut id maxime sit inquirendum, uter auctor alterius narrationem transcripserit. Procul dubio res gesta est ante Iosuae mortem; Caleb enim, qui senex octoginta annorum territorium sibi promissum magno cum ardore expetiit (*Ios.* 14,6-13), eius expugnationem viginti annis usque post Iosuae mortem differre non potuit. Hebron quoque a Iosua iam facta est civitas refugii (20,7), sed difficile est creditu, eum civitatem hostibus nondum ereptam fugitivis assignasse, qui iram ultoris sanguinis evadere voluerunt. Res igitur a Iosua narrari potuit; iamvero animadvertendum est, in libro Iudic. alia quoque legi, quae fere ad verbum ex libro Ios. descripta sunt (*Iudic.* 2,6-10 cfr *Ios.* 24,28-31), praesumtionem ergo esse contra auctorem l. Iudic., qui ex variis operibus librum suum composuit. Atque profecto *Iudic.* 1,8-20 est digressio quaedam, qua auctor docere voluit, quomodo filiis Iuda regem Adonibesec Ierosolyma adducere licuerit (*Iudic.* 1,7); itaque

Iud. 1,8 de anteriore urbis Ierusalem expugnatione intelligatur oportet, quae etiam *Ios.* 15,63 supponitur. Quare verba 1,8 sqq. vertantur oportet : « oppugnaverant enim filii Iuda Ierusalem et *ceperant* eam » etc.; neque obstat, quod auctor multo plura addat, quae proximo eius fine non requirebantur; id enim in semitica narratione nihil admirationis habet.

4. — Scholion. — *Samaritani* quoque aliquem librum Iosue possident, qui, licet a nostro satis differat, tamen ostendit, antiquissimis canonis partibus nostrum esse adnumerandum.

Integrae terrae duodecim tribuum expugnationem et distributionem continet; ab illis enim incipiens, quae *Num.* 22.-32. de expugnatione regionis transiordanicae narrantur, transit ad cisiordanicae occupationem et distributionem, narrationem libri nostri fere sequens, sed fabellas nonnullas addens. A iuniore deinde scriptore adiecta sunt chronica quaedam, quae Samaritanorum historiam multis fabulis ornatam usque ad Alexandri Severi aetatem perducunt. Quare integro libro inditus est titulus *Chronici Samaritani* (Chronic. samarit. arabice conscriptum, cui titulus est Liber Iosue. Edid. W. I. Iuyuboll. Lugd. Batav. 1848.).

§ 12. — *De libri Iosue auctoritate.*

1. — Quaenam sit libri Iosue *auctoritas historica*, fere otiosum est interrogare, postquam eius authentia demonstrata est. Iosuam enim rerum omnium, quae ipso duce gestae sunt, plenam et perfectam scientiam habuisse non minus est evidens, quam eum veram earum relationem tradere voluisse. At si quis Iosuae ipsi librum abiudicandum esse censeat, auctoris tamen fidem historicam agnoscere indole narrationis cogitur.

Simplici enim modo res omnes eum solum in finem referuntur, ut divina fidelitas clarescat, nec ducis imprudentia (9,14) nec populi defectus (7,1; 24,23 etc.) tacentur. Narratio confirmatur enumeratis monumentis, quae in rerum gestarum memoriam erecta sunt (4,9. 20; 7,26), et adductis testimoniis, quae eo tempore, quo scriptus est liber, superstita fuisse formula « usque in hanc diem » indicat. Res quoque omnes, quae narrantur, publicae erant, integro populo cognitae, cum eius historia intime connexae, ut nec oblivioni dari nec adulterari facile potuerint. Revera tota historia israelitica eum statum rerum supponit, quem a Iosua introductum esse noster liber narrat. Quibus addamus, frequentibus quoque allegationibus iuniorum librorum nostrum confirmari (cfr *Iudic.* 1,12 sqq. et *Ios.* 15, 16 sqq.; — *Iudic.* 1,20 sq. et *Ios.* 15,13. 63; — *Iudic.* 1,27-29 et *Ios.* 17,11 sqq.; 16,10; — *Iudic.* 2,6 sqq. et *Ios.* 24,28 sqq.; — 2 *Reg.* 21,1-9 et *Ios.* 9,3 sqq.; — 3 *Reg.* 14,24 etc.; — *Ps.* 113,1 sqq.; 65,5. 6 et *Ios.* 3; — *Habac.* 3,11 sqq. et *Ios.* 10,13; — *Ps.* 67,55 et *Ios.* 13,6 sq. etc.; — *Eccli.* 46,1-12)[4].

(4) Neque plane desunt testimonia profana, quibus libri narratio confirmatur. *Procopio* (de Bello vand. II. 10) aliisque antiquis scriptoribus testibus saec. 5. prope Tigisin in Numidia duae columnae superstites erant, in quibus punica lingua inscriptum erat : « Nos sumus, qui fugimus a facie Iosuae latronis, filii Nun ». Quidquid de huius inscriptionis authentia est, multae illae et numerosae coloniae, quas inde ab eo tempore, quo Iosue Palaestinam occupasse refertur, Phoenices emittere coeperunt, indirectum testimonium narrationi nostrae ferunt; teste enim *S. Augustino* rustici Africae septem-

2. — *Divinam auctoritatem* libri praeter *SS. Pauli* (*Hebr.* 11,30. 31; 13,5), *Iacobi* (2,25) Stephani (*Act.* 7,45) testimonia demonstrat unanimis antiquae synagogae et Ecclesiae universae consensus, quae eum semper in canone habuerunt. Quibus frustra deistae et rationalistae opposuerunt, bellum a Iosua susceptum narratumque, utpote iniustum et crudele, aptum libri inspirati argumentum non esse.

Qua in obiectione sequaces se exhibent antiquorum Manichaeorum, quos optime iam refutavit *S. Augustinus*, quocum respondemus, Deum totius mundi dominum supremum Palaestinam non tantum patriarchis frequenter promisisse, sed etiam filiis Israel diserte dono dedisse (*Ios.* 1,2) atque Chananaeos deleri iussisse (*Deut.* 7,1 sqq.; 20,16 sqq. etc.); « iussio autem Dei, inquit S. Augustinus, pro lege est » nec eius iussa contemnere licet. Severum vero Dei iudicium contra Chananaeos abominanda eorum idololatria satis explicatur (cfr *Deut.* 9,3 sqq.), at simul quoque misericordem Deum erga eos fuisse docet *Sap.* 12,3 sqq.

§ 13. — *De praecipuis commentariis catholicis in l. Iosue.*

Cum reliquis libris historicis Vet. Test. etiam l. Iosue, quum eius sensus satis patere videretur, antiquiore et moderno tempore paucos tantum invenit interpretes, qui specialem operam in eo explicando ponerent.

I. Inter PATRUM ORIENTALIUM opera huc spectant *Origenis* homiliae viginti sex (allegoricae) in Iosue a Rufino, uti ipse asserit, fideliter in linguam latinam versae; — *S. Ephraem* explanationis fragmenta ex Severi monachi catenis excerpta; — *Theodoreti* quaestiones (viginti) in Iosue; — *Procopii Gazaei* Commentarii (ex antiquiorum Patrum operibus collecti).

Neque plura nobis inter OCCIDENTALIUM PATRUM opera reliqua sunt : nihil enim invenimus nisi *S. Augustini* Locutionum in Heptateuchum lib. VI et Quaestionum in Heptat. lib. IV.; — *S. Isidori Hisp.* Quaestiones in l. Iosue, quae etiam *Ven. Bedae* auctori attribuuntur; — *Rhabani Mauri* in l. Iosue libri tres, — et *Walafridi Strabonis* Glossa ordinaria ex magistri sui opere excerpta.

II. Vix non pauciora tulit MEDIA AETAS; solos enim habemus *Ruperti Tuit.*, O. S. Ben., Commentarios in l. Iosue; — *Hugonis a S. Vict.* Allegoriarum in V. T. librum IV; — et *Alphonsi Tostati* diffusum Commentarium (Opp. Venetiis 1728. V.) praeter Postillas Card. *Hugonis de S. Caro* (Opp. Venetiis 1754. I.), *Nicolai Lyrani* O. Min. (Opp. Venetiis 1588. II.), *Dionysii Carthusiani* (Opp. Coloniae 1533. II.).

III. Maiorem tandem diligentiam interpretes SAEC. 16. 17. 18. in libro Iosue aliisque V. T. historicis commentandis posuerunt. Iis enim praetermissis, qui aut omnes SS. Scripturas aut saltem omnes Vet. Test. libros sive accuratioribus commentariis (uti Card. *Thom. Caietanus* O. Praed., *Thom. Malvenda* O. Praed., *Corn. a Lapide* S. I., *Aug. Calmetus* O. S. Ben.), sive brevioribus scholiis (uti *Emm. Sa* S. I., *Ios. Mariana* S. I., *Iac. Tirinus* S. I., *Steph. Menochius* S. I. etc.) illustrarunt, illis saeculis de l. Iosue bene meriti sunt *Ioan. Ferus* O. Min. (Annotationes in Exod... Ios... Coloniae 1571), *Ben. Arias Montanus* (Iosuae imperatoris historia illustrata et explicata. Antwerpiae 1574), *Nic. Serarius* S. I. (Iosue ab utero ad usque eius tumulum... libris quinque explanatus. Moguntiae 1609 [illegible],

trionalis interrogati, qui essent, non respondebant se esse Poenos aut Phoenices, sed *Chananaeos*.

Cosmas Magallianus S. I. (Comment. Turnon. 1611.), *Fabric. Paulutius* (Comment. Romae 1625.), *H. L. Castaneus* (Exercitationes ad ll. Exod... Ios... Pictavis 1629.), *Iac. Bonfrerius* S. I. (Iosue, Iudices, Ruth commentariis illustrati. Parisiis 1631.), *Hadr. Crommius* S. I. (Paraphrasis in Ios. Iud. etc. Lovanii 1632.), *Emman. Naxera* S. I. (Comment. in Iosue hostilibus redimitum trophaeis etc. Lugduni 1647-52.), *Petr. de Aristazabal* O. Min. (Discursus morales super Iosue. Matriti 1655.), *Henr. Marcellus* S. I. (Comment. in l. Iosue. Herbipoli 1661.), *H. Monterde* (Comment. in ll. Iosue et Ruth. Valentiae 1702.), *Iac. Felibien* (Pentateuchus historicus. s. libri quinque historici Iosue, Iudices etc. cum commentariis ex fonte hebr. etc. collectis. Parisiis 1704.), *I. L. Helbig* (In libros Iosue, Iudicum, Ruth. Coloniae 1717.), *Leop. Mauschberger* S. I. (Comm. in Pentat., ll. Iosue... Olomucii 1757.

IV. Hoc nostro saeculo liber Iosue iterum satis neglectus est. Praeter scholiastas, qui totam Scripturam glossis explicarunt (uti *Ant. Martini* in Italia, *I. F. Allioli* atque *V. Loch* et *W. Reischl* in Germania, *I. B. Glaire* in Gallia, *F. T. Amat* in Hispania etc.) non vidi nisi *Clair* Le livre de Iosue. Introd. crit. et comment. (Paris 1877.). — Egregiis tamen dissertationibus nonnulli authentiam auctoritatemque libri vindicarunt ex quibus nominari merentur *B. Welte* (Parallelstellen in den BB. Iosue u. Richter (Tüb. Quartalschrift 1842. p. 584 sqq.), *Laur. Reinke* (Das Recht der Israeliten an Chanaan; Der Stillstand der Sonne u. des Mondes. Die Ursachen der Textverschiedenheiten. Beitraege I. p. 271 sqq. VIII. p. 213 sqq. 182 sqqu.), ac praesertim *F. Himpel* (Selbständigkeit, Einheit, Glaubwürdigkeit des B. Iosue (Tüb. Quartalschr. 1864.1865.) etc.

CAPUT III.

DE LIBRIS IUDICUM ET RUTH

§ 14. — *De argumento, fine, divisione libri Iudicum.*

1. — « Vocatur hic liber Iudicum, inquit *Ps. Athanasius*, quia post Iosuae mortem Deus populum suum a relictis Chananaeis oppressum per Iudices liberavit; quorum hoc volumine singulorum res gestae et tempus vitae continentur »

Iudices (κριταί, שֹׁפְטִים) in sacra historia viri illi nominantur, qui inde a Iosuae morte usque ad Saulis electionem rempublicam israeliticam administrabant[1], non ordinario munere fungentes aut continua successione sese excipientes, sed pro rerum necessitate certis temporibus immediate a Deo vocati, ut aut integrum populum aut unam alteramve tribum ab iniusta hostium oppressione liberarent atque ad Legis observationem reducerent in eaque confirmarent. Dictatores igitur quidam erant divinitus constituti, sed ex variis familiis et tribubus assumti. Quindecim vel sedecim numerantur hoc ordine : *Othniel* (ex tribu Iuda), *Aod* (Beniamin), *Samgar* (?), [*Iahel?*], *Debbora* (Ephraim), *Barac* (Nephtali), *Gedeon* (Manasse), *Thola* (Iszachar), *Iair* (Gad), *Iephte* (Gad), *Abesan* (Iuda vel Zabulon), *Ahialon* (Zabulon), *Abdon* (Ephraim), *Samson* (Dan), *Heli* et *Samuel* (Levi). Ex quibus soli tres (Othniel, Heli, Samuel) toti populo, reliqui uni tantum vel nonnullis tribubus probabiliter praefuerunt[2]. De his ergo liber noster agit, neque tamen continuam Israelitarum historiam a morte Iosuae usque ad Saulis regnum tradit. Nam duo ultimi iudices (Heli, Samuel) non attinguntur; septem aliorum (Samgar 3, 5, Iahel 5, 6, Thola et Iair 10,1-5, Abesan, Ahialon, Abdon 12,8-15) res gestae non narrantur, et reliquorum quoque historia paucis absolvitur.

2. — *Argumentum* libri ex *fine*, quem auctor sibi proposuit, apte definitur. Qui simili modo, quo fidelitate divina demonstrata Iosue filios Israel in fideli Legis observatione conservare voluit, eandem observationem inculcandam sibi proposuit descripta *divina iustitia*, quae tempore

(1) שָׁפַט (*iudicavit*) latiore sensu de suprema reipublicae administratione adhibetur (1 *Reg.* 8,5; 4 *Reg.* 15,5; etc.), unde *Schophet* (respondens punico *sufes*, pl. *sufetes*) gubernatores vel supremos magistratus interdum designat (*Ps.* 2,10; *Is.* 40, 23 etc.).

(2) *Iahel* (*Iudic.* 5,6) ita cum Samgar nominatur, ut vere Iudex fuisse videatur nec confundi debeat cum muliere cinaea Iahel, quae 4,17 sqq. et 5,24 sqq. nominatur. — *Barac* titulo Iudicis in nostro libro non ornatur, sed 1 *Reg.* 12,11, siquidem illo in loco lectio Alex. et Syr. praeferenda est lectioni Mass. et Vulg. — *Abimelech*, filius Gedeonis, nec Iudex ullibi nominatur, nec ea, quae gessit, Iudice sunt digna. — Non cuncto populo praefuisse Iudices omnes, elucet ex eo, quod in suis exercitibus Debbora et Barac milites sex dumtaxat tribuum cisiordanicarum habuerunt, Gedeon ex solis quatuor septemtrionalibus, Iephte ex solis transiordanicis, quibuscum ipsos quoque Ephraimitas debellare debuit.

Iudicum Israelitas idololatras graviter affligebat, ad Dominum autem reversos adiuvabat hostibus repulsis ac devictis.

In eo enim totus est auctor, ut ostendat, integra Iudicum aetate « alternavisse apud Iudaeos et humilitates laborum pro eorum peccatis et prosperitates consolationum propter miserationem Dei » (*S. August.*). Hunc suum finem esse, in prooemio (2,11 sqq.) diserte docet, atque toto suo tractandi modo indicat, quum singulas partes a peccatis increpandis incipiat, quibus filii Israel calamitatem aliquam sibi attraxerant, et post eorum poenitentiam commemoratam ad eorum liberationem narrandam transeat (3,7 sqq. 12 sqq.; 4,1 sqq.; 6,1 sqq. etc.). Itaque ut contribules suos ab omni Legis violatione absterreret, pro argumento illa facta aetatis Iudicum sibi narranda elegit, quibus divina iustitia in puniendo populo peccante et liberando protegendoque populo poenitentiam agente clarius apparebat.

3. — Praeter prooemium (1,1-3,6) et duas appendices (17,1-18,31; 19,1-21,25) tres partes libri videntur distinguendae pro tribus aetatis Iudicum periodis.

Nonnullos enim Iudices eodem fere tempore in diversis tribubus principatum supremum tenuisse iure admittimus. Namque eodem tempore ab Ammonitis tribus transiordanicas, cisiordanicas autem a Philisthaeis esse vexatas, diserte docet auctor ipse (10,7); quapropter Iephte et Samson ad eandem periodum pertinent eorumque res gestae una, sc. tertia, parte (10,6-16,31) absolvuntur. Gedeonis aetate alter Iudex non videtur fuisse; eius igitur filiique eius Abimelech res ad alteram periodum pertinent et altera parte (6,1-10,5) tractantur. Demum Debbora et Barac septemtrionales tribus a regis Iabin oppressione liberaverunt eo tempore, quo reliqua terra post Moabitarum cladem quievit octoginta annis, ita ut illa, quae 3,7-5,32 narrantur, eadem periodo sint gesta eademque parte prima comprehendantur. Quibus tribus partibus correspondent tres comminationes (2,1 sqq.; 6,1; 10,10 sq.), quibus Deus populum a Legis violatione absterruit. — Appendices autem non chronologice sunt dispositae; Danitarum enim expeditio (17,1-18,31), uti iam diximus (§ 12,3 p. 226), ad Iosuae ultimos annos pertinet, atque Bethlehemitarum crimen et punitionem (19,1-21,25) brevi post Iosuae mortem accidisse evidenter elucet ex 20,28.

4. — Brevi hoc conspectu argumentum et divisio libri clarius innotescunt.

Exordium (1,1-3,6), ut narranda intelligantur, *statum politicum et religiosum, qui aetate Iudicum fuit, generali modo describit finemque libri innuit.*

1. *Conditio politica populi.* Bellum contra Chananaeos post Iosuae mortem ab initio quidem continuatum, sed propter desidiam populi mox intermissum est, ita ut non omnes hostes sint exterminati (1,1-36).
2. *Religiosa conditio populi et finis libri.* Prima comminatio populi idololatriae dediti augetur indicato feliciore statu religioso anteriore atque descripta continua, quae secuta est, idololatriae et poenitentiae alternatione 2,1-23).
3. Utramque particulam comprehendens auctor periculum innuit populo a reliquiis Chananaeorum imminens (3,1-6).

Pars prima (3,7-5,31) *enarrat afflictiones et liberationes primam illam comminationem secutas.*

1. *Chusan regis Mesopotamiae invasio*, postquam poenitentiam egit populus, repellitur ab *Othniel* (3,7-11).
2. *Oppressio moabitica*, a qua poenitentes liberat *Aod* regem dolo occidens (3,12-30).
3. *Philisthaei* sexcenti occiduntur per *Samgar* (3,31).
4. *Ab oppressione regis Iabin* liberantur filii Israel per *Debboram* et *Barac* (4,1-24), qui victoriam magnifico carmine celebrant (5,1-31).

Altera pars (6,1-10,5) de *Gedeon eiusque filio Abimelech*.

1. *Gedeonis victoria de Madianitis* (6,1-8,32). — Populus a Madianitis oppressus ad Deum clamat et per prophetam increpatur (6,1-10). Gedeon autem miraculose vocatus (6,11-40) Madianitas devincit (7,1-8,21); sed ex praeda sibi facit Ephod, quod ipsi et domui eius factum est in ruinam (8. 22-32).
2. *Gedeoni opponitur filius eius Abimelech*, qui regnum sibi usurpans misere perit (8,33-9,57). — Filiis Israel denuo peccantibus (8,33-35) imperat Abimelech occisis fratribus suis (9,1-21), qui rebellantes Sichimitas devincit quidem, sed occiditur a muliere (9,22-57).
3. *Iudices Thola et Iair* (10,1-5).

Tertia pars (10,6-16,31) *de Ammonitarum et Philisthaeorum dominatione*.

1. Populus ab Ammonitis et Philisthaeis oppressus, quum ad Deum clamasset, graviter increpatur (10,6-16).
2. *Bellum contra Ammonitas a Iephte feliciter gestum* (10,17-12,6). — Iephte dux electus Ammonitas frustra ad pacem invitatos devincit (10,17-11,33) victorque reversus filiam suam unicam Deo (perpetua virginitate) sacrificat (11,34-40); Ephraimitas debellare cogitur (12,1-6).
3. Eum sequuntur Iudices *Abesan, Ahialon, Abdon* (12,7-15).
4. *Philisthaeorum oppressionem impugnare incipit Samson* (13,1-16,31). — Qui parentibus per angelum annuntiatus (13,1-25) adolescens multa praeclare contra Philisthaeos egit (14,1-16,3) iisque tandem dolo traditus (16, 4-21) magnum hostium numerum secum occidit (16,22-31).

Appendices duae (17,1-21,24) *docent, quomodo interna quoque reipublicae conditio idololatria et morum corruptione sit pessumdata*.

1. *Appendix prior de idololatria Michae et Danitarum* (17,1-18,31). — Ephraimita quidam Micha sibi fecit idolum, cuius sacerdotem statuit levitam aliquem (17,1-13); sed Danitae novas sibi sedes quaerentes idolum cum eius sacerdote abstulerunt et in novis suis sedibus idololatriam exercuerunt (18,1-31).
2. *Appendix altera de Beniaminitarum crimine et punitione* (19,1-21,24). — Gabaonitae turpissimo crimine indignationem excitant aliarum tribuum (19,1-30); Beniaminitae contribules suos punire nolentes omnes fere exterminantur (20,1-48); paucis reliquiis eorum permissum est, ut ex aliis tribubus uxores sibi raperent (21,1-24).

§ 15. — *De libri Iudicum origine.*

1. — Quamvis res gestas singulorum Iudicum a coaevis scriptoribus literis esse mandatas omnino sit concedendum, eorum tamen commentarii auctori libri Iudicum pro fontibus dumtaxat fuerunt. Tanta enim est libri

Iudicum unitas, ut variis auctoribus aut inepto compilatori attribui nulla ratione possit.

Olim *Dorotheus Tyr.* scribas, quos prope tabernaculum foederis constitutos fuisse coniecit, res singulas eo tempore, quo gestae essent, in libro nostro literis consignasse putavit; *Card. Hugo* vero Iudices ipsos « fata temporis sui scripsisse atque regem Ezechiam eorum scripta in unum volumen compegisse » arbitratus est; quam sententiam teste *Pineda* alii quoque secuti sunt, quoniam S. *Matthaeus* (2,23) textum libri nostri velut « per *prophetas* » dictum attulerit. At nemo, opinor, hodie Evangelistam illo in loco ad nostrum librum respexisse dixerit; unitas autem, quae tum in argumento ipso, tum in eius tractandi modo, tum in partium dispositione et operis fine conspicitur, numquam esset exorta, si eo, quo illi volunt, modo multi auctores per tria fere saecula in eo scribendo occupati fuissent. Diversitatem aliquam styli et linguae in diversis partibus deprehendi fatemur, at haec satis explicatur, si auctorem ex coaevis fontibus ea hausisse dicamus, quae ad finem suum facere iudicabat. Contradictiones vero variasque opiniones religiosas, quibus nixi moderni « critici » pro more suo aut introductionem appendicesque aliis auctoribus attribuere aut integrum librum discerpere volunt, adesse negamus; ac profecto tam levia sunt argumenta, quibus assertiones suas demonstrare conantur, ut illis inhaerere prorsus sit superfluum[1]. Qui exordium a reliquo libro separaverit, lacera et disiecta habebit membra, quae quid sibi velint aut cur uno volumine sint comprehensa, explicare non poterit; in exordio enim theatrum nobis depingitur, in quo res narratae acciderunt, atque vinculum indicatur, quo ad unitatem rediguntur. Tam arcto quidem nexu appendices cum reliquo libro non cohaerent, at fini tamen auctoris ita respondent, ut ab eo ipso additae rectius dicantur; idololatrico enim cultu internisque dissidiis ac morum corruptione perituram fuisse rempublicam israeliticam docent, nisi externorum populorum oppressione ad poenitentiam adducti filii Israel divinam misericordiam efflagitassent.

2. — A quo auctore aut quo tempore liber sit conscriptus, interpretes quam maxime dissentiunt; vix tamen non certum est, primis annis regis Saulis eum esse compositum, atque Iudaeorum Samueli auctori opus attribuentium traditionem, quam *S. Isidorus Hisp.* iam recepit et plerique interpretes saec. 16. et 17., uti etiam haud pauci moderni, secuti sunt, verisimiliorem esse, recte asseritur.

Nihil de auctore aut originis tempore statui posse, censent cum *Tostato* nonnulli; *Masius* et *Rich. Simon* Esdram, *Card. Hugo* regem Ezechiam libri collectorem habuerunt; moderni aliqui Salomonis aetate opus eum in finem compositum esse coniecerunt, ut idololatriae periculum averteret; alii primis Davidis annis illud attribuerunt. Attamen quaestio de tempore hac consideratione definiri videtur :

Quum non semel auctor conqueratur, quod ea aetate, de qua loquitur, rex non fuerit in Israel (17,6; 18,1; 19,1; 21,25), iure concludimus, auctoris tempore

(1) Contradictio inter 1,18 et 3,3 non adest, quoniam urbes a Iuda prius captae quidem sed postea a Philisthaeis recuperatae sunt; neque abundat 3,3, si 1,27 sqq. comparantur, nisi statuas, auctori non licere paucis ea comprehendere, quae fusius iam narravit. Differentiae, quae inter c. 4. et c. 5. inveniuntur, non sunt aliae, nisi quae inter eiusdem rei prosaicam narrationem et poeticam descriptionem intercedere solent. Neque maiore cum iure 6,19-24 cum 6,25-32, aut 7,27-8,3 cum 8,4 sqq., aut 8,21 cum 8,24 sqq. et si quae sunt similia, pugnare dicuntur, quia textus obiecti de diversis rebus agunt.

Israelitas sibi regem iam constituisse. Ante Saulem igitur scriptus non est liber. At auctor ex regii imperii defectu omnia mala, quae aetate Iudicum rempublicam devastabant, atque maxime publicam Danitarum idololatriam internaque dissidia derivat; nondum igitur viderat reges, qui regnum sciderant (Roboam, Ieroboam) aut publicam idololatriam invexerant (Ieroboam) aut eidem aperte faverant (Salomon ultimis regni annis). Accedit, quod Iebusaei ea aetate, qua auctor vixit, partem urbis Ierusalem tenebant et consuetum urbis nomen erat Iebus (1.21; 19,10 sqq.); atqui David a. 7. regni sui cepit arcem Sion et ab eo tempore disparuit nomen Iebus. Inter Saulis ergo initia et a. 7. Davidis scriptus sit liber oportet. — Ex eius demum fine magna cum verisimilitudine colligimus, nec primis septem Davidis nec ultimis Saulis annis eum esse compositum; eo enim tempore ab idololatria absterrendus non erat populus, nam ipse Saul tanta cum severitate Legem restituerat, ut versus finem regni eius vix magus aut hariolus esset in tota terra (1 *Reg.* 28,9). Immo vero ultimis Saulis annis, qui Davidem vi armisque persequebatur, et primis annis Davidis, quibus cum Isboseth ei de throno erat concertandum, auctor etiam vidisset, regio imperio interna populi dissidia non esse sublata. Primis igitur Saulis annis liber recte attribui videtur. Revera illo tempore Samuel in ultima sua concione (1 *Reg.* 12,8-15 cfr *Iudic.* 2,11-23) integrum libri nostri consilium et argumentum quasi delineat, atque omnino probabile est, eum fusius quoque aetatis Iudicum eventus nonnullos in hoc opere collegisse, ut populus clarius videret, « prospera et adversa bellorum alternasse, sicut se habebant et peccata populi et misericordia Domini » (*S. Aug.*).

3. — Unica, quae contra hanc sententiam affertur, difficultas, quod post captivitatem assyriacam liber scriptus esse asseratur (18,30), recta verborum explicatione evanescit.

Duobus enim modis, qui inter se pugnare non possunt, eodem versu tempus definitur, quo Danitae idolum apud se retinuerunt : « usque ad diem captivitatis terrae », « omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo ». Atqui iam Samuelis tempore aut saltem primis Saulis annis « domus Dei » non amplius fuit in Silo, ergo clarum est, « diem captivitatis terrae » de captivitate assyriaca non posse intelligi. Profecto nec Samuel nec Saul nec David publicam Danitarum idololatriam permisissent. Quapropter « captivitatis diem » aut de anteriore quadam captivitate, in quam ultimo Iudicum tempore tribus Dan sit abducta, aut melius de arca Domini per Philisthaeos capta intelligimus. Lege igitur pro יוֹם גְּלוֹת הָאָרֶץ (= dies captivitatis *terrae*) יוֹם גְּלוֹת הָאָרוֹן (dies captivitatis arcae).

§ 16. — *De libri Iudicum auctoritate.*

1. — Libro Iudicum, qui trium circiter saeculorum spatium complectitur, etsi non eadem ratione, qua quatuor posteriores libri mosaici et liber Iosue, auctorem habeat, qui omnibus rebus narratis praesens adfuit, summa tamen competit *auctoritas historica*. Etenim auctori, qui primis Saulis annis scripsit, fontes sinceri sive scripti sive orales non defuerunt, ex quibus certam aetatis Iudicum scientiam hauriret; eum autem sinceris his fontibus, qui plerique a testibus coaevis exarati erant, maxima cum sinceritate esse usum tota operis indoles docet.

Fontibus scriptis usum esse auctorem, clare iam docet linguae stylique variatio, quae inter singulas fere pericopas deprehenditur. Porro canticum Debborae (5, 1 sqq.), parabola Iotham (9,8 sqq.), legatio Iephtae (11,12 sqq.) ex libris transcriptae omnino videntur, atque ex fontibus scriptis etiam multae narrationes (Aodi facinus 3,19 sqq., Gedeonis vocatio 6,11 sqq., occisio Abimelech 9,50 sqq., votum Iephtae 11,29 sqq. etc.) multaque colloquia (Gedeonis cum Madianitis 8, 18 sqq., Michae cum matre sua 17,2 sqq., Danitarum cum levita 18,15 sqq., levitae cum socero 19,8 sqq. etc.) recte derivari arbitramur. Praeter fontes scriptos autem auctori etiam traditio oralis praesto fuit, quae eo facilius pura ad illum pervenire potuit, quia nominibus significantibus (2,5; 4,5; 6,24. 32; 15,19; 18,12. 29) conservabatur atque de rebus gravissimis agebat. Demum nonnullarum rerum auctor testis fere fuerat aequalis; Iephte enim et Samson aequales fuerunt sacerdotis Heli ac proin suppares Samuelis. — Auctorem magna quoque cum sinceritate fontibus esse usum, facile concedet, qui ad eius modum narrandi attentionem converterit. Si fingere voluisset, res gravissimas multas non tam paucis verbis absolvisset. Othniel, primus Iudex, victoria sua quadraginta annos requiei populo procuraverat, sed quatuor versibus auctor oppressionem, poenitentiam, liberationem, quietem narrat. Porro ea, quae de idololatria, corruptione morum, internis dissidiis narrat, virum ostendunt, qui populo suo blandiri noluit; atque finis, quem sibi proposuit, sinceram narrationem postulavit; fictis enim fabulis aut incertis rumoribus populum ab idololatria et vitiis nec revocare nec retinere potuit, sed illis propositis divinae iustitiae poenis et misericordiae beneficiis, quae omnibus cognita dubitationi non relinquebant locum.

2. — Historicam aliquam auctoritatem libro Iudicum competere, etiam rationalistae non plane negant, sed relationes vere historicas ab ultimo operis redactore iuxta certum consilium retractatas mutatasque et fabulis insertis corruptas esse contendunt; maxime autem de chronologia conqueruntur, quam artificiose dicunt confictam, atque de nexu religioso, quo historica rerum auctoritas adulteretur. Chronologiam libri non carere difficultate fatendum est, at artificiose conficta immerito dicitur; nexus quoque religiosus in toto libro reperitur, at eum mendaciter vel arbitrarie rebus esse impositum, falsissimum est.

De fabulis, quas libro insertas dicunt rationalistae, non loquemur; nam fabularum nomine intelligunt miracula ab auctore relata. — Difficultas chronologica haec est. Ab Exodo usque ad templi aedificationem (4. anno Salomonis) numerantur 480 anni (3 *Reg.* 6,1); noster autem liber, si omnes eius numeri computantur, spatium 390 annorum complectitur, quibus si adduntur anni peregrinationis, Iosuae et seniorum (2,7), Heli, Samuelis, Saulis, Davidis, plus 600 anni ab Exodo usque ad 4. a. Salomonis effluxerunt. Ad quam difficultatem explicandam moderni « critici » varia statuerunt systemata, quae in eo fere conveniunt, quod antiquitus tempora generationibus 40 annorum definita esse asserant; ideo in nostro libro aliisque chronologiis biblicis numerum quadragenarium aut eius multipla aut eius partes aequales toties repeti; ultimum vero libri nostri « redactorem », quia haec ignoravit, alios simul numeros, qui nec multipla nec partes aequales quadragenarii sunt, ex alio fonte desumsisse omniaque ita permiscuisse, ut nullam fidem eius chronologia mereatur. At temere, sine ullo fundamento sive scripturistico sive

profano, numerus quadragenarius statuitur cyclicus, atque tota Scriptura clamat, eiusmodi numerum cyclicum sacris scriptoribus fuisse incognitum. Difficultas potius ita est solvenda, ut nonnullos Iudices eodem tempore sed in diversis terrae partibus munere suo functos esse dicamus. Octoginta illis annis, quibus terra meridionalis post Moabitarum cladem quievit (3,30), Iabin terram septemtrionalem opprimere potuit, ut illa non nisi post Debborae victoriam quietem quadraginta annorum invenerit; sexaginta igitur anni disparent (4,3; 5,31). Similiter eodem tempore Ammonitae trans Iordanem et Philisthaei cis Iordanem Israelitas oppresserunt (10,7); Iephte igitur, Abesan, Ahialon et Abdon aequales fuerunt Samsonis et Heli, atque iterum sexaginta anni disparent. Synchronismos autem illos iure admittimus, quoniam auctor *annales* conscribere noluit; *systema* igitur chronologicum in eius libro quaerere non licet, quamvis omnes eius numeri veritati consonent. — Levior ac vix digna refutatione altera est obiectio. Irridetur auctor noster propter artificiosum nexum, quo iterum iterumque eadem serie idololatriam, oppressionem, poenitentiam, liberationem coniunxerit. Auctor scilicet erronee supposuisse dicitur, hostilibus incursionibus semper integrum populum esse afflictum, quamvis una tantum alterave tribus oppressa esset; neque enim illa aetate filios Israel unam rempublicam constituisse, neque eorum res tota illa aetate in peiorem statum semper esse mutatas, sed in meliorem, donec tandem capaces fierent, qui rege electo in perfecti regni formam sese constituerent. Blasphema irrisione, quae praeiudiciis rationalisticis debetur, omissa negamus errores auctori obiectos. Nullibi enim asserit, integrum semper populum ab hostibus esse oppressum; recte autem supponit, etiam Iudicum tempore filios Israel unam rempublicam constituisse, quatenus duodecim tribus Israel iisdem legibus civilibus et religiosis divinitus datis regebantur et uniebantur, etsi non tam arctus esset earum nexus, quam regum aetate. Neque ullibi asserit auctor, peiorem semper factum esse rerum statum, sed eandem semper remansisse docet populi inclinationem ad idololatriam, ut nec severis iudiciis nec beneficiis Dei per longum tempus in Legis observatione retineri potuerit; unde tandem factum est, ut filii Israel clarius cognoscerent, se strenuo gubernio indigere, quo in recta via continerentur. Itaque progressus quidam in libro nostro revera deprehenditur, minime quidem a tribuum divisione ad regni unitatem, sed ab imperfectiore cognitione populi ad perfectiorem, quum suae infirmitatis conscius regem postularet, a quo iuxta Legem Dei iudicaretur.

3. — Libri Iudicum *divinam auctoritatem* semper agnovit antiqua synagoga et Ecclesia. *S. Paulus* ex illo exempla sua eodem modo, quo ex aliis libris, desumsit (*Act.* 13,20; *Hebr.* 11,32); *Siracides* Iudices celebrat, quorum memoria futura sit in benedictione, ad nostrum librum alludens (*Eccli.* 46,13 sqq.), *Isaias* Madianitarum oppressionem et cladem in memoriam revocat (*Is.* 9,4; 10,26 cfr *Iudic.* 7,22. 25), *Psalmistae* non tantum summum eius argumentum paucis comprehendunt, sed nonnulla quoque facta singularia commemorant eiusque verbis utuntur (*Ps.* 82,10 sqq.; 105,34 sqq.; 97,8. 9. cfr *Iudic.* 5,4. 5 etc).

Neque divinitati libri obstat, quod nonnulla narret, quae legibus moralibus non consonant (3,18 sqq.; 4,17 sqq.); de eiusmodi enim factis valet, quod *S. Thomas* de Iudith docet: « quidam commendantur in S. Scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quaedam indebita facienda » (Summa

th. II. 2. qu. 110 a. 3. ad 3). Multo minus contra libri divinitatem pugnant ea, quae de Samsone narrat. Illa enim, quae peccaminosa egit, auctor fideliter quidem refert, sed non approbat; quae vero Deus Samsoni praestitit, ea in populi gratiam dedit, non vero ob Samsonis merita. Ceterum epistola ad Hebr., quae Samsonem inter fidei testes enumerat, eum « se ipsum cum hostibus ruina domus oppressisse docet, quia *Spiritus latenter hoc iusserat*, qui per illum miracula fecerat » (*S. Aug.*). Iephte demum votum multi et egregii interpretes ita explicant, ut eum filiam perpetua virginitate Deo obtulisse dicant.

§ 17. — *De libri Ruth argumento, fine, auctore, indole.*

1. — Pietatis filialis a Deo maximis beneficiis decoratae singulare exemplum constituit libri Ruth argumentum.

« In diebus, quando Iudices praeerant » Elimelech quidam Bethlehemita cum uxore sua Noemi duobusque filiis in Moabitarum terram transmigrare fame coactus est. Filii eius moabiticas uxores duxerunt, Orpham et Ruth; decem autem annis elapsis, quum Elimelech filiique eius morte essent abrepti, Noemi in patriam reverti statuit eamque sola filiali sua pietate permota Ruth secuta est, altera nuru in Moab remanente. Bethlehemi messis tempore egressa Ruth, ut spicas colligeret, ad agrum venit Booz, viri de cognatione Elimelech. A quo benigne recepta per totam messem cum eius ancillis versata est. Terminata autem messe Ruth socrus suae consilio obsecuta a Booz petiit, ut secundum leviratus legem uxorem se duceret; neque abnuit vir, sed quoniam alius quidam in civitate propinquior aderat, coram senioribus rem egit, atque altero iuri suo renuntiante agrum Elimelech sibi vindicavit et Ruth uxorem duxit, ex qua genuit Obed, qui fuit avus David.

2. — Liber Ruth pars quaedam et complementum vel potius tertia appendix libri Iudicum recte appellari videtur; historice enim constat, olim Iudices et Ruth pro uno libro esse habitos, atque libelli ipsius indoles postulat, ut cum l. Iudicum arcte coniungatur.

Origenes, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus diserte testantur, coniunctos olim fuisse duos libros, neque obscure idem innuit Fl. Iosephus. Sed hoc argumento, licet gravissimo, praetermisso ad libri indolem attendamus. Ipsa *formula, qua inchoatur* (« in diebus, quando Iudices praeerant ») similem illam in duabus appendicibus l. Iudicum (« in diebus illis rex non erat in Israel ») in memoriam revocat, simulque manifestat argumentum libri ad aetatem Iudicum pertinere. Porro *scopus* utriusque scripturae idem est vel saltem valde affinis. Eo enim tendit libellus noster, ut ostendat, omnes omnino homines atque illos ipsos, qui a Domino longissime, uti Moabitae (cfr *Deut.* 23,4), abesse creduntur, a Deo non solum non reiici, sed maxima cum caritate recipi et summis beneficiis ornari, quam primum ad eum conversi sub alas eius confugerint. Quamobrem aptissimum est complementum duarum appendicum l. Iudicum; dum enim illae docent, quo tandem idololatria (*Iudic.* 17. 18.) et morum corruptio dissidiaque interna (19.-21.) ipsum populum electum adduxerint, tertia haec appendix demonstrat, quo idololatras ipsos adducat vera pietas et fiducia in Dominum. Optime igitur *Lyranus* iam monuit, « librum Ruth non esse librum distinctum a libro Iudicum »; minus recte autem alii totum finem libri in eo vident, quod genealogiam Davidis, quae in li-

bris Samuel desideratur, voluerit supplere, ac si integer libellus propter quatuor ultimos versus esset conscriptus. A vero demum plane aberrant, qui libellum propter Davidis genealogiam ad II. Samuel trahunt, cum quibus nihil habet commune, aut qui eum ad domum Davidis celebrandam scriptum dicunt, ac si semimoabitica origo domui davidicae apud Iudaeos commendationi fuisset.

3. — Quod si libellus Ruth pro appendice I. Iudicum habendus est, Samuelem eius auctorem esse dicendum patet; revera ei librum attribuerunt antiqui Iudaei, quos cum S. Isidoro Hisp. sequuntur plerique interpretes antiquiores. Neque est dubium, quin haec sententia modernis coniecturis probabilior sit, quibus protestantici maxime interpretes per totam historiam a Davide usque ad aetatem fere machabaicam errant, ut libelli originem explicent.

Ea enim, quibus recentior libri origo demonstrari dicitur, haud difficili negotio infirmantur. Nam quo cum iure nonnulli post Davidis mortem eum conscriptum concludant ex eo, quod genealogia Davidis nomine terminetur, non videmus; rectius dicemus, genealogiam, si Salomonis aut recentioris regis aetate scripta esset, usque ad illos produci debuisse. — Neque magis valet argumentum ex lingua desumtum; quam infirmum enim sit, satis elucet, quum omnes moderni interpretes, sive antiquam sive recentem libri originem demonstrare volunt, ad eam provocent, atque singularitates illas, quas adesse non negamus, alii archaismos, alii neologismos, alii bethlehemismos, alii moabitismos appellent. Neque tamen quidquam, quoniam maxime in colloquiis (1,13; 2,8; 3,3. 4) inveniuntur, demonstrare videntur, nisi auctorem fontem suum in colloquiis transcribendis pressius esse secutum. — Minoris quoque momenti est, quod auctori nomen « propinquioris cognati » incognitum fuisse videatur, siquidem eum « certum aliquem » (פַּלְמוֹנִי אַלְמֹנִי) appellat (3,12; 4,1), quodque morem aliquem olim usitatum (4,7) velut pridem abolitum designet. Etenim inter rem gestam et inter Samuelis ultimos annos saltem integrum saeculum interiacet, atque nomen viri illius forte in ipso auctoris fonte iam erat omissum. — Demum opponitur, librum nostrum, quum Davidis genealogiam tradat, non potuisse scribi, nisi quo tempore iam cognita erat Davidis dignitas. Quae recte sunt dicta, sed contra assertum nostrum male allata; nam Samuelem, qui Davidem regem ungere iussus est de eiusque rebus librum conscripsit (1 *Par.* 29,29), Davidis dignitas non latuit.

4. — De *auctorite historica* libelli Ruth usque ad ultimum hoc saeculum nemo dubitavit; tam sincere et candide enim omnia refert et tam accurate omnia servat, quae locis, temporibus, personis sunt propria, ut fidem ei adhibendam esse omnes sint professi; et quoniam miraculum nullum narrat nec vaticinium, ipsi quoque rationalistae plerique eius auctoritatem admiserunt.

Nostro tamen saeculo ineunte nonnulli eum non tam historicis quam poeticis libris adnumerandum esse proclamarunt; idyllicum poema in eo detexerunt confictum ad leviratus matrimonium commendandum vel ad origines domus davidicae exornandas : nomina enim omnia esse symbolica et ita conficta, ut personarum characteribus consonent (at duarum praecipuarum personarum, Ruth et Booz, nomina quid significent, nemo hucusque cum certitudine definivit); contradictionem adesse inter 1,1 ubi Noemi pristina paupertas, et 1,25, ubi eius pristina opu-

lentia asseratur (ac si sub eodem respectu pauper et dives appelletur); tot virtutibus ornatas esse personas praecipuas, Ruth, Booz, Noemi, ut in rerum veritate in eadem familia maxime tempore Iudicum, si vera illius aetatis descriptio in libro Iudic. traditur, inveniri non potuerint (!); in toto eventu narrato ita omnia concinere et inter se connecti, sicut in fictis poematis, sed non in vera historia fieri solet etc. Eiusmodi ratiunculis nihil effici planum est.

§ 18. — *De praecipuis commentariis catholicis in libros Iudicum et Ruth.*

Iidem fere sunt libri Iosue et librorum Iudicum et Ruth commentatores; hoc loco tamen nominandi inter

I. Patres orientales : *Origenis* fragmenta et homiliae octo; — S. *Ephraem* Commentarius (Opp. syr. I. p. 308 sqq.); — Theodoreti Quaestiones duodetriginta in Iudices et duae in Ruth; *Procopii Gaz.* commentarii.

Patres occidentales : S. *Augustini* Locutionum in Heptat. VII. et Quaestionum VII; — S. *Isidori Hisp.* (vel *Ven. Bedae*) Quaestiones; — *Rhabani Mauri* Commentarius; — *Wal. Strabonis* Glossa ordin.

II. Mediae aetatis interpretes : *Ruperti Tuit.* Comm. in Iudic. et Ruth; — *Hugonis a S. Vict.* Annotationes elucidatoriae; — reliquos cfr § 13 p. 228.

III. Recentioris aetatis interpretes; *saec.* 16.-18 : Nic. Serarii S. I. Iudices et Ruth explanati (Moguntiae 1609.); — *Iac. Bonfrerii* S. I. Comm. (cfr § 13); — *Ben. Ariae Montani* De varia republica seu Comm. in Iudic. (Antwerpiae 1592.); — *Cosmae Magaliani* S. I. In Iudicum historiam explanationes et morales adnotationes (Lugduni 1626.); — *Casp. Villaroel,* O. S. Aug., Iudices comment. literali et aphorismis moral. illustrati (Matriti 1635.); — *Christ. Vegae* S. I. Comment. liter. et mor. in L Iudic. (Lugduni 1671.); — C. Sanctii S. I. Comment. in ll. *Ruth,* Esther etc. (Lugduni 1628.); — *Did. de Celada* S. I. Comment. lit. et mor. in Ruth (Lugduni 1651.); *eiusdem* in Debboram (Lugduni 1673.); — *Marcellini Evangelistae*, O. Min., Expositiones in l. Iudic. (Venetiis 1598.) et in l. Ruth (Florentiae 1584.); — *I. Felibien* et *I. L. Helbig.* cfr § 13; — *I. Khell* S. I. De epocha historiae Ruth (Viennae 1756.).

Hoc nostro saeculo : Clair Les Juges et Ruth (Paris 1878.); — Fr. de Hummelauer S. I. Comm. in Iudic. et Ruth (Paris 1888.); — *B. Welte* Parallestellen in den BB. Iosue u. Richter (Tüb. Quartalschr. 1842. p. 584 sqq.); — *L. Reinke* Das Gelübde Iephte's (Beitraege I. p. 421 sqq.); — *H. Zschokke* Bibl. Frauen (Freiburg 1882. p. 175 sqq.); — *Floeckner* Ueber die Hypothese, dass Simson ein Sonnenheros sei (Tüb. Quartalschr. 1886 et 1887.); — *D. Palmieri* S. I. Actas Iudicum (de Veritate I. Iudith. Galopiae 1886. 145 sqq.).

CAPUT IV.

DE DUOBUS LIBRIS SAMUEL (1. 2. REGUM).

§ 19. — *De librorum Samuel argumento, divisione, fine.*

1. — Quatuor *libri Regum*, qui historiam israeliticam a Philisthaeorum oppressione, qua terminatur liber Iudicum, ad usque 37. a. exsilii Iechoniae perducunt, in canone Iudaeorum duo diversa opera constituunt, quorum prius *Samuel*, alterum *Reges* appellantur.

Quam distinctionem, utpote bonis rationibus nixam (§ 20,1) et a Vulg. approbatam, adoptantes in hoc capite de duobus ll. Samuel, in sequente de (3. 4.) ll. Regum agemus, commentarios autem unica § 25. complectemur, quia plerique interpretes duo opera coniunxerunt. — A Graecis Βασιλειῶν τέσσαρα (βιβλία), a Latinis antiquioribus *Basiliae* aut *Regnorum quatuor*, a iunioribus autem, *Regum libri* nuncupantur; sed in Vulgata duo priores inscribuntur *Liber* 1. (2.) *Samuelis, quem nos* 1. (2.) *Regum dicimus*, et duo ultimi *Liber* 3. (4.) *Regum*, *iuxta Hebraeos* 1. (2.) *Regum*. Nomen priores non ex eo videntur traxisse, quod Samuel eorum auctor crederetur (nam plurima, quae narrant, Samuelis morte sunt recentiora), sed ex eo quod Samuel tota aetate, de qua agunt, primas quasi partes egisset, quia Saul ac David, quorum res gestas narrant, a Samuele uncti erant reges.

2. — *Argumentum* librorum Samuel recte dicitur historia fundationis et confirmationis throni aeterni in domo davidica.

Res israeliticae peccatis populi et segnitie Iudicis Heli in summum discrimen erant adductae, quando Samuel a Deo constitutus est Iudex et propheta, ut periclitantem restitueret rempublicam. A Deo adiutus primum quidem terram a Philisthaeorum oppressione liberavit atque fideli munerum suorum exercitio populum ad Legis observantiam revocavit. Senescens autem populo regem postulanti praefecit Saulem, qui tamen inobedientia sua se ipsum regno indignum demonstravit domumque suam iure regnandi privavit. Quare Samuel Davidem regem ungere iussus est, atque hic « vir iuxta cor Dei » continuis aemuli sui persecutionibus ad regnum praeparatus post Saulis eiusque filii Isboseth mortem ab integro populo rex agnitus a Deo aeterni throni promissionem accepit. Felicibus bellis rempublicam ad summum potestatis fastigium evexit eique fines illos expugnavit, quos olim patriarchis Deus promiserat. In gravia crimina lapsus severe a Deo est punitus praesertim filii sui Absalonis rebellione; sed quia poenitentiam egerat, rebellione devicta in sedem regiam reversus gloriose iterum thronum confirmatum occupavit.

3. — Argumenti et finis ratione habita integrum opus praeter introductionem (I. 1.-7.) et epilogum (II. 21.-24.) in duas partes distribuitur, quarum prior (I. 8.-31.) throni aeterni praeparationem, altera (II. 1.-20.) eiusdem fundationem et confirmationem enarrant.

INTRODUCTIO (I. 1,1-7,17) *vitam adumbrat Samuelis, quo velut instrumento usus est Deus in praeparando et fundando aeterno throno.*

1. *Samuelis nativitas et vocatio* (1,1-3,21). — Filii sui precibus a Deo impetrati et divino servitio consecrati (1,1-28) Anna praedicit ad futurum regem et ad Messiam (i. e. ad aeternum thronum) relationem (2,1-11). Vitiorum filiorum Heli et piae pueritiae Samuelis sequelis contrariis expositis (2,12-36) narratur pueri vocatio ad munus propheticum (3,1-21).
2. *Samuel populi liberator et reformator* ex maximo discrimine, in quod peccatis ruerant (4,1-7,1), liberat Israelitas ad Deum conversos (7,2-17).

PARS PRIOR (I. 8,1-31,17) *praeparationem throni aeterni in domo Davidis permansuri narrat.*

1. *Saulis primi regis electio et reiectio* (8,1-15, 35). — Israelitis regem postulantibus Deus annuens (8,1-22) Saulem designat, qui a Samuele privatim unctus (9,1-10,16) publice inauguratur et post victoriam de Ammonitis relatam ab omnibus agnoscitur (10,17-11,15); quo facto Samuel iudiciario munere se abdicat (12,1-28). Sed propter inobedientiam Saulis in bello philisthaeo primum domus eius reiicitur (13,1-14), deinde quum Dei beneficiis non obstantibus (13,15-14, 52) alterum divinum praeceptum in bello amalecitico esset transgressus, ipse quoque reprobatur (15,1-35).
2. *David Sauli rex suffectus multis aemuli persecutionibus ad thronum occupandum praeparatur* (16,1-31,13). — David per Samuelem privatim unctus (16,1-13) et velut cytharoedus ad Saulem arcessitus (16,15-33) devicto Goliath (17,1-54) in populo claruit sed Saulis invidiam suscitavit (17,55-18,9). Multis igitur insidiis Saul eum persequitur tum in aula regia degentem (18,10-19,17), tum ad Samuelem confugientem et in terra Iuda circumvagantem (19,18-26,25), donec in Philisthaeam sese recipiens David Siceleg occupat (27,1-12). Saul porro, instante bello philisthaeo, per Samuelem evocatum de vicina morte edocetur (28,1-25) et quo tempore David Amalecitas devicit (29,1-30,31), a Philisthaeis prostratus est (31,1-13).

PARS ALTERA (II. 1,1-20,26) *throni aeterni in domo Davidis fundationem et confirmationem narrat.*

1. *Regnum Davidis in Hebron eiusque concertatio cum domo Saulis* (1,1-4, 12). — Saulis interitu defleto (1,1-27) David in Hebron publice inauguratur rex Iuda (2,1-7); sed Isboseth, filius Saulis, Davidi bellum infert (2,8-32), quod terminatur Abnero et Isboseth occisis (3,1-4,12).
2. *Throni aeterni promissione accepta David gloriose regnat ante suum lapsum* (5,1-10,19). — Ab omnibus rex Israel agnitus David in Ierusalem Iebusaeis ereptam transfert regni sedem terramque a Philisthaeorum incursionibus liberat (5,1-25). Deinde arca Domini in montem Sion translata (6,1-23) accipit aeterni throni promissionem (7,1-29), atque felicibus bellis, bona administratione, magnanimitate erga Saulis posteros clarescit (8,1-10,19).
3. *Lapsu suo regnum magno periculo exponit sed poenitentia acta illud confirmat* (11,1-20,26). — De magnis criminibus commissis (11,1-27) gravissime per prophetam increpatus (12,1-12) poenitentiam agit veniaeque acceptae pignus obtinet nativitate Salomonis et victoria de Ammonitis (12, 13-31). Attamen primogenitorum filiorum interitu graves poenas scelerum luit. Primogenitus enim Amnon propter stuprum a fratre Absalom occiditur (13,1-14,32); Absalom ipse contra patrem rebellat (15,1-37) gra-

vissimis iniuriis affligit (16,1-23) atque tandem in proelio victus interficitur (17,1-18,33). Triumphans David Ierusalem revertitur (19,1-43), rebellantes tribus per Ioab ad obedientiam redigit (20,1-22), regni administrationem denuo ordinat (20,23-26).

Epilogus (21,1-24,25) *nonnulla affert, quibus aeterni throni fundatio illustratur*[1].

1. Domus Saulis punitur ob patris crimen (21,1-14).
2. In quatuor bellis philisthaeis David speciali Dei auxilio fruitus est (21,15-22).
3. Cantico petrae (Ps. 17.) gratias agit Deo de liberatione ab hostibus et aeterni throni promissione (22,1-51).
4. Novissimis suis verbis praedicit Messiam, per quem domus sua aeternum sit regnatura (23,1-7).
5. Catalogus heroum iterum innuit speciale auxilium divinum (23,8-39).
6. Propter populi censum punitur rex, sed pestilentia immissa cessat post poenitentiam actam, et rex altare exstruit in area Areuna Iebusitae (24,1-25), i. e. in futuri templi loco.

4. — Simili modo, quo olim Iosue Deum fidelem fuisse ostendit in terra patriarchis promissa filiis Israel danda, auctor librorum Samuel fidelitatem divinam demonstrat descripta aeterni throni promissi fundatione et confirmatione. Reges enim ex semine Abraham et Iacob exorituros Dominus promiserat (*Gen.* 17,6; 35,11), atque tribui Iuda sceptrum pollicitus erat sempiterno duraturum (*Gen.* 49,8 sqq.).

Neque enim id sibi proposuisse auctorem, ut ultimorum Iudicum Heli et Samuel primorumque regum Saulis et Davidis res gestas tantum nobis traderet, luce clarius est. Si istius aetatis historiam scribere voluisset, tot res silentio non praetermisisset, quae ad distinctam temporis illius vel personarum illarum imaginem efformandam scitu prorsus sunt necessariae; at ne id quidem ex opere nostro colligimus, quot fere annis Samuel iudicaverit, Saul regnaverit, aut quis ordo sit rerum sive ab illis sive a Davide gestarum. Neque tamen fontes optimi et copiosi auctori defuerunt, qui tot minutas res diligentissime narravit. Utpote *sacer* auctor aliquas dumtaxat res humanas retulit, quae ad salutis oeconomiam pertinentes

(1) Sex ultimae pericopae magna cum arte dispositae pulcherrimum constituunt epilogum. Etenim tertia et quarta, quae eius quasi sunt centrum et nucleus, divinum auxilium Davidi praestitum aeternique throni promissionem (22,1-51) et dominatorem Messiam, per quem thronus davidicus aeternum sit duraturus (23,1-7), poetice celebrant. Iam vero quatuor reliquae duas has ita circumdant, ut prima ultimae, secunda paenultimae respondeant, duae priores autem tertiam et quartam praeparent, duae posteriores easdem confirment. Revera argumento suo intime cohaerent philisthaea bella (21,15-22) et catalogus heroum (23,8-39), siquidem ostendunt, quomodo Deus magnis viris suscitatis Davidem speciali modo adiuverit et ab hostibus liberaverit. Atque prima quoque et sexta argumento sunt vicinae; de poena enim propter peccatum inflicta agunt; quia Saul ipse peccati poenitentiam non egit, domus eius periit (21,1-15); David autem poenitentia sua veniam peccati invenit sibique et domui suae Deum reconciliavit (24,1-25). Eadem igitur oppositio, quae in toto opere inter Saulem ob inobedientiam reprobatum et inter Davidem propter obedientiam assumtum conspicitur, etiam pericopas epilogi ad unitatem redigit. In prima et ultima indicantur virtutes, quae Davidem beneficiis divinis dignum reddiderunt; in secunda et paenultima describuntur minora beneficia quae accepit, et quibus bene usus ad altiora, ad aeterni throni promissionem, adduci meruit.

altiori fini inserviebant. Quis vero altior, quem sibi proposuit, finis fuerit, integrum opus satis clare manifestat, quippe quod integrum fere agat de Davide, primo rege ex tribu Iuda, divinitus vocato, praeparato, in thronum elevato in eodemque confirmato; de Davide enim non tantum maior prioris libri pars (I. 16.-31.) et integer secundus (II. 1-24) diserte agunt, sed ad eum illa quoque pertinent, quae de Samuele et Saule traduntur; nam Samuelis ministerio populus, ut dignus fieret, qui aeterno sceptro regeretur, est praeparatus et thronus Davidis fundatus, Saulis autem historia docet, non a rege qualicumque, sed a rege, qui sit « secundum cor Dei », promissum sceptrum posse initium habere. Cardo demum totius operis est in aeterni throni promissione Davidi facta (II. 7,11-16), quam exordium innuit (I. 2,10) et epilogus confirmat (II. 22,51; 23,3-5). Itaque iure merito asserere nobis videmur, auctorem divinam fidelitatem celebrare voluisse in aeterni throni erectione. Quae enim Iacob in benedictione sua praedixerat, tribum Iuda primatum inter filios Israel usque ad Messiam habituram, amplissimas victorias praedasque reportaturam, sceptrum Messiae transmittendum accepturam (*Gen.* 49,8 sqq.), ea nondum erant impleta etsi Iuda agmen duxisset in deserto (*Num.* 2,3.9; 10,13) primamque sortem in terrae divisione accepisset (*Ios.* 14,6 sq.); inde autem a Davidis aetate et in eo impleri coepta sunt.

5. — Velut secundarium autem finem auctor id sibi videtur proposuisse, ut in Saule et Davide omnibus regibus israeliticis exempla proponeret, quibus edocerentur, qualem regem Deus populo praeesse vellet.

Saul ab initio, quamdiu per prophetam duci se sivit, omnia feliciter peregit; quamprimum vero Samuelis monita transgressus inconsulto Deo res gerere voluit, quin etiam disertum Dei praeceptum sprevit vanisque excusationibus inobedientiam suam tegere conatus est, a Deo derelictus et reiectus rempublicam summo discrimini obiecit seque et domum suam perdidit. David autem multis et gravibus Saulis persecutionibus non fractus sed eruditus voluntati divinae per prophetas manifestatae semper obedivit, et quum ipse quoque concupiscentia et superbia abreptus in peccata esset lapsus, prophetam fallere non est conatus, sed humiliter poenas denuntiatas accipiens dignum se exhibuit promissione aeterni throni domuique suae sceptrum aeternum acquisivit.

§ 20. — *De librorum Samuel origine.*

1. — Quia Alexandrini libros Samuel et duos ultimos Regum in unum opus contraxerant, cum antiquioribus etiam moderni aliqui unum esse quatuor librorum auctorem opinati sunt. At duo omnino opera a diversis auctoribus exarata distingui debere, eorum narrandi modus dissimilis probat et tempus, quo exorta sunt, confirmat.

Duorum posteriorum librorum auctor plerumque brevem dumtaxat rerum a singulis regibus gestarum conspectum exhibet fontibus indicatis, ex quibus lector plura haurire possit[1]; in prioribus allegationes omnes fontium prorsus desiderantur, et Samuelis, Saulis, Davidis res illae, quas auctor pro fine suo recipere voluit, fuse plerumque narrantur. In posterioribus diligens chronologiae ratio habetur regum aetate regnorumque duratione indicatis; in libris Samuel nec chronologia

(1) Cfr 3 *Reg.* 11,41; 14,19. 29; 15,7. 13 etc. De fontibus istis dicemus § 24.

reperitur nec chronologico ordine pleraeque res sunt dispositae. In 3. et 4. Regum libris auctor de singulis regibus eorumque agendi modo suum iudicium exprimit, atque quisnam sit internus rerum eventuumque nexus, interdum demonstrat; priorum vero auctor suum iudicium vix umquam patefacit, sed aut aliorum sententias historice refert aut lectoribus iudicium relinquit. Quibus adde, in posterioribus linguam esse impuriorem, quam in prioribus. — Iam ad tempus quod attinet, quo exorti sunt, libri 3. 4. Regum, qui historiam usque ad 37. a. exsilii Iechoniae perducunt, ante medium exsilium babylonicum non sunt terminati; at libri Samuel nullum exsilii exhibent vestigium, sed regnum Iuda perdurare supponunt; immo omnia suadent, ut eos brevi post regni scissionem sub rege Roboam scriptos esse dicamus; id quod statim ostendemus.

2. — Librorum Samuel, qui completum opus constituunt[2], *unus* dumtaxat fuit auctor, qui praeter alia praesertim trium prophetarum (Samuelis, Nathan, Gad) scripta (1 *Par.* 29,29) pro fontibus adhibuit.

Samuelem operis integri non esse auctorem, licet id asseratur in *Thalmude* (Baba bathra fr. 14) et similis sententia a S. *Gregorio* (In l. Reg. expos. Proem.) proponatur, luce clarius est, quoniam Samuel dudum ante Saulem et Davidem mortuus est. Neque iunioribus interpretibus assentimur, sive Samuelem res sua aetate gestas conscripsisse, duos alios prophetas reliquas res saulicas et davidicas adiunxisse, sive opus nostrum ex scriptis Samuelis, Gad, Nathan quasi consarcinatum esse putant. Qui enim ad narrandi modum stylumque, ad rerum omnium intimum perpetuumque nexum, ad aptam partium dispositionem, ad finem ex rerum delectu elucentem attenderit, eam deprehendet operis unitatem, quae exoriri non potuisset, si tres libri a diversis scriptoribus diverso tempore conscripti in unum volumen essent coniuncti, aut si tres scriptores sibi succedentes in illo elaborando fuissent occupati. Porro in 1 *Par.* 11.-28. quam plurima de Davidis regno narrantur, quae in nostro opere desiderantur, neque tamen alios sui operis fontes praeter trium prophetarum volumina indicat auctor Paralip.; certum igitur est, prophetica illa scripta non integra in nostris libris contineri, sed auctorem ex eis illa sola selegisse et transcripsisse, quae ad suum finem apta esse iudicavit.

3. — Neque enim ineptus compilator fuit auctor, ut ex diversis fontibus ea transumserit, quae inter se parum consentiant vel pugnent, aut varias eiusdem rei gestae relationes transcripserit, aut diverso, quo utatur, narrandi modo clausulisque inepte receptis se caeco modo alios sequi ab iisque dependere ostenderit. Quae rationalistica assertio perversis tantum aut arbitrariis textuum explicationibus fulcitur.

a.) Omnes textus, quos inter se pugnare censent adversarii, examini subiicere opus non est, quia multi facillime expediuntur. Nulla profecto difficultas est in

(2) Mirantur nonnulli, quod libri Samuel mortem Davidis non narrent, atque in nonnullis codd. graecis 2. Samuel usque ad 3 Reg. 2,10 protrahitur. At erronee hi supponunt, auctorem integram historiam Davidis narrare voluisse; nam ad throni aeterni in domo davidica fundationem mors regis non pertinet. Optime auctor narrationem terminavit illo momento, quo David devictis rebellibus Ierusalem reversus thronum suum vidit confirmatum, atque pro epilogo sex pericopas adiecit, quibus libri argumentum elucidaretur. Ultima autem de sacrificio in area Areuna oblato opus sequens eadem ratione praeparat, qua genealogia Davidis in fine ll. Iudic. et Ruth nostros libros praeparavit.

conciliandis I. 8,5 et 12,12 (variae rationes, ob quas Israelitae regem postulant), aut I. 10,1 cum 10,21 et 11,15 (Saul rex privatim unctus, publice sorte designatus, a toto populo agnitus), aut I. 17,54 et II. 5,9 (*urbs* Ierusalem in potestate Israelitarum, *arx* Iebusaeis per Davidem erepta) et similibus. Graviora haec fere sunt : α.) I. 7,15. Samuel « cunctis diebus vitae suae » filios Israel iudicasse dicitur, sed 8,1 filios suos constituit iudices et 12,1 sqq. munere suo se abdicat. At duplex distinguatur oportet *iudicis* significatio. Samuel, postquam filios suos constituit iudices et multo magis post Saulis electionem *iudicia agere* cessavit, sed *Iudex divinitus constitutus* mansit; velut ad altiorem auctoritatem ad eum confugit David (I. 19,18). — β.) I. 7,13. « humiliati sunt Philisthaei nec apposuerunt, ut venirent in terminos Israel; et facta est manus Dei contra Philisthaeos *cunctis diebus Samuel* »; nihilominus brevi postea Philisthiim iterum sunt in terra Israel (I. 10,5) et opprimunt filios Israel (13,6. 19 etc.). Sed cave, ne in 7,13 primi hemistichii verba cum altero ita coniungas, ut Philisthaei « cunctis diebus Samuel » reversi esse negentur; si enim reversi non essent, manus Domini non potuisset dici fuisse cunctis diebus Samuel contra eos. Reversi non sunt, quamdiu cladis eis inflictae humiliationem senserunt; postea revertentes toto tempore Samuelis experti sunt, contra se esse manum Domini. — γ.) Satis gravis difficultas in conciliandis I. 10,8 cum 11,14 et 13,8 invenitur, quae tamen totius loci nexu explicato evanescit. Saul enim de divina sua electione eventu trium signorum a Samuele praedictorum certior factus ea agere iussus erat, « quaecumque manus eius esset inventura » (10,7). Post publicam igitur eius electionem (10,17 sqq.) sese ei obtulit bellum ammoniticum (11,1 sqq.), quo feliciter terminato ab omnibus agnitus est rex in Galgala (11,12 sqq.). Sed ideo praesertim rex erat creatus, ut a Philisthaeis filios Israel liberaret (9,14); quare immediate post privatam suam unctionem a Samuel edoctus erat, quid imminente bello philisthaeo ei esset agendum; in Galgala scilicet descendens ibi septem diebus Samuelem exspectare debebat, ut ab eo voluntatem divinam audiret (10,8). Quapropter quum post eius inaugurationem Philisthaei bellum movissent, Saul divini mandati memor populum in Galgala convocavit et Samuelem exspectavit (13,3. 4. 8) etc. Apte ergo omnia cohaerent; praeceptum post privatam unctionem datum urgere non coepit nisi exorto bello philisthaeo. — δ.) Gravem difficultatem creare dicitur narratio de initiis Davidis (I. 16,1-18,5), quam etiam catholici nonnulli interpretes ex duabus relationibus coaluisse censent. Quorum opinione transmissa solos rationalistas impugnamus, qui 17,12-31 et 17,54-18,5 cum reliqua narratione pugnare asserunt. Praeprimis monent, ex 16,1-13 cognitos iam esse patrem et fratres Davidis, nihilominus 17,12-16 ita de iis fieri sermonem, ac si prorsus ignoti essent. At repetitio eorum, quae paullo antea dicta sunt, a nostro quidem, sed non ab orientali narrandi modo est aliena; praeterea auctor 17,12 priorem suam narrationem diserte in memoriam revocavit (bene enim vertit S. Hier. textum hebr. « filius viri Ephrataei, *de quo supra dictum est* »), neque repetitionis defuit bona ratio; illo enim momento, quo David futurus rex coram populo prima vice apparet velut persona publica, aptissime eius genus in memoriam vocatur. Porro obiicitur, Davidem, quamvis esset Saulis armiger (16,21) exorto bello domi esse versatum et casu dumtaxat in castra venisse (17,15 sqq.); sed duces israelitici plurimos habebant armigeros (II. 18,15), quapropter Saul Davidis, qui armorum consuetudinem non habebat (17,39) et velut cytharoedus in aula degebat (16,23), ministerio in bello non indigebat. Difficilius utique explicatu est Saulis Abnerique colloquium de Davide, qui eis plane ignotus fuisse videtur (17,54 sqq.); rectam autem explicationem iam indicavit S. *Ephraem* mo-

nens, Saulem, qui victori filiam suam et domui patris libertatem a tributis promiserat, non interrogasse, *quis* ille iuvenis esset, sed *cuius filius* esset. Levis iterum est quarta obiectio, ante bellum Saulem iam petiisse, ut Davidem secum retineret (16,21. 22); nihilominus finito bello iterum narrari, Saulem Davidem secum retinuisse (18,2), nam in altero hoc loco David *semper* cum rege versatus esse dicitur, antea pro occasione et necessitate in aula aut domi degerat (17,15). Neque gravius est, Saulem victori filiam suam promisisse (17,25), de hac autem promissione postea non amplius fieri sermonem, atque Davidem aliis proeliis filiam Saulis sibi meruisse (18,7); etenim ex Scripturae silentio non demonstratur contradictio, et satis facile intelligitur, cur Saul de magnificis suis promissionibus non amplius sit locutus. — ε.) Iterum I. 19,2 sqq. et 20,2 sqq. inter se pugnare dicuntur; rectius autem 20,2 sqq. praecedente pericopa non supposita intelligi negatur. Neque enim 20,2 Ionathan patrem suum insidias Davidi struere negat, sed sperat fore, ut David ab eius hostibus non occidatur; simul vero ad patris iuramentum (19,7) respiciens eaque, quae postea acciderant (19,9 sqq.), aut ignorans aut subito patris furori attribuens, iure asserit, Davidi isto tempore a patre non imminere periculum (20,2).

b.) Quoniam *eiusdem rei diversae relationes* in opere inveniantur, ineptum compilatorem auctorem dicunt adversarii. Iam vero auctorem pro Orientalium more bis terve idem factum referre iis in occasionibus, in quibus nostrates a repetitione abstinuissent, non negamus[3]; at hisce, quibus nec auctoritas nec unitas libri laeditur, non contenti similia facta dicunt eadem esse, ut ineptae compilationis accusationem fulciant. Bis Saulem in Davidem lanceam misisse (I. 18,10 sq. 19,9 sq.), bis Davidem ad regem Achis fugisse (I. 21,10 sqq.; 27,1 sqq.), bis eum Saulis vitae pepercisse (I. 23.29 sqq. et 26,1 sqq.) negant adversarii, neque vident I. 13, 13 de reiectione *domus* Saulis, 15,10 sq. de *ipsius* Saulis reprobatione, aut I. 10, 10 sqq. de origine, 19,23 sq. de confirmatione proverbii agere.

c.) Imperitum compilatorem demonstrari putant *vario narrandi modo clausulisque inepte transumtis*. Conqueruntur scilicet, quod nonnullae minutae res accurate et fuse, maiores autem eventus interdum ieiune et obiter tradantur. Sed auctoris est definire, quae et quomodo singula tradere velit pro fine proposito. Si totam historiam a nativitate Samuelis usque ad mortem Davidis nobis narrare voluisset, de praetermissione multarum rerum etc. iure conquereremur; at hic non eius fuit finis. Brevi conspectu bellorum, quibus David fines regni extendit (II. 8, 1-18), felicem sortem regis a Deo adiuti clarius illustrat, quam si longa narratione omnia bella descripsisset; atque similia de aliis eius modi textibus dici possunt. — Clausulae demum nonnullae revera inveniuntur, sed non ex aliis libris in hoc opus transumtae, sed ab auctore ipso compositae, quibus partes vel particulas eius distingueret (I. 7,15-17; 14,47-52; II. 20,23-26).

4. — Nihil ergo in libris Samuel reperitur, quod negligentem vel imperitum compilatorem prodat; sollertem potius fuisse auctorem, perfecta operis unitas docet. Quis fuerit, ignoratur; ex paucis tamen notulis insertis concludere licet, eum post regni scissionem vixisse. Quum porro argumentum et finis aetati Roboam consonent, prophetae cuidam istius

(3) Ex. gr. I. 25,1 et 28,3 (mors Samuelis), I. 16,1 sqq. et 17.12 sqq. (familia Davidis) etc. Huc non spectant II. 8,16-18 et 20,23-26 (ministri Davidis, nam de diverso tempore agitur), multo minus I. 17,31 sqq. et II. 21,19, quia alter textus est corruptus et adhibito textu 1 *Par.* 20,2 sanandus.

aetatis opus attribuendum censemus, qui initiis regiae dignitatis descriptis docere voluerit, regem et populum a recto tramite aberrasse.

Post Davidem, licet eius mortem non referat, auctorem vixisse, longe plerique interpretes consentiunt, idque recte. Nam loquendi modum aetate Samuelis usitatum explicare debuit (I. 9,9), filiae regis quoque tempore Davidis et tempore auctoris diverso modo vestiebantur (II. 13,8), per alienigenas autem Salomonis uxores novos vestiendi modos esse introductos est probabile. Porro Siceleg in potestate *regum Iuda* usque ad suam aetatem mansisse auctor asserit (I, 27,6); titulus autem *regis Iuda* ante regni scissionem non videtur exortus (Saul, David, Salomon vocabantur *reges Israel*), unde ante Roboam non scripsit. Sed recentioris quoque aetatis vestigium opus non exhibet, immo integrum in Roboami regnum omnino quadrat. Longe maior populi pars eo tempore a domo davidica defecerat, quae ipsa magno in discrimine versabatur. Quid igitur aptius, quam ut illo tempore propheta initiis regiae dignitatis descriptis ostenderet, decem tribus cum novo suo rege ab illo populo iam esse separatas, cui soli promissiones erant factae, neque illarum participes fieri posse, nisi sese iterum domui davidicae adiungerent? Sed quid etiam aptius, quam ut ipsi quoque regi Roboam in Saule ob levitatem et inobedientiam reiecto et in Davide ob fidelitatem et obedientiam exaltato atque etiam post peccata commissa ob poenitentiam in sede regia confirmato duo exempla proponerentur, quibus quid facto opus esset efficacissime edoceretur.

§ 21. — *De librorum Samuel auctoritate.*

1. — Librorum Samuel, etsi nomen auctoris ignoretur neque aetas omnimoda cum certitudine definiatur, magna tamen est *auctoritas historica;* namque optimi et copiosissimi fontes scripti et orales, fide quam maxime digni (libri prophetarum, liber Iustorum, Psalmi davidici etc.) ei praesto fuerunt, ex quibus *certam* rerum narrandarum scientiam haurire potuit, iisque tanto cum veritatis studio usus est, ut vel ipsi rationalistae multi eius auctoritatem agnoscant, pauci tantum ei fidem detrectent, quia arbitrariis eorum assertionibus contradicit.

Primum attende, operis nostri auctorem iisdem, quibus auctorem Paralipomenon, fontibus esse usum[1]. Iamvero tres prophetas, Samuel, Gad, Nathan, res davidicas scripsisse, ex 1 Par. 29,29 constat. Porro omnes facile concedent Samuelem commentarios suos non a Davidis, sed a suis ipsius rebus gestis inchoasse. Praeterea 1 *Paral.* 27,24 commemorantur *fasti regis David* (« verba dierum regis David »), qui num a trium prophetarum libris distinguendi sint, ignoramus (cfr § 24).

(1) Librorum Sam. et Paralip. loci paralleli praecipui sunt :

1 *Reg.* 31,1-13 = 1 *Paral.* 10,1-12.		2 *Reg.* 7,1-8,18 = 1 *Paral.* 17,1-18,17.	
2 *Reg.* 3,2-5 =	3,1-3.	10,1-11 =	19,1-20, 1.
5,1-10 =	11,1-9.	12,26-31 =	20,1-3.
11-25 =	14,1-17.	21,18-22 =	4-8.
6,1-11 =	13,1-14.	23,8-39 =	11,10-47.
12-23 =	15,25-29.	24,1-25 =	21, 1-27.

Accurata textuum comparatio docet, utrumque auctorem iisdem fontibus esse usum, auctorem vero Paralipomenon a nostro opere non dependere.

Atqui eosdem hos libros, qui utpote a prophetis aequalibus aut ab alio teste oculari conscripti omnimodam fidem merebantur, a nostro quoque auctore adhibitos esse, docent multi illi textus, in quibus *ll. Samuel* et 1. *Paral.* ad verbum fere consonant. Elegiam deinde de Saulis et Ionathan morte (II. 1,19 sqq.) ex « libro Iustorum » se transumsisse auctor ait; canticum petrae vero (II. 22, 1-51) ex primo Psalmorum libro (*Ps.* 17.), quem David ipse collegerat, transcripsisse recte dicitur; num Annae canticum (I. 2,1-10) et novissima Davidis verba (II. 23,1-7) ex quadam canticorum collectione, an ex prophetarum libris sint hausta, non liquet. — Demum oralis quoque traditio, qua usus est, fide erat digna : nec Samuelis enim nec primorum duorum regum res praeclare gestae ex Israelitarum memoria dilabi potuerunt, atque ad eas conservandas iuverunt monumenta (I. 6, 18; 7,12), proverbia exorta (I. 10,11; II. 5,8), nomina significantia locis personisque imposita (II. 1,20; 4,21; 7,12; 23,28; II. 2,16; etc.), atque praesertim Psalmi davidici (cfr inscriptiones *Ps.* 3. 17. 33. 50 etc.; argumenta *Ps.* 4. 7. etc.).

Copiosos hos fontes a *perito* scriptore esse adhibitos, supra iam ostendimus. Si quis vero propter numeros nonnullos (I. 6,19; 13,1; II. 10,18 etc.) auctorem aut nimiae credulitatis aut ignorantiae incusare velit, recte quidem accusari librariorum oscitantiam, at non auctoris ignorantiam tenemus, donec contrarium probetur. Nam librarios in numeris describendis saepe errasse, differentiae docent numerorum, qui in variis textibus leguntur (massor., graec., syr., lat.) aut a variis auctoribus omni fide dignis referuntur. — Ceterum auctoris sinceritas ex eo satis elucet, quod ab omni partium studio alienus eodem cum candore omnia referat, sive populo suo aut Samueli aut Sauli aut Davidi etc. vituperationi sunt, sive laudi et honori.

2. — *Divina auctoritas* librorum Samuel solis iam Utriusque Testamenti testimoniis abunde demonstratur.

Dominus N. Pharisaeos interrogans, annon *legerint*, quid fecerit David, quando esuriit etc., atque huic allegationi alteram ex Lege addens clare docet, quo in loco libros nostros habuerit (*Matth.* 12,1 sqq.; cfr 1 *Reg.* 21,6 sqq. et *Num.* 28,9). *S. Paulus* in ep. ad Hebr. textum operis nostri pro fundamento argumentationis suae sumit (*Hebr.* 1,5; cfr 2 *Reg.* 7,14), summum quoque librorum argumentum paucis verbis comprehendit in sua oratione pisidiensi (*Act.* 13, 20 sqq.). Fusius Siracida idem explicat (*Eccli.* 46,16-47,13); ut B. Virgo, ita unus ex iunioribus Psalmistis nonnulla ex Annae cantico imitatur (*Luc.* 2,52 sq. et *Ps.* 112,7 sq. cfr 1 *Reg.* 2,6 sqq.); Ieremias ad nostrum opus non semel respicit (*Ierem.* 23,5 cfr 2 *Reg.* 7,12 et 8,15; *Ierem.* 2,37 cfr 2 *Reg.* 13,19; *Ierem.* 15,1 et 1 *Reg.* 12,19. 23 etc.), atque in ipsis duobus ultimis Regum libris, quos etiam Ieremiae attribuendos censemus, nonnulla ex opere nostro diserte fere citantur (3 *Reg.* 2,27 cfr 1 *Reg.* 2,31 sq.).

CAPUT V.

DE 3. ET 4. LIBRIS REGUM.

§ 22. — *De librorum* 3. 4. *Regum argumento, divisione, fine.*

1. — Quomodo a summo potestatis fastigio, ad quod David eam evexerat, quadringentis circiter annis in profundum calamitatis abyssum delapsa sit respublica israelitica, narrant duo posteriores libri Regum.

Opus hoc Iudaei a primis, quibus inchoatur, vocabulis « *Rex David* » (וְהַמֶּלֶךְ דָּוִיד) aut ab eius argumento *Reges* vel *Regna* appellarunt; per Alexandrinos in antiqua Ecclesia propagatus est titulus « 3. 4. *Regnorum libri* », inde a S. Hieronymi tempore in ecclesia latina praevaluit nomen « 3. 4. *Regum* ». A regno Salomonis exorsus auctor eius splendorem et potestatem describit initiis futuri interitus iam insinuatis; scissione deinde regni narrata historiam utrinsque novi regni usque ad eorum interitum perducit causas, quibus perierint, manifestans. Ne vero promissiones Davidi factae cum regnis interiisse putentur, eas saepius in memoriam revocat et in fine initia laetae sortis futurae indicat.

2. — Ab omnibus fere interpretibus tres operis distinguuntur partes : historia regni uniti et indivisi sub Salomone (III. 1,1-11,43), duorum regnorum Iuda et Israel historia synchrona usque ad septemtrionalis regni interitum (III. 12,1-IV. 17,41), ultima fata regni Iuda usque ad 37. a. captivitatis Iechoniae (IV. 18,1-25,30). Singulae partes in trinas sectiones apte dividuntur.

Pars prima (III. 1,1-11,43) *de Salomonis rebus gestis s. de regno indiviso.*

1. *Salomonis regis inauguratio et confirmatio* (1,1-3,1). — Salomon a patre rex constitutus (1,1-52) eiusque monitis edoctus (2,1-12) thronum adversariis sublatis (2,13-45) filiaque Pharaonis uxore ducta confirmat (3,1).
2. — *Salomonis regnum magnificum ante eius lapsum* (3,2-10,29). — Eius pietatem Dominus dono sapientiae (3,2-28) aliisque beneficiis remuneratur (4,1-34); porro templo exstructo (5, 1-7,51) et consecrato (8, 1-9,15), civitatibus munitis, Chananaeis devictis, expeditionibus maritimis (9,16-28) rex gloriam sibi acquisivit usque ad fines terrae (10,1-29).
3. — *Regis lapsi castigatio* (11,1-43). — Ab uxoribus idololatris seducto praedicitur regni scissio (11,1-13) hostesque suscitantur, inter quos Ieroboam, seissionis auctor (11,14-40). — Salomonis mors (11,41-43).

Pars altera (III. 12,1-IV. 17,41) *synchronisticam historiam regnorum Iuda et Israel tradit.*

1. *Regnorum Iuda et Israel scissio et continuae inimicitiae usque ad Achab* (III. 12,1-16,28). — A Roboam deficientes decem tribus regnum Israel constituunt (12,1-24), cuius primus rex Ieroboam impietate et vitulorum cultu domum suam perdit (12,25-14,20). Primorum regum Iuda Roboam, Abiam, Asa (14,21-15,24) cum regibus Israel Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri continua bella narrantur (15,25-16,28).

2. *Impiae domus Achab regnum in Israel et perniciosa foedera cum domo David* (III. 16,29-IV. 10,17). — Descripta historia regis Achab, cuius tempore floruit Elias propheta (16,29-21,29), narrantur Iosaphati, pii regis Iuda, foedera cum Achab eiusque filiis Ochozia et Ioram atque fata Eliae et Elisei (III. 22,1-IV. 8,15). Ex Iosaphati impio filio Ioram eiusque impia uxore Athalia, filia Achab, natus est impius Ochozias, rex Iuda, qui cum avunculo eius Ioram, rege Israel, interfectus est a Iehu, quem Eliseus unxerat regem Israel (8,16-10,17)

3. *Duorum regnorum nova discidia inde a Iehu et Athaliae tempore* (10,18-17,6). — Iehu propter deletum cultum Baal a Deo benedictus aliis peccatis divinam poenam sibi attrahit (10,18-36). Athaliae, throni davidici usurpatrici, nepos Ioas sceptrum eripit (11,1-12,21). Ioachaz, Ioas, Ieroboam II. in Israel peccata praedecessorum continuant, dum Amasias, rex Iuda, meliorem viam iniit (13,1-14,29). Tempore demum Azariae (Oziae), Ioatham, Achaz, regum Iuda, regnum Iarael intestinis discordiis dilaceratum sub regibus Zacharia, Sellum, Menahem, Phaceia, Phacee, Osee ad interitum ruit atque ab Assyriis destruitur (15,1-17,6).

In *epilogo* huius partis causa ruinae regni septemtrionalis indicatur novusque status terrae ab Assyriis occupatae describitur (17,6-41).

Pars tertia (18,1-25,26) *ultima fata regni Iuda narrat.*

1. *Pii regis Ezechiae regnum felix* (18,1-20,21). — Ezechias idololatriam quidem impugnat ideoque ab invasione assyriaca liberatur (18,1-19,37), sed de thesauris glorianti annuntiatur exsilium (20,1-21).

3. *Regna impiorum regum Manasse et Amon atque pii regis Iosiae* (21.1-23,30). — Manasses et Amon resuscitata idololatria interitum regni accelerant (21,1-26), quem Iosias cultu resuscitato et renovato foedere retardare quidem, sed non impedire potuit in bello aegyptiaco occisus (22,1-23,30).

3. *Ultimi reges Ioachaz, Ioakim, Iechonias (Ioachin), Sedecias* (23,31-25,26) etiam vitiis dediti a Chaldaeis impugnantur et devincuntur; Nabuchodonosor urbe temploque deletis incolas captivos abducit.

Epilogo brevi (25,27-30) Iechonias a. 37. captivitatis ab Evilmerodach liberatus et velut rex honoratus esse narratur.

3. — Iustitiam Dei auctor ex historia regnorum Iuda et Israel demonstrare voluit; reges enim populumque quum peccatis tum maxime illegitimo excelsorum cultu et idololatria, quam prophetarum obiurgationibus spretis promovebant, divinam iram provocasse ac regnum utrumque perdidisse docet. Sicut autem prophetae minas suas spe futurae felicitatis ostentata temperarunt, ipse quoque, ne regnorum interitu divinae promissiones in irritum cecidisse viderentur, frequente earum beneficiorumque, quae ne peccanti quidem populo defuerunt, recordatione tristem suam narrationem temperavit.

Uti reliquos libros historicos V. T., nostros quoque altiorem finem prosequi evidens est consideranti, quam pauca auctor de longo regnorum tempore tradat. Omnes quidem Iuda Israelisque reges nominat, tempore regni indicato, sed plerorumque vitam paucis absolvit, multis gravissimisque rebus, quas ex II. Paralipomenon discimus, silentio praetermissis. In rebus narrandis autem parcissimus diligentissime semper adnotat, quae singulis regibus fuerit vivendi gubernandique

ratio, quae ad Legem habitudo, quae in promovendo veri Dei cultu sollicitudo aut in permittendis illicitis cultibus negligentia vel etiam in promovenda idololatria industria, atque eorum tantum regum rebus diutius immoratur, qui cultu divino aucto (Salomon) vel restituto (Ezechias, Iosias) aut idololatria introducta et promota (Ieroboam I., Achab, Ioram, reges Israel) prae ceteris eminuerunt; accuratius quoque narrat, quid Elias, Eliseus aliique prophetae egerint, ut reges et populum ad Legem reducerent vel in ea retinerent. Quodsi ex hac narrationis indole iure iam colligimus, auctorem describere voluisse, quomodo etiam post introductam regiam dignitatem prosperitas filiorum Israel eorumque reipublicae ab observatione Legis dependerit et ubinam poenarum, quas filii Israel destructis regnis in captivitatem abducti luerunt, vera et ultima causa sit quaerenda, conclusio haec extra omnem dubitationem ponitur longa illa digressione, qua tota narratio interitus regni Israel terminatur et narratio ultimi exitii regni Iuda praeparatur (IV. 17,6-22) : iustam enim iram Dei peccatis idololatriaque Israelitarum provocatam auctor diserte docet esse causam interitus amborum regnorum.

Ita tamen Dei iustitiam in regnorum exitio demonstrat, ut misericordiae simul recordatione animos erigat et ad Legis observationem exhortetur : hinc frequens illa memoria promissionum domui davidicae populoque datarum (III. 2,4. 24; 3,6; 6,12; 8,25 sq.; 9,5 etc.) beneficiorumque, quae peccatis non obstantibus Deus populo largiri non cessavit, quamprimum signum aliquod conversionis in regibus deprehendit; hinc quoque in fine narrationis, quando urbe et templo destructis populoque ex haereditate promissa eiecto omnis spes abscissa esse videbatur, Iechonias e carcere eductus et in thronum elevatus ostenditur, ut nondum omnia esse deperdita appareat. — Non immerito igitur libros hos dicimus perpetuum esse commentarium praeclari vaticinii, quo Deus Davidi aeternum thronum promisit futuramque sortem domus eius adumbravit (2 *Reg.* 7,12-16).

§ 23. — *De librorum* 3. 4. *Regum origine.*

1. — Libri 3. 4. Regum unum et completum constituunt opus.

Unum enim in eis obtinet consilium omniaque, quae in eis narrantur, ad unum finem tendunt; unum quoque est eorum argumentum accuratisque limitibus circumscripta periodus, cuius historiam tradunt; nam a « domus Dei » et « *domus* davidicae » aedificatione exorsi narrationem usque ad « domus Dei » et externi splendoris « domus davidicae » interitum perducunt; unus porro idemque est narrandi modus, quoniam secundum idem schema singula regna ita tractantur, ut iisdem fere verbis uniuscuiusque initium, duratio, finis describantur atque iudicium de singulis regibus eorumque ad Legem habitudine feratur[1]; una demum est eorum lingua; leves autem, quae in nonnullis pericopis deprehenduntur, differentiae ex diversis auctoris fontibus eo magis sunt derivandae, quoniam in iisdem expressiones illae, quas praedilexit, non desiderantur[2].

(1) Quo schemate historia regum *Iuda* tradatur cfr III. 15,1. 2. 7. 8 (Abiam), 15,9-11. 23. 24 (Asa) etc.; schema regum *Israel* in eo maxime differt, quod nomen *matris* regis omittatur et pro regni Iuda fastis fasti regni Israel allegentur.

(2) Linguae proprietatibus praesertim distingui dicuntur III. 1. et IV. 4. 8.; sed animadverte, in III. 1. nomini Davidis semper praefigi titulum *regis* (« rex David » 1,1. 13. 28 31. 32. 37. 38. 43. 47), id quod usitatissimum est in nostris libris (« rex Salomon », « rex

2. — Hinc merito reiicitur sententia quum eorum, qui libros 3. 4. Regum aut partem esse censent magni operis, quod olim libros Iosue, Iudicum, Samuel simul complectens historiam israeliticam ab occupatione Palaestinae usque ad exsilium babylonicum perduxerit, tum eorum, qui libros hos dicunt indigestam compilationem ex variis libris coagulatam aut opus a variis scriptoribus scriptum, auctum, retractatum.

Libri 3. 4. Regum narrationem prioris operis, morte Davidis narrata, utique continuant ac saepe quoque ad illam respiciunt[2]; at hinc nihil sequitur nisi auctorem ll. Regum prius opus cognitum habuisse. — Alterius porro sententiae argumenta pleraque non indigent refutatione (ex. gr. pericopas quasdam vere quidem esse historicas, alias autem [sc. quia miracula referunt] mythicas; aut alia accurate narrari et alia obiter tangi; aut easdem res bis terve narrari, etc.). Quare pauca tantum explicabimus, quibus obiectis adversarii simul historicam librorum auctoritatem convellere conantur.

Atque praeprimis *nonnulla non satis inter se cohaerere dicuntur. a.*) Formula « *usque ad hanc diem* » de rebus adhibetur eo tempore, quo scriptum est opus, non amplius superstitibus (III. 8,8; 9,21; 12,19; IV. 8,22). Respondent multi, auctorem eadem ratione, qua Paralipomenon scriptor, hanc formulam ex fontibus suis, *quos alleyat,* transumsisse. Melius alii ex illa formula deducunt, opus hoc, etsi non ante medium exsilium sit terminatum, tamen iam ante destructum templum esse inchoatum (cfr infra 3.). — *b.*) Thersa innuitur fuisse sedes regia Ieroboam (III. 14,17), quamvis inter eius sedes (12,25) non nominetur. Clarum est, Ieroboamum versus vitae finem prioribus relictis aliam sedem sibi eligere potuisse. — *c.*) Licet III. 18,22 et 19,10. 14 *omnes* prophetae praeter Eliam occisi dicantur, tamen 20,13. 22. 28. 35 et 22,8 *copia* prophetarum apparet. At nec in prioribus textibus de *omnibus* prophetis occisis, nec in aliis de *copia* sermo est; ceterum si id concederetur, sufficit difficultatis solutio indicata *Rom.* 11,4, nisi quis dicere malit, Deum alios prophetas in occisorum locum suscitasse. — *d.*) Solus Naboth ab Achab occisus narratur (III. 21.13), sed IV. 9,26 etiam filii Naboth occisi dicuntur. Idque recte, quia filiorum mors etiam in priore loco innuitur; secus enim Achab haereditatem eorum occupare non potuisset. — *e.*) Achab gravissime vituperatur, quod regi Benadad pepercerit (III. 20,42), quamvis eum occidere non esset iussus; similiter Elias Hazaelem regem Syriae, Iehu regem Israel, Eliseum prophetam ungere iubetur, atque Eliseum reliquias servorum Baal interemturum esse praedicitur (III. 19,15-17), quae omnia non sunt facta. Facta scilicet esse negantur ab adversariis, quae diserte non sunt scripta.

Alia inter se pugnare dicuntur. Salomon « de filiis Israel non constituisse *servire* quemquam » asseritur (III. 9,22), sed 11,28 nominatur praefectus super « *opera servilia* » domus Ioseph. At verbis ludunt adversarii; nam סֵבֶל (11,28) laborem *molestum* aut *tributum* significat, sed non *servitutem;* auctor accurate distinguit inter מַס (5,27) i. e. operarios liberos certo anni tempore laboribus ad-

Roboam » etc.), rarum in aliis. Aramaismis nonnullis distinguuntur IV. 4. 8.; esto, sed iisdem in pericopis propheta Eliseus frequenter appellatur « vir Dei » (4,9. 16. 21. 22. 25. 27; 8,2. 4), qui titulus in integris libris Samuel *quinquies* tantum, in integris Paralipomenis *sexies*, in nostris autem libris *quinquagies ter* adhibetur etc.

(3) Cfr ex. gr. III. 2,5. 32 et II. 3,27; 20,10; — III. 2,8 et II. 16,5. 19; — III. 2,26 sq. et I. 2,30 sqq.; — III. 5,5 et II. 7,13; — III. 6,12 et II. 7,13. 16 etc.

dictos et מֵם עֹבֵד (9,14) i. e. servos. — Elias praedicit, canes lambituros esse sanguinem Achab *in agro Naboth* (III. 21,19), sed id *in Samaria* factum est (III. 22,38) et cadaver filii eius Ioram proiectum est in agrum Naboth (IV. 9,15 sq.). At *locum*, in quo *Achab* poenam luiturus sit, textus hebr. tacet; qui vero versionem lat. et graec. sequi voluerit, respondebit, « Deum propter poenitentiam Achab de acerbitate poenae aliquid remisisse » (*Sanct.*)

De duplicibus eiusdem rei relationibus (IV. 8,28 et 9,14. 16; — IV. 13, 12 sq. et 14, 15 sq.) aut de laxiore, qui obiicitur, nexu dicere superfluum est. Nam haec, etiamsi iure obiicerentur, neque unitatem neque auctoritatem operis destruerent.

3. — Quia libri Regum de fine exsilii tacent, annum 37. autem captivitatis Iechoniae nominant, plerique eos ante finitum, sed post medium exsilium terminatos iure tenent. Porro quia auctor statum rerum, qui ante regni excidium fuit, velut superstitem interdum commemorat (cfr III. 8, 8; 9, 21; 12, 19; IV. 8, 22) et antiqua traditio opus Ieremiae auctori attribuit, recte dici videtur, prophetam illud ante regni interitum iam inchoasse, sed post exaltationem Iechoniae addito epilogo terminasse.

Operis nostri auctorem Ieremiam esse omnia suadent. Id iam notatu dignum est, in libris nostris, licet res prophetarum diligenter narrent, Ieremiam non nominari, cuius summam fuisse in rebus politicis auctoritatem ex eius vaticiniis et II. Paralip. constat. Totus quoque prophetiae Ieremiae liber in eo est, ut Deum in regni Iuda excidio iustum fuisse doceat; fine ergo cum nostro opere consonat. Magna porro in utroque opere est similitudo styli, iidemque adsunt modi dicendi, eadem locutionum pentateuchicarum frequentia[4]. Vaticinia demum terminantur et confirmantur narratione eadem historica, qua nostrum opus clauditur (*Ier.* 52, 1-34; 4 *Reg.* 24, 18-25,30); atqui id facilius explicatur, si utrumque opus eidem auctori attribuitur, quam si auctor noster eam, *fonte suo non indicato*, ex Ieremiae prophetia desumsisse aut aliena manus eam Ieremiae vaticiniis adiunxisse asseritur.

Sententiae nostrae utique Ieremiae aetas opponitur, qui a. 13. Iosiae ad propheticum munus vocatus anno 37. Iechoniae nonagesimum circiter annum agebat. Responderi autem potest, prophetam opus nostrum iam immediate post Iechoniae abductionem scripsisse; aptam enim clausulam Iechoniae optimatumque captivitas et initium regni Sedeciae ei praebuit (IV. 24,8-17). Revera ultima pericope inde a 24,18 nostro operi et vaticiniis est communis eamque postea utrique operi a propheta grandaevo adiectam censemus. Qua hypothesi explicatur usus formulae « usque ad hanc diem » de rebus, quae in initio quidem, sed non in fine captivitatis Iechoniae superstites erant. — Qui autem opus nostrum in Chaldaea scriptum esse, Ieremiam autem nunquam in Chaldaeam venisse obiiciunt, neutrum assertum probare queunt; nam ex III. 4,24 (5,4 עֵבֶר הַנָּהָר *trans flumen*) de loco scriptionis nihil sequitur et de ultimis Ieremiae fatis nihil certi nobis est traditum.

(4) Iisdem verbis promissio domui davidicae facta exprimitur III. 24 cfr 8,24; 9,5 et *Ierem.* 33,17 cfr 13,13; 17,25; — praedicitur vastatio templi III. 9,8 et *Ierem.* 18,16; 19,8; *Thren.* 2,15; — describitur magnitudo calamitatis IV. 21,12-14. 16 et *Ierem.* 19,3; 22,17; 30,16; *Thren.* 2,8 etc. etc.

§ 24. — *De librorum* 3. 4. *Regum auctoritate.*

1. — Librorum Regum *auctoritatem historicam* vindicaturis id unum est inquirendum, quid fontes valeant, ex quibus auctor narrationem suam hausit. Fideliter enim eum illis esse usum, continua sua illorum allegatione apparet[1]. Tres autem ab eo citantur : liber verborum dierum (i. e. fasti) Salomonis, fasti regum Iuda, fasti regum Israel, praeter quos alios adhibuisse non videtur. Fide porro fasti erant digni utpote collectio librorum historicorum a prophetis coaevis conscriptorum, qui versus finem regni Iuda collecti et in opere bipartito ita erant digesti, ut singulorum prophetarum scripta suo nomine secernerentur.

Nomine « fastorum » Salomonis vel regum Iuda et Israel haud pauci interpretes intelligendos esse putant *Annales publicos* a regiis historiographis *publica* cum auctoritate de regibus aut superstitibus aut vix mortuis conscriptos; Davidi enim, Salomoni, Ezechiae, Iosiae monent fuisse *Mazkirim* (מזכיר II. 8,16; III. 4,3; IV. 18,8; 2 *Paralip.* 34,8), quo nomine historiographus publicus designetur (*Alex.* ὁ ὑπομνηματόγραφος, *S. Hier.* « a commentariis »). At mera coniectura est haec tituli explicatio, nec aliorum regum Iuda nec ullius regis Israel commemoratur *Mazkir*. Quantis autem mirabilibus victoriarum descriptionibus splendidisque laudibus *publici* aliarum gentium Annales repleti sint, satis multa exempla superstita docent, neque ulla est ratio dubitandi, quin pessimorum, qui multi fuerunt, regum Israel et Iuda *publici* historiographi eundem narrandi modum tenuissent, si aut sub regibus superstitibus aut sub eorum filiis historiam scripsissent. Atqui non tales fuerunt « fasti », quibus pro fontibus usus est auctor noster, qui plura fere regum Iuda et Israel flagitia et crimina, quam res praeclare gestas refert, neque raro etiam res privatas narrat, quibus in *publicis* annalibus non potuit esse locus. Meliorem originis « fastorum » explicationem nobis innuit Paralipomenon auctor. Namque in libris 3. 4. Regum et 2. Paral. plurimae narrationes ad verbum fere consonant; auctor autem Paralipomenon saepe quidem « librum regum Iuda et Israel », sed vix minus frequenter scripta prophetarum Nathan, Ahia, Addo, Semeia, Hozai, Isaiae allegat, eaque aliquando in « libro regum Iuda et Israel » contineri dicit (2 *Paral.* 20,34; 32,32); atque hunc citationis modum etiam adhibet in pericopis illis, in quibus eum ex iisdem, ex quibus auctor noster, fontibus hausisse perfecta utriusque narrationis consonantia demonstrat. Quae quum ita sint, non temere asserimus, in utroque regno *prophetas* historiam suae aetatis conscripsisse eorumque volumina brevi ante exsilium collecta esse in magno opere, quod aut titulo « libri regum Iuda et Israel » vel « fastorum regum Iuda » (Israel), aut nomine illius prophetae, qui certam illam partem conscripserat, allegari solebat. Hac ratione apte explicatur, cur 3 *Reg.* 11,41 ex « fastis Salomonis », 2 *Paral.* 9,29 « ex verbis prophetae Nathan et vaticiniis Ahiae Videntis et visione Addo Videntis » res salomonicae desumtae dicantur, aut cur in historia Roboam « an-

(1) *Semel* allegantur *fasti Salomonis* (III. 11,41), *quindecies* « fasti regum *Iuda* », *octies decies* « fasti regum *Israel* »; in quatuor tantum regibus Iuda et in duobus regibus Israel omittitur allegatio; inter quos ultimus rex Israel et tres ultimi Iuda; duo alii sunt Ochozias rex Iuda et Ioram rex Israel, ambo a Iehu occisi (IV. 9,26. 29).

nales regum Iuda » (3 *Reg.* 14,29) et « libri Semeiae prophetae et Addo Videntis » (2 *Paral.* 12,15) allegentur etc. Hac quoque ratione explicatur, cur tot res privatae prophetarum in illis fuerint relatae, quarum alium fontem statuere superfluum est. Atque hac ratione styli quoque diversitas in pericopis ex communi fastorum fonte haustis satis explicatur[2].

2. — Quidquid autem de hac sententia est, cui maxima veri similitudo negari non potest, illud extra controversiam est positum, omnium regum, quorum historia in 3. 4. Regum narratur, res gestas a testibus aequalibus esse memoriae proditas, qui earum plenam ac perfectam scientiam habebant, quosque veracissimos fuisse tota eorum narratio ostendit et aliarum gentium annales demonstrant.

Is enim auctorum, qui annales illos conscripserunt, est candor, ut maior cogitari non possit. Nihil celant, nihil tegunt, nihil excusant; ab omni adulatione alienissimi nec quidquam praeter Legem divinam prae oculis habentes sincere et sine ambagibus scelera malorum regum narrant, sicut piorum res praeclaras, neque illorum ipsorum, quorum laudes celebrant, defectus silentio praetermittunt. Purissimis igitur fontibus usus est auctor noster, et quanta cum fidelitate ex illis hauserit, docent etiam aliarum gentium annales. Opus enim historicum, cuius omnes narrationes, quae cum aliarum gentium monumentis fide dignis comparari possunt, illis plane consonant, procul dubio in iis quoque, quae ob aliorum monumentorum defectum conferri non possunt, summam fidem merctur. Atqui *Fl. Iosephus* (c. App. I. 17 sqq.; Antiqu. VIII. 5,3; 13,2 etc.), ut libros sacros suae gentis defenderet, ad Berosum, assyriacarum et chaldaicarum rerum scriptorem, Menandrum, Tyri historiographum, Manethonis Aegyptiaca iam provocavit, atque simili argumento usus est *Eusebius* (Demonstr. evang. X. 11 sqq.). Verum divina providentia effecit, ut monumenta ipsa, quibus Aegyptii, Assyrii, Chaldaei, Moabitae victorias suas celebrarunt, ad nostra usque tempora conservarentur atque suis inscriptionibus hac nostra aetate detectis et explicatis librorum nostrorum auctoritatem confirmarent.

3. — Unica difficultas ex chronologia oritur; nam singulorum regnorum anni, ab auctore diligenter indicati nec inter se nec cum Assyriorum tabulis chronologicis consonant, licet eosdem trium regnorum reges, quos libri Regum, etiam inscriptiones cuneiformes faciant synchronos. Numerorum igitur est difficultas neque tanta, ut historicam operis nostri auctoritatem labefactet, nedum destruat.

(2) Quoniam omnes textus parallelos 3. 4. Regum et 2. Paralip. afferre longum est, praecipuos dumtaxat adscribimus.

3 *Reg.* 3,5-15 =	2 *Paral.* 1,7-13.	4 *Reg.* 8,17-23 =	2 *Paral.* 21,5-10.
(5,2-9,12) =	(2,1-8,2).	25-29 =	22,1-6.
10,1-29 =	9,1-28.	11,1-12,14 =	22,10-24,14.
11,41-43 =	29-31.	14,1-14 =	25,1-5.17-24.
12,1-19 =	10,1-19.	17-22 =	25,25-26,2.
21-24 =	11,1-4.	15,32-38 =	27,1-9.
14,25-31 =	12,9-16.	16,1-4 =	28,1-4.
15,16-22 =	16,1-6.	21,1-9 =	33,1-9.
22,2-35 =	18,1-34.	17-24 =	18-25.
41-50 =	20,31-37.	22,1-23,4 =	34,1-33.

Ab initio regnorum Roboam et Ieroboam usque ad regum Ochoziae et Ioram mortem numerantur regum Iuda anni 96, regum Israel 98; ab initio regnorum Athaliae et Iehu usque ad destructionem Samariae regum Iuda sunt anni 165, sed regum Israel 143 dumtaxat. Maior est differentia, si chronologia assyriaca comparatur. Etenim inter mortem Achab et destructionem Samariae assyriacus eponymorum catalogus ponit annos 130 circiter, catalogus regum Iuda 157, et catalogus Israel 180. Ad quas differentias explicandas varia excogitata sunt systemata, de quibus disserere huius loci non est; sufficit indicasse, quomodo praecipuae obiectiones removeri possint. Atque *a.*) praeprimis tenendum est, difficultatem esse in solis numeris, quoniam uti diximus secundum nostros libros et secundum catalogos assyriacos iidem reges Iuda et Israel iisdem regibus Assyriae fuerunt aequales. *b.*) Uti in aliis libris sacris etiam in libris Regum nonnulli numeri sine ullo dubio a negligentibus librariis sunt vitiati (cfr ex. gr. IV. 14,24 et 15,1. 8, aut III. 16,23 et 16,28. 29 etc.). Neque altera ex parte certum est, catalogos assyriacos omni errore carere; immo nonnulli assyriologi censent, eponymorum catalogum non esse completum, sed Assyriam ante Theghlatphalasar II. sub Chaldaeorum dominatione per 46 annos eponymis caruisse. *c.*) Neque satis constat, annon aliquorum regum anni sint diminuendi, quia aut cum patribus aut cum filiis suis aliquot annis simul regnaverunt. Certum est, annos, qui regi alicui attribuuntur, non semper esse integros deficientibus aliquot mensibus (cfr ex. gr. III. 15,1. 9), interdum autem annis eius aliquot menses esse addendos (cfr III. 14,21 et 15,1); quare differentia quaedam in sychronismis facile exoriri potuit.

4. — *Divinam* librorum 3. 4. Regum auctoritatem iterum testatur Ecclesia, quae eos a synagoga per Domini Apostolos accepit.

Dominus N. in prima sua concione in synagoga nazarethana eos velut divinos supponit (*Luc.* 4,24 sqq. cfr III. 17,7 sqq. et IV. 5,8 sqq.) atque ex iis Pharisaeos confundit (*Matth.* 12,42 cfr III. 10,1 sqq.). Magistrum suum imitatus S. Iacobus ex eis exemplum Eliae desumsit, ut precationis efficaciam commendaret (*Iac.* 5, 17 sq. cfr III. 17. 18.); S. Paulus velut « Scripturam » ex eis verba Eliae allegavit et explicavit (*Rom.* 11,2 sqq. cfr III. 19,10. 14. 18). Ante Domini nostri adventum iam Siracida in duobus fere capitibus (*Eccli.* 47,14-49,9) laudes Salomonis, Ezechiae, Iosiae, Eliae, Elisei, celebraverat nostro opere nixus.

§ 25. — *De praecipuis commentariis catholicis in ll. Samuel et Regum.*

I. PATRES ORIENTALES : *Origenis* fragmenta et homiliae duae in ll. Regum.; — *S. Ephraem* Explanatio quatuor ll. Reg. (Opp. syr. I. p. 331 sqq.); — *S. Chrysostomi* Sermone quinque de Anna, homiliae tres de Davide et Saule; — THEODORETI Quaestiones; — *Procopii Gaz.* Comment.

PATRES LATINI *antiquiores* nihil de ll. Sam. et Reg. ediderunt[1], quod interpreti inserviat; *S. Gregorii M.* Expositio in 1. Reg.; — *S. Isidori Hisp.* Quae-

(1) Quaestiones in ll. Regum, quae sub nomine *S. Hieronymi* olim allegabantur, teste Vallarsio auctorem habent Iudaeum saec. 8 (Cfr M. 23,1389 sqq.); Comment. in ll. Reg., qui *S. Eucherio* attribuebatur, forte *Claudio Taurin.* saec. 9. debetur.

stiones; — *Ven. Bedae* In Sam. expositio allegorica; Quaestiones in ll. Reg.; De templo Salomonis; — *Rhabani Mauri* Comment., cui affinis *Angelomi Luxov.* Enarratio; — *Wal. Strabonis* Glossa ordin.

II. Mediae aetatis interpretes : *Ruperti Tuit.* Comment.; — *Hugonis a S. Vict.* Annotatiunculae; — *Richardi a S. Vict.* De templo Salomonis ad literam; Concordia temporum regum Iuda et Israel. — Quibus adde Postillas *Card. Hugonis*, *Lyrani*, *Dion. Carthusiani*, dissertationes *Alph. Tostati*, de quibus saepius iam diximus.

III. Recentiores interpretes. *Saec.* 16.-18. : *Caietani* Comment. in omnes ll. historiales (Romae 1533.); — *Nic. Serarii* S. I. Commentaria (posthuma) in ll. Reg. (Lugduni 1613.); — *Cl. Rangolii*, O. Min., Comment. cum permultis quaestionibus (Parisiis 1621. sqq.); — *Fr. de Mendoza* S. I. Comment. in (I. 1-15) Reg. (Madriti 1622.1623.); — *C. Sanctii* S. I. Commentarius et paraphr. (Lugduni 1623.); — *H. L. Castanaei* Exercitationes (Pictavii 1626.); — *Franc. Ulyssiponensis* Comment. (Coloniae 1628.); — *Lud. de Vera*, O. SS. Trin., Comment. (Limae 1653.); — *I. R. a Corduba* S. I. Catena (Lugduni 1652.); — *Matth. a Corona*, O. Carm., Sanctitas Ecclesiae Rom., seu expositio liter., moral., myst. in 3. 4. Reg. (Lugduni 1663.-1666.); — *Emm. de Naxera* S. I. Excursus morales in 1. Reg. (Lugduni 1672.); — *Leonis Matina*, O. S. Ben., Dissertationes (45) in ll. Reg. (Patavii 1675.) etc. — *I. H. Sopranis* S. I. In Davidem comment. complectens ex 1. 2. Reg. fortunatam regni partem una cum digressionibus de re vestiaria etc. (Lugduni 1643.); — *Ioan. de Pineda* S. I. De rebus Salomonicis (Lugduni 1609.); — *Aeg. Camarti*, O. Minim., De Elia Thesbyte (Parisiis 1631.) etc. — *Iac. Felibien* Pentateuchus hist. (cfr § 13); — *I. I. Duguet* Explication des livres des Rois (Paris 1738.) etc.

IV. Nostro saeculo commentarios accuratiores ediderunt *Clair* (Les livres des Rois. Paris 1879.) et *Fr. de Hummelauer* S. I. (Comment. in ll. Samuel. Parisiis 1886.); quibus adde *Em. G. Meignan* (Les deux premiers livres des Rois. Paris 1888; David roi, psalmiste, prophète. 1889; Salomon, son règne et ses écrits. 1890; Les Prophètes d'Israël. 1892.), *Hugo Weiss* (David u. seine Zeit. Hist. exeget. Studien zu den BB. Sam. Münster 1880.), *N. Peters* (Beiträge z. Kritik u. Erklärg der BB. Samuel. Freiburg 1899.), — Librorum vaticinia mess. illustrarunt *Fr. X. Patrizi* S. I. (Bibl. quaest. decas. Ed. 3. qu. 9. Romae 1877.), *I. Bade* (Christologie. I. p. 143 sqq.), *L. Reinke* (Beiträge z. Erkl. d. A. T. IV. 433 sqq.), etc. — Authentiam historicamque auctoritatem librorum multi vindicarunt dissertationibus : *B. Welte* Einheitlicher Character der BB. Samuels (Tüb. Quartalschr. 1849.), *L. Reinke.* Beiträge etc. (I. III. VII. VIII.), *F. Himpel* Ueber Widersprüche u. verschiedene Quellen der BB. Samuel; Die Inschrift Mesa's (Tüb. Quartalschr. 1870. 1874.), *F. de Hummelauer* S. I. Die assyrisch babyl. Alterthümer und die Bibel; Aus grauer Vorzeit (Stimmen aus M. Laach IV. VII.), *F. Kaulen* Assyrien u. Babylonien (Ed. 3. Freiburg 1885.), *Vigouroux* la Bible et les découvertes modernes (III. IV.), *I. Brunengo* S. I. L'impero di Babilonia e di Ninive (Prato 1885.), *Fr. I. Selbst* Gesch. Davids im Lichte protest. Bibelkritik (Katholik I. II. 1890.).

CAPUT VI.

DE DUOBUS LIBRIS PARALIPOMENON.

§ 26. — *De Paralipomenon argumento, divisione, fine.*

1. — « Paralipomenon librum epitomen instrumenti veteris » non inepte appellari censet S. Hieronymus; revera a primo homine incipiens nonnullis genealogiis usque ad Esdrae Nehemiaeque aetatem recensitis compendium historiae sacrae tradit; praecipuum tamen eius argumentum est historia, si ita dicere fas est, ecclesiastica regum Iuda.

Duo Paralipomenon libri uno volumine comprehensi in hodierno canone Iudaeorum ultimum locum occupant atque ab iis « *verba dierum* » (דִּבְרֵי הַיָּמִים) nuncupantur, quod « significantius, inquit S. Hieronymus, Chronicon totius divinae historiae possumus appellare ». Graecum *Paralipomenon* nomen operi est inditum, « quia multa in libris Regum *praetermissa* (παραλειφθέντα) in eo narrentur » (*S. Chrys.*), ut eorum velut supplementa esse videantur. Parum aptum autem esse nomen, si ad argumentum et finem operis attendimus, ex dicendis apparebit.

2. — In tres partes opus apte distribuitur, quarum prima (I. 1,1-9,38) genealogiis maxime constat, altera (I. 9,35-29,30) Davidis, tertia (II. 1,1-36,21) reliquorum regum Iuda historiam exhibet, et epilogo (II. 36,22. 23), qui decretum Cyri de reaedificatione templi continet, terminatur.

Pars prima (I. 1,1-9,34) *genealogias ita tradit, ut tribuum, quae cum domo davidica et cum templo arctius cohaerent, praecipua ratio habeatur.*

1. *Pro introductione* ab Adam incipiens auctor genealogias et catalogos populorum et tribuum ex Genesi repetit (1,1-54).
2. *Genealogias populi Israel* deinde tradit (2,1-8,40), inter quas tribubus Iuda (maxime domui davidicae), Levi, Beniamin praecipuum locum tribuit, atque iis addit catalogum familiarum Ierosolymis habitantium (9,1-17) ministeriorumque levitarum (9,18-34).

Altera pars (I. 9,35-29,30) *ea praecipue narrat, quae David ad cultum stabiliendum et augendum egit.*

Repetita prosapia Saulis eiusque morte narrata (9,35-10,14)

1. incipit a *Davidici regni confirmatione* narrans expugnationem arcis Ierusalem (11,1-9) et recensens heroas Davidis (11,10-12,40);
2. atque statim ad *cultum in Sion stabilitum* venit (13,1-20,8). — Coram arca Domini enim in montem Sion translata (13,1-16,3) David cultum peragendum ordinat (16,4-43); templum autem aedificare prohibetur a Deo, qui magnifica promissione bonam eius voluntatem remuneratur (17,1-27) et in omnibus eius bellis eum adiuvat (18,1-20,8).
3. *Praeparationes ad templum a Salomone aedificandum* (20,1-22,19). — Davidi peccati in populo censendo commissi poenitentiam agenti locus

futuri templi ostenditur (20,1-22,1), quare iam omnia praeparare incipit filiumque domum Dei exstruere iubet (22,2-19).

4. *Davidis ultimae curae de cultu et templo* (23,1-29,30). — Filio regnum traditurus ministeria sacerdotum levitarumque ordinavit (23,2-26,32) atque regni administratione stabilita (27,1-34) Salomonem ducesque ad templum exstruendum exhortatus est (28,1-29,25). Mors Davidis (29,26-30).

Tertia pars (II. 1,1-36,21) *regum davidicorum historiam ita narrat, ut praecipuus locus iis tribuatur, qui de templo et cultu erant sollicitiores.*

1. *Salomonis regnum* (1,1-9,31). — Eius initiis adumbratis (1,1-17) narratur templi aedificatio (2,1-4,22) et inauguratio (5,1-7,22); reliquae autem res Salomonis paucis absolvuntur (8,1-9,31).

2. *Reges Roboam, Abiam, Asa, qui cum Israel continua bella gerebant* (10, 1-16,14). — *Roboam*, a quo decem tribus defecerant (10,1-11,4), regnum confirmavit receptis levitis ex Israel fugientibus (11,5-23), atque ob Legem violatam a Sesac rege Aegypti devictus post actam poenitentiam salvatur (12,1-16). — *Abiam* Deo confisus devincit Ieroboamum (13,1-22). — *Asa*, idololatriae impugnator, devincit Zara Aethiopem (14,1-15,19), sed finis regni minus felix propter eius peccata (16,1-14).

3. *Reges, qui cum Israel amicitiam coluerunt* (17,1-22,12). — *Iosaphat*, promotor cultus divini, felix (17,1-19), infelix, quando cum Achab amicitiam iniit (18,1-19,3), ad Deum reversus iterum felix (19,4-20,37). — *Ioram* idololatra, impiae Athaliae maritus, infelicia bella gessit (21,1-20). — Neque minus infelix eius filius impius *Ochozias* 22,1-12).

4. *Reges a Ioa usque ad Ezechiam* (23,1-28,27). — *Ioas* a levitis educatus et in thronum elevatus primum idololatriam impugnavit (23,1-24,14), postea idolis deditus infelicem habuit exitum (24,15-27). — Similis fuit vita et sors *Amasiae* (25,1-28) et *Oziae* (Azariae), qui ob arrogatum sacerdotium lepra correptus regnum pio filio *Ioram* tradidit (26,1-27,9). — Impium et infelix regnum *Achaz*, qui ipsum templum clausit (28,1-27).

5. *Ezechias eiusque successores usque ad regni interitum* (29,1-36,21). — *Ezechias*, restaurator cultus (29,1-30,27) populique reformator (31,1-21), magnis beneficiis a Deo est auctus (32,1-33). Impius eius filius *Manasses* captivus in Babyloniam abductus poenitentiam egit (33,1-20), id quod non fecit huius filius *Amon* (33,21-25). *Iosias* autem foedus cum Deo renovavit cultumque restituit, at in bello aegyptiaco occisus est (34,1-35,27). Secuti sunt *Ioachaz*, *Ioakim*, *Iechonias* (Ioachin), *Sedecias*, qui omnes impii fuerunt regnique interitum accelerarunt (36,1-21).

Epilogus (36,22. 23) initium exhibet decreti Cyri de reaedificando templo.

3. — Ex operis argumento et indole apparet, auctorem id sibi maxime proposuisse, ut ex regum davidicorum historia illa colligeret, quibus regni sortem felicem vel infelicem a fidelitate in cultus divini exercitio et Legis observatione dependere doceret, atque hac ratione Iudaeos ex exsilio reduces ad cultum rite celebrandum Legemque observandam exhortaretur eosque a societate infidelium averteret.

Mirum satis est, quod antiqui interpretes auctorem id praesertim intendisse opinati sint, ut ea, quae in II. Samuel et Regum praetermissa erant (τὰ παραλειπόμενα) suppleret; haud pauca quidem procul dubio addit, sed haud pauciora omit-

tit, alia in illis fusius relata in compendium contrahit, alia in illis concinnius relata amplificat[1]. Ex iisdem fontibus, ex quibus ll. 2. 3. 4. Regum, haustum opus nostrum ab illis prorsus est distinctum, et de iisdem temporibus agens auctor noster res narrandas secundum proprium suum finem elegit et disposuit.

Quem finem nos argumentum indolesque operis docent. Namque *a.*) praecipuum locum tribuit *domui davidicae;* id iam elucet ex genealogiis; decem tribuum familiae vix usque ad Davidis aetatem perducuntur, tribuum Levi et Beniamin, quae cum domo davidica coniunctae manserunt, familiae usque ad exsilium descendunt, domus davidicae vero genealogia usque ad Nehemiae aetatem pervenit. Clarius idem elucet ex narratione, in qua nec Saulis nec regni aut regum Israel ratio habetur, nisi quatenus ad res domus davidicae intelligendas commemorari debuerunt. — At *b.*) regum davidicorum historiam ideo maxime narrat auctor, quia *Ierosolymis residentes cum templo, cultu, Lege ipsa arctius cohaerebant.* Davidis historiam incipit a sede regia Ierosolyma translata (11,1 sqq.), atque bellis eius obiter tractatis, eius autem adulterio poenisque secutis silentio praetermissis, fuse agit de cultu per eum in monte Sion stabilito et de exstructione templi praeparata (I. 13,1-17,27; 21,1-26,32; 28,1-29,19). Simili modo Salomonis regnum tractat solam templi aedificationem et consecrationem diligentius explicans (II. 2,1-7,22); successoribus illis autem maiorem locum tribuit, qui idololatria impugnata, templi cultusque splendore restituto et aucto, Legis observantia promota insigniores erant; Asa (II. 14,1-16, 14), Iosaphat (17,1-20,37), Ioas (23,1-24,27), Ezechias (29,1-32,33), Iosias (34,1-35,27) una cum Salomone plus quam duas tertias partes alterius libri occupant, uti David maiorem partem libri prioris. — Quantopere cultus sibi cordi fuerit, ostendit auctor *c.*) magna sollicitudine, qua de sacerdotibus levitisque agit: de eorum genealogiis (I. 6,1-81), de eorum ministeriis (I. 15,1-16,43; 23,2-26,42; II. 5,4 sqq.; 31,2 sqq.), de eorum meritis, quae acquisiverunt populum Legem docentes (II. 17,1 sqq.; 19,8 sqq.), thronum davidicum restabilientes (II. 13,1 sqq.), templum mundantes restaurantesque (II. 29,1 sqq.), de eorum privilegiis (II. 26,26 sqq.; 31,2 sqq.), de festis eorum auxilio sollemniter celebratis (I. 15,3 sqq.; II. 5,1 sqq.; 30,1 sqq.; 35,1 sqq.). — Attamen *d.*) de

(1) Supra quidem (§ 21 n. 1 et § 24 n. 2. pp. 246; 254) praecipuos locos parallelos ll. Regum et Paralip. adnotavimus; hoc tamen loco accuratiorem eorum catalogum secundum ordinem Paralip. dispositum repetemus, ut librorum mutua independentia clarius illucescat.

1 *Par.*	1 *Reg.*	2 *Par.*	3 *Reg.*
10,1-13.	31.	12,2.3. 9-16.	14,21-31.
11,1-9.	2 *Reg.* 5,1-3.6-10.	13,1.2.22.23.	15,1.2.6-8.
11,10-47.	23,8-39.	14,1.2;15,16-19.	15,11-16.
13,1-14.	6,1-11.	16,1-6.11-14.	15,17-24.
14,1-17.	5,11-25.	18,2-34.	22,2-35.
15,16.	6,12-23.	20,31-31, 1.	22,41-51.
17.18.	7.8.	21,5-10.20.	4 *Reg.* 8,17-24.
19.	10.	22,1-9.	8,25-29;9,16-28;10,12-14.
20,1-3.	11,1;12,26-31.	22,10-23,21.	11.
20,4-8.	21,18-22.	24,1-14.23.27.	12,1-17.18-22.
21.	24.	25,1-4.17-28.	14,1-14,17-20.
2 *Par.* 1,2-13.	3 *Reg.* 3,4-15.	26,1-4.21-23.	14.21.22;15,2-7.
1,14-17.	10,26-29.	27,1-3. 7-9.	15,33-38.
2.	5,15-32.	28,1-4.26.27.	16,2-4.19.20.
3,1-5, 1.	6,1-7,51.	29,1.2.	18,2.3.
5,2-7,10.	8.	32,1-21.	18,13-19,37.
7,11-22.	9,1-9.	32,24.25.32.33.	20,1.2.20.21.
8.	9,10-28.	33,1-10.20-25.	21,1-9.18-24.
9,1-28.	10,1-29.	34,1.2.8-32.	22,1-23,3.
9,29-31.	11,41-43.	35,1.18-24.26.27;36,1-4.	23,21-23,28.29-34.
10,1-11,4.	12,1-24.	36,5.6.8-12.	23,36.37;24,8-19.

religioso statu regni tam fuse agens intimum *nexum, qui inter Legem observatam cultumque digne celebratum interque felicitatem externam regni intercedit,* sollicite semper indicat. Quamvis brevissime de Saule agat, adversae tamen sortis eius causas diligenter adnotat (I. 10,13-14). In describendis regnis Davidis et Salomonis, qui cultum divinum tantopere promoverunt, disertis quidem verbis nexum illum non indicat, magna autem cum cura cavet, ne calamitatibus, quas peccatis suis sibi attraxerant, narratis exhortationem suam infirmet; quamprimum vero ad Salomonis successores pervenit, nullum fere est caput, in quo aut suis aut prophetae alicuius verbis hunc nexum non inculcet (II. 12,1 sqq.; 13,5 sqq. 18; 14,11 sqq. etc. etc.).

§ 27. — *De Paralipomenon origine.*

1. — Libri Paralipomenon, licet historiam usque ad exsilii initium dumtaxat perducant, post exsilium tamen scripti demonstrantur posteris Davidis usque ad Zorobabelis nepotes enumeratis (I. 3,19), decreto Cyri addito (II. 36,22 sq.), Daricorum nomine, quae moneta persico tempore Iudaeis innotuit (I. 29,7), ipsius linguae impuritate. Nihil tamen in toto opere invenitur, quo illud Esdrae aetate recentius esse ostendatur.

Nam posteri Zorobabelis in Alex. quidem et Vulg. usque ad 11. generationem enumerantur (I. 3,19 sqq.), sed lectionem illam esse corruptam, tantum non omnes moderni interpretes consentiunt, atque textus hebraicus rectius ita explicatur, ut soli nepotes Zorobabelis nominentur. — Vix refutatione dignum est alterum argumentum, quo aliqui iuniorem librorum originem demonstrare volunt, monentes Cyrum « *regem Persarum* » nominari (II. 36,22), ac si pervulgatus non esset usus, ut populi subiecti dominatoribus suis illum titulum tribuant, qui eis *iure* competit. — Alii censent, ultimo in loco (in canone Iudaeorum) posita esse Paralipomena, quia post reliquos omnes libros sint conscripta; sed antiquitus illis ultimum locum non esse attributum testantur Origenes, SS. Meliton, Epiphanius, Hieronymus, qui omnes Paralipomena aut libris Regum immediate adiungunt aut saltem ante II. Esdrae et Esther exhibent.

2. — Itaque nihil obstat, quominus cum antiquis rabbinis, quos hac in quaestione plerique catholici et haud pauci protestantici interpretes sequuntur, Esdras ipse eorum auctor dicatur. Quin etiam huic sententiae favent quum linguae stylique similitudo, quae Paralipomena inter et Esdrae libros tanta deprehenditur, ut moderni nonnulli illos olim unum opus constituisse putaverint, tum Paralipomenon finis, qui Esdrae aetati et personae quam optime convenit.

Ad linguae stylique inter Paral. et Esdrae libros similitudinem iam provocavit Tostatus, ac revera quidquid proprii habet dictio Paralip., id in Esdrae libris invenitur, sive ad certorum vocabulorum phrasiumque usum, sive ad praepositionum frequentiam aliasque constructiones grammaticas attentionem converteris[1]

(1) Cfr אַרְצוֹת (terrae alienigenarum) 1 *Paral.* 20,20; II. 12,8; 13,9 etc.; 1 *Esdr.* 5,6 9,1,11 etc.; — הִתְנַדֵּב (sponte obtulit) I. 29,9; 14,17; II. 17,16 cfr 1 *Esdr.* 1,6; 2,68; 3,5 sqq. etc.; — עִבּוּד (locus, ordo) II. 30,16; 35,10; cfr 2 *Esdr.* 8,7; 9,3; 13,11; — חָדְוָה

Eadem cum praedilectione et interdum similibus verbis describuntur festa religiosa (2 *Par.* 7; 30; 35 cfr 1 *Esdr.* 3,1 sqq.; 6,19 sqq.; 2 *Esdr.* 8,1 sqq.; 12,1 sqq.), sacrificia statis diebus offerenda (1 *Par.* 16,40; 2 *Par.* 8,12 sqq.; 13,11 sq. etc.; cfr 1 *Esdr.* 3,4 sq. etc.), munera levitarum (1 *Par.* 15,6 sqq.; 24 etc.; cfr 1 *Esdr.* 3,10 sqq.; 2 *Esdr.* 12,34 sqq. 40 sqq. etc.); eadem quoque in utrisque libris genealogiarum et catalogorum est frequentia (1 *Par.* 1.-9.; 11,10 sqq. etc.: cfr 1 *Esdr.* 2; 8; 10,20 sqq.; 2 *Esdr.* 7. etc.). Iustos tamen limites transgrediuntur, qui ex hac similitudine unum olim fuisse opus Paralipomenon et Esdrae libros concludunt; argumento enim et fine omnino distinguuntur. Arcto autem nexu illos cohaerere apparet, quoniam eodem decreto, cuius initio Paralipomena terminantur, ll. Esdrae inchoantur. — Finem demum Paralipomenon temporibus Esdrae et Nehemiae apprime consentire, fatebitur, qui Esdrae Nehemiaeque commentarios et Malachiae vaticinia perlegerit. Illa enim aetate magis, quam umquam, piorum regum exemplis admoneri debuerunt Iudaei, ut cultu divino rite celebrato auxilium divinum contra perpetuas hostium incursiones impetrare studerent. Verum si Esdrae *aetati* opus adscribendum est, Esdrae ipsi recte attribuitur; nemo enim praeter illum tanta apud populum et sacerdotes pollebat auctoritate, ut salutarem huius exhortationis fructum certum exspectare posset.

§ 28. — *De Paralipomenon auctoritate.*

1. — Longissimum temporis spatium, ab Adam usque ad Esdram, complectuntur Paralipomena, neque tamen ideo eorum auctoritas historica in dubium vocari potest, quoniam praeprimis certum est, auctori fontes authenticos et fide dignos praesto fuisse.

Genealogias suas auctor partim ex Genesi (cpp. 5. 10. 11. 36.) desumsit, partim ex « fastis Regum Iuda et Israel », partim, ut videtur, ex tabulis publicis collegit. In narranda autem Davidis successorumque eius historia iisdem fontibus, quibus auctores librorum Samuel et Regum, usus est, scriptis scilicet propheticis, quae in magno opere « fastorum regum Iuda et Israel » erant collecta et variis titulis ab eo allegantur (cfr supra § 24,1). A vero autem longe aberrant illi, qui nostros canonicos libros Samuel et Regum titulo « libri regum Iuda et Israel » ab eo designari eiusque praecipuum fontem fuisse censent. Licet enim eum canonicos nostros libros cognovisse non negemus, similitudo tamen, quae multis in locis inter Paralipomena et inter libros Samuel Regumque deprehenditur, ex eo solo est derivanda, quod in utrisque operibus iidem fontes sint adhibiti et partim transcripti. Etenim *a.*) in locis inter se simillimis tot simul ac tantae adsunt differentiae, ut auctor noster narrationem suam ex libris Sam. et Reg. transcribere non potuerit (cfr 1 *Sam.* 31,8-10 et 1 *Par.* 10,8-10; aut 2 *Par.* 3. 4. et 3 *Reg.* 6. 7. etc.) *b.*) « Libri Regum Iuda et Israel » a Paralipomenon auctore etiam in illarum rerum relatione allegantur, quae in ll. Sam. et Reg. sunt praetermissae (I. 9,1 sqq.; II. 33,18 etc.). *c.*) Tanta est ordinis diversitas in utrisque operibus, quanta exorta non esset, si libri Sam. et Reg. praecipuum, nedum unicum, fontem Paralip. constituissent (cfr § 26 n. 1 p. 259).

(gaudium) I. 16,27; cfr 2 *Esdr.* 8,10 (text. chald. 1 Esdr. 6,16) etc. — Praepositio לְ in utroque opere frequentissime velut nota accusativi adhibetur, neque rarius coniungitur cum עַד (עַד ל); infinitivo praefixa denotat obligationem etc. Cfr *infra* § 31. n. 4.

2. — Fontibus autem suis auctorem Paralipomenon etiam magna cum diligentia et fidelitate usum esse, plenus eius consensus cum aliis libris sacris invicte demonstrat. Magno quidem cum ardore ultimis his annis rationalistae integrum opus perscrutati sunt, ut aliquem errorem detegerent; at nullum inveniri fateri debent, quicumque ad finem auctoris et ad hodierni textus statum satis corruptum attendit.

Quoniam Paralipomena, si fidem merentur, omnes modernas fictiones de recentiore Pentateuchi origine funditus evertunt legislationemque mosaicam primorum regum tempore integram cognitam fuisse multis testimoniis confirmant, ardentissimum contra eorum auctoritatem exarsit bellum. Morosa cum sollicitudine « critici » moderni parallelos textus omnes ll. Sam., Reg., Paral. inter se compararunt, levissimas quasque discrepantias pro gravissimis contradictionibus venditarunt, omnia illa, quae in Paral. praetermissa sunt, ob malam fidem esse omissa, omnia illa, quae addita sunt, arbitrarie conficta dixerunt. Irritos autem eorum conatus fuisse apparet, dummodo ad hodiernum textus statum et auctoris finem attenditur. *S. Hier.* (Praef. 2. in Paral.) iam de corrupto eorum textu conqueritur, atque iure merito querelas eius hodie repetere licet, quum nullus sit Veteris Test. liber, cuius textus minus sit securus in nominibus, in numeris, atque in ipsis quoque narrationibus nonnullis. Iam vero propter librariorum incuriam fidelitatem auctoris in dubium vocare non licet. — Porro adversarii etiam ad auctoris finem in suis accusationibus non attendunt; eorum enim πρῶτον ψεῦδος est, quod auctorem *integram* historiam regum Iuda narrare voluisse temere supponunt, neque vident, eum certa dumtaxat facta elegisse, quibus intimum nexum inter legitimum cultum Legisque observantiam interque regni felicitatem demonstraret. Profecto si totam Davidis vitam narrare voluisset, nec saulicas persecutiones, nec regnum eius in Hebron nec adulterium peccatique sequelas, Absalomis rebellionem etc. omittere ei licuisset; attamen ad nexum illum, quem diximus, demonstrandum omnia ista erant superflua. Quoniam ecclesiasticam regni Iuda historiam adumbrare voluit, privatam regum vitam politicasque regni rationes omittere potuit ac debuit. Plane absurde supponunt « critici », praetermissis Davidis Salomonisque peccatis auctorem historiam adulterare voluisse; illo enim tempore, quo Paralipomena sunt scripta, libri Sam. et Reg., in quibus Davidis et Salomonis peccata fuse narrantur, in omnium fuerunt manibus; itaque non tantum summam malitiam, sed etiam summam stultitiam « critici » auctori nostro affingere debent, quippe qui ne minimo quidem tegumento fraudem suam occultare studuerit.

3. — Innumera fere sunt, quibus Paralipomenon auctoritas hodie impugnatur, ut non nisi integro fere eorum commentario omnes obiectiones refutari possint; sed ex praecipuis paucas hoc loco attulisse sufficit, quae quid ceterae valeant et qua ratione sint solvendae, ostendunt[1].

a.) In fontibus suis transcribendis ignorantia vel negligentia sua primitivum eorum sensum adulterasse dicitur; sed erroneis tantum interpretationibus pauca exempla debentur, quibus haec accusatio fulcitur.

Libenter concedimus, auctorem fontes suos ad orthographiam, grammaticam,

(1) Eligimus eas, quae in recentissimis Introductionibus a *De Wette Schrader* (1868. p. 268 sqq.), *Bleek Wellhausen* (1878. p. 290 sqq.), *Vatke* (1886. p. 474) afferuntur.

usum loquendi suae aetatis redegisse, quo narratio facilius a suae aetatis hominibus intelligeretur; at eum sensum fontium adulterasse, adversariorum exempla non probant. Sunt enim haec : a.) Quoniam expressionem « *naves tartessiae* » (אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ, *naves Tharsis* i. e. longo itineri maritimo usque Tharsis aptae. 3 *Reg.* 10,22; 22,49) non intellexerit, auctor ex Asiongeber, qui portus est in sinu aelanitico maris rubri, classes in Tartessum, Hispaniae civitatem, misisse dicitur (2 *Par.* 9,21 « naves euntes Tartessum » אֳנִיּוֹת הֹלְכוֹת תַּרְשִׁישׁ, 20,36 « naves *iturae* Tartessum » (אֳנִיּוֹת לָלֶכֶת תַּרְשִׁישׁ.) At nihil vetat, quominus Paralipomenon expressiones eodem sensu, quo verba l. Reg., explicentur (cfr *germ.* Ostindienfahrer « navis iter faciens in Indiam » i. e. huic itineri apta); ceterum plane incertum est, num nomine *Tharsis* sola designetur Tartessus hispanica[2]. — *b.*) Sensu carere dicitur, quod Salomon reginae Saba dederit « cuncta, quae voluit et postulavit *praeter ea, quae attulerat (ipsa) ad regem* » (2 *Par.* 9,12); sed elliptice locutus est auctor : « praeter ea, quae rependit Salomon pro iis, quae regina attulerat ad regem ». — *c.*) « *Reges Arabiae* » (2 *Par.* 9,14 מַלְכֵי עֲרָב) et « *reges sociorum* » (מַלְכֵי הָעֵרֶב 3. *Reg.* 10,15) auctor confudisse dicitur; sed immerito. Nam etiam in 1. Reg. « *reges deserti* » (cfr *Hab.* 1,8; *Ierem.* 25,24), vel si mavis « *reges plebis promiscuae* » (cfr 2 *Esdr.* 13,3; *Exod.* 12,38) intelligi possunt principes arabicarum tribuum. Ceterum ad summum admittendus est error Massoretharum, qui idem vocabulum (ערב) aliis signis vocalibus in l. Reg., aliis in l. Paral. instruxerunt.

b.) Neque melius fundata est, licet pluribus exemplis muniatur, altera accusatio, quod auctor narrationes fontium nonnullis aut omissis aut abbreviatis aut insertis aut mutatis erroneas reddiderit. Nam maior difficultatum numerus aut librariorum erroribus debetur, aut breviloquentia quadam efficitur, quae a prudente lectore sine ullo negotio explicatur. Nonnullae quoque solis adversariorum praeiudiciis nituntur.

Ad quam ultimam classem etiam trahimus « *asceticas* additiones » (ex. gr. I. 10,13 sq.; 11,3; II. 21,10), quae seriam difficultatem non creant. Errori librariorum debentur mutationes vel omissiones I. 11,13; 14,13; 20,3; 21,5. 25 etc. atque ipsa « mira contradictio » inter II. 13,23 et 15,19 (16,1) et 3 *Reg.* 15,32; nam II. 15,19 et 16,1 pro a. 35. et a. 36. legendum est a. 15. et a. 16. — Breviloquentiae exempla habes in I. 19,4 (« Hanon rasit pueros David », cfr 2 *Reg.* 10,4 « rasit *dimidiam barbae partem* servorum David ») II. 16,2 (cfr 3 *Reg.* 15,8), II. 33, 20 (cfr 4 *Reg.* 21,18) etc. Simili breviloquentiae debetur difficultas in I. 20,1. 2, quae facillime expeditur, atque huc etiam trahi potest differentia inter II. 22,9 et 4 *Reg.* 9,27 de loco occisionis Ochoziae (« et ipse occultabat se in Samaria » ; « in ascensu Gur iuxta Geblaam »), quae disparet, si auctorem Paral. de *conatu* Ochoziae loqui supponamus; rex fugit, ut Samariae se occultaret, sed in via (in ascensu Gur) deprehensus et occisus est; fatendum est tamen, obscuritate quadam laborare brevem Paralip. relationem. Breviloquentia quoque utitur auctor, si Saulem et « omnem domum illius » interiisse refert (I. 10,6; cfr 1 *Reg.* 31,6), nam expres-

(2) Praeter Tartessum Hispaniae aliqui nonnullas colonias punicas in Africa septemtrionali et emporia quaedam in Arabia meridionali nomine Tharsis designari putant (*Fürst-Ryssel* Hebr. Lexicon. 1876. p. 546).

sionem « omnis domus Saulis » non de omnibus filiis et consanguineis Saulis ab auctore esse intellectam, elucet ex I. 9,39 sqq. — « Ineptiarum » accusatur auctor, propterea quod Salomonem dicat a rege Hiram petiisse, ut sibi « ligna cedrina et *santalica de Libano* mitteret » (II. 2,7); ligna enim santalica in Libano non inveniri, sed ex India afferri debuisse. At auctor non ignoravit, ligna, de quibus quaestio movetur, etiam ex Ophir esse allata (II. 9,10); nobiscum autem ignorant adversarii, num *Algummim* vel *Almuggim* sint ligna santalina; antiqui interpretes (*Alex.*, *Fl. Ios.*, *S. Hier.*) et mediae aetatis rabbini vim hebraici vocabuli ignorantes vario modo illud reddiderunt (pinea, thyina, pinea candida, corallia, ligna rubra brasiliana etc.), atque mera est coniectura, quae probabili argumento non nititur, ligna santalina designari.

c.) Gravissima est tertia accusatio, partium studio ductum auctorem historiam adulterasse; levitico scilicet spiritu imbutum omnia ita narrasse, ut leviticus cultus celebraretur, omniaque aut omisisse aut mutasse, quae eius sententiae non favebant. Iam vero eum pro suo fine quam plurima de cultu religioso tradere, certum est; adversarii vero necdum demonstrarunt nec demonstrare poterunt, haec omnia ab eo esse conficta. Nam quae ad partium studium demonstrandum attulerunt, ea levia sunt.

a.) *Opiniones dogmatico-mythologicas* duabus narrationibus inseruisse dicitur. Namque 2 *Reg.* 24,1. 16. 17. « *furor Domini* » Davidem ad populi censum excitavit, et angelus stans « *iuxta aream Areuna* » percussit populum; sed 1 *Par.* I. 21,1. 15. 16. 26 *satan* concitavit Davidem et angelus stetit « *iuxta aream inter coelum et terram* », ac praeterea, « *ignis de coelo* » holocaustum regis consumsit. Solis praeiudiciis hanc obiectionem inniti patet. — Alterum exemplum est II. 32,31 si cum 4 *Reg.* 20,12 confertur, sed conferantur etiam 4 *Reg.* 20,1-11 et *Is.* 38,1-8. — *b.*) Auctor accusatur, quod illa, quae in ll. Regum de regni Iuda idololatria narrantur, mitigaverit aut omiserit; quibus opponimus alios locos, in quibus solus de hac idololatria loquitur aut eam potius auget, quam minuit (II. 24,17 sqq.; 25,14; 26,4. 16 sqq.; 29,3 sqq.; 30,14; 31,1 etc.). — *c.*) Praeiudiciis leviticis seductus aliis libris sacris sibique ipsi contradixisse asseritur referens reges Asa et Iosaphat excelsa abstulisse (II. 14,12; 17,6), licet illos excelsa non abstulisse constet ex 3 *Reg.* 15,14 et 22,13 sq. atque etiam ex II. 15,17 et 20,20. Sed apparens contradictio evanescit, si attendis, etiam optimos reges quibusdam flagitiis esse impares; Asa et Iosaphat, etsi omnia excelsa auferre studuerint et nonnulla abstulerint, integram rem perficere non potuerunt. — *d.*) Iisdem praeiudiciis seductus nonnullas expressiones mutasse dicitur. Filios David non nominavit *sacerdotes* (2 *Reg.* 8,18), sed « *primos ad manum regis* » (1. 18,17), idque recte, quia vox *Kohen* ibi hanc significationem habet (cfr p. 197). — Salomon sacrificavit in Gabaon, quia ibi erat « *excelsum maximum* » (3 *Reg.* 3,4), sed auctor Paral. dicit eum ibi sacrificasse, « quia ibi erat *tabernaculum foederis* » (II. 1,3); scilicet rationem indicavit, cur Gabaon « excelsum maximum » esset appellatum. — Adversariis I. 13.-16. est arbitraria retractatio eorum, quae 2 *Reg.* 6. leguntur, at ne unico quidem argumento demonstrare conantur, auctorem nostrum non adhibuisse alium fontem praeter 2. Reg. librum. Similia sunt reliqua. — *e.*) Regum quoque biographiae adulteratae esse asseruntur; at multa quidem, quae ad finem auctoris non pertinebant, omissa esse iam diximus, sed adulterationis non afferuntur argumenta. Profecto nec verborum mutatione in I. 14,12 (cfr 2 *Reg.* 5,21) nec additionibus in II. 32,27-29. 32

et 35,24 sq. adulterata est narratio. — Demum *f.*) odio contra regnum septemtrionale auctorem flagrasse unico textu demonstrare volunt sc. II. 20,35 sqq. cfr 3 *Reg.* 22,49 sq. (!). — Gravem accusationem vix posse levioribus argumentis confirmari, fatebitur, quicumque modernorum « criticorum » obiectionibus contra Paralipomenon auctoritatem studium impenderit.

4. — Paralipomenon *divina auctoritas* infallibili testimonio Ecclesiae probatur, quae ea cum reliquis libris sacris velut inspirata ab Apostolis Domini accepit nobisque tradit.

« Satis mirari non possum, cur inter sacros recepti fuerint libri Paralipomenon ab iis, qui libros Sapientiae, Tobiae et reliquos, qui apocryphi (i. e. deuterocanonici) dicuntur, ex canone deleverunt ». Haec Spinozae verba vi sua contra Protestantes non carent; neque enim ex Vetere neque ex Novo T. eorum divinitas cum certitudine probatur. Semel dumtaxat Dominus N. ex illis aliquid desumsisse cum satis magna probabilitate asseritur (*Matth.* 23,35 cfr II. 24,20 sqq.); alia allegatio non invenitur. At Ecclesiam Paralipomena una cum reliquis V. T. libris per Apostolos a Domino recepisse constat, quum iis semper velut divinis sit usus eaque semper in suo canone recensuerit.

§ 29. — *De praecipuis commentariis catholicis in Paralipomena.*

Plerique interpretes, quoniam Paralipomena velut appendicem aliquam ll. Regum considerarunt, iis explicandis magnam diligentiam non impenderunt. Inter antiquiores PATRES solus *Theodoretus* paucas de iis Quaestiones scripsit, quas fere excerpsit *Procopius Gaz.* Inter Latinos primus *Rhabanus Maurus* pleniorem scripsit commentarium, quem in compendium redegit *Wal. Strabo* (Glossa ordin.).

EX MEDIAE AETATIS INTERPRETIBUS praeter Card. Hugonem, Nic. Lyranum, Dion. Carthusianum solus nominari potest *Alph. Tostatus* (Opp. XVI. XVII.).

Inter RECENTIORES quoque *Nic. Serarius* S. I. et *C. Sanctius* S. I. commentariis suis in ll. Regum (*supra* § 25) admodum pauca de Paralipomenis addiderunt. Praeter quos nominari merentur (I. B. Le Brun et Nic. de Tourneux) Concordia ll. Reg. et Paralip. (Paris 1691.), *I. I. Duguet* et *V. Bidal* Explication des Rois et des Paralip. (Paris 1738.), *L. Mauschberger* S. I. Comment. in ll. Paralip., Esdrae, Tobiae, Iudith, Esther (Olomuci 1758.).

HOC NOSTRO SAECULO Paralipomena germanice explicavit *B. Neteler* (Die BB. der Chronik. Munster 1872.), gallice *Clair* (Les Paralipomènes. Paris 1880.). Bonas dissertationes de nonnullis quaestionibus ediderunt *F. C. Movers* (Krit. Untersuchungen über die bibl. Chronik. Bonn 1834.), Anonymi in Tüb. Quartalschrift (1831. p. 231 sqq.), *B. Welte* (in Herbst Welte Einl. II. p. 199 sqq.), *L. Reinke* (Beiträge I. VII. VIII.), *Mühling* (Neue Untersuchungen über die Genealogien der Chronik (Tüb. Quartalschrift 1884.). — Inter protestantica opera praestant *Keil* Apologet. Versuch über die Chronik. (Berlin 1833.) et Commentar über die Chronik (Lepzig 1870.).

CAPUT VII.

DE DUOBUS LIBRIS ESDRAE.

§ 30. — *De librorum Esdrae argumento, divisione, fine.*

1. — Duorum librorum, qui Esdrae vulgo vocantur, prior solus in hodiernis hebraicis editionibus *Esdras*, alter *Nehemias* inscribitur, atque etiam Vulgata alteri praefigit titulum : « *Liber Nehemiae, qui et Esdrae secundus dicitur* ». Nihilominus integro suo argumento totaque sua indole ita inter se connexi sunt, ut duae potius eiusdem operis partes, quam duo diversa opera dici debeant. Quare recte de *duobus Esdrae libris* catholici interpretes loquuntur, praesertim quia eos olim unum opus constituisse constat.

Uno volumine antiquitus in Iudaeorum palaestinensium canone comprehensos fuisse duos hos libros, innuit iam *Fl. Iosephus* (c. App. I. 8), diserte testantur *S. Melito, Origenes, SS. Epiphanius, Hieronymus* iudaicum canonem recensentes, confirmant praeter Massoretharum epicrisin, quae uno numero versus utriusque libri comprehendit, haud pauci codices hebraici in eadem linea nullo interiecto spatio initium alterius libri fini prioris addentes. Graeci codices quoque, etsi duos libros Esdrae numerent, plerique duos nostros coniungunt eisque velut « 1. Esdrae librum » praemittunt apocryphum 3. Esdr. (cfr p. 49).

2. — *Argumentum* operis huius est restauratio societatis israeliticae post finitum exsilium babylonicum. A Cyri decreto (a. 536.), quo Iudaeis reditus in patriam templique reaedificatio permittebantur, exorsus auctor historiam populi ultra a. 32. Artaxerxis I. (a. 443.) perducit, sed ea sola facta refert, quae templi, utpote centri religiosi, urbisque Ierusalem, utpote centri politici, restaurationem atque populi in Legis observantia renovationem per Esdram et Nehemiam spectant. Aptissime autem opus in duos libros est divisum, in priore enim templi cultusque divini restauratio, in altero civitatis foederisque cum Deo initi renovatio praecipuum constituunt argumentum; in priore Esdras, in altero Nehemias primum locum tenent, at ambae partes coniunctae completam exhibent restaurationis imaginem.

Pars prior (I. 1,1-10,44). *Restauratio templi et reformatio populi.*

1. *Primus exsulum reditus* (a. 1. Cyri) *et templi aedificatio* (1,1-6,22). — Permittente Cyro multi Iudaei ducibus Zorobabele et Iosua in patriam reversi, donis voluntariis ad templi aedificationem collatis, varias civitates occuparunt (1,1-2,70). — Mense 7. a. 1. altare exstruxerunt et m. 2. a. 2. templi fundamenta iecerunt (3,1-13); sed hostium insidiis opus continuare

sunt impediti (4,1-23)[1], usque dum Darius a. 2. regni sui novo decreto impedimenta sustulit (4,24-6,12) atque a. 6. Darii templum terminatum potuit consecrari (6,13-22).

2. *Secundus exsulum reditus* (a. 7. Artaxerxis I.) *et populi reformatio* (7,1-10,44). — Artaxerxis decreto *Esdras* in patriam redire et populum ad Legem observandam adigere iussus (7,1-28) magna cum multitudine multisque cum donis regiis Ierosolyma pervenit (8,1-36), atque mox populum ad connubia illicita relinquenda adduxit (9,1-10,44).

PARS ALTERA (II. 1,1-12,43). *Reaedificatio urbis et renovatio foederis.*

1. *Urbis reaedificatio* (1,1-7,73). — *Nehemias* misero reducum statu audito facultatem reaedificandae urbis (a. 20. Artaxerxis I.) impetrat (1,1-2,6). In patriam igitur reversus opus statim aggreditur (2,7-3,31), sed ad finem non perducit nisi multis superatis difficultatibus (4,1-6,19). — Ut novos incolas arcesseret, prius recensendas statuit familias ierosolymitanas, qua occasione inventus est catalogus primorum reducum (7,1-73).

2. *Foederis renovatio* (8,1-10,39). — In festo tabernaculorum per Esdram populo praelecta est Lex (8,1-18), qua audita de peccatis poenitentiam omnes egerunt foedusque cum Deo renovarunt (9,1-37), atque publicum hac de re documentum confecerunt (9,38-10,39).

3. *Ordinis politici restauratio terminatur* (11,1-12,43). — Postquam Nehemias providit, ut urbs maiorem incolarum numerum reciperet (11,1-12,26), sollemniter dedicati sunt muri civitatis (12,27-43).

APPENDIX (12,44-13,31) *de ultima populi reformatione* (post a. 32. Artaxerxis). — Esdras et Nehemias res, quae cultum et Legem spectabant, ordinaverant (12,44-13,3), sed quum secunda vice Nehemias Ierosolyma venisset, multi denuo abusus irrepserant, quos auferre debuit (13,4-31).

3. — Praecipuus auctoris finis fuit, ut historia restaurationis narrata posteros ad aemulationem provocaret. Sollicitudinem enim et diligentiam videntes, qua reduces tot superatis impedimentis divino cum auxilio templum et urbem restaurarunt atque ad Legis observantiam redierunt, non potuerunt non excitari posteri, ut eadem cum sollertia illa conservarent et augerent, quae maiores eis reliquerant.

Posterorum, multo magis quam aequalium, utilitatem proxime prae oculis habuisse auctorem, praeprimis multi illi catalogi ostendunt, quos refert. Neque enim ab Esdrae aequalibus familiae cum Esdra reversae (I. 8,1 sqq.), nec familiae incolarum Ierusalem tempore Nehemiae (II. 11,3 sqq.), nec viri, qui Esdrae obsecuti uxores alienigenas repudiarant (I. 10,18 sqq.), aut duce Nehemia muros restaurarant (II. 3,1 sqq.) etc. potuerunt ignorari. Iisdem etiam decreta cognita erant, quibus reges Persarum restaurationem templi urbisque permiserant impedimentaque removerant (I. 1,1 sqq.; 4,9 sqq.; 5,6 sqq. et 6,3 sqq.; 7,12 sqq.). Posteris autem memoriam eorum, qui de republica bene meriti erant, auctor voluit transmittere, atque posterorum fiduciam Dei et fidelem Legis observationem

(1) Animadvertendum est, minorem capitis partem de impedimentis *templi* aedificandi agere; illis enim breviter indicatis (4,1-5) auctor fusius refert, eosdem hostes etiam postea tempore Assueri (i. e. Xerxis) et Artaxerxis I. *urbis* restaurationem machinationibus suis impedivisse (4,6-23). Itaque 4,24 intime coniungendus est cum 4,5; atque 4,6-23 sunt parenthesis quaedam; quare a 4,24 inchoandum erat novum caput 5.

commendare decretis illis, quae luce clarius docebant, Deum promissionum suarum non esse immemorem, sed ipsos reges ethnicos permovisse, ut populum suum adiuvarent eique Legis observantiam inculcarent.

Hinc apparet, parum recte illos sentire qui Paralipomena et libros Esdrae olim unum opus constituisse censent. Procul dubio in Paralipomenis simile argumentum simili modo ob similem finem tractatur; in Paralip. et in hoc opere circa Ierusalem et templum et cultum et Legem tota narratio versatur; eadem in utrisque est catalogorum frequentia, eadem diligentia in recensendis illis, quae ad levitas sacerdotesque spectant. Attamen in Paralip. Esdras, quem eorum auctorem esse diximus, *aequales* suos narratione eorum, quae magni et pii olim reges in civitate sancta occupanda et munienda, in templo aedificando et exornando, in cultu augendo et promovendo praeclare egerant, ad diligentiam in restauratione urbis, templi, cultus provocavit; in hoc autem opere *posteros* ad ea conservanda et augenda excitare voluit, quae maiores restaurarant.

§ 31. — *De origine librorum Esdrae.*

1. — Libri Esdrae ex variis scriptis, quae integra sunt transumta, compositi sunt.

Varii enim scriptores, prima persona loquentes, res suae aetatis in iis narrant; alius enim est, qui a. 2. Darii (a. 520.) prima persona loquitur (I. 5,4), alius, qui res a. 7. Artaxerxis I. (a. 468.) gestas prima persona refert (I. 7,27 sqq.), alius qui de rebus a. 20. et 32. Artaxerxis (a. 455. 443.) etiam prima persona loquitur (II. 1,1 sqq.; 13,6 sqq.). Qui tertius se Nehemiam, filium Helciae (II. 1,1. 11), alter Esdram sacerdotem se esse (I. 7,12. 28) produnt, neuter autem ex illis fuit, qui a. 1. Cyri (a. 536.) reversi tempore Darii templum aedificaverunt (I. 5,4). Adde non tantum multa documenta ex actis publicis referri [1], sed catalogum primorum reducum bis transcribi (I. 2. et II. 7.), atque haud parvam operis partem, quae praeter documenta etiam narrationis particulam continet, chaldaico sermone esse conscriptam (I. 4,8-6,18 et 7,12-26). Quae omnia non explicantur, nisi auctor alia scripta in opus suum transumsisse conceditur.

2. — Quinque autem opuscula (praeter documenta publica) apte distinguuntur : libellus ab Esdra de suis rebus gestis conscriptus (I. 7.-10.), similis libellus Nehemiae (II. 1,1-7,73 a. et 11.-13.), atque tria anonymorum scripta (4,8-23; 5,3-6,18; 6,19-22).

Quin Esdras scripserit I. 7,27-9,15, qua in particula prima persona loquitur, non est dubium; ob arctum autem nexum eidem auctori attribuantur oportet 10, 1-44 et 7,1-11; neque enim obstat tertia persona adhibita [2], neque Esdrae laudes

(1) Ex actis publicis desumta sunt decretum Cyri (I. 1,2-4), epistolae satraparum ad Artaxerxem et Darium (I. 4,9-16; 5,7-17) regumque responsa (I. 4,17-22; 6,3-12), decretum Artaxerxis (I. 7,12-26). Ex iisdem desumti videntur catalogi reducum (I. 2,1-70 et II. 7, 6-73; I. 8,1-14), incolarum Ierusalem etc. (II. 11,3-12,26), eorum qui uxores alienigenas repudiarunt (I. 10,18-43), qui foedus signarunt, atque ipsum foederis exemplar (II. 10,1-39).

(2) In sacris et profanis scriptoribus satis frequens est transitus a 1. ad 3. aut a 3. ad 1. personam; cfr ex. gr. *Ierem.* 20,1. 7; 28,1. 5; *Dan.* 1,1-7,1; 7,2-9,27 etc.

(7,6-10) eiusmodi sunt, ut eas ab alio additas dicere cogamur. — Item dubium non est, quin Nehemiae debeantur II. 1,1-7,73. a. et 13,1-31, in quibus primam personam adhibet. At quoniam II. 11,1 arctissime cum 7,73 a. cohaeret particulamque hanc continuat, etiam 11,1-12,47 ad eundem commentarium pertinuisse recte statuimus[3]. — In chaldaica parte duo auctores videntur distinguendi, quia parum probabile est, coaevum Darii I. (5,3-6,18) etiam machinationes, quibus Xerxis et Artaxerxis aetate hostes urbis restaurationem retardarunt (4,8-23), descripsisse; eorum autem opuscula compilatorem insertis 4,24-5,2 coniunxisse arbitramur. Hebraicam demum particulam 6,19-22 tertio auctori propter titulum « rex Assur » attribuimus, qui in reliquo libro non adhibetur.

3. — Praemissa introductione (I. 1,1-4,7) et nonnullis particulis insertis (I. 4,24. 25; II. 7,73b.-10,40) *Esdram* quinque illos libellos coniunxisse integrumque opus complevisse, veri simile est. Esdrae enim auctori constans traditio duos hos libros uno volumine comprehensos attribuit, nec quidquam affertur, quo sententia haec infirmetur; quin etiam omnia, quae de Esdrae laboribus sunt tradita, eam confirmant.

Praeprimis tria prioris libri capita introductoria et tria alterius intermedia, quae ab operis compilatore adiecta esse censemus, sermone suo et stylo ad illam partem proxime accedunt, quam omnes Esdrae auctori tribuunt (I. 7.-10.), atque praesertim expressiones quaedam et phrases illis sunt propriae[4]. — Itaque maior prioris (I. 1,1-4,7 et 7,1-10,44) et haud exigua alterius libri (II. 8.-10.) pars ab Esdra immediate conscripta recte dicitur. Porro considerandum est, Esdram velut alterum Moysen semper habitum esse a Iudaeis, neque immerito. Ab Artaxerxe enim electus, ut reduces ad Legem Domini observandam adigeret (I. 7,25-26), antiquiores libros sacros collegisse, emendasse, in canone apte digessisse creditur. Attamen ille, qui Legem per Moysen datam magnaque beneficia olim patriarchis concessa contribulibus suis iterum ob oculos posuit, procul dubio non permisit, ut nova beneficia populo post captivitatem collata oblivioni darentur. Quapropter sicut brevi ante vel post reditum in Paralipomenis antiquam historiam ex fontibus superstitibus compendio quodam comprehendit, ita iam grandaevus omnia illa, quae sive in actis publicis sive in scriptis privatis de exsulum reditu et de templi civitatisque restauratione invenit, hoc nostro opere comprehendisse videtur additis illis, quae ab aliis erant omissa et quae ipse gesserat. Hac ratione operis origo et indoles apte explicantur; etsi enim nec plane desit unitas nec certa partium dispositio, collectaneis tamen historicis, quam elaboratae historiae similius est. — Contra hanc sententiam obiicitur quidem chronologia, Esdram enim usque ad 31. a. Artaxerxis vitam protraxisse negant. Id unum autem nobis est traditum, eum senem grandaevum esse mortuum; iam vero si vir triginta circiter annorum a. 7. Ar-

(3) Difficultatem creant 12,10. 11, quoniam usque ad Alexandri M. aetatem successio summorum pontificum continuari videtur; sed 12,10. 11. 22. 23, quibus nexus interrumpitur, a iuniore manu additos esse cum *Corn. a Lap.* et plerisque interpretibus censemus.

(4) Ex. gr. filiorum Israel sex classes distinguuntur (I.2,7 0; 7,7; — II. 10,29); ethnici vocantur *populus terrae* vel *terrarum* (I. 3,3; 4,4; — 9,12; 10,2; — II. 9,30; 10,31. 32); Lex vocatur *Lex Moysi*, *liber Legis Moysi* (I. 3,2; 7,6; — II. 8,1. 14; 10,34; idem usus in Paralip.); — reduces vocantur *filii captivitatis* (I. 4,1; — 8,35; 10,7. 16), *viri Iuda et Beniamin* (I. 1,5; 4,1; — 10,9); — Deus vocatur *Deus Israel* (3,2; 4,1. 3; — 7,6 8,35) etc.

taxerxis (a. 468.) in Palaestinam reversus est, facile usque ad Darii Nothi (423-405), Artaxerxis successoris, tempora vivere potuit.

§ 32. — *De librorum Esdrae auctoritate.*

1. — Ex duorum librorum Esdrae origine eorum *auctoritas historica* apparet; maior enim eorum pars composita est duobus commentariis, quos Esdras et Nehemias de suis ipsorum rebus gestis conscripserunt (I. 7.-II. 13); altera vero publicis documentis continuo munitur atque duorum prophetarum aequalium, Aggaei et Zachariae, libris confirmatur.

Libri Esdrae, quoniam nec magna miracula narrant nec de vaticiniis impletis loquuntur, paucioribus rationalistarum obiectionibus sunt lacessiti; pauca tantum monent, quae paucioribus expediuntur. Familiarum cum Zorobabele reversarum duo exhibentur catalogi (I. 2.; II. 7.), qui in universo quidem numero reducum consentiunt, in nominibus autem et singularibus numeris differunt, atque satis multae quoque inveniuntur differentiae in duabus enumerationibus donorum ad templum aedificandum collatorum (I. 2,68 sqq.; II. 7,70 sqq.). Cui difficultati respondemus, antiquissimo iam tempore, antequam graeca librorum versio facta est, nonnulla membra enumerata a librariis esse omissa aut vitiata, neque donorum catalogos ab omnibus mendis esse immunes, licet in his id quoque respiciatur oporteat, dona in priore summatim indicari, in altero accuratius enumerari. — Altera difficultas est chronologica. Secundum I. 3,8 sqq. reduces statim a. 2. *Cyri* fundamenta templi iecerunt, at chaldaicae narrationis auctor docet, ante 2. a. *Darii* templi aedificationem non esse inchoatam (I. 5,2. 16), atque cum altera relatione consentit *Aggaeus* (1,2. 4. 8. 14; 2,12). Quae optime conciliari clarum est; nam I. 3,10 de *fundatione* dumtaxat sermo est, et 4,1 indicatur ratio, cur *aedificatum* non sit templum; e contra 5,2 non de fundatione, sed de aedificationis initio agit. Cyri decreto Iudaeis permissio revertendi *ideo* erat concessa, *ut aedificarent templum* (I. 1,2. 3); quare non est dubium, quin reduces opus statim sint aggressi; at post fundamenta iacta, licet aedificationem non plane intermiserint (5,16), hostium tamen insidiis impediti progressus non fecerunt; ideo conquesti sunt, quod aedificandi templi nondum advenisset tempus (*Agg.* 1,2), atque a prophetis moniti sunt, ut tandem aliquando operi manum admoverent (*Agg.* 1,7); ita factum est, ut propheta diem illam, qua excusso torpore rem urgere coeperunt Iudaei, velut diem fundationis haberet (Agg. 2,18).

2. — In Novo Test. ad Esdrae libros nulla invenitur allusio, neque certa in libris deuterocanonicis; traditio autem eorum *auctoritati divinae* invictum praebet fundamentum, quum Iudaeos et Christianos eis semper in canone suo locum attribuisse testetur.

Quae 2 *Mach.*1,18-2,13 de Nehemia narrantur, ex nostris libris non sunt hausta. Num Siracida laudes Zorobabelis, Iosuae, Nehemiae (*Eccli.* 49,13 sqq.) ex opere nostro desumserit, aliqui dubitant, quia Esdras non nominatur, cui tamen in restaurationis opere libri nostri primas partes attribuant. At respondent alii, vaticinia, quae Malachiae nomine inscripta sunt, a multis antiquis attribui Esdrae; Siracidam igitur, quum de duodecim prophetis iam esset locutus, Esdram proprio nomine iterum commemorare noluisse.

§ 33. — *De praecipuis commentariis catholicis in libros Esdrae.*

Inter antiquos PATRES nemo Esdrae libros commentariis instruxit; solus *V. Beda* edidit « in Esdr. et Nehem. *allegoricam* expositionem », quam excerpsit *Wal. Strabo*. — MEDIA AETAS quoque praeter Postillas *Hugonis, Lyrani, Carthusiani* nihil nobis de ll. Esdrae transmisit. — RECENTIORES INTERPRETES praecipui sunt C. SANCTIUS S. I. (Comm. in ll. Ruth, Esdrae, Nehemiae etc. Lugduni 1628.); *A. Crommius* S. I. (In Iob... Esdram, Nehem. Lovanii 1632.), *Nic. Lombardus* S. I. (In Nehem. et Esdr. commentar. liter., mor., alleg. Parisiis 1643.), *Leop. Mauschberger* S. I. (cfr § 29), etc. — Recentissimi sunt *B. Netelcr* (Die BB. Esdras, Nehemias u. Esther. Münster 1877.) et *Clair* (Esdras et Nehemias. Paris 1882.).

CAPUT VIII.

DE LIBRO TOBIAE.

§ 34. — *De libri Tobiae textibus, argumento, fine.*

1. — Liber Tobiae, cuius textus primigenius hebraicus interiit, quatuor praecipuis recensionibus, una latina (*Vulg.*), tribus graecis, quae siglis *Gr. A., B., C.* designari solent, earumque versionibus exstat. Quae, etsi inter se differant, omnes tamen eadem facta eodem ordine referentes quoad substantiam consonant, ita ut omnes quatuor pro authenticis sint admittendae, utpote longo ecclesiarum catholicarum usu approbatae.

Latinum Vulgatae nostrae textum S. Hieronymus, antequam linguae chaldaicae ipse studuerat, a rabbino hebraicae et chaldaicae linguarum peritissimo adiutus ex chaldaico quodam exemplari adornavit. Integrum quidem chaldaicum textum, quo usus est S. Doctor, non amplius possidemus [1], sed nulla est dubitandi ratio, quin primigenio exemplari satis accurate responderit. Porro S. Hieronymum in eo transferendo eandem, quam in reliquis libris, fidelitatem exhibuisse, iure creditur, licet forte magis « sensum e sensu, quam e verbo verbum » transferens a nonnullis amplificationibus non abstinuerit; revera ab omnibus aliis editionibus exsulant *Vulg.* 2,12-18; 3,19-24; 6,16-18. 20. 21; 8,4. 5; 9,12 b.; 11,9. Itaque de Vulgatae nostrae fidelitate prudens non dubitat, idque eo minus, quo certius est, S. Doctorem una cum textu chaldaico etiam antiquam Italam semper prae oculis habuisse; magna enim est inter *Vulg.* et *It.* affinitas. S. Doctoris versio inde a saec. 6. vel 7. sola adhibetur in ecclesia latina. — *Gr. A.*, quae in plerisque graecis codd. invenitur et in graeca ecclesia a multis saeculis adhibetur, primigenii libri compendium quam translatio rectius appellatur; eadem ab Armeniis versa est et adhibetur, atque hebraica quoque versio illa, quae *Hebr. Fagii* appellatur, ex ea est adornata uti etiam prior eius pars (1,1-7,8) syriace versa a Syris usurpatur. — Multo fusior et accuratior est *Gr. B.*, quae in cod. sinaitico est conservata; ab illa dependet *Itala* et ad illam prope accedit altera hebraica versio, quae *Hebr. Münsteri* nominatur. — *Gr. C.*, cuius ultima tantum pars in nonnullis codd. graecis et syriace translata in Bibliis syriacis conservata est, media quasi est inter *A.* et *B.*; priore enim est fusior, altera ieiunior. Graecus *A.* aliis creditur esse antiquior, sed quia non satis accuratus esse videbatur, a duobus aliis interpretibus *B.* et *C.* ex primigenio textu auctus et correctus est.

(1) *Chaldaica* libri Tobiae versio oblivioni plane erat data, quando ante paucos annos eius recensio quaedam in chaldaico quodam Geneseos commentario (Midrasch Bereschith Rabba) detecta est; at non integra ad nos pervenit. Etenim commentarii auctor duo ultima capita, quibus ad finem suum non indiguit, omisit et in narratione ipsa nonnulla compendioso modo reddidit (Cfr *Ad. Neubauer* The book of Tobit. A chaldee text. Oxford 1878.). Chaldaicus textus, licet a *Vulg.* longius quam a *Gr. B.* recedat, in eo tamen contra reliquas versiones cum illa consentit, quod statim a principio de Tobia tertiam personam adhibeat; in reliquis usque ad 3,6 Tobias prima persona res suas narrat.

2. — Pulcherrimus libellus fata enarrat Tobiae, pii Israelitae in captivitate assyriaca degentis, filiique eius homonymi[2] et nurus Sarae, qui, quoniam in calamitatibus suis Deo confidebant, magnis ab eo beneficiis cumulari meruerunt.

I. *Tobiae senioris et Sarae pietas et fiducia singularis* (1,1-3,25).

1. Tobiae senioris vita pia (1,1-3,6). — Tobias, uti ante captivitatem (1,1-10), ita in captivitate Legis fidelis observator, misericordia sua erga concaptivos (1,11-17) et maxime erga mortuos excelluit (1,18-25). Quibus in caritatis officiis caecus factus (2,1-18) uxoris opprobriis a Dei servitio retrahi se non sivit (2,19-23) sed ardente oratione ad eum confugit (3,1-6).

2. Sarae aerumnae et preces (3,7-23). — Eadem die, qua Tobias ab uxore, Sara opprobriis affecta est ab ancillis mortem septem maritorum ei exprobrantibus (3,7-10), at ipsa quoque ad solum Deum confugit (3.11-23).

II. *Auxilium utrique per angelum Raphael allatum* (4,1-12.22).

1. Raphael socium itineris Tobiae iuniori sese offert (4,1-5.28). — Filius pecunias Gabelo sub chirographo datas recuperaturus (4,1-23), socium itineris sumit Raphael angelum humana specie indutum (5,1-28).

2. Raphael, Tobiae socius, Saram ei uxorem impetrat (6,1-9,12). — Iuvenem ab invadente pisce liberatum monet Raphael, ut eius cor et iecur conservet ad medicamenta utilia, eumque exhortatur, ut (Ecbatanis) Saram sibi uxorem petat (6,1-22). Quibus monitis obsecutus Tobias Saram uxorem a parentibus impetrat (7,1-20), cum eaque fugato daemone nuptias celebrat (8,1-24), dum Raphael pecunias recuperat (9,1-12).

3. Raphael filium ad parentes reducens caeco seni visum restituit (10,1-12,31). — Cum uxore revertens Tobias iunior ab angelo edoctus oculos patris felle piscis sanat (10,1-11,28). De praemio, quod comiti incognito dent, consultantibus Raphael se angelum esse revelat atque disparet (12,1-22).

III. Epilogus (13,1-14,17) exhibet hymnum, quo Tobias senior Deo gratias agit de beneficiis acceptis (13,1-23) et brevem relationem de utriusque Tobiae morte (14,1-17).

3. — Deum servos suos, qui ab eo solo auxilium sperant, aerumnis quidem interdum probare, sed numquam derelinquere, e contra aliquoties etiam hac iam in vita virtutis exercitium remunerari, atque in genere « diligentibus Deum omnia cooperari in bonum », tam clare docet narratio, ut alium *finem* eius quaerere prorsus sit superfluum.

Aliae quidem veritates nonnullae practicae ex narratione recte deducuntur, at eius finem integrum constituere inepte dicuntur; Deo acceptam esse fidelem decimarum redditionem, aut eleemosynam, aut mortuorum sepulturam etc., procul dubio, sed quasi obiter, docet libellus. Arctioribus quoque limitibus finem libelli

(2) In *Vulg.* et in *Hebr. Fag.* pater et filius vocantur *Tobias* (טוֹבִיָּה, *bonus est Dominus*); in aliis textibus *patris* nomen variat : טוֹבִי (*bonum meum* sc. est Dominus) *Chald.* et *Hebr. Münst.*; Τωβίτ vel Τωβείτ (*Graec.* et *Syr.*) atque *Tobis* vel *Tobit* (*Ital.*) supponunt formam טוֹבִית (*bonitas* sc. Domini). Sensu igitur formae omnes inter se conveniunt, et quaecunque primigenia admittitur, pater filio *nomen suum* imposuisse recte asseritur (*Tob.* 1,9. *Vulg.*).

circumscribunt, qui *dispersis* Iudaeis Legem commendari censent; solos enim dispersos prae oculis non habuit auctor, sed omnes suos contribules.

§ 35. — *De libri Tobiae auctoritate et origine.*

1. — Unanimis est consensus catholicorum interpretum, veram historiam in libello tradi; quam sententiam integra eius indoles confirmat.

Medium inter libros historicos librum Tobiae ponunt omnes librorum sacrorum canones catholici, atque interpretes tantum non omnes eadem cum diligentia difficultates contra nostrae narrationis veritatem prolatas diluerunt, qua reliquos libros historicos defendunt. Neque id mirum, quoniam auctorem veram historiam tradere *voluisse* docent notae historicae, genealogicae, chronologicae, geographicae libello insertae; in romanensibus enim suis fabulis antiqui talia afferre non solebant[1]. — Porro narratione hac conficta auctorem finem aliquem ethicum prosecutum esse, dictitant adversarii, at non attendunt, mera fictione nec decimarum redditionem, nec misericordiam, nec aliam quamcumque virtutem commendari; si ficta narratione finem talem assequi voluisset, eiusmodi res narrare debuisset, quae secundum *ordinariam* providentiam contingere solent aut possunt; mythologicis fabulis nemo ad virtutis exercitium permovetur.

2. — Adversariorum autem argumenta, quibus aut integram narrationem confictam aut verum factum historicum poetice exornatum esse demonstrare conantur, aut rationalisticis praeiudiciis de miraculorum impossibilitate nituntur, aut id unum ostendunt, aliqua nomina propria fideliter non esse conservata.

a.) Vera esse non posse dicunt, quae de Raphaele Tobiae comite in diuturno itinere narrantur; at *similia* leguntur *Gen.* 18. 19. et *Act.* 12,6 sqq.; qui enim concedit, Lot per angelos ex civitate et Petrum per angelum ex carcere esse eductum, non negabit, angelum comitem Tobiae fuisse. — Neque seriam difficultatem creant ea, quae de Asmodaeo referuntur (3,8. 17; 6,7. 14. 16 sq.; 8,2 sq. *Gr.*). Asmodaeus[2] enim, daemon impurus, septem priores Sarae maritos ob eorum, ut videtur, libidinem occiderat (6,16 *Vulg.*), unde *iuvenis*, qui haec audierat, concludit (*auctor* autem *non* asserit), daemonem diligere puellam (6,14 *Gr. B.; A.; It.*), ab angelo autem edoctus Saram uxorem duxit seseque oratione ad matrimonium praeparavit (5,18; 8,4 *Vulg.*) simulque iecore piscis incenso daemonem fugavit (6,7. 16 sq.; 8,2), Deo scilicet « per haec corporalia, tamquam per instrumenta, supernaturaliter operante in fugandum daemonem, quemadmodum per sacramenta Ecclesiae daemoniorum potestas cohibetur » (*Est.*). Daemon demum in superiore Aegypto ligatus dicitur (8,3), quatenus « eius potestas nocendi ab angelo est cohibita » (S. *Aug.*) et ad certum locum determinata (cfr *Apoc.*

(1) Narrationem de Lazaro et divite Patres meris parabolis adnumerare noluerunt, quia *nomen* Lazari est expressum. Cfr *Tertull.* de Anima 7; *S. Ambros.* In Luc. 16,19. Simili modo ex Iobi nomine deducunt Patres, veram historiam ibi narrari. Fabulae romanenses, quae veris factis historicis fictiones superstruunt, antiquis erant ignotae.

(2) Nomen *Asmodaei* (אשמודאי, *chald.* אשמודאי) a rad. hebr. שמד (*perdidit*) recte derivatur; *perditor* enim aeque apta ac *satan* (adversarius) est mali daemonis appellatio. Superfluum igitur est, nominis etymologiam in Zendica lingua quaerere.

20,2). — Neque creditu difficilis est narratio de pisce (6,2 sqq.), qui pedi iuvenis inhians (*Gr. B.; It.*) subito terrore eum ita perculit, ut puer timeret, ne devoraretur (*Vulg.*). Cuius speciei vel generis fuerit piscis, num naturales an supernaturales fuerint virtutes cordi et iecori eius attributae, inquirunt interpretes; sed quidquid hac de re statuitur, in textu nihil legitur, quod respui possit ab eo, qui miracula admittit.

b.) Historicae difficultates sunt hae : Tobias a Salmanasar (1,2 *Vulg.*, *It.*, *Chald.*) vel ab Enemesar (*Gr. A. B.*) in captivitatem abductus dicitur; sed tribus Nephtali, ex qua erat oriundus, a Theglatphalasar est transportata (4 *Reg.* 15,29). Sennacherib vocatur filius Salmanasaris vel Enemasaris, licet Sargonis filium eum fuisse constet. Ninive ab Assuero et Nabuchodonosor destructa dicitur, sed a Cyaxare est expugnata. Rages, quae a Seleucidis fundata est, assyriaco tempore exstitisse supponitur. — Contra quae praemonemus, nomina propria libelli accurate non esse nobis transmissa, atque pro incognitis librarios interdum magis cognita posuisse [3]. Itaque censemus, in 1,2. 18 legendum esse *Enemesar* (ענם סר), quod nomen iisdem elementis, quibus nomen *Sargon* (סר ענם *Sarru-ginum*) constare recte asseritur; nomina autem componentia apud Assyrios (uti apud alios Semitas) interdum locum suum permutant. Quo supposito evanescunt duae priores difficultates; Sargonis (Enemesaris) filius fuit Sennacherib; nec quidquam obstat, quominus admittatur, aliquos Nephtalitas, qui Theglatphalasaris transportationem effugerant, post Samariae interitum cum reliquis Israelitis a Sargone (Enemesare) in Assyriam esse abductos. Porro Ninive capta est a Cyaxare (Achiachar *Gr. B.*; Achicar *It.*) et Nabopalasare; quibus nominibus sibi incognitis librarii substituerunt Assuerum et Nabuchodonosor. Rages demum est Mediae civitas antiquissima, a Seleuco Nicatore (non fundata, sed) restaurata (*Strabo*).

3. — Probabile est, utrumque Tobiam de suis rebus commentarios composuisse, quos unus ex eorum posteris versus exsilium babylonicum hodierno libello comprehendit.

Solis erroneis scopi, quem *confictae* narrationi attribuunt, definitionibus omnes illi nituntur, qui libellum Tobiae aut tribus primis saeculis *ante*, aut tribus primis saeculis *post* Chr. prodiisse dixerunt. Quibus praetermissis monemus, in omnibus textibus (praeter *Vulg.* et *Chald.*) Tobiam seniorem res suas prima persona narrare (1,1-3,6), ac proin primam partem, quoniam veram historiam narrari ostendimus, Tobiae ipsi auctori debere. Porro uterque Tobias hanc historiam conscribere ab angelo iussi sunt (12,20 *Gr.*, *It.*, *Hebr. Fug.* et *Münst.*) nec ulla ratio est admittendi, eos huic mandato non obtemperasse. Haud paucae demum patris et filii res intimae narrantur, quae illis solis cognitae erant. Quae omnia saltem probabile reddunt, eos de rebus suis narrationem aliquam composuisse. Integrum autem librum, qui patris et filii mortem refert, non nisi a recentiore scriptore esse terminatum evidens est, at nihil quoque nos cogit, ut eum exsilio babylonico re-

(3) Nomen patris *Tobiae* ipsum tribus vel quatuor diversis formis a librariis et interpretibus est redditum; mater Sarae *Edna* (*Gr.* etc.) ab *It.*, *Vulg.* vocatur *Anna;* pro *Rages* (3,7 *Vulg.*) legendum est *Ecbatana.* Simili modo *S. Hieron.* in *Nah.* 3,8 nomini *No Ammon* ei ignoto substituit *Alexandria populorum.* Quot nomina propria in ll. *Iosue*, *Paralip.*, *Esdr.* sint corrupta, nemo ignorat; neque pauciora corrupta sunt in ll. *Iudith* et *Esther;* interdum omnes omnino textus idem erroneum nomen exhibent (ex. gr. 2 *Reg.* 21,8 *Michol* pro *Merob* etc.).

centiorem esse dicamus. Etenim si quis obiecerit, Esdram, si eius aetate iam exstitisset, libellum in canonem recepturum fuisse, respondemus, Esdrae in Babylonia et Palaestina degenti librum in Assyria conscriptum non innotuisse.

4. — *Divina auctoritas* libelli, quamvis nec ab hodiernis Iudaeis nec a Protestantibus agnoscatur, extra dubium tamen ponitur Ecclesiae definitione, quae primorum iam Patrum testimoniis nititur; libellum enim velut divinum adhibentes eum ab Apostolis una cum reliquis Scripturis Ecclesiae traditum esse demonstrant. Quapropter illa quoque, quae de angelis liber Tobiae docet, velut divinae revelationes recipiantur oportet; ea autem ex Parsismo derivari, absurdum est commentum.

Quanto in honore apud *antiquos* Iudaeos liber Tobiae fuerit, praeter duas eius versiones hebraicas maxime docet chaldaicus textus, qui S. Hieronymi aetate iam usitatus postea in commentarium rabbinicum est receptus; ab alexandrinis autem Iudaeis graeca eius versio media inter alias Scripturas divinas locum obtinuit. Porro quo in loco eum habuerint Patres apostolici, elucet ex *S. Polycarpi* (ad Philipp. 10 cfr *Tob.* 4,10; 12,9) et *S. Clementis Rom.* (2 Cor. 16 cfr *Tob.* 12,8. 9; de Virg. 1,10 cfr *Tob.* 4,14) testimoniis. Exeunte saec. 2. in Oriente velut « divina Scriptura » allegatur a *Clemente Alex.* (Strom. I. 21; II. 23; VI. 12), quem secuti sunt *Origenes* (de Orat. 11. 14. 31 etc.), *S. Athanasius M.* (Apol. c. Arian. 11; Apol. ad Const. 17 etc.) iunioresque omnes. In Occidente saec. 3. ineunte eum eadem ratione allegat *S. Cyprianus* (de Mortal. 10; de Eleem. 5,20; de Bono pat. 18; c. Iud. I. 20; III. 1. 62 etc.), quem secuti sunt *S. Hilarius Pict.* (in Ps. 129,7; 118 ב 6 etc.) et reliqui. Ceterum saeculis primis tam vulgatus erat libellus Tobiae inter Christianos, ut in hypogaeis aliisque monumentis imago Tobiae sit una ex frequentioribus.

Contra libelli divinitatem obiicitur quidem, angelum mentitum esse, quum se « Azariam, Ananiae magni filium ex filiis Israel » diceret. At angelus, qui speciem externam viri alicuius assumserat eumque repraesentavit, eius quoque nomina sibi attribuere potuit, idque eo magis, quo aptius eorum significatio illi conveniebat (Azarias, עֲזַרְיָה, « auxilium Domini », filius Ananiae, עֲנַנְיָה, « bonitatis divinae »).

Parsismi accusatio, quae contra libri nostri angelologiam profertur, *unico verbo* nititur. Raphael se dicit « unum ex *septem*, qui adstant ante Dominum » (12,15 *Vulg.*, *Gr. A.*, *B.*, *It.*), in Parsismo autem etiam inveniuntur *septem* Amschaspand vel maiores spiritus. Nolumus urgere quod *Gr. C.*, *Syr.*, *Hebr. Münst.* numerum *septem* omittant, neque quod Parsismi documenta, quae exstant, libro Tobiae sunt recentiora, sed negamus similitudinem. *Septem* quidem Amschaspand agnoscit Parsismus, septenarium autem numerum efficit bono suo principio (Ormazd) sex spiritus ab illo creatos adnumerans; non *septem* igitur, sed *sex* spiritus sunt ministri Ormazdi, quorum unus igni, alter terrae, tertius aquae etc. dicuntur praepositi. Ergo nihil commune habent cum septem angelis, « qui adstant ante Dominum ».

CAPUT IX.

DE LIBRO IUDITH.

§ 36. — *De libri Iudith textibus, argumento, fine.*

1. — Primigenius libri Iudith textus, quem hebraicum vel chaldaicum fuisse constat, non est conservatus; eius locum tenent duae versiones, *graeca*, ex qua ortae sunt It., Syr. etc., atque *Vulgata*, quam S. Hieronymus ex chaldaico quodam exemplari adornavit. Ambae substantiam operis integram exhibent easdemque res gestas eodem ordine narrant; in accidentalibus autem quam maxime dissentiunt. Ambae quoque, utpote longo ecclesiarum usu approbatae, authenticae iure habentur, critice vero praeferenda videtur graeca, praesertim quia S. Hieronymus in sua praefatione non obscure innuit, se nonnulla, quae non satis intellexit, praetermisisse.

Graecum textum ex semitico, probabiliter hebraico, fonte fluxisse, non tantum multi, quibus scatet, semitismi (hebraismi), sed etiam lectiones quaedam demonstrant, quae erroneae hebraicorum verborum interpretationi originem debent[1]. Versionis autem graecae codices inter se satis variant, ut duae eius recensiones recte statuantur, quarum una mater est *Ital.* et *Syr.*, sed in paucissimis codd. graecis reperitur, altera quae vulgata graeca dici potest. — De graecorum codicum « varietate vitiosissima » iam conqueritur S. Hieronymus, qui eam praesertim ob rationem e chaldaico, quod invenerat, exemplari suam novam versionem adornavit, « magis sensum e sensu, quam e verbo verbum transferens » atque « *ea sola, quae intelligentia integra in verbis chaldaicis invenire potuit, latine exprimens* » (Praef. in Jud.). Vulgatus noster textus plerumque graeco est brevior[2] atque haud raro eosdem sensus alio prorsus modo exprimit; frequens est inter utrumque in numeris diversitas, frequentior et maior in nominibus propriis, atque in nonnullis locis neuter nobis genuinum nomen conservavit[3].

(1) Hebraicus fons iam ex particularum usu cognoscitur; coniunctio enim καὶ hebraico more omnium aliarum fere tenet locum (nusquam inveniuntur τε, οὖν, ἄρα, semel tantum μέν etc.). Etiam hebraica est frequentia infinitivi finalis; pronomini relativo additur demonstrativum etc. — Menda interpretis haec indicari solent : 16,3 (*Vulg.* 16,5) Assur venit ἐν μυριάσι δυνάμεως *Vulg.* « in multitudine fortitudinis suae » (*Gr.* confudit רֹב et רִבּוּ); 1,10 *Gr.* πέραν τοῦ Ἰορδάνου et *Vulg.* « trans Iordanem » de terra *cis*iordanica (hebr. בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן); 1,16 ὁ σύμμικτος et 2,20 ὁ ἐπίμικτος designat *socios; gr.* vocabulum הָעֵרֶב a rad. ערב (*miscuit*) derivavit; 3,9 cfr 4,6 confudit מַשּׂוֹר *serra* et מִישׁוֹר *planities.*

(2) *Vulg.* nonnulla quidem addit (cfr 3,9. 11; 4,11-14; 5,13. 15-19 etc.), sed multo plura omittit (ex. gr. *Gr.* 1,6. 13-16; 2,5. 7-10. 12. 13. 17. 21-23; 4,3. 4. 10. 13-15 etc.), pauca etiam transponit (ex. gr. *Gr.* 14,5-10 post 13,26).

(3) *Numerorum diversitas :* 1,2 *Gr.* 50 cubita, *Vulg.* 30; 1,3 *Gr.* 100 cubita, *Syr.* 60; 2,1 *Gr.* anno 18., *Vulg.* a. 13.; 2,5 *Gr* 120,000 peditum et 120,000 equitum, *Vulg.* 120,000

2. — *Argumentum* libri est forte ac memorabile facinus Iudith, viduae alicuius israeliticae, quae sola Assyriis terram sanctam invadentibus castra hostium ingressa ducem dolose occidit patriamque liberavit.

I. *Bellum Nabuchodonosor contra Iudaeos et obsidio Bethuliae* (1,1-7,25).

1. Belli initia (1,1-3,15). — Medorum rege devicto Nabuchodonosor toti Asiae citeriori bellum indixit (1,1-12), itaque eius dux Holofernes primum Asiam Min., deinde Mesopotamiam, tum Arabes subiecit (2,1-17), tantoque terrore reliquas gentes implevit, ut ultro se ei darent (2,18-3,15).

2. Holofernis expeditio contra Palaestinam et obsidio Bethuliae (4,1-7,25). — Filii Israel autem moniti ab Eliakim resistere statuerunt atque munitionibus et precibus ad bellum se paraverunt (4,1-18). Quibus auditis Holofernes spernens monita Achioris, quem Israelitis tradidit, ut cum eis periret (5,1-6,21), Bethuliam obsedit atque praeciso aquae ductu effecit, ut incolae urbem tradere vellent (7,1-25).

II. *Iudith occiso Holoferne Bethuliam et integram terram liberat* (8,1-16,31).

1. Iudith ad expeditionem suam sese praeparat (8,1-9,19). — Consilio seniorum audito Iudith eos increpat sibique facultatem petit exeundi ex oppido (8,1-34); qua facultate obtenta oratione sese ad expeditionem praeparat (9,1-18).

2. Iudithae expeditio et felix eius exitus (10,1-15,8). — Cum ancilla ex urbe egressa ad Holofernem adducitur (10,1-20), qui dolosis eius verbis captus eam in castris secum retinet (11,1-12,9). Quarto autem die Iudith ebrii ducis caput amputat eoque Bethuliam allato magnum gaudium excitat (12, 10-13,31). Postridie Bethuliotae perterritos hostes aggrediuntur eorumque castra diripiunt (14,1-15,8).

3. Populi gratitudo erga Iudith (15,9-16,31). — Eliakim cum populo celebrat Iuditham, quae Deo de victoria reportata gratias agit (15,6-16,21). Ierosolymis dies festus in victoriae memoriam instituitur (16,22-31).

3. — Praeclarum fortitudinis exemplum, etsi media a Iudith adhibita approbari omnia non possint, libellus ob oculos ponit, neque dubitandum est, quin piae mulieris castitatem, pietatem, fortitudinem celebrare auctor voluerit. *Primarius finis* tamen eius in Achioris verbis indicatur : « Si non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet eos » (5,25).

Liber Iudith, ut infra ostendemus, probabiliter versus finem regni Iuda scriptus est, quando Chaldaei iam in terram sanctam irruperant magnumque incolarum numerum abduxerant. Illo tempore filii Israel maxime monendi erant, Dominum populo suo etiam in gravissimis periculis constituto nec defuisse nec deesse, quamdiu aut diligenti Legis observatione ipsi adhaerebat aut sincera conversione ad ipsum reversus erat. Tam clare autem haec veritas ex tota narratione elucet, ut eam auctorem quoque lectoribus maxime inculcare voluisse recte statuatur.

et 12,000; 7,2 *Gr.* 170,000 peditum et 12,000 equitum, *Vulg.* 120,000 et 22.000, *Syr.* 172,000 et 22,000; 8,4 *Gr.* tres anni et *qualuor* menses, *Vulg.* tres anni et *sex* menses etc. — *Nominum propriorum diversitas :* 1,6 *Vulg.* Iadasou, *Gr.* Ὑδάσπης, *Syr.* אולי (Εὐλαῖος); 1,8 *Vulg.* Cedar, *Gr.* Γαλαάδ; 1,9 *Vulg.* terra Iesse, *Gr.* γῆ Γέσεμ; 2,13 *Vulg.* Tharsis, *Gr.* Ῥασσίς; 2,14 *Vulg.* Mambre, *Gr.* Ἀβρῶνα, *Sinait.* Χεβρών (Chaboras) etc. — Multa nomina propria a Vulgata praetermittuntur.

§ 37. — *De libri Iudith auctoritate et origine.*

1. — Librum Iudith vere esse historicum, non tantum tota antiquitas semper agnovit, sed ipsa quoque narrationis indoles clare docet. Quare eorum sententiae improbandae sunt, qui aut rem aliquam historicam poetice exornatam proponi, aut integram narrationem confictam esse, aut non de praeterita sed de futura re auctorem agere putant.

Teste S. Hieronymo ipsi Iudaei, licet librum Iudith in canone non haberent, eum « inter historicos computarunt » ; Patres autem omnes ita de Iudith loquuntur tantaque cum diligentia in aetatem, qua res narrata acciderit, inquirunt, ut eis persuasissimum fuisse appareat, veram historiam ab auctore tradi; neque diversa fuit interpretum sententia medio aevo. Primus Lutherus unanimem illum consensum turbavit narratione inter fictas fabulas amandata sequacesque habuit longe plerosque protestanticos interpretes, catholicis, licet historicas libri difficultates clarius, quam antiqui, perspicerent et de tempore, cui adscribenda esset res, acrius disputarent, unanimi consensu historicam libri auctoritatem tuentibus[1]. Quod testimonium confirmatur narrationis charactere, quae tempora accurate indicat (1,1 *Gr.*; 2,1), locos diligenter describit (1,1 sqq.; 7,1 sqq. *Gr.*), civitates a Holoferne expugnatas aut a Iudaeis munitas enumerat (2,21 sqq.; 4,4 *Gr.*), genealogiam Iudith tradit (8,1), Achioris posteros superstites esse (14,6), quotannisque festum in memoriam victoriae celebrari (16,31) refert etc. — Quare si veram historiam liber non continet, auctor dicendus est lectores in errorem inducere voluisse. Neque ab hac accusatione eum liberant, qui eum prophetam aut poetam egisse censent. Neque enim ullum exstat vaticinium, in quo illa facta esse asseruntur, quae facta non sunt (14,6; 16,31), aut quod res futuras ita proponit, ut omnes lectores de praeteritis agi *necessario* credant. Multo minus autem poetam appellare auctorem licet, atque ille nostros mores in antiquitatem transfert, qui in libello nostro fabulam romanensem videre vult.

2. — Inter *historicas* difficultates gravissima est de tempore, quo res narrata acciderit. Iam vero medio saec. 7., eo scilicet tempore, quo Manasses aut captivus Babyloniae degebat aut vix redux vinculis fractus sceierumque pristinorum memor administrationem regni nondum susceperat, is fuit Palaestinae et Assyriae status, qui in l. Iudith supponitur; Nabuchodonosoris nomine autem Asurbanipalem, regem Assyriae, designari atque in libello istas expeditiones narrari, quibus Asurbanipal populos Asiae, qui ab eo defecerant, ad obedientiam redigere conatus est, hypothesis est, quae omnes historicas difficultates optime solvit.

Prae oculis habeamus oportet, libelli nostri textum primigenium interiisse atque versiones culpa interpretum vel librariorum multis mendis esse corruptas, ita ut

(1) Unanimitas haec non tollitur trium quatuorve interpretum catholicorum dissensu. *Iahn* et *Movers* cum protestanticis plerisque narrationem confictam dicunt; *Ant. Scholz.* (Das B. Iudith eine Prophezie. Würzburg 1885. Commentar. 1886.) primus inter omnes in libello nostro vaticinium de ultima pugna Antichristi contra Ecclesiam detegere sibi visus est. Quibus quartus accedit *Fr. Lenormant* (la Divination chez les Chaldéens, p. 183 sqq.), cui tamen inter interpretes locus non debetur.

in nominibus propriis quamplurimi errores lateant (§ 36,1). De tempore, quo res acciderit, iam dissenserunt Patres et antiquiores interpretes, qui plerique, quoniam *regis* Iuda non fit mentio et populus templum reaedificasse dicitur (4,3 et 5, 18. 19 *Gr.* cfr 5,22. 23 *Vulg.*), rem post exsilium babylonicum gestam esse et Nabuchodonosoris nomine unum ex persicis regibus designari putarunt. Attamen tempore persico nec assyriacum regnum nec medicum exstitit, nec umquam Ninive fuit sedes regum Persarum, nec Iudaei umquam contra Persas bellum gesserunt aut rebellarunt; ideo moderni plerique rem intermedio tempore inter utriusque regni interitum accidisse rectius tenent, atque verisimiliora statuunt, qui illud tempus praeferunt, quo Manasses captivus Babyloniam adductus (2 *Par.* 33,11) regni administrationem vicario cuidam reliquerat.

Etenim *a.*) illo tempore exstitit pontifex, vel potius *praefectus domus regiae* Eliakim (4 Reg. 18,18 sqq.), cui ultimis Ezechiae annis Isaias supremam quamdam potestatem praedixerat (*Is.* 22,20 sqq.), ut non sine fundamento eum tempore Manasse, filii Ezechiae, regnum administrasse dicamus (4,5. 11). — *b.*) Eius autem auctoritatem etiam ad decem tribuum reliquias, quae aut captivitatem assyriacam subterfugientes aut ex ea clam reversae in montanis regionibus ab hoste non occupatis novas sedes fundaverant (5,3. 23), sese extendisse, recte admittitur; nam etiam sub Ezechia (2 *Paral.* 30.) et Iosia (2 *Paral.* 34.) reliquiae regni septemtrionalis regibus Iuda parebant. Atque eodem tempore incolae regni Iuda, qui cum Manasse idololatriae se dederant (2 *Par.* 33,9 sq.), regis captivitate perterriti ad Deum sunt reversi et « vasa et altare et templum sanctificaverant a pollutione » (4,3). De *reaedificatione* templi textus genuinus non loquitur. — *c.*) Assyriorum regnum tum temporis potentissimum erat. Assurbanipal (pro cuius ignoto nomine forte a librario quodam Nabuchodonosor positum est) integram Asiam citeriorem et Aegyptum variis expeditionibus subiecerat et inter reges sibi tributarios etiam nominat Manassen. Devicto Occidente arma Orienti intulerat; in suis Annalibus loquitur de Birizhadri *Medorum* rege devicto. Quo tempore autem in Media erat occupatus eius frater Sammughes (Saulmugina), quem Babyloniae praefecerat, occidentales populos ad rebellionem excitavit, ut eorum ope chaldaicum regnum sibi vindicaret. Haec videtur fuisse occasio belli, cuius expeditiones refert liber noster. Ex regis annalibus constat, eum rebellantes populos et fratrem suum debellasse atque fratrem suum etiam devicisse; ex iisdem quoque apparet, eum versus regni finem in Asia citeriore et in Aegypto non eadem, qua antea, auctoritate valuisse: ex nostro autem libro discimus, quae fuerit causa diminutae auctoritatis. Itaque annales regis et liber noster sese mutuo complent. — *d.*) Difficultas contra hanc temporis definitionem ex 16,28. 30 exoritur; Sammughes enim contra fratrem insurrexit c. a. 650., ita ut inter Holofernis expeditionem et Iosiae cladem apud Mageddo (608.) quadraginta tantum anni interiaceant. Quae difficultas solvitur errore in annis aetatis Iudith admisso; pro 105 (קה) legendum forte est 65 (סה); in 1,3 *Gr.* etiam legitur 100 (ק), ubi Syrus habet 60 (ס).

3. — *Geographicae* difficultates, quibus auctoritas libri impugnatur, ex eo proveniunt, quod adversarii ad hodierni textus corruptionem non satis attendunt, atque unam tantum Holofernis expeditionem describi supponunt, licet quatuor expeditiones ab auctore distinguantur.

Quanta sit nominum geographicorum corruptio, innumerae eorum discrepan-

tiae in variis textibus et codicibus clare demonstrant; paucissima enim in omnibus versionibus consentiunt; interpretum autem et librariorum errores auctori attribuere non licet. Attamen omnibus istis corruptionibus non obstantibus narratio apte explicatur, dummodo quatuor Holofernis expeditiones distinguantur. Asiam occidentalem enim redigere iussus a septemtrione incipiens contra Asiam Min. arma vertit, Melitenem expugnavit, Pisidas, Lydios, Cilices devicit (2,12-23 *Gr.;* 2,12. 13 *Vulg.*). Quo tempore in Cilicia bellum gerebat, Sammughes *aperte* rebellare coepit, quare Holofernes secunda expeditione Mesopotamiam usque ad sinum persicum domare coactus est (2,24 *Gr.;* 2,14 *Vulg.*). Ad Asiam citeriorem redigendam reversus tertiam expeditionem a Cilicia iterum incipiens prius Arabes nomades usque ad Nabatacam, deinde Arabes, qui prope Damascum stabiles sedes habebant, debellavit (2,25-27 *Gr.;* 2,15-17 *Vulg.*) atque tanto terrore alios populos perculit, ut omnes urbes maritimae a Sidon usque ad Ascalon ultro se ei dederent (2,28-3,10 *Gr.;* 2,18-3,15 *Vulg.*). Soli Iudaei resistere audebant, ideoque contra eos quartam expeditionem suscepit (4,1 sqq.), in qua devictus et occisus est.

4. — Quod si nonnulli obiiciunt, tam praeclaram Iudithae victoriam in aliis libris sacris non commemorari, recte respondetur, alia quoque praeclara beneficia divina ab uno solo auctore sacro referri, neque plane deesse, quibus narratio libri Iudith cum reliquis libris connectatur.

Profecto si liber Esther interiisset, nihil omnino de magno beneficio sciremus, quo Deus populum suum ab Amani persecutione liberavit; in solo Iudicum libro commemorantur Samsonis praeclare gesta; ex solo libro Ruth nobis filialis pietas huius mulieris et semimoabitica origo domus Davidicae innotuerunt etc. Ceterum Isaias praefecto domus regiae Eliakim supremam auctoritatem praedicens, atque auctor Paralipomen narrans Manassen e captivate reducem civitates regni sui munivisse etc. aliqua ratione narrationem nostram cum sacra historia connectunt. Secundum nonnullos interpretes Nahum propheta diserte de Iudithae victoria locutus est; sed licet hoc ab aliis non concedatur, evidens tamen est, silentium reliquorum scriptorum sacrorum veritati historicae libri nostri non obstare.

5. — *De libri Iudith origine* nihil certi est traditum; verisimilitudine autem non caret eorum coniectura, qui eum versus exsilii babylonici initium a Iudaeo palaestinensi conscriptum esse censent.

Omni prorsus argumento destituuntur, qui aut Iudithae ipsi, aut pontifici Eliakim, aut Achiori duci Ammonitarum, aut summo sacerdoti Iosuae etc. librum attribuunt; Iudaeum palaestinensem fuisse auctorem quum hebraica, qua usus est, lingua tum accurata, quam in Bethuliae descriptione prodit, locorum palaestinensium scientia probabile reddunt. Quo tempore vixerit, difficile definitur. Immerito nonnulli, ut tempori machabaico eum adscribere possint, synedrium (τὴν γηρουσίαν 4,8; 11,14; 15,8 *Gr.*) atque προσάββατα et προνουμηνίας (8,6 *Gr.*) commemorari monent; synedrii enim proprie dicti non fit mentio, sed graecus interpres vocabulo sua aetate usitato designavit « seniores populi »; de prosabbatorum autem et pronoumeniarum, quae a solo Graeco nominantur, institutione nihil scimus; quare nullum machabaicae aetatis vestigium in toto libro reperitur. E contra tam accurata et vivida est tota narratio, ut omnino recens rerum gestarum memoria fuisse videatur eo tempore, quo literis mandatae sunt. Attamen immediate postea conscriptae non sunt, quia Iudithae mors (16,25 sqq.) et in Vulgata

(14.6) etiam Achioris posteri iam commemorantur. Quapropter illis assentimur, qui circiter quinquaginta annis post Bethuliae liberationem librum scriptum esse tenent, neque reiicimus eorum sententiam, qui auctorem in eo conscribendo commentariis ab Achiore vel alio eiusdem aetatis viro relictis usum esse existimant.

6. — *Divina auctoritas libri Iudith*, qui a Iudaeis et Protestantibus inter canonicos non recipitur, inde ab apostolico tempore in Ecclesia semper est agnita; omnia autem, quae in Iuditha ab adversariis vituperantur, si iure vituperarentur, non magis libri inspirationi obessent, quam similia, quae in aliis libris sacris leguntur.

Nonnulli in Novo Test. ad librum Iudith interdum alludi censent (*Luc.* 1,42 cfr *Iudith* 13,24 *Vulg.*; 14,7 *Gr.*; — 1 *Cor.* 10,9. 10 cfr. *Vulg.* 8,24. 25; — *Matth.* 13,42. 50 cfr. *Gr.* et *Vulg.* 16,21; — *Act.* 4,24 cfr. *Gr.* 9,12 et *Vulg.* 9,17); quibus, utpote incertis, praetermissis potius ad Patrum testimonia recurrimus, inter quos saec. 1. *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 55), saec. 2. *Clemens Alex.* (Strom. II. 7. IV. 9), saec. 2. exeunte et saec. 3. ineunte *Iulius Afric.*, *Origenes* (de Orat. 13,29; In Iudic. hom. 9,1 etc.), *Tertullianus* (c. Marc. I. 7; de Monog. 17), saec. 3. exeunte et saec. 4. ineunte *S. Methodius Tyr.* (Conviv. Or. XI. 2), *S. Athanasius M.* (c. Arian. Or. II. 35), *Eusebius Caes.* (Chronic. Olymp. 63,1) etc. librum Iudith velut divinum adhibuerunt, quibus addamus *S. Ambrosium* (de Offic. III. 13), *S. Augustinum* (de Civit. Dei XVIII. 26), *S. Hieronymum* (ad Princip. ep. 65,1). Gravius autem est, quod teste S. Hieronymo *Concilium Nicaenum I.* librum Iudith « in numero SS. Scripturarum legitur computasse » et quod *Concilia Carthag.* et *Hippon.*, uti *SS. Damasus*, *Innocentius I.*, *Gelasius* eundem in canone suo enumeraverint. Apostolicam igitur traditionem secuti sunt Concilia *Florent.* et *Trident.*, quando eum inter sacros libros divinitus inspiratos retulerunt. — Non omnia, quae Iudith egit, probari posse, iam supra monuimus; de quibus optime *S. Thomas* (Summ. II. 2. qu. 110, a. 2. ad 3) : « Quidam commendantur in scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quaedam indebita facienda [quae tamen pro licitis habebant]; et hoc modo Iudith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis sese exposuit ». Adde, ipsius Iudithae verbis « non omnibus tribuendum esse pondus et auctoritatem Scripturae Sacrae » (*Est.*); multo minus talis auctoritas competit aliarum personarum verbis ab auctore relatis.

CAPUT X.

DE LIBRO ESTHER.

§ 38. — *De libri Esther textibus, argumento, fine.*

1. — Duabus recensionibus, breviore hebraica et longiore graeca, conservatus est liber Esther; graeca autem additamenta esse genuina et ad primitivum libri textum pertinere non tantum antiquis testimoniis, sed ipsa quoque indole narrationis constat, quae illis demtis manca est atque imperfecta, immo charactere vere religioso caret.

Infra quidem (§ 39) de utriusque recensionis origine et de additamentorum canonicitate disseremus; hoc autem loco de eorum antiquitate et indole nonnulla sunt praemonenda. Additamenta graeca, quae velut membra disiecta S. Hieronymus suae hebraici libri versioni addidit, septem sunt numero : *a.*) libri prologus, in quo Mardochaei somnium narratur, quo integri libri argumentum insinuatur (11,2-12,6 *Vulg.*), *b.*) regis Assueri edictum de caede Iudaeorum (ad 3,14; — 13, 1-7 *Vulg.*); *c.*) Mardochaei exhortatio ad Esther (ad 4,8; — 15,1-3 *Vulg.*); *d.*) preces Mardochaei et Estheris (ad 4,17; — 13,8-14,19 *Vulg.*); *e.*) descriptio ingressus Estheris ad regem (ad 5,1. 2; — 15,4-19 *Vulg.*); *f.*) alterum Assueri decretum Iudaeis propitium (ad 8,13; — 16,1-24 *Vulg.*); *g.*) epilogus explicationem somnii Mardochaei et notam de origine graeci textus exhibens (post 10.3; — 10,4-11,1 *Vulg.*). — Omnia haec additamenta a *Theodotione* in suam versionem sunt recepta, a *Fl. Iosepho* adhibita (Antiqu. XI. 6), chaldaice inter Iudaeos pervulgata (*De Rossi* Chald. Estheris additamenta. Romae 1782.). Immo saec. 2. a. Chr., quando prima graeca libri versio adornata est, eadem in hebraicis exemplaribus adfuisse, docet graeci libri subscriptio, cuius verba « *haec epistola Purim* », quum immediate interpretationem somnii Mardochaei sequantur ac proin somnium in exordio relatum supponant, integrum librum una cum eius additamentis designant (11,1 *Vulg.*). Iure igitur concludimus, eadem in primitivo libro iam adfuisse, idque eo magis, quia illis demtis liber esset mancus et imperfectus. Prologo enim (somnio Mardochaei) et epilogo (somnii explicatione) totum opus ad unitatem redigitur, iisdemque et reliquis additamentis religiosus libri character manifestatur. Nam in integro textu hebraico ne semel quidem Deus nominatur, nusquam eius providentia commemoratur, nusquam eius auxilium imploratur neque ei de auxilio obtento gratiae aguntur. Atqui haec alienissima sunt ab omnium aliorum librorum sacrorum indole, qui aperte et manifeste characterem suum religiosum prae se ferunt, dum in hebraico libro prorsus est tectus et occultus; at insere additamenta graeca, atque statim apparebit eadem indoles religiosa, qua alii libri sacri insigniuntur. Quapropter in argumento divisioneque libri indicandis additamenta velut genuinas partes suis locis inseremus.

2. — Integri libri argumentum est documentum providentiae Dei, qui

populum suum a gravissimo periculo, cui Xerxis[1] tempore per Aman expositus erat, per Mardochaeum eiusque neptim Esther eripuit.

Prologus (11,2-12,6). *Somnium Mardochaei de futuro periculo.*

1. Anno 2. Assueri (484.) Mardochaeus vidit somnium symbolicum, quod non intellexit, duos sc. dracones de parvo populo colluctantes, qui servatus est per parvum fontem (11,2-12).
2. Paucis annis postea duorum eunuchorum coniurationem per Estherem (cfr 2,21 sqq.) regi manifestans Amanis odium sibi attraxit (12, 1-6).

Prima pars (1,1-3,15 et 13,1-7), *quomodo periculum Iudaeis exortum sit, exponit.*

1. Esther, uxor regis facta, ei manifestat coniurationem a Mardochaeo detectam (1,1-2,23). — A. 3. regni (483.) in magno convivio Assuerus repudiavit uxorem suam Vasthi (1,1-22) atque pro ea a. 6. regni (479.) elegit Estherem, neptim Mardochaei (2,1-18), quae ei coniurationem eunuchorum manifestavit (2,19-23).
2. Amanis contra Mardochaeum et Iudaeos machinationes (3,1-15; 13,1-7). — Eo tempore Aman Mardochaeo iratus omnes Iudaeos perdere voluit (3,1-6) ideoque regi persuasit, ut die 13. ultimi mensis anni illius omnes Iudaeos occidi iuberet (3,7-15; 13,1-7).

Pars altera (4,1-17; 15,1-3; 13,8-14,19) *narrat, quomodo Mardochaeus et Esther ad periculum propulsandum sese praeparaverint.*

1. Regio decreto perterritus Mardochaeus Estherem monet, ut regem pro populo deprecetur (4,1-8; 15,1-3), quae sua ex parte postulat, ut triduano ieiunio Iudaei Deum antea placent (4,9-16).
2. Ieiunio igitur indicto (4,17) precibus fusis Mardochaeus (13,8-18) et Esther (14,1-19) divinum auxilium implorant.

Pars tertia (15,4-19; 5,1-8,12; 16,1-24; 8,13-10,3) *de periculo in hostes propulsato.*

1. Esther a rege supplicium Amanis impetrat (15,4-19; 5,1-8,2). — Ad regem ingressa (5,1; 15,4-10) eum cum Amane ad coenam invitat (5,2; 15,11-19; 5,3-8). Qua invitatione laetatus Aman magis de Mardochaei occisione cogitat (5,9-14), sed rex recordatus, quod praemium detectae coniurationis Mardochaeo nondum esset datum, postridie Mardochaeo ab Aman regios honores deferri iussit (6,1-14). In coena autem ab Esthere accusatus Aman capitis damnatus est (7,1-8,2).
2. Esther populo suo completam victoriam obtinet (8,3-10,3; 16,1-24). — Assuerus novo decreto Iudaeis permittit, ut die morti eorum destinato se ab hostibus defendant (8,3-12; 16,1-24; 8,13-17). Itaque die statuto (et Susis etiam insequente die) Iudaei multos hostes occidunt (9,1-16). In victoriae memoriam festum Purim (sortium) instituitur (9,17-32); Mardochaeus autem fuit secundus in regno Assueri (10,1-3).

Epilogus (10,4-13) somnium de duobus draconibus (Mardochaeo et Amane) et parvo fonte (Esthere) explicat.

Subscriptio (11,1) docet, quomodo liber in Aegyptum sit allatus.

(1) S. Hieronymus in priore libri parte, quam ex hebraico transtulit, nomen regis אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ transcripsit *Assuerus*, in altera reliquit nomen ab Alexandrinis adhibitum *Artaxerxes*; infra (§ 39) ostendemus *Xerxem* esse intelligendum; nihilominus in conspectu argumenti et divisionis *Assueri* nomen retinebimus etiam in additamentis.

3. — Liber Esther, si integer cum omnibus suis additamentis consideratur, eo maxime tendit, ut doceat Deum fideli suo populo numquam defuturum neque illum, licet rebus fere iam conclamatis, interire permissurum, dummodo ad ipsum confugerit. Quem finem ipse auctor satis clare in epilogo innuit (10,12. 13).

Plerique interpretes solum hebraicum librum respicientes auctorem originem et causam festi Purim explicare voluisse statuunt, idque satis apte, quia alius finis, si additamenta negliguntur, difficile detegetur. Quamprimum autem additamenta inseruntur, statim apparet specialis illa providentia, qua Deus populo suo semper invigilavit, neque est dubitandum, quin auctor noster eadem fere ratione, qua auctor l. Iudith, eam maxime voluerit celebrare atque lectoribus suis ob oculos ponere. Neque profecto mirum est, quod Deus Iudaeos, qui inde ab exsilii babylonici initio semper sub ethnicarum gentium iugo degebant, duobus istis libris consolari voluerit atque exhortari, ut pristinarum promissionum ipsum immemorem non esse certius cognoscentes Legem acceptam fidelius observarent.

§ 39. — *De libri Esther auctoritate et origine.*

1. — Eodem modo, quo librorum Tobiae et Iudith, etiam huius *auctoritas historica* a multis repudiatur; at auctorem veram historiam narrare voluisse atque narrasse docent integri operis indoles vere historica, continua festi Purim, cuius originem explicat, celebratio, rerum narratarum cum Persarum historia, quam profani scriptores tradunt, consonantia.

De historica rei narratae veritate usque ad exeuntis saeculi finem nemo dubitavit; primus *Semler*, rationalismi biblici parens, « confictam esse universam parabolam, fastus et arrogantiae Iudaeorum locupletissimum testimonium » impudenter asseruit; sequaces autem habuit omnes rationalistas, qui difficultatibus historicis plenum esse opus et continuo contra persicos mores peccare dictitant, contradicentibus utique aliis protestanticis interpretibus, qui hebraicae saltem recensionis characterem historicum defendunt.

Iam vero libri Esther indolem vere esse historicam tam clarum est, ut per plus duo millia annorum nemo eum legens se fabulam romanensem legere sit suspicatus; mira enim simplicitate splendet narratio, atque accuratissima est etiam in minoribus rebus referendis. Neque enim arbitrarie conficta dicere licet tot nomina personarum (1,10. 11. 14; 2,8. 14. 21; 5,10; 9,7 etc.), aut tot temporis indicationes (1,3; 2,16; 3,7. 13; 8,12 etc.); nec fraudulentam auctoris ad annales Medorum et Persarum provocationem (10,2), aut ad institutionem festi Purim, quippe quod iam saec. 2. a. Chr. nomine « Mardochaei dies » sit appellatum (2 *Mach.* 15,37).

Olim quidem dubitatum est, quis esset Assuerus, quo regnante Esther Iudaeos a Persarum persecutione esset tuita; at hodie omnes, qui historicam libri auctoritatem admittunt, Xerxem intelligendum esse tenent. Nam consonant nomina, siquidem *Achaschverosch* אחשורוש demto Aleph prosthetico et Massoretharum vocalibus neglectis accurate respondet persico *Chsay-ârschâ;* consonat utriusque character, siquidem in utroque eadem in agendo inconstantia et dementia, ut homini deliro, quam sano, uterque interdum sit similior, eadem crudelitas ulciscen-

dique cupido, eadem luxuria et libido; consonat quoque utriusque vitae chronologia. Teste Herodoto (VII. 8 sqq.) Xerxes a. 3. regni omnes imperii principes Susis congregavit, ut cum eis de bello Graecis inferendo consilia conferret; illa igitur occasione celebrata sunt festa, quae a. 3. Assuerus cunctis principibus praeparasse dicitur (1,3) et quorum occasione reginam Vasthi repudiavit. Anno 5. deinde Xerxes infelicem expeditionem in Graeciam suscepit et anno insequente reversus est. Illo igitur tempore congregatae sunt puellae, ex quibus novam reginam eligeret; intercedente autem bello graeco optime explicatur, cur Assuerus ab a. 3. usque ad a. 6. electionem novae reginae retardaverit (2,16 cfr 2,12). Consonant demum, quae de persicis rebus tradit noster liber, cum profanorum auctorum descriptionibus.

2. — Veram igitur in l. Esther historiam narrari certum est, eoque certius, quo leviores sunt obiectiones omnes magna cum operositate contra libri auctoritatem conquisitae.

Quidquid adversariis creditu videtur difficile, velut magna obiectio proponitur, licet ne minimam quidem difficultatem creet. Praecipua enim haec sunt. Creditu eis videtur difficile, quod Esther iudaicam suam originem tamdiu regi et Amani occultare potuerit; neque enim attendunt, viros polygamiae addictos de concubinarum origine parum esse sollicitos nec Xerxem (ac multo minus Amanem) rationem habuisse, cur Estheris genus exquireret. — Credere non possunt, Assuerum iam undecim mensibus ante diem caedi Iudaeorum destinatam hac de re decretum promulgasse; neque enim attendunt, Amanem ex Persarum more diem caedis *sorte* exquisivisse atque pro sua superstitione non dubitasse, quin hic dies *sorte* assignatus, quidquid antea ageret non obstante, faustus sit futurus; ceterum nec fuga nec rebellio Iudaeorum in vasto regno dispersorum videbatur timenda. — Neque credere volunt, Iudaeos, quum vitae defendendae permissionem decreto regio accepissent, omnes suos hostes vicisse atque uno die 70.000 virorum occidisse. Attamen satrapae optime sciebant, decretum regium a Mardochaeo transmissum exsecutioni esse mandandum; ab illis autem adiuti Iudaei suos hostes facile vincere potuerunt. Iam vero eos in vastissimo imperio, quod ab India ad Aethiopiam sese extendit, 70.000 hostium uno die occidisse, improbabile non est, si Mithridates in regno multo minore 80.000 Romanorum uno die occidit. — His similes, sed leviores, sunt reliquae difficultates.

3. — Inter varias sententias de libri Esther origine propositas illa recte praefertur, quae potiorem hebraicae narrationis partem (1,1-9,22) Mardochaeo attribuit, opus tamen per Esdram, quando festum Purim a Iudaeis palaestinensibus receptum est, duabus appendicibus institutionem festi approbantibus (9,23-28.29-32) terminatum esse censet. Recentioris enim originis non deprehenditur vestigium.

Viris « magnae synagogae » *Thalmudistae* opus attribuunt, SS. *Augustinus* et *Isidorus Hisp.* Esdrae, *Clemens Alex.* et plerique antiquiores interpretes Mardochaeo; ex commentariis Mardochaei Iudaeum paullo recentiorem sed in persico imperio degentem opus composuisse, multi catholici recentiores tenent, a quorum sententia haud longe nostra recedit. — Recte monent plerique, multa tam accurate et dilucide narrari, ut ipsa narrationis indoles testem aequalem prodat, atque alia legi, quae a solis Mardochaeo et Esthere tradi potuerint. Accedit

autem, quod « Mardochaeus haec omnia scripsisse et literis comprehensa ad Iudaeos misisse » diserte dicatur (9,20); quae verba, etsi de aliis commentariis per Mardochaeum scriptis per se intelligi possint, aptius tamen de integra narratione intelliguntur, in qua usque ad 9,22 ne verbulum quidem habetur, quod Mardochaeo attribui nequeat. — Aliter autem se res habet de 9,23-28. 29-32, quae impuriore stylo conscripta certum iam tempus a prima festi institutione effluxisse supponunt ideoque a iuniore scriptore addita merito dicuntur. Nihil autem vetat, quominus Esdram haec addidisse librumque terminasse dicamus.

Neque enim recte aliqui ex operis lingua hebraica satis impura concludunt, illud Esdrae aetate esse recentius; impurior enim lingua, quam in Esdrae et Paralip. libris, non est, atque pauca persica vocabula adhibita id unum demonstrant, auctorem in Persia vixisse. Parum apte quoque alii ex eo, quod nonnulla ad Persarum historiam et mores spectantia explicantur (1,1. 13; 8,8), deducunt opus post persici imperii interitum esse conscriptum; nam multo plures res persicae lectoribus omnino supponuntur cognitae, atque tria, quae obiiciuntur, ab auctore aptissime in memoriam revocantur : magnitudo imperii persici (1,1), ut periculi gravitas clarius perspiciatur; sapientium consilium, quo reges persici utebantur in legibus ferendis (1,13), ut iniustitia decreti Amanis cognoscatur, quod nullo consiliario adhibito latum est (3,8-10); immutabilitas decretorum persicorum (8,8), quae ad integram narrationem intelligendam cognitu est necessaria; nam quia « decretum scriptum nomine regis et obsignatum sigillo regis non potuit *irritum fieri* », ideo alterum decretum requirebatur, quo Iudaeis die caedi eorum destinata ius belligerantium (8,11) concedebatur. — Demum si « propter ulciscendi cupidinem et sanguinis sitim, quibus originem debeat », aetati Seleucidarum librum adscribere volunt rationalistae, iniquae textuum interpretationi eorum obiectio innititur. Iustae enim defensionis limites transgressi non sunt Mardochaeus et Esther; namque quoniam secundum leges persicas decretum caedem Iudaeorum praescribens revocari et irritum fieri non potuit, alia salutis via Iudaeis non patuit, quam ut alterum decretum regium expeterent, quo ius liberae defensionis obtinerent. Esther vero, si a rege postulavit, ut Iudaeis daretur « potestas faciendi *cras in Susan,* sicut hodie fecerunt » (9,13), id unum intendit, ut Susanis, inter quos Aman procul dubio multos asseclas habuit, maior terror incuteretur, ne iterum Iudaeos aggredi auderent.

4. — Quae de Mardochaeo libri auctore dicta sunt, ea de *integro* libro intelligantur oportet; etenim in primitivo libro etiam additamenta, quae hodie in textu hebraico desiderantur, adfuisse certum est; mutilum autem librum, omni fere charactere religioso destitutum, in suum canonem receperunt Iudaei, quando festum Purim religioso suo amisso charactere in mera saturnalia degenerare coeperat.

Additamenta olim in hebraico exemplari adfuisse, *supra* (§ 38,1) iam ostendimus, atque frustra contendunt protestantici interpretes, additamenta cum hebraico textu pugnare; solis enim erroneis interpretationibus contradictiones extorquentur. Mardochaeum iam 2. a. Assueri praemium detectae coniurationis recepisse, nequaquam asserit primum additamentum, quoniam inepte 12,1 sqq. immediate cum 11,2 coniungitur; duabus enim particulis 11,2-12 et 12,1-6 constat primigenii libri prooemium, et altera absque ulla temporis indicatione priori adnectitur, ut duorum draconum, de quibus prior (somnium Mardochaei) agit, nomina et luctae

causa manifestentur. Porro 12,6 cum 3,4. 5 non pugnare, demonstratione non indiget; inter 13,6 et inter 3,13 et 9,1 differentia quidem adest numeri, sed librariis debetur, qui etiam nomina nonnulla propria corruperunt. — Cur vero Iudaei integrum librum non retinuerint, aptior ratio, quam festi Purim degeneratio, dari non videtur. Quamdiu enim illud debito modo celebrabant, integrum librum in synagogis quotannis ista die praelegebant; quum vero in diem lasciviae degenerare coepisset atque mos invaluisset, ut in ipsa synagogali libri lectione nomina Mardochaei et Amanis inconditis benedictionis aut maledictionis clamoribus salutarentur, synedrium timens, ne nomen Dei inhonoraretur, libri compendium, quod praelegeretur, videtur adornasse, hodiernum sc. textum hebraicum, expuncto nomine divino, excisis partibus mere religiosis (precibus Mardochaei et Estheris) illisque quae ad historiam ipsam non pertinebant (somnio Mardochaei eiusque explicatione), aliis denum, quae longiora videbantur (duobus decretis Assueri, descriptione ingressus Estheris ad regem) in epitomen coactis. — Hinc factum videtur, ut postea de huius compendii canonicitate inter Iudaeos dubitaretur; saec. 2. p. Chr. enim inter eos controversiam exstitisse de l. Esther divina inspiratione, multis testimoniis thalmudicis constat; at illa quaestio mox est definita atque ab illo tempore primitivus textus longior negligebatur solisque nonnullis paraphrasibus chaldaicis partes omissae a Iudaeis conservabantur.

5. — Ecclesia primitivi libri integri versionem graecam inde a primis fidei temporibus inter sacras suas Scripturas habuit et tamquam fidelis integrae revelationis custos integrum librum velut divinitus inspiratum conservavit.

S. *Clemens Rom.* exeunte saec. 1. illas libri partes, quae textui hebraico desunt, velut divinas Scripturas adhibuit (1 Cor. 55); exeunte saec. 2. easdem adhibet *Clemens Alex.* (Strom. IV. 19) et ineunte saec. 3. *Origenes* ex earum canonicitate, velut e re ab omnibus concessa, contra Iulium Afric. demonstravit, a recentiorum Iudaeorum canone ad canonem Christianorum non valere illationem (ad Iul. Afric. 3). Verum quidem est, *S. Gregorium Naz.* librum nostrum in suo canone praetermittere, *S. Amphilochium* eum non ab omnibus admissum dicere, *S. Hieronymum* additamenta velut spuria reiicere; at trium horum testium, quamvis magna statuatur eorum auctoritas, dissensus nulla ratione aliorum Patrum testimonium infirmat, qui unanimi consensu integrum opus velut divinum adhibuerunt. Quare etiam medio aevo omnes interpretes, paucissimis exceptis qui S. Hieronymum sequi maluerunt, de canonicitate eius non dubitaverunt, quam Conc. Florent. et Trident. definiverunt. Lutherum autem secuti moderni rationalistae illud plane reiiciunt, quoniam « caedem spiret et sanguinem, superbiam et odium, nihil divini contineat, quum ne semel quidem Deum nominet ». Quae immerito et iniustissime obiici, praesertim si liber cum additamentis consideretur, supra iam diximus.

CAPUT XI.

DE DUOBUS MACHABAEORUM LIBRIS.

§ 40. — *De utriusque libri Machabaeorum argumento et fine.*

1. — Duo libri Machabaeorum, licet nec ab eodem auctore nec eundem in finem sint conscripti, apte coniunguntur, quia in iisdem fere rebus gestis narrandis versantur et alter alterum complet. Bella enim narrant, quibus Iudaei ducibus Mathathia eiusque filiis patriae suae libertatem a Seleucidarum oppressione recuperarunt. Atque prior quidem liber integrorum istorum bellorum exhibet conspectum, alter autem solius Iudae Machabaei res gestas tradit.

Machabaeus cognomen est Iudae, tertio Mathathiae sacerdotis filio, ob fortitudinem, ut videtur, inditum, qua Seleucidas populi sui oppressores devicit (מקבי, *malleator,* aut מכבי, *exstinctor*). Ab illo autem nomen non tantum in totam eius familiam, quam *Hasmonaeorum* vocat Fl. Iosephus, sed etiam in omnes eius asseclas transiit, qui aut armis tyrranidem Seleucidarum impugnabant, aut patriam fidem in Seleucidarum persecutione martyrio profitebantur. Unde etiam idem nomen sortiti sunt duo nostri libri, qui de hac persecutione et de his bellis agunt. Persecutio initium sumsit ultimo Seleuci IV. Philopatoris anno (177.), multo autem gravior exarsit sub eius successore Antiocho IV. Epiphane (*Vulg.* Illustris), cuius crudelitate in desperationem iniecti Asidaei ducibus Mathathia filiisque eius arma sumserunt et continuis quadraginta annorum bellis patriam religionemque contra Epiphanem eiusque successores defendebant. Temporum ratione habita incipimus a 2. Machab., quippe qui iam ab ultimo Seleuci IV. anno narrationem exordiatur (cfr App. XI.).

2. — *Liber* 2. *Machab.* duabus partibus prorsus distinctis constat; narrationi enim suae ex Iasonis Cyrenaei libris excerptae de initio persecutionis seleucidicae et de bellis a Iuda Mach. gestis auctor duas epistolas (1,1-2,19) praemittit, quibus a. 124. et a. 162. a. Chr. Iudaei ierosolymitani aegyptiacos invitarunt, ut secum encaeniarum festum mensis Caslev peragerent. Narrationem quoque in duas sectiones distribuit, quae singulae relatione novi festi instituti terminantur (10,1-9; 15,36. 37).

Introductio (1,1-2,19) duas exhibet *Iudaeorum palaestinensium epistolas :*

1. Prior aliquam anteriorem (anni 144) commemorans Aegyptios ad encaenia invitat (1,1-10 a.);
2. altera a morte Epiphanis referenda incipiens (1,11-17) pro invitationis motivo narrat historiam ignis tempore Nehemiae divinitus dati (1,18-2,12) atque simul libros sacros Aegyptiis offert (2,13-19).

Narratio *de Seleucidarum persecutionibus et Iudae Machabaei bellis* (2, 20-15,40).

Prologus de fonte et consilio auctoris (2,20-30).

I. *Persecutionis initia et prima Iudae bella usque ad templi purificationem* (3,1-10,9).

1. Persecutionis praeludium anno ultimo (177.) Seleuci IV. (3,1-4,6). — Quum rex per Heliodorum thesauros templi auferre vellet (3,1-10), Deus populi precibus exoratus sacrilegium miraculo avertit (3,11-4,6).

2. Persecutio ab Antiocho IV. Epiphane (176.-163.) excitata (4,7-7,42). — Quo tempore Iason et Menelaus de summo sacerdotio litigabant (4,7-5,10), Epiphanes templum diripuit, urbem occupavit, Iudam ut in desertum cum paucis se reciperet coegit (5,11-27), Iudaeos a patria religione avertere conatus est (6,1-17); qua occasione fortiter pro Lege mortui sunt Eleazarus (6,18-31) et septem fratres cum eorum matre (7,1-42).

3. Iudae primae victoriae (8,1-10,10). — At Iudas parva fidelium manu collecta hostes debellare coepit atque Nicanorem eiusque duces Bacchidem et Timotheum devicit (8,1-36). Qua clade audita Epiphanes iratus Iudaeos perdere voluit, sed misera morte periit (9,1-29), Iudas autem templo et civitate lustratis cum populo encaenia celebravit (10,1-10).

II. *Iudae bella contra Eupatorem et Demetrium Sot.* (10,10-15,35).

1. Res sub Antiocho V. Eupatore (163.-162.) gestae (10,10-13,26). — Novis victoriis Iudas Lysiam, Eupatoris procuratorem, ad pacem coegit (10,10-11,38), vicinas deinde gentes debellavit (12,1-46) atque Eupatorem novum bellum molientem adduxit, ut Iudaeis pacem concederet (13,1-26).

2. Res primo anno Demetrii Soteris (162.-161.) gestae (14,1-15,38). — Occiso Eupatore Demetrius throno potitus Nicanorem misit, qui insidiis Iudam caperet (14,1-46); Iudas autem exercitu coacto Nicanorem vicit et occidit (15,1-35) et in victoriae memoriam festum instituit (15,36. 37).

In EPILOGO auctor de libri forma veniam precatur (15 38-40).

3. — *Liber* 1. *Machab.* tribus partibus res gestas Iudae Mach. fratrumque et successorum eius Ionathan et Simonis narrat.

INTRODUCTIO (1,1-2,70) *causam bellorum machabaicorum exponit.* — Descripto rerum statu post Alexandri M. mortem exorto (1,1-10) auctor ad narrandam Epiphanis persecutionem transit (1,11-67), qua provocatus Mathathias sacerdos vim vi repellens in magna terrae parte antiquum cultum restituit (2,1-48) atque moriens filium Iudam belli ducem constituit (2,49-70).

PARS PRIMA (3,1-9,22) *de Iudae Machabaei rebus gestis* (166.-161.).

1. Tempore Epiphanis (3,1-6,16). — Devictis regis ducibus (3,1-4,36) Iudas in templo lustrato encaenia celebravit (4,37-61), cum fratribus Ionathan et Simone vicinas gentes domuit (5,1-68); Epiphanes vero Iudae victoriis auditis misere mortuus est (6,1-16).

2. Tempore Antiochi V. Eupatoris (6,17-63), qui Iudaeos non infeliciter aggressus pacem cum Iuda inire coactus est seditione Philippi.

3. Tempore Demetrii I. Soteris (7,1-9,22). — Cuius duces Bacchidem et Nicanorem Iudas devicit (7,1-50); quietem autem victoriis partam adhibuit Iudas, ut foedus cum Romanis iniret (8,1-32), sed mox postea a Bacchide victus et occisus est (9,1-22).

PARS ALTERA (9,23-12,34) *de Ionathanis rebus gestis* (161.-143.).

1. Usque ad pacem cum Syris initam (9,23-73). — Ionathan Iudae successor

constitutus (9,23-31) haud infeliciter cum Bacchide congressus (9,32-57) novo proelio eum ad pacem ineundam coegit (9,58-73).

2. Tempore Alexandri Balae (10,1-89). — Quum Iudaei Alexandrum, Epiphanis filium, contra Demetrium adiuvissent (10,1-47), Alexander throno potitus Ionathanem summum sacerdotem agnovit (10,48-66), qui ei fidelis adhaerens Apollonium Demetrii ducem devicit (10,67-89).
3. Tempore Demetrii II. Nicatoris et Antiochi VI. (11,1-74). — Alexandro mortuo Demetrius II. (11,1-19) ab initio Ionathani favit, postea autem promissis non stetit (11,20-53), quare Ionathan ad Antiochi VI. partes transiens cum fratre Simone Demetrium debellavit (11,54-74).
4. Foedera cum Romanis et Spartiatis renovavit Ionathan (12,1-23), sed in novo bello contra Tryphonem, Demetrii II. ducem, dolo captus est (12, 24-54).

Pars tertia (13,1-16,17) *de Simonis rebus gestis* (143.-136).

1. Initia principatus Simonis (13,1-14,49). — Frustra fratrem suum liberare conatus (13,1-30) nihilominus ad partes Demetrii II. transiit arcemque ierosolymitanam expugnavit (13,1-54); pacem victoria partam adhibuit ad foedera cum Spartiatis et Romanis renovanda (14,1-49).
2. Simonis res gestae sub Antiocho VII. Sidete (15,1-16,24). — Antiochus VII. primum quidem literas amicitiae ad Simonem dedit, quem Romani velut socium receperant (15,1-24), sed in throno confirmatus Iudaeos debellare coepit infelici cum successu (15,25-16,10). At interea Simon una cum filiis suis Iuda et Mathathia a genero suo occisus est et successorem habuit tertium filium Ioannem Hyrcanum (16,11-24).

4. — Prioris libri auctor id unum videtur sibi proposuisse, ut memoriam eorum, quae Iudas, Ionathan, Simon pro patria religione defendenda et populi libertate vindicanda egerant, fideli narratione posteris traderet. Alterius autem auctor didacticum et paraeneticum finem prosecutus templum ierosolymitanum non tam Iudaeis palaestinensibus, quam aegyptiis, velut centrum unitatis commendare voluit.

Non eundem finem duos auctores esse prosecutos, diversus eorum modus narrandi probat. Prior enim, quamvis poetico interdum dicendi genere et parallelismo utatur, in genere tamen simplici modo res gestas chronologice proponit; quid vero ipse sentiat, innuit potius quam exprimit; nec ullus inter Veteris Test. historicos invenitur, qui illo propius ad profanos accedat, licet religioso quodam fervore, quem integra narratio spirat, in legentium animis piam fiduciam excitet.

Alteri autem templum est velut totius narrationis caput : duae epistolae praemissae ad templi dedicationem invitant; prior narrationis pars incipit a templo miraculose conservato, altera a periculo, quod templo imminebat, ambae terminantur relatione festorum propter templum purificatum et conservatum institutorum; hostes puniuntur, quia templum « famosissimum in toto orbe » (II. 2,23), « universa terra sanctius » (II. 5,15) violaverunt etc. Templum ita ei cordi est, ut in singulis fere pericopis celebretur. Iam vero illo tempore, quo scriptus est 2. Mach. liber, Iudaei aegyptii sibi proprium templum in Aegypto construxerant; atque facile intelligitur, auctorem illis opus suum destinasse, ut commendata templi ierosolymitani sanctitate eos commonefaceret, ne umquam verum et unicum centrum religiosum negligerent.

§ 41. — *De utriusque Machabaeorum libri origine et indole.*

1. — Prior Mach. liber hebraice ab auctore palaestinensi circa Ioannis Hyrcani (136.-106.) aetatem conscriptus ac paullo post graece est translatus.

« Machabaeorum libros qui auctores conscripserint, non constare » monet iam S. Isidorus Hisp.; solis coniecturis igitur quaestio dirimi potest. Iam vero prioris libri linguam primigeniam fuisse hebraicam, *Origenis*, qui titulum hebraicum allegat, et *S. Hieronymi*, qui librum hebraicum vidit, testimoniis atque hebraismorum frequentia mendisque nonnullis demonstratur, quae graeco interpreti debentur[1]. Palaestinensem auctorem praeter linguam prodit accurata topographiae palaestinensis scientia, siquidem multarum, etiam parvarum, civitatum situs tam clare indicatur, ut auctor eas de visu cognovisse iure dicatur. Hyrcani tempore eum vixisse ultima verba insinuant (1. 16,23. 24), quibus *terminus* quidem, *a quo* res gestae Ioannis in annalibus sacerdotii eius conscribi sint coeptae, indicatur, sed *terminus ad quem* non exprimitur. Neque diu postea librum esse graece translatum concludimus ex eo, quod Hellenistae graecam versionem iam saec. 1. a. Chr. in suum canonem receperint. Ex graeco autem textu, qui hodie post hebraici libri interitum nobis pro primigenio est, adornatae sunt versiones latina (a S. Hieronymo non correcta) et syriaca.

2. — Primitivam linguam 2. Mach. libri graecam esse, « ex ipsa eius phrasi probatur » (*S. Hier.* Prol. gal.). Integrum opus, prout hodie exstat, terminatum esse videtur a. 124., altera autem epistola (1,10 sqq.) et libri Iasonis Cyrenaei, ex quibus excerpta est narratio, iam a. 162. conscripti recte censentur.

De *graeca* narrationis origine nemo dubitat, atque recte etiam plerique tenent, duarum epistolarum praemissarum linguam primitivam esse graecam, quoniam Alexandrinis hebraicam linguam ignorantibus Palaestinenses, qui ob continuum suum cum Seleucidis et Ptolemaeis commercium graecam linguam frequenter adhibebant, graece scripsisse merito dicuntur. — De tempore autem, quo singulae operis partes sunt exaratae, haec statui possunt. Priori epistolae adscriptus est annus, quo data est, sc. 188. aerae Seleuc. i. e. a. 124. a. Chr. Altera scripta est post purificationem templi (a. 163.), sed ante Iudae Mach., qui in inscriptione nominatur, mortem, i. e. ante a. 161; ergo probabiliter a. 162. Circa idem tempus terminatum esse videtur Iasonis opus, sc. post templum purificatum et ante

(1) Interpres, quamvis, uti ex relativi attractione (10,12; 11,31. 38; 12,19) magnaque verborum copia apparet, linguam graecam bene calluerit, a duris hebraismis non abstinet : γίγνεσθαι εἰς φόρον (הָיָה לְמַס 1,4), ἑτοιμάζειν τὴν βασιλείαν (הָכִין 1,16), διάβολος πονηρός (שָׂטָן רַע 1,38), οἶκος τῆς βασιλείας τοῦ βασιλέως (= integrum regnum בֵּית הַמַּמְלָכָה 2,19) etc. Parum rectae vocum hebraicarum interpretationes : βιβλία (*Vulg. libri* pro *epistola* סְפָרִים 1,44 cfr 4 *Reg.* 19,14); τοὺς ἀπολλυμένους (*Vulg. pereuntes* pro dispersos הָאֹבְדִים 3,9 cfr אבד *oberravit*); ἀρχαί (*Vulg. ordines* pro *catervae* רָאשִׁים agmina *Iudic.* 7,16) etc.

Iudae mortem; quamvis enim de solius fere Iudae rebus gestis agat, eius mortem non commemorat. Quo tempore demum compendium sit factum, minus clare definiri potest, recte autem supponere nobis videmur, illud iam ante a. 124. terminatum esse; neque enim improbabile est, synedrium, quum a. 124. brevi epistola priore (1,1-10 a.) Alexandrinos ad encaenia invitaret, eidem alteram fusiorem epistolam et nostrum compendium addidisse, ut invitationem suam urgeret.

3. — Plenam fidem historicam priori libro deberi, hodie omnes concedunt. Atque profecto multarum rerum narratarum testis fuit auctor, alias ex fontibus fide dignis hausit documentisque publicis confirmavit. Immerito autem ei obiicitur « mira historiarum externarum ignorantia ».

Quadraginta dumtaxat annorum spatium complectitur auctor, et quoniam tempore Ioannis Hyrcani vixit, non est dubium, quin Simonis saltem, patris Hyrcani rebus gestis testis interfuerit. Eodem autem modo, quo Hyrcani res annalibus publicis sunt insertae (I. 16,24), etiam trium priorum ducum praeclara facinora publice esse conscripta, satis clare insinuat (I. 9,22), atque ex illis annalibus et archivis publicis documenta hausit, quae multa affert (I. 8,23 sqq.; 10,18 sqq. 25 sqq.; 12.6 sqq. 20 sqq.; 13,36 sqq.; 14,20 sqq.; 15,2 sqq. 16 sqq.). — Tribus exemplis nonnulli ostendere volunt, auctorem exterarum gentium historiam ignorasse, sed immerito. Nam Alexandrum M. ante mortem regnum inter duces esse partitum, id quod noster asserit (I. 1,7), ex incertis et dissentientibus testimoniis profanorum historicorum, qui omnes nostro sunt recentiores, non potest erroneum demonstrari. Res romanas auctorem ignorasse, temere asseritur, nam auctor ea sola, *quae Iudas de Romanis audierat*, fideliter referre voluit. Neque demum eius ignorantiam probant Arii regis Spartanorum (309.-265.) epistola ad summum sacerdotem Oniam I. (323.-300.) aut Ionathanis epistola ad Spartanos (I. 12.6-23), quia illas fideliter dumtaxat transcripsit nullo iudicio de earum assertis expresso.

4. — De alterius libri auctoritate historica maior est controversia; sed fide dignam esse *narrationem* ipsam (II. 3.-15.) non negabit, qui ad eius originem attenderit. Quodsi adversarii prima quidem capita (II. 3.-6.) cum I. 1,10-64 satis consonare, reliquas autem duorum librorum narrationes quum in rebus gestis tum in earum nexu et chronologia dissentire contendunt, non satis considerant, auctores interdum de similibus quidem sed diversis expeditionibus loqui atque diversa ab eis statui aerae seleucidicae, quam sequuntur, initia [2].

Minorem fidem libro 2. Mach. ideo maxime habent adversarii, quia multa in eo narrantur miracula. Ceterum Iason rerum Iudae Mach. fuit testis; sedecim enim dumtaxat annos quinque suis libris comprehendit, quos ante Iudae mortem composuit; iasonici autem operis epitomatorem, cui nostra narratio debetur, munere suo infideliter functum esse, vel ideo admitti nequit, quia fontem suum indicavit

(2) Diversa aerae Seleucidarum initia ab auctoribus 1. et 2. Mach. statui, communis est fere omnium interpretum sententia, licet in initiis definiendis dissentiant. Probabilius 1. Mach. eam inchoat a vere (m. Nisan) a. 312, sed 2. Mach. ab auctumno (m. Tischri) eiusdem a. 312. (*Petav.*); alii volunt 1. Mach. eam inchoare ab auctumno a. 312. et 2. Mach. ab auctumno a. 311. (*Sanctem.*), alii 1. Mach. a vere a. 312. et 2. Mach. ab auctumno a. 311. (*Ideler*).

Multis quidem argumentis dissensum duorum librorum demonstrare conantur, sed rem suam non evincunt. *a.*) Epiphanis crudelitas contra Iudaeos non magis ex II. 7,1 sqq., quam ex I. 1,52 et 3,34-36 elucet; — *b.*) de diversis expeditionibus Lysiae loqui I. 4,26 sqq. et II. 11,1 sqq., evidens est, si I. 4,28 cum II. 11,2. 4. aut I. 4,34 cum II. 11,11 comparantur; secundam expeditionem, quam narrat 2 Mach., innuit I. 4,35; — *c.*) neque I. 4,44 *tri*ennium, II. 10,3 *bi*ennium a profanatione templi ad eius purificationem effluxisse tradunt; nam 2. Mach. biennium suum ab initio principatus Iudae Mach. inchoat; — *d.*) neque I. 5,1 sqq. cum II. 8,30 et 10,35-38 et 12,2 sqq. pugnare recte dicuntur, nisi antea demonstretur, utrumque auctorem de iisdem bellis loqui; — *e.*) neque ulla est pugna inter II. 9, 29 et I. 6,55-63, nisi alterius libri auctorem quaedam compendiose narrare temere negemus; eum non ignorasse, Eupatorem tempore mortis patris eius puerum fuisse, docet titulus ἐπιτρόπου, quo Lysiam designat (II. 11,1 ; 13,2; 14,2); — *f.*) de eadem quidem Lysiae expeditione agunt I. 6,28 sqq. et II. 13,1 sqq., sed non de iisdem proeliis, ita ut duae relationes se mutuo compleant; — *g.*) nec est pugna, si I. 7,1 Demetrius « cum paucis viris » Tripolim advenisse, sed II. 14,1 cum magna classe tripolitanum portum reliquisse dicitur[3] etc. Nonnullos numeros hostium occisorum etc. (II. 8,24. 30, 10,23; 11,11 etc.) videri exaggeratos non negamus, sed aliis quoque in libris numeros a librariis esse corruptos saepe iam monuimus; narrationes autem (II. 12,2 sqq.; 14,24 sqq. 37 sqq.) exaggeratas esse non videmus. Hae difficultates velut *praecipuae* ab adversariis afferuntur; unde clarum est, quid reliquae valeant.

5. — Neque illa, quae contra *epistolarum praemissarum* auctoritatem historicam obiiciuntur, eam ullo modo destruere possunt.

Contra priorem epistolam (II. 1,1-10 a.) id unum urgetur, quod Iudaei « regnante Demetrio a. 169. (aer. Sel.) in tribulatione maxima » non fuerint (1,7), quoniam illo anno ad partes Antiochi VI. iam defecerint (I. 11,54 sqq.) et « maxima tribulatio » fuerit sub Antiocho IV. Epiphane. Sed praeprimis certum non est, Antiochum VI. ante a. 169. thronum iam occupasse; praeterea autem Iudaei in sua epistola de integra tribulatione loquuntur, qua afflicti fuerint « *in istis annis*, ex quo apostatae facti sunt Iason et socii eius », Iason autem iam Epiphanis tempore apostata factus est (II. 4,7 sqq.) atque persecutio illo tempore exorta duravit usque ad Demetrium II. (I. 11,53).

Vehementius impugnatur altera epistola (II. 1,10-2,19), quam omni difficultate non carere fatendum est, quum eius relatio de Epiphanis morte (II. 1,13-16) nec cum prioris libri (I. 6,8 sqq.) nec cum Iasonis Cyrenaei (II. 9,1 sqq.) narrationibus satis consentiat. Duae ultimae hae narrationes inter se consonant, dummodo attendatur, lectionem receptam graecam, quam etiam sequitur Vulgata sed pauci codd. graeci tuentur, esse erroneam (etenim I. 6,1 pro ἐστὶν Ἐλυμαῖς ἐν τῇ Περσίδι πόλις ἔνδοξος legendum est ἐστὶν ἐν Ἐλυμαΐδι ἐν τῇ Περσίδι πόλις ἔνδοξος; scilicet in Persepoli situm erat templum, quod Epiphanes diripere voluit cfr II. 9,2). — Multo difficilius cum his duabus narrationibus conciliatur relatio epistolae; nam secundum epistolam Antiochus templum deae Nanneae diripere volens cum paucis sociis in templum a sacerdotibus introductus et occisus est (II. 1,15. 16), secundum reliquos a templo et ab urbe repulsus in Syriam revertens in itinere morbo abreptus est (I. 6,1-16; II. 9,2-28). Cuius difficultatis varias solutiones proposue-

(3) Διὰ τοῦ λιμένος εἰσπλέειν non est idem ac εἰς τὸν λιμένα εἰσπλέειν.

runt interpretes, « neque tamen quisquam fuit, inquit Pererius, qui vel aliis omnino vel etiam sibi ipse satisfaceret ». Quare cum P. Emm. Sa nonnullisque interpretibus modernis censemus, epistolae illius scriptores (populum ierosolymitanum, synedrium iudaicum et Iudam Mach.) in hac referenda morte eatenus errasse, quatenus non veram mortis rationem, sed erroneum de ea rumorem retulerunt. Scilicet una cum nuntio de infelici Antiochi expeditione contra templum (I. 6,2. 3.) allatus videtur Ierosolyma vagus quidam de morte eius paullo post secuta rumor; sicuti autem fieri solet in eiusmodi rumoribus, templi tentata direptio et mors coniungebantur, atque primos hos rumores eo tempore sparsos Iudaei ierosolymitani cum aegyptiacis communicaverunt; veram autem mortis rationem, quae postea innotuit, auctor 2. Mach. fuse narravit, recentior auctor 1. Mach. brevius insinuavit [4]. Contra *historicam* igitur auctoritatem epistolae ex hac relatione nihil deducitur. — Levissima sunt reliqua, quibus auctoritas epistolae impugnatur. Etenim miraculum ignis aetate Nehemiae coelitus dati (II. 1,21 sqq.), narrationes de tabernaculo arcaque foederis per Ieremiam in montem Nebo transportatis (II. 2,4 sqq.) et de libris sacris per Nehemiam collectis (II. 2,14), licet in aliis libris sacris non commemorentur, non nisi arbitrario modo in dubium vocantur; nam illis, qui epistolam scripserunt, praeter oralem traditionem praesto fuerunt libri scripti hodie deperditi, ad quos velut ad fontes suos diserte provocant (II. 2,1. 4. 13), neque hucusque demonstrare conati sunt adversarii, fontes illos fide non fuisse dignos. — Porro si obiiciunt, in epistola libros apocryphos pro sacra Scriptura allegari (II. 2,4), non attendunt, vocabulum γραφῆς in Novo quidem Test. plerumque divinas Scripturas significare, sed eo sensu nusquam ab Alexandrinis usurpari. — Atque erroneae interpretationi ultima quoque innititur obiectio, Nehemiam asseri *templum aedificasse* (II. 1,18); οἰκοδομεῖν enim variis significationibus ab Alexandrinis usurpatur; Iudas et fratres eius ᾠκοδόμησαν τὸ ὄρος Σιών (I. 4,60), i. e. munimentis eum circumdederunt; eadem ratione Nehemias urbis muris restitutis ᾠκοδόμησε τὸ ἱερόν.

6. — « Machabaeorum libros, inquit S. Augustinus, non Iudaei, sed *Ecclesia pro canonicis habet* ». Revera magnam quidem auctoritatem Iudaei palaestinenses iis attribuerunt, pro divinis autem eos non habuerunt; at in alexandrinorum canone eos fuisse, tantum non est certum, atque Apostoli eos ipsi adhibuerunt et cum reliquis Scripturis graecis Ecclesiae tradiderunt.

Quanto in honore fuerint libri apud Iudaeos palestinenses, patet consideranti, Fl. Iosephum in sua machabaicae aetatis historia priorem librum velut unicum ducem sequi, atque rabbinos etiam hodie alterius pericopen de Eleazari septemque fratrum martyrio in synagogis adhibere. Clarum autem divinitatis testimonium

(4) Nonnulli antiquiores (*Card. Hugo*, *Lyran.*, *Dionys. Carth.* etc.) censent, epistolam loqui de morte Antiochi III. Magni, alii (*Rhab. Maur.*, *Rupert. Tuit.*, *Serar.*, *Corn. a Lap.* etc.) eam loqui de morte Antiochi VII. Sidetis, at neuter fuit persecutor Iudaeorum (II. 1,12). Quapropter alii (*Estius*, *Haneberg* etc.) de *regis* Antiochi morte epistolam loqui negant : *Antiochum* ingressum quidem esse in templum, sed *ducem* alium dici occisum; simili modo *Pererius* non Antiochi IV. *mortem*, sed « horribilem quemdam casum, qui ei in Perside contigit » narrari putat; at priores textui vim inferre videntur, et alter lectionem ab omnibus codicibus et versionibus traditam mutare cogitur.

habent in ep. ad Hebr.; ex illis enim S. Paulus exempla fidei eadem ratione desumsit, qua ex aliis V. T. libris (*Hebr.* 11,35 et 2 *Mach.* 6,19 sqq.). Inde a *S. Hermae* tempore (cfr Past. Mand. 1,1 et 2 *Mach.* 7,28) pro divinis adhibebantur in Occidente a *Tertulliano* (adv. Iud. 4.), *SS. Cypriano* (Exhort. ad mart. 5; Test. c. Iud. III. 15), *Hippolyto* (de Antichr. 49), *Hilario Pict.* (in Ps. 134), *Lucif. Calarit.* (De non parc. delinqu.), *Ambrosio* (de Iacob et vita beata II. 10 sqq.), *Augustino* (Doctr. christ. II. 8 etc.), *Hieronymo* (in Is. 23,2; in Gal. 3,14) et iunioribus, in Oriente a *Clemente Alex.* (Strom. I. 21; V. 14), *Origene* (de Princ. II. 1; in Rom. 5,6 etc.), *SS. Athanasio* (In Ps. 78), *Theophilo Alex.* (Ep. pasch. 9), *Cyrillo Alex.* (in Ioel 1,4) aliisque Alexandrinis, *S. Chrysostomo* (Hom. in Mach.; de Consol. mart. 4), *Theodoreto* (in Dan. 8,10; 11,25), *Isidoro Pelus.* (Ep. III. 4) aliisque Antiochenis, a *S. Ephraem* (in Dan. 8. 12) aliisque Syris. In divinarum Scripturarum catalogos eos receperunt *Concilia Africana*, *SS. Damasus*, *Innocentius I.*, *Gelasius*, *Conc. Trullanum.* Cui testium nubi immerito opponitur *S. Hieronymi* testimonium, qui libros Mach. in Prologo galeato apocryphis adnumerat; S. Hieronymum autem caeci secuti sunt aliqui iuniores Latini, usque dum Conc. Florent. et Conc. Trident. sollemni decreto eos canonicos declararunt.

Protestantes Lutherum secuti eos adhuc pro apocryphis habent; contra eorum canonicitatem autem aliud non obiiciunt, nisi illos in Iudaeorum (palaestinensium) canone defuisse; ac si liceret « abrogare quae in Ecclesiis feruntur exemplaria, et fratribus lege praecipere, ut, abiectis quos penes se habent sacris libris, adulando Iudaeis persuadeant, ut nobis puros et integros impertiant » (*Orig.* ad Afric.). Quodsi nonnulli praeterea monent, miracula fabulosa in 2 Mach. narrari, aut doctrinas erroneas in eodem tradi, aut eiusdem auctorem sibi ipsum inspirationem negare, nescio an hae obiectiones refutatione indigeant. Quomodo miracula in 2 Mach. narrata ab aliis miraculis differant, nemo hucusque demonstravit; quae erronea doctrina in II. 3,24. 29 sq. 38 sq. et 14,15 lateat, etiam nondum quisquam detexit; Raziae suicidium (II. 14,37) ab auctore referri quidem, sed non laudari, ostendit iam S. Augustinus (c. Epist. Gaudent. I. 31); inspirationem demum nec fontium usum prohibere (II. 2,25 sqq.), nec proprium laborem excludere, neque impedire, quominus minus pulchram esse externam libri formam auctor ipse agnoscat (II. 15,39 sq.), luce clarius est.

§ 42. — *De praecipuis commentariis in libros Tobiae, Iudith, Esther, Machabaeorum.*

Antiquiores PATRES nullum ex libris in hac sectione tractatis sunt interpretati; commentariis enim adnumerari nequeunt homiliae quaedam a *SS. Gregorio Naz.*, *Chrysostomo*, *Gaudentio*, *Augustino* de Eleazari septemque fratrum martyrio habitae, nec *S. Ambrosii* liber « de Tobia ». *Ven. Beda* « allegoricam explicationem in l. B. Patris Tobiae » scripsit, et *Rhab. Maurus* literali et allegorico sensu explicavit libros Iudith, Esther, Machabaeorum; a Beda et Mauro dependet *W. Strabonis* Glossa ordinaria in quinque libros nominatos.

Quibus non admodum multa addidit MEDIA AETAS; praeter *Card. Hugonem*, *Lyranum*, *Dion. Carthusianum* nominari dumtaxat merentur *Hugonis a S. Vict.* Allegoriarum in V. T. lib. IX. In ll. Esther, Tobiae, Iudith, Machab. et *Thomae Wallensis* vel Angli Comment. in ll. Machab. (Inter Opp. S. Thomae Aq.).

Ex recentioribus interpretibus *saec.* 16. 17. 18. omnes quinque aut complures saltem libros commentariis instruxerunt *Nic. Serarius* S. I. (In ll. Tobiae, Iudith, Esther, Machab. Moguntiae 1599.), C. Sanctius S. I. (In ll. Ruth... Tobiae, Iudith, Esther, Machab. Lugduni 1628.), *Leop. Mauschberger* S. I. (In Paral., Esdr., Tobiae, Iudith, Esther. Olomuci 1758.). In historicam veritatem l. Iudith diligenter inquisiverunt *Iac. Pamelius* (Comm. in l. Iudith. Coloniae 1626. cfr M. 109,592 sqq.) et *Bern. de Montfaucon* O. S. Ben. (la Vérité de l'histoire de Iudith. Paris 1688.); quaestiones chronologicas de ll. Machab. prae ceteris optime egerunt Er. Froehlich S. I. (Annales compendiarii regum et rerum Syriae nummis veteribus illustrati. Viennae 1744.; de Fontibus historiae Syriae in ll. Machab. prolusio Lipsiae edita in examen vocata. Viennae 1746.) et *Ios. Khell* S. I. (Auctoritas utriusque libri Mach. canonico-historica asserta. Viennae 1749.).

Sensu literali non neglecto sed practici usus ratione praecipue habita copiosiores commentarios ediderunt

in librum Tobiae : Fab. Iustinianus, Congr. Orat. (Romae 1620.), *Dav. a Mauden* (Antwerpiae 1631.), *Ierem. Drexelius* S. I. (Antwerpiae 1652.), *Did. de Celada* S. I. (Lugduni 1644.), *A. I. Neuville* S. I. (Paris. 1723.) etc.;

in librum Iudith: *D. de Celada* S. I. (Lugduni 1637.), *Ios. de la Cerda*, O. S. Ben. (Lugduni 1641.), *Luc. Vellosus* S. I. (Lugduni 1649.), *A. I. Neuville* S. I. (Paris 1728.) etc.;

in librum Esther : Fr. Feuardentius, O. Min. (Parisiis 1585.). *Ioan. Tollenaer* S. I. (Coloniae 1647.), *Leander Montanus*, O. Capuc. (Matriti 1647.), *Oliv. Bonartius* S. I. (Coloniae 1647.) etc.;

in libros Machabaeorum : Ios. Stephanus (Oriolae 1603.; tantum I. 1-4), *Petr. Redanus* S. I. (Lugduni 1651.), *I. E. Fullonius* S. I. (Leodii 1660.), *Petr. Verhorst* (Treviris 1700.) etc.

Nostro saeculo omnes quinque libros gallice explicavit *Gillet* (Paris 1879), tres priores autem *A. Scholz* (Tobias 1889; Iudith Ed. 2. 1896; Esther 1892); de iisdem tribus opusculis historice egit *Fl. de Moor* (Paris 1895. 96; Arras 1897). Librum Tobiae optimis commentariis germanicis *H. Reusch* (Freiburg 1857), *Const. Gutberlet* (Münster 1854), italicis *C. M. Curci* S. I. (Lezioni sacr. sopra il l. di Tobia. Napoli 1890) auxerunt; de libro Iudith tractarunt *I. A. Nickes* O. S. Ben. (Vratislaviae 1854), *Domin. Palmieri* S. I. (Galopiae 1886), *B. Neteler* (Münster 1886); librum *Esther* explicarunt *I. A. Nickes* O. S. Ben. (Romae 1854. 58), *B. Neteler* (Münster 1877). — De Machabaeorum libris optime meritus est *Fr. X. Patrizi* S. I. (De consensu utriusque libri Machab. (Romae 1856), quem fere sequitur *Al. Cigoi* (Histor. chronol. Schwierigkeiten im 2. Machabäerbuch. Klagenfurt 1868); de praecipuis eorum pericopis disseruit *C. M. Curci* (Lezioni s. sopra i due ll. dei Maccabei. Roma 1872); neque plane praetermittendus videtur *Ferd Schünkens* (Commentatio exeget. de 2. Mach. 1,1-9. Coloniae 1844; Differentia epistolae 2. Mach. 1,10-2, 18 etc. explicata. Coloniae 1847).

DISSERTATIO V.

DE VETERIS TESTAMENTI LIBRIS DIDACTICIS.

CAPUT I.

DE SACRA POESI HEBRÆORUM.

§ 1. — *De rhythmica hebraicorum carminum structura.*

1. — Libros historicos in canone tridentino septem alii sequuntur, qui quum argumento et proximo fine, tum externa forma ab aliis distinguuntur. Quoniam in divina sapientia tradenda maxime versantur, ab antiquis interpretibus *sapientiales* vocantur; quoniam moribus informandis viaeque salutis docendae sunt destinati, *morales* vel *didactici* appellantur; quoniam totidem fere sunt carmina vel carminum collectiones, *poetici* dicuntur.

Procul dubio in historicis quoque et propheticis libris haud pauca traduntur consilia et praecepta ad morum emendationem conducentia, et omnes libri sacri nobis dati sunt, ut ad iustitiam erudiamur; nihilominus si ad praecipuum argumentum proximumque finem librorum *Iob, Psalmorum, Proverbiorum, Cantici Cant., Ecclesiastae, Sapientiae, Ecclesiastici* attenderimus, cum S. Chrysostomo aliisque eos ab historicis et propheticis operibus sine ulla haesitatione distinguemus. Atque idem obtinet, si ad eorum formam attentionem convertimus, licet etiam historicis libris carmina nonnulla sint inserta atque vaticinia haud pauca ad poeticum genus pertineant. Massorethae quidem tres tantum libros (Iob, Psalterium, Proverbia) accentibus poeticis adscriptis velut poeticos agnoverunt, at parum recte, siquidem duo protocanonici (Canticum et Ecclesiastes) et duo deuterocanonici (Sapientia et Ecclesiasticus) illis omnino sunt adnumerandi; immo si *sola* forma attenderetur, in hac parte de *Threnis* quoque esset agendum, quos tamen melius reliquis Ieremiae operibus adiungemus.

Quoniam character poeticus cognitus libris illis intelligendis non parum inservit, de poesi hebraica introductioni in singulos libros pauca videntur praemittenda.

Poesin profanam Hebraeis non fuisse incognitam, exempla in libris sacris conservata docent (*Gen.* 4,23 sq.; *Num.* 21,27 sqq.; *Iudic.* 15,16; 14,14. 18 etc. cfr *Is.* 24,9; *Am.* 8,10; 6,5); attamen magnum locum apud eos non videtur occupasse, sed integra fere fuit religiosa atque praecipuum eius argumentum constituunt Deus divinaque beneficia et relatio, quae Deum inter et hominem intercedit.

In omni autem poesi tria sunt consideranda, quibus a prosa oratione distinguitur : rhythmus, argumenti tractandi ratio, elocutio; de singulis pauca.

2. — Velut proprius est hebraicae poesi *sententiarum rhythmus*, qui *parallelismus* vocatur atque sententiarum aequalitate quadam ac similitudine ita efficitur, ut duobus plerumque, interdum tribus quatuorve, membris eiusdem fere longitudinis, in quibus res rebus atque etiam verba verbis quasi respondent, integra propositio absolvatur.

Num Hebraei rhythmum syllabarum aliquem adhibuerint, controvertitur. Si Fl. Iosepho, Philoni, Eusebio, Hieronymo fides esset, Hebraeos longarum breviumque syllabarum distinctione eadem fere, quae Latini et Graeci, metra atque metrorum variatione artificiosas strophas efformasse dicendum esset. At in hodierno saltem textu hebraico versus *quantitate et mensura syllabarum* non regi, tantum non omnibus persuasum est. Neque *ab accentu syllabarum* leges metrorum hebraicorum pendere videntur; qui enim hac ratione versus strophasque distinguere voluerunt, aut textum massorethicum innumeris fere in locis mutaverunt, aut parallelismum saepe neglexerunt; neutrum autem iure fieri arbitramur. Ceterum metrico illo syllabarum rhythmo, qui saepe nihil est nisi tinnitus inanis, facile caremus, si perfectiore illo sententiarum rhythmo suppletur, qui in rebus ipsis maxime versatur atque ad idearum explicationem multum confert. Neque sine speciali Dei providentia factum videtur, ut sacra illa carmina, quae universo generi humano erant destinata, eo rhythmi genere conscriberentur, quod in omni versione facile retinetur; carmen enim hebraicum, etsi aliena in lingua oratione soluta reddatur, rhythmicam suam structuram, remanente quippe sententiarum forma, integram fere conservat.

3. — Tres distinguuntur parallelismi poetici species, prout membra eiusdem periodi ideam aliquam aut repetitione *explicant* aut oppositione *elucidant* aut altera addita *continuant complentque*.

Parallelismus synonymus eandem ideam bis terve vocabulis idem fere significantibus ita exprimit, ut alterum membrum priori aut integrum aut ex parte consonet; neque tamen haec repetitio mera est tautologia, siquidem mutatis vocabulis sententiam clariorem reddit atque frequenter etiam auget et amplificat.

Haud parva est in huius parallelismi usu varietas; plerumque quidem duo membra synonyma coniunguntur, sed satis frequenter etiam tria aut quatuor. In tristichis interdum omnia tria membra omnino sunt synonyma, interdum primum vel tertium ita respondent duobus aliis, ut haec simul sumta completam primi vel tertii stichi sententiam comprehendant. In tetrastichis raro omnia quatuor membra sunt synonyma; plerumque duo disticha synonyma ita coniunguntur, ut aut primum membrum tertio, et secundum quarto respondeant, aut primum quarto et secundum tertio consonent. Distichi synonymi exempla frequentissima sunt in

toto Psalterio; pura servata est forma in *Ps.* 113,1-8 (*Ps.* 114 *hebr.*) : « *In exitu Israel de Aegypto, — Domus Iacob de populo barbaro, — Factum est Iuda sanctuarium eius, — Israel imperium eius* » etc. Aliquoties phraseos forma membra differunt, ut obscurior sit synonymia : « *Sitivit anima mea ad Deum, Deum vivum; — Quando veniam et apparebo ante faciem Dei!* » (*Ps.* 41,3); aliquoties alteri membro vocabulum additur, quo sensus compleatur et augeatur : « *Deus ultor Domine! — Deus ultor, appare! — Exaltare, o iudex terrae, — redde retributionem superbis!* » etc. (*Ps.* 93,1 sqq.). — Tristichorum varias species habes *Ps.* 1,1; *Sap.* 1,1; *Ps.* 90,4; tetrastichorum exempla *Ps.* 90,5. 6; *Ps.* 26,1. 3; *Prov.* 23,15. 16; *Prov.* 3,9-12.

Quoniam vero opposita oppositis dilucidantur, poetae hebraei etiam sententias oppositas parallelis membris coniungunt. Qui *antitheticus parallelismus* aptissimus est praeceptis moralibus tradendis, quatenus laudibus praemiisque virtutis vitiorum vituperia et poenas opponens efficacius commendat priorem et ab aliis absterret.

Ipsa sua natura ad distichum restringitur, cuius exempla in Proverbiis et Ecclesiastico abundant : « *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia; ubi autem humilitas, ibi et sapientia. — Simplicitas iustorum dirigit eos; et perversitas impiorum devastat illos* » etc. (*Prov.* 11,2 sqq.). Attamen ne longiore serie distichorum, in quibus verba fere verbis respondent, monotonia producatur, variis modis antithesin cum synonymia coniungunt, ita ut sententia aut duobus stichis synonymis proponatur et tertio antithetico illustretur, aut duobus stichis synonymis duo antithetici opponantur. Variarum formarum, quae hac ratione exoriuntur, exempla habes *Ps.* 53,5 (Duo priores synonymi, ultimus antitheticus), *Ps.* 39,7 (primus et tertius synonymi, secundus antitheticus), *Thren.* 1,2 (primo opponuntur duo synonymi), *Ps.* 36,35 (duobus prioribus synonymis opponuntur duo ultimi synonymi), *Ps.* 43,3 (primo et tertio synonymis opponuntur secundus et quartus synonymi), *Luc.* 1,51 (primo et quarto synonymis opponuntur duo intermedii synonymi).

Syntheticus parallelismus demum adhibet membra, quae sola constructionis forma aut longitudinis proportione inter se sunt similia. A soluta oratione interdum haec parallelismi species vix distinguitur, quare sola non facile adhibetur, sed parallelismis synonymis vel antitheticis variatur et distinguitur.

Maioris variationis gratia poetae hebraei saepe membris synonymis aut antitheticis neglectis eandem sententiam ita continuant, ut phrasibus eadem prorsus aut simili saltem ratione constructis eam explicent, aut aliam quamdam proportionem inter singula membra observent. Si perfecta membrorum est similitudo aut etiam alphabetismo, de quo statim dicemus, sententiarum concinnitas indicatur et exornatur, per plures versus aut integra carmina continuari potest haec synthesis. Cfr ex. gr. *Ps.* 18,8-10 : « *Lex Domini immaculata* || *recreans animum; Testimonium Domini fidele* || *sapientiam prestans parvulis; Iustitiae Domini rectae* || *laetificantes corda; Praeceptum Domini lucidum* || *illuminans oculos* » etc. Longe frequentiora tamen sunt exempla, in quibus synthetici stichi cum antitheticis variis modis alternant; omnes tres species in una stropha pulcherrime coniungit (*Ps.* 20,7. 8) :

Nunc scio, quod Dominus adiuvat Christum suum;
Exaudit illum de coelo sancto suo,
In potentia salutifera dexterae suae.
Hi in curribus et hi in equis,
Nos autem in nomine Domini Dei nostri gloriamur.

Versus, qui duobus membris fere aequalibus constant, hexametris apte comparantur, quos caesura semiquinaria (τομὴ πενθημιμερής) in duas partes fere aequales distribuit. Saepe autem versus reperiuntur, quorum alterum membrum multo brevius est, qui igitur haud dissimiles sunt hexametris, qui caesuram semiseptenariam (τομὴν ἑφθημιμερῆ) habent. Qui versus, quia in Ieremiae Threnis primum observati sunt, *elegiaci* nominati sunt; at haud minus raro aliis in carminibus reperiuntur (cfr *Ps.* 19 (18),8-12 etc.) et perfectissimum eius exemplar habes in toto *Ps.* 48. (47), si cum *I. K. Zenner* (Die Chorgesänge im B. der Psalmen. I. p. 33) duorum priorum versum (2.3) verba recte coniunxeris et legeris.

4. — Ex ipsa parallelismi natura exoritur stropharum quaedam ratio: membra enim parallela, quum bina vel terna vel quaterna coniuncta completam exhibeant sententiam vel periodum, simul etiam strophas distichas, tristichas etc. constituunt. At saepius complures versus paralleli in unam stropham maiorem coniunguntur. Etenim strophas compluribus versibus (distichis vel tristichis etc.) compositas Hebraeis non fuisse inusitatas, satis clare docent carmina, quorum strophae intercalari versu distinguuntur, et carmina alphabetica illa, in quibus certus versuum numerus ab eadem litera ita inchoatur, ut omnes literae initiales integrum ordinem alphabeti exhibeant.

Distichorum (plerumque synonymorum) exemplum habes in *Threnis* 5., tristichorum in *Thren.* 1.-3. — Carmina *versu intercalari* in strophas divisa sunt *Ps.* 41. 42. (qui unum carmen constituunt; 41,6. 12; 42.5), 45. (cfr. 45.8.12. probabiliter post v. 4. versus intercalaris a librariis est omissus), 56. (56.6. 12); *Is.* 9.7-10,4 (9,11. 16. 20; 10.4); forte huc etiam spectat *Ps.* 79. (79.4. 8. 20). — Strophis maioribus distinguendis non inserviunt *alphabetica carmina*, quorum singuli stichi (*Ps.* 111. 112. *hebr.*) aut singuli versus *Ps.* 9. et 10., 34. *hebr.*, *Prov.* 31, 10 sqq.) nova litera inchoantur; at iure huc trahuntur *Ps.* 119. *hebr.* et *Thren.* 3.

In nonnullis autem carminibus, licet versu intercalari et alphabetismo careant, facile apparet, disticha bina (*Ps.* 3. 4. etc.) aut terna (Ps. 91. etc.) aut quaterna (*Ps.* 120. 121 etc.) aut quina (*Ps.* 131.) in maiores strophas constanter coniungi. Sed quia tota hebraica poesis parallelismo regitur, fieri etiam potest, ut stichorum numero neglecto strophae aequali *versuum* numero efformentur; ex. gr. *Ps.* 2. quatuor strophis ternorum versuum constat, sed stichorum numerus variat (7,6. 8,8). Nonnulla quoque carmina inveniuntur, quorum strophae inaequali stichorum vel versuum numero secundum certam regulam constant, ita ut a longioribus strophis poeta ad breviores, aut a brevioribus ad longiores veniat, aut longiores brevioribus includat, aut strophis aequalibus stichum vel versum tamquam prologum aut epilogum addat etc.

Novam stropharum rationem *I. K. Zenner* S. I. (Die Chorgesänge im B. der Psalmen. Freiburg 1896) in carminibus quibusdam detexit, quae *chorica* appellavit, quia templi cantores in duos vel plures choros distributos ad musicorum instrumentorum concentum illa alternatim modulatos esse coniecit. Simplicior illorum

forma est, ut primam stropham eiusque antistropham, quae inter se aequales alternantibus choris cantatae sint, sequatur stropha *amoebaea*, cuius in singulis versibus chori alternaverint, atque deinde carmen altera stropha eiusque antistropha terminetur. Numero porro versuum secundam stropham cum sua antistropha a prima haud raro diversam fuisse supponit, amoebaeam autem aut cum alterutra stropha consonuisse aut ab utraque discrepasse.

§ 2. — *De carminum hebraicorum speciebus et de dictione poetica.*

1. — Ex quatuor, quae vulgo distingui solent, poeseos generibus duo tantum, lyricum et didacticum, a poetis sacris sunt exculta.

Cur dramatica et epica poemata inspirata non inveniantur, in controversia est; rectius videntur illi sentire, qui fictioni in libris sacris locum non esse monent; drama autem quodcunque, quo res praeterita velut praesens coram spectatoribus agitur, ex intima sua natura esse aliquam fictionem, atque epica quoque carmina omnia fictionibus magnam partem constare. Quare nihil quidem obstare concludunt, quominus dramatica quaedam forma interdum adhibeatur (uti in l. Iob, Cantico Cant.), at solis colloquiis et poeticis descriptionibus non constitui veri nominis drama recte tenent.

Nonnulli quatuor poeseos generibus quintum in sola Scripturâ usurpatum adnumerare volunt, sc. *propheticum*, quoniam prophetae non tantum parallelismo poetico et elocutione poetica saepe utantur, sed vaticinia quoque haud pauca genuinis carminibus proferant. Quae non negamus; sed eodem modo, quo Psalmos propheticos, etiam vaticinia poetica ad lyricum genus pertinere censemus.

2. — *Lyricum* genus varias complectitur species, quas nominibus quoque poetae sacri videntur distinxisse. At quoniam de hebraicorum istorum nominum significatione nihil certi est traditum, argumento autem et forma carmina lyrica pleraque, quae nobis sunt conservata, inter se sunt finitima, species illae aegre distinguuntur, ita ut non nisi magis minusve verisimilia de iis statui possint.

Communi nomine omnia poemata lyrica, etiam illa, quae cantui nec erant destinata nec inserviebant (uti Canticum Cant.) *Schirim* (שִׁירִים, ᾄσματα vel ᾠδαί, *cantica* a rad. שִׁיר *canere*) appellabantur; at eodem nomine designari etiam videtur *canticum*, *quod sola voce modulabatur* sine instrumentorum musicorum sociata concordia (*Ps.* 45.), atque ita opponitur frequentissimo nomini *Mizmor* (מִזְמוֹר, ψαλμός, psalmus), quo appellatur *canticum ad chordarum* (psalterii vel citharae) *sonum decantandum* (*Ps.* 3. 4. 5. etc.); duo nomina interdum inveniuntur coniuncta forte ad illa carmina designanda, quae aut sola voce aut una cum citharis decantabantur (*Ps.* 65. 66. 67. etc.). — Nomine *Maskil* (מַשְׂכִּיל, συνέσεως vel εἰς τύνεσιν, *Vulg.* intellectus vel intelligentiae), quo tredecim Psalmi (31. 43. 44. etc.) insigniuntur, secundum nominis etymologiam aut carmina didactica aut rectius *piae meditationes poeticae* designantur. — Sex carminibus (*Ps.* 15. 55.-59. cfr etiam *Is.* 38,9) praefigitur nomen *Miktham* (מִכְתָּם, στηλογραφία, *Vulg.* tituli inscriptio), quod etymologice explicatur ἐπίγραμμα, i. e. *carmen monumento in-*

sculpendum aut menti tam profunde, quam cippo inscriptio, infigendum; omnia de liberatione ex magnis tribulationibus agunt atque in sua structura id habent commune, ut unam sententiam gravissimam singulari modo velut ἐπίγραμμα proponant. — Nomine *Schiggaion* (*Ps.* 7.; *Hab.* 3.) antiquis interpretibus iam incognito (שִׁגָּיוֹן *Alex.* ψαλμός, *Aq.*. ψαλμὸς ὑπὲρ ἀγνοείας, *Symm.* et *Hier.* ἀγνόημα, ignoratio) *dithyrambum* (hebr. « carmen erraticum ») designari moderni nonnulli non improbabiliter coniecerunt. — A forma sua etiam quindecim psalmos graduales (*Ps.* 119.-133.) nomen suum accepisse, sententia non improbabilis est recentiorum interpretum; « canticum graduum » enim (שִׁיר הַמַּעֲלוֹת, ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν) appellatum videtur, quia « *gradatim* » eius procedit oratio, ita quidem ut antecedentis sententiae pars ab initio subsequentis repeti et novis vocabulorum copiis augeri et quasi ascendere soleat. — Nomina *Tefillah* (תְּפִלָּה, προσευχή, oratio) et *Tehillah* (תְּהִלָּה, αἴνεσις, laudatio) ab argumento potius et destinatione, quam a structura psalmorum desumta sunt. — Quibus nominibus in Psalterio usitatis addimus aliud, quo maxime *carmina lugubria* seu *elegiae* appellantur: Threnos Ieremiae ab Hebraeis vocari *Qinoth* (קִינוֹת, θρῆνοι, lamentationes) monet S. Hieronymus (cfr etiam 2 *Reg.* 1,17; 2. *Paral.* 35,25 etc.).

3. — Sacra *poesis didactica* tota versatur in sapientia illa tradenda et commendanda, quae revelatione nixa ad Deum velut ad eorum principium et finem ultimum omnia refert. Argumento igitur carmina didactica Hebraeorum non distinguuntur, quia moribus efformandis omnia sunt destinata, sed si eorum forma consideratur, aliquae species apte distingui videntur.

Sapientes hebraei non doctis dissertationibus doctrinas exponere et demonstrare solebant, sed brevibus gnomis poeticis aut carminibus didacticis eas commendabant. Quorum poematum nomen commune est *Maschal* (מָשָׁל), quod vocabulum *similitudinem* proxime designans ab Alexandrinis παραβολή vel παροιμία plerumque redditur. *Parabolae* proprie dictae, i. e. « narrationes allegoricae moribus efformandis idoneae », soluto sermone multae quidem a Domino N. sunt propositae, sed poetico sermone ornatae paucae inveniuntur in Vetere Test. (*Prov.* 7,6 sqq.; 24,30 sqq. etc. *Is.* 5,1 sqq. etc.). Frequentissimae sunt *similitudines*, quae unico disticho vel tristicho comparationem exhibent, qua doctrina aliqua commendatur vel illustratur (ex. gr. *Prov.* 26,1 sqq.). — Si doctrina inculcanda aut unico verbo subindicatur (ex. gr. *Prov.* 26,12) aut plane tacetur (ex. gr. *Prov.* 25,16), ut obscurior reddatur sermo, altera exoritur carminum species, sc. *Chidah* (חִידָה, αἴνιγμα) aut *Melizah* (מְלִיצָה, σκοτεινὸς, λόγος, sermo obscurus; πρόβλημα, ἑρμήνεια, interpretatio, i. e. dictum quod interpretatione indiget). — *Maschal* autem, licet similitudinem significet, frequenter tamen etiam adhibetur de sententia quacumque morali poetice expressa, ut graeco γνώμη respondeat: haec quoque carmina unico disticho vel tristicho plerumque absolvuntur (cfr *Prov.* 10,1 sqq.) et haud raro in aenigmata transeunt, si eorum vis praecipua in eo, quod tacetur, potius quam in eo, quod dicitur, est sita (*Prov.* 20,12; 22,2). — Nonnulla carmina artificio quodam numerorum attentionem excitant; certo enim numero veritas aliqua commendatur, sed numerus bis ita exprimitur, ut prior incompletus imperfectiora complectatur, alter unitate maior id exprimat, quod auctor maxime vult inculcare (cfr *Prov.*

6,16 sqq.; 30,7 sqq. etc.). — Eiusmodi parva carmina, si de eodem argumento tractant, interdum nullo ordine servato serie longiore continuantur (cfr *Eccli.* 3,1-16,17-29 etc.), interdum logico quodam nexu inter se copulantur, ut longiora poemata exoriantur, quae communi nomine *Maschal* appellantur (cfr *Prov.* 1,8-33 etc.).

4. — Ad DICTIONEM POETICAM quod attinet, poetas sacros praestantiore illo et politiore dicendi genere carere non potuisse, quod communem et vulgarem sermonem pulchritudine superans lectorum animos delectat captivatque, ut hac ratione menti ideas altius efficaciusque imprimat, clarum est. Distinguitur autem a vulgari poeticus Hebraeorum sermo quum rarioribus et exquisitioribus dicendi modis, tum frequentissimo troporum et figurarum omnis generis usu.

Haud paucae sunt voces phrasesque integrae atque constructiones formaeque grammaticae, quae in sola dictione poetica usurpantur; quas hoc loco non enumerabimus, quia de iis in grammatica hebraica agitur. Id unum monemus, satis multas ex iis in vicinarum dialectorum, maxime aramaicarum, oratione soluta esse communes, quare aramaismi vel chaldaismi saepe appellantur; at parum recte, quatenus nomen illud insinuat, eas ex aliis linguis in hebraeam esse transumtas. Ex *vivae* suae linguae fonte eas hauriebant poetae sacri, licet negare nolimus, illos etiam *nonnullas* forte ex vicina dialecto transumsisse et civitate hebraea donasse.

Multo magis autem troporum frequentia et audacia sermo Hebraeorum poeticus a prosa oratione differt; quin etiam tam frequentes et pulchrae sunt omnis generis figurae in poesi sacra, ut nusquam fere apud aliarum nationum poetas earum virtus adeo splendeat. Porro mirum est, quot metaphoras *ex rebus naturalibus* desumserint poetae sacri, atque maxime ab herbis arboribusque; ultra ducenta quinquaginta nomina botanica in exiguo Veteris Test. codice legi atque longe pleraque a poetis sacris esse adhibita, recte monuerunt nonnulli; atque vix minus frequentia animalium aliarumque rerum naturalium sunt nomina. — Alter uberrimus troporum fons erat *vita quotidiana* Hebraeorum, quae admodum simplex erat et sibi constans; agricolae et pastores erant plerique, at viri quoque bellicosi; unde factum est, ut ex vita rustica, pastoritia, militari multae desumtae sint imagines. Inter quas nonnullae humiliores nonnemini videbuntur; at probe considerandum est, inter Hebraeos, quibus carmina proxime sunt destinata, neminem, ne amplissimum quidem, infima rustici operis negotia se indigna habuisse. — Ad *religionem* demum et gentis *historiam*, quae tot magna miracula Dei referebat, innumeras inveniri allusiones, facile concipitur. Attendatur autem oportet, Hebraeorum religionem legibus suis totam vitam publicam et privatam rexisse, quare in metaphoris ex vita quotidiana desumtis haud raro simul allusio ad divinas leges invenitur, qua imagines nonnullae, quae humiliores aut etiam parum decorae esse videntur, veram dignitatem acquirunt.

CAPUT II

DE LIBRO IOB.

§ 3. — *De libri Iob argumento, divisione, fine.*

1. — *Argumentum* libri Iob est inquisitio in causas rerum adversarum, quibus homines omnes atque maxime illi, qui iusti et innocentes creduntur, frequenter subiacent; quaestio autem ita tractatur, ut variae quidem earum causae indicentur, at simul homini ius facultasque negetur iudicandi, quaenam ex illis certa in conditione sit admittenda.

Liber Iob, cui inter didacticos poeticosque libros canon Tridentinus primum locum attribuit, nomen sortitus est a viro, qui in illo primas partes agit. Etenim Iob, vir piissimus, Deo sic permittente ut servi sui virtutem probaret, gravissimis calamitatibus per daemonem affligitur. Omnibus orbatus et a proximis ipsis tentatus cum tribus amicis, qui consolandi causa ad eum venerant, Eliphaz, Baldad, Sophar, de harum calamitatum causis disceptare cogitur; persuasum enim est amicis, non nisi propter peccata calamitates a Deo hominibus immitti. Iob vero conscientiae testimonio securus graviora esse mala, quae patitur, contendit, quam quae peccatis meritus sit. Tacentibus iam tribus amicis, quum quid responderent Iobo non amplius haberent, surgit quartus, Eliu, qui controversiam finire conatus Iobum ab omni quidem culpa non absolvit, calamitates autem etiam ad maiorem in virtutibus profectum procurandum a Deo mitti docet. Eliu adhuc loquente apparet Deus ipse disceptationique finem imponit gravissimis verbis castigans disputantium imprudentiam, qui de providentiae divinae mysteriis iudicium ferre eaque curiosius scrutari audent. Iob imprudentiam suam professus a Deo amicis praefertur atque novis beneficiis ab eo cumulatur.

2. — Praeter exordium (1,1-2,13), quod prosa oratione historiam Iob calamitatesque eius narrat, et epilogum (42,7-16), qui eodem modo novam Iobi fortunam adumbrat, tres partes apte distinguuntur: triplex Iobi cum tribus amicis congressus (3,1-31,40), conciones Eliu (32,1-37,24), Dei sermones (38,1-42,6).

Exordium (1,1-2.13), veram calamitatum Iobi causam manifestat et disputationum occasionem indicat. — Iobi, viri piissimi, virtutem probaturus et manifestaturus Deus satanae permittit, ut eum calamitatibus variis affligat (1,1-2,10). Afflictum consolandi gratia tres amici invisunt (2,11-13).

Prima pars (3,1-31,40) *triplicem Iobi amicorumque disputationem de calamitatum causis exhibet*, in qua eum ordinem tenet poeta, ut singulis amicis ex ordine disserentibus Iob respondeat.

1. *Disputationibus ansam praebet Iob* de calamitatum magnitudine vehementer conquerens (3.1-19) et queribundus interrogans, cur Deus hominem, qui tam dira patiatur, creaverit (3,20-26).

2. In DISPUTATIONE PRIMA (4,1-14,22) amici magis indirecte ostendere conantur, solam calamitatum *causam in Iobi peccatis sitam esse, poenitentique promittunt felicitatis amissae restitutionem.*

a.) *Oratio Eliphaz et responsio Iobi* (4,1-7,21). — *Eliphaz* velut principium statuit, innocentem numquam perire (4,1,11), et visione edoctus, nullum hominem esse iustum (4,12-21), hortatur Iobum, ut ad Deum refugiat (5.1-27). — Quibus indirecte tantum respondens *Iob* rationem querelarum suarum explicat (6,1-12) ac de amicorum duritie conquestus (6,13-30) iterum interrogat, cur tam crudeliter a Deo vexetur (7,1-21).

b.) *Oratio Baldad et Iobi responsio* (8,1-10,22). — Vehementius insurgens *Baldad* principium illud auctoritate sapientum probat proposita parabola, quae resipiscenti feliciorem sortem promittit (8,1-22). — Itaque *Iob* principium illud diserte impugnat (9,1-22), sed se prorsus iustum non esse profitens (9,23-35) a Deo expetit peccatorum suorum manifestationem et debilitatem suam ei exponens eum ad misericordiam flectere conatur (10,1-19) atque levamen quoddam malorum sibi precatur (10,20-22).

c.) *Oratio Sophar Iobique responsio* (11,1-14,22). — *Sophar* iratus arroganti loquacitati Iobi opponit omnisciam sapientiam divinam, sed poenitenti amico felicitatem promittit (11,1-20). — *Iob* vero amicos aggreditur, qui Dei partes male agentes eius iram provocent (12,1-13,12); deinde suam fiduciam professus peccata sua calamitatibus non esse paria contendit (13, 13-28) duabus indicatis rationibus, cur homo tam severe iudicari non debeat (14,1-22).

3. In DISPUTATIONE SECUNDA (15,1-21,34) *amici Iobo principium suum erroneum directe applicant.*

a.) *Secundus Eliphazi et Iobi congressus* (15,1-17,16). — *Eliphaz* arrogantiae Iobum accusans (15,1-16) descriptione divinae iustitiae eum ad poenitentiam exhortatur 15,17-35). — At *Iob* magnam suam miseriam iterum deplorans (16,1-17) ad Deum, innocentiae suae testem, se convertit despectis amicis (16,18-17,10), qui inepti sint consolatores (17,11-16).

b.) *Baldadi et Iobi alter congressus* (18,1-19,29). — Verbositate Iobi reprehensa *Baldad* impii ruinam ita describit, ut eandem fore amici sortem innuat (18,1-21). — Quibus verbis afflictus *Iob* repetitis querelis (19,1-22) spem exprimit fore, ut in futura resurrectione redemtor suus innocentiam suam manifestet (19,23-28).

c.) *Sophari et Iobi alter congressus* (20,1-21,34). — Sophar principio toties repetito denuo insistens, ut Iobum terreat, miseriam impii certam et completam esse ostendit (20,1-29). — Contra quae *Iob* ad experientiam provocat, qua constat, impium in hac terra non semper puniri et post mortem interdum ab hominibus honorari (21,1-34).

4. In DISPUTATIONE TERTIA (22,1-26,13) *Eliphaz et Baldad in sua sententia permanent tacente Sophar.*

a.) *Tertia oratio Eliphaz Iobique responsio* (22,1-24,25). — Longa serie peccata Iobi enumerans (22,1-11) *Eliphaz* eum ad poenitentiam exhortatur propositis divinis iudiciis (22,12-30). — *Iob* autem omniscium Deum testem innocentiae suae invocat (23,1-17) atque monet, si nihilominus patiatur, impii vero multi felici sorte fruantur, accusationibus amicorum quaestionem propositam non definiri (24,1-25).

b.) *Tertia oratio Baldad Iobique responsio* (25,1-26,13). — Conclusionem Iobi velut concedens docet *Baldad*, coram Deo potentissimo hominem non posse contendere (25,1-6). — Quae non esse ad rem regerit *Iob*, nec se indigere amicorum sapientia, ut Dei potentiam celebret (26,1-13).

5. Duobus monologiis (27,1-31,40) *Iob disputationes cum amicis claudit.*

a.) *Carmine triumphali quodam amicos suos vera sapientia carere ostendit* (27,1-28,28). — Innocentiam suam iterum professus (27,1-10) vanam et mancam dicit amicorum doctrinam (27,11-23); arte quidem hominem multum valere (28,1-11), ad veram autem sapientiam, quae Dei sit donum, non pertingere (28,12-28). Quibus verbis innuit, quaestionis solutionem homini esse imperviam.

b.) *Elegia quadam protestatur, calamitates suas non esse peccatorum poenam* (29,1-31,40). — Pristinae suae felicitati (29,1-25) opponit praesentes suas calamitates (30,1-31) atque se ab iis peccatis immunem esse profitetur, quibus tantam miseriam sibi attrahere potuerit (31,1-40).

Pars altera (32,1-37,34) *quatuor concionibus constat, quibus Eliu, unus ex adstantibus, quaestionis solutionem aliquam innuit simul ea, quae audacius Iob disseruerat, corrigens.*

1. Post brevem *introductionem historicam* de Eliu genere (32,1-5) *primus sermo* (32,6-33,33) *Deum homines etiam calamitatibus erudire docet.* — Longo exordio quasi excusatorio praemisso (32,6-33,7) Eliu Iobum vituperat, quod Deum velut inimicum sibi opposuerit (33,8-12), monens Deum etiam morbis immissis hominem ad defectuum cognitionem adducere (33,13-33).

2. *Secunda concio* (34,1-37) *iustitiam divinam vindicat.* — Verbis nonnullis, quibus Iob Deum iniustitiae incusasse videbatur, vituperatis (34,1-9) Dei iustitiam ex eius amore, iudiciis, scientia demonstrat (34,10-37).

3. *Tertia concio* (35,1-16) *pietatis utilitatem docet.* — Iterum a Iobi verbis inchoans non Deo sed homini ipsi bonas vel malas actiones utiles vel nocivas esse docet (35,1-8) explicans, cur Deus non statim semper piorum preces exaudiat (35,9-16).

4. *Quarta concio* (36,1-37,24) *accuratius ostendit, Deum calamitatibus homines erudire.* — Deus iustos afflictos non derelinquit sed servat et erudit, atque ita egit cum Iob (36,1-21); itaque Eliu divina sapientia celebrata rogat Iobum, ut suam ignorantiam confiteatur (37,1-24).

Tertia pars (38,1-42,6) *duobus sermonibus constat, quibus Deus eos, qui in suae providentiae mysteria curiosius inquirunt, ad silentium redigit.*

1. *Prior sermo divinus Iobique excusatio* (38,1-39,35). — Variis interrogationibus de prima rerum creatione (38,1-15), de naturae viribus astrorumque cursu (38,16-38), de animalium ortu et vita (38,39-39,30) *Deus* Iobum ignorantiae convincit (39,31 sq.), *qui* inconsiderate se esse locutum fatetur (39,33-35).

2. *Alter sermo divinus et Iobi excusatio* (40,1-42,6). — Quam parum contendere secum possit homo, ostendit *Deus* suam potentiam infirmitati humanae opponens in descriptione duorum animalium, quae ipse creavit, homo autem gubernare nequit (40,1-41,25); divinam igitur potentiam et scientiam, suam vero ignorantiam professus *Iob* veniam precatur (42,1-6).

In epilogo prosaico (42,7-16) Deus tres amicos vituperasse, Iobo felicitatem pristina maiorem restituisse narratur.

3. — Quem finem in hoc poemate auctor sibi proposuerit, argumentum ipsum docet. Variam enim et multiplicem esse providentiae divinae rationem ostendit, homini autem, qui vel ipsas res visibiles ignoret, de occultis illis normis non licere iudicare, secundum quas Deus singulis prospera vel adversa distribuat.

S. Thomas libri intentionem in divinae providentiae demonstratione versari parum recte putavit, siquidem universas res humanas a divina providentia regi, amici non minus quam Iob supponunt; neque rectius *Lyranus* et *Estius* disputantibus quaestionem propositam dixerunt, « *utrum* Deus iustis aliquando adversa immittat, an vero iustis tantum bona et iniustis tantum mala », nam haec quaestio ipso statim exordio iam diserte solvitur, quum satanae ut Iobum iustum affligat permittatur. Longius aberrarunt, qui Iudaeorum persuasionem, « omnes res adversas esse actualium peccatorum poenas atque iustos *in hac terra semper* praemium virtutis recipere » impugnari et refutari duxerunt; nam persuasionem illam, si inter Iudaeos communis fuisset (id quod negamus), liber noster potius confirmasset, quum revera Iob iam in hac terra praemium suae virtutis accipiat, amici autem non nisi poenitentia poenas effugiant. Longissime demum aberrarunt, qui in (piissimo) Iobo (per daemonem) afflicto symbolice repraesentatum viderunt populum Israel (ob gravissima sua crimina a Deo iustissime) punitum et in exsilium eiectum.

Rectius igitur dicemus auctorem pulcherrimo hoc poemate prohibere voluisse, ne homo in divinae providentiae ordinem curiosius inquirens sibi iudicium arroget de causis, ob quas hic vel ille aut adversa patiatur aut prosperis fruatur. Revera clare docet, varias esse calamitatum causas. Iobi amici in Deo solum *severum iudicem* agnoscunt inexorabili cum rigiditate, ut ordinem iustitiae vindicet, mala malis et bona bonis *in hac terra* rependentem; Eliu in eo etiam *benignum patrem* agnoscit, qui, ut filium certius a malo avertat, leviores quoque naevos interdum gravioribus poenis castigat (33,29; 36,10 sqq.); tertiam calamitatum causam indicat prologus docens, pium Iobum permittente Deo afflictum esse, ut eius virtus probaretur et coram toto mundo manifestaretur. Quoniam igitur variae sunt calamitatum causae, Eliu iam monere incipit, ne homo de divinae providentiae rationibus iudicare praesumat, atque Deus ipse suis interrogationibus demonstrans, ne de visibilibus quidem rebus, quia earum rationes non perspiciant, homines posse iudicare, ab omni temerario iudicio de invisibilibus providentiae normis efficacius eos absterret.

4. — Non incongrue tamen statuitur, praeter primum illum finem auctorem id quoque intendisse, ut in Iobo gravissimis calamitatibus afflicto exemplar patientiae proponeret, quo omnium aetatum homines incitarentur, ut in rebus adversis Deo fideles adhaererent ab eoque solo consolationem et auxilium sperarent.

Longe augustius et perfectius patientiae exemplar nobis quidem est Dominus N., qui nos incitat, ut ex eius amore tribulationes non tantum perferamus, sed etiam diligamus et libenter amplectamur; nihilominus nobis quoque utile esse pii Iobi exemplum docuit *S. Iacobus,* quum illud Christianis proponeret, ut ex eo discerent, « quoniam misericors est Dominus et miserator » (*Iac.* 5,11); immerito autem *S. Chrysostomus* (Synops. S. Script.) *totum* libri finem dixit esse exhortationem ad poenitentiam.

§ 4. — *De libri Iob origine et integritate.*

1. — Inter varias sententias de libri origine probabilitate omni destituuntur quum illae, quae mosaicae aut antemosaicae aetati opus adscribunt, tum illae, quae tempore exsilii aut post exsilium librum prodiisse dicunt.

Haud pauci olim ipsi Iobo vel uni ex eius amicis librum attribuere non dubitarunt, atque *Origenes* Iobum librumque eius Moyse dixit antiquiorem. Quem secuti nonnulli interpretes (*Pineda*, *Bonfrerius* etc.) propter idiotismos nonnullos, quos cum *S. Hieronymo* arabismos vel chaldaismos appellarunt, opus ex arabico vel chaldaico sermone per Moysen aliumve scriptorem hebraice translatum esse coniecerunt. Quae sententia recte praetermittitur, siquidem libri, qui ob styli et linguae puritatem inter praecipua hebraicarum literarum monumenta unum ex primis locis occupat, primigenium textum hebraicum fuisse, hodie omnes consentiunt. Hebraeum quoque, cui Lex mosaica cognita erat, auctorem esse, solus iam catalogus peccatorum ostendit, quorum reum se esse Iob negat (*Iob* 24.2-11 cfr *Exod.* 22,25 sq., *Levit.* 19,9; 25,2 sqq., *Deut.* 24,9 etc.). — Moysi ipsi librum attribuerunt nonnulli Patres (*S. Method.*, *Polychron.*, *S. Hieron.*, *Philippus* etc.) et inde a saec. 15. multi interpretes (*Tostat.*, *Caietan.*, *Bellarm.*, *Sanct.*, *Huet.*, *Boss.* etc.), argumentis autem sententiam suam non demonstrarunt. Nam Thalmudistarum traditio, ad quam nonnulli provocant, in hac quaestione incerta est, quoniam de Iobi aetate ipsi inter se quam maxime dissentiunt, et styli similitudo inter poema nostrum et cantica Moysis maior non est, quam inter idem poema et canticum quodcumque. — Multo debilioribus autem, si fieri potest, argumentis nituntur, qui aetati exsilii operis originem attribuunt. Frustra enim ad auctoris finem provocant, qui exsules consolari voluerit, nam finis hic est mera fictio: etenim Iob innocentissimus, uti iam diximus, non potuit repraesentare populum Israel ob peccata gravissima a Deo punitum. Frustra quoque ad chaldaismorum frequentiam provocant; nam idiotismi illi, qui chaldaismi vocari solent, in omnibus poematis frequentes sunt. Frustra demum rationalistae satanam intercessionemque angelorum commemorari monent; doctrinas enim de satana et de angelis Iudaeos a Persis accepisse, mere rationalisticum est commentum.

2. — Maior hodie interpretum numerus librum Iob tempore salomonico prodiisse recte tenet. Ob singularem enim suam pulchritudinem aureae aetati poeseos hebraicae attribuendus videtur, atque haud parva eius est in sententiis et locutionibus cum Proverbiis salomonicis affinitas; accedit quod allusiones, quae ad librum Iob in propheticis libris antiquioribus deprehenduntur, eum saeculo 8. antiquiorem demonstrare videntur.

Salomoni ipsi opus iam attribuerunt SS. *Gregor. Naz.* et *Chrysost.*, quos ex antiquioribus interpretibus secuti sunt *Harduinus* et *Calmetus;* de auctore ipso autem nihil definientes plerique catholici et haud pauci acatholici interpretes salomonica aetate poema nostrum exortum esse statuunt. Ac profecto aetati vel Davidis vel Salomonis poema attribuere cogimur summa qua splendet artis poeticae magnificentia et sublimitate. Ad salomonicam autem aetatem adducimur satis magna inter l. Iob et Proverbia affinitate, quae non tam alterutrius auctoris depen-

dentiam vel imitationem, quam communem potius eiusdem temporis sermonem, scientiam, disciplinam arguit[1]. — Quibus accedunt allusiones in propheticis libris. *Ezechielem* (14,14. 20) nostrum librum cognovisse, evidens est; certum quoque est, *Ieremiam* illum esse imitatum, ubi diei nativitatis suae maledixit (cfr *Ierem.* 20,14 sqq. cum *Iob* 3,3 sqq.), neque desunt alia poematis vestigia in Ieremiae vaticiniis[2]; Threni vero cum libro Iob ita consonant, ut eidem auctori utrumque opus adscribere nonnemo voluerit. Eadem quidem cum certitudine de relatione, quae inter poema nostrum et *Isaiam Amos*que intercedit, iudicare non possumus, at maxima tamen verisimilitudine gaudet sententia, quae illud a duobus illis prophetis adhibitum esse tenet. Affinitatem quamdam inter l. Iob et Isaiam nonnulli textus satis clare demonstrant (in *Is.* 19,5 et *Iob* 14,11 ultimus stichus ad verbum consonat; cfr etam *Is.* 19,13. 14 cum *Iob* 12,24. 25; *Is.* 40,2 cum *Iob* 7,1; *Is.* 40,7 cum *Iob* 14,5; *Is.* 44,24. 25 cum *Iob* 9,8 et 12,7 etc.); atque prophetam potius a poeta, quam poetam a propheta, dependere accurata textuum comparatio docere videtur. Utrumque quoque obtinet, si *Am.* 5,8 et *Iob* 9,9 et 38,11 sq., *Am.* 4,13 et *Iob* 9,5 sqq. inter se conferuntur. Quare saeculo 8. poema Iob antiquius esse recte dicitur; quoniam vero a Salomone usque ad antiquiores illos prophetas literae inter Hebraeos non videntur floruisse, eodem argumento librum Iob salomonicae aetati attribuendum esse confirmatur.

3. — Poematis conspectus supra (§ 3,2) propositus, quamvis brevis sit et incompletus, singulas operis partes arcte inter se cohaerere et apte esse dispositas satis docet. Nihilominus libri *integritas* hodie impugnatur et nonnullae eius pericopae velut spuria additamenta reiiciuntur. Atque primo quidem loco *prologus et epilogus* auctori abiudicantur, ac si illis reiectis sermones, quibus reliquus liber constat, intelligi possent.

Frivola sunt adversariorum argumenta. Ipsa prosa oratio, qua auctor illis in pericopis utitur, atque divina nomina, quae magna cum arte variat (*Iahve,* si ipse loquitur, *El, Eloah, Schaddai* in sermonibus Iob amicorumque, qui Hebraei non erant), illis sunt offendiculo. Pugnare quoque censent 1,9 cum 8,4 et 19,17 non animadvertentes, in 8,4 causam mortis filiorum Iob a Baldad indicari et 19,17 non de filiis, sed de fratribus Iob agi (« filii uteri, qui me portavit » cfr 3,10). Porro in prologo, inquiunt, Iob calamitates patienter accipit (1,21; 2, 10 sqq.), in carmine acerbissime de iis conqueritur Deumque velut earum auctorem videtur incusare; in carmine ob peccata sua vituperatur, in epilogo a Deo laudatur. At iterum ad poetae artem non attendunt adversarii; viri enim, quem patientissimum iam cognovimus, querelis magnitudo calamitatum perdurantium et intempestivis amicorum accusationibus crescentium nobis manifestatur, et recte

(1) Cfr ex. gr. laudes sapientiae *Prov.* 8,11 sqq. et *Iob* 28,12 sqq., descriptionem creationis *Prov.* 8,25 sqq. et *Iob* 38,4 sqq. etc. Eadem rariora vocabula in utroque libro adhibentur : תּוּשִׁיָּה (sapientia; *Iob* 5,12 etc., *Prov.* 2,7 sqq.), הַוָּה (pravitas; *Iob* 6,2 etc., *Prov.* 10,3 etc.), תַּחְבוּלוֹת (gubernatio, prudentia; *Iob* 37,12; *Prov.* 11,14 etc.), פְּתִי (simplex; *Iob* 5,2; *Prov.* 20,19 etc.), אֲבַדּוֹן (inferi; *Iob* 26,6 etc., *Prov.* 15,11; 27,20) etc.; eaedem quoque figuratae locutiones : *Iob* 15,16; 34,7 et *Prov.* 26,6; *Iob* 15,7 et *Prov.* 8,25; *Iob* 18,17; 20,7 et *Prov.* 10,7; *Iob* 26,6 et *Prov.* 15,11 etc.

(2) *Ierem.* 12,1 et *Iob* 21,7 aut 12,6; — *Ierem.* 17,1 et *Iob* 19,24; — *Ierem.* 31,29 et *Iob* 21,19; — *Ierem.* 49,19 et *Iob* 41,1; — *Ierem.* 20,18 et *Iob* 10,18

iam monuit *Chrysostomus* « Iobum, si conquestus non esset, potuisse videri naturae communis expertem ». Procul dubio nonnulla eius verba vituperio sunt digna, ideoque ab Eliu corriguntur et a Deo vituperantur; a Deo autem laudatur, quia rectius locutus est, quam amici eius. Demum edocemur, in prologo et epilogo de virtute expiatoria sacrificiorum fieri sermonem (1,5; 42,8), poema autem illam ignorare. Quae obiectio difficultatem crearet, si auctor non inquisivisset, quae essent calamitatum causae, sed quomodo peccata deleri possent.

Admodum pauci sunt, qui nexum satis obvium non intelligentes *verba Iobi* 27,11-28,28 alteri interlocutori Sophari attribuere atque *secundam Dei orationem* (40,40-41,25) velut spuriam reiicere voluerunt. Multo plures autem *Eliu sermones* (31,1-37,24) superfluos dicunt nec tanto poemate dignos. Attamen nihil in eorum forma exteriore invenitur, quo suspecti reddantur, atque tam parum sunt superflui, ut illis abscissis tota poematis oeconomia destruatur neque amplius plena quaestionis propositae habeatur solutio.

Duabus prioribus obiectionibus immorari vix opus est. Cur enim verba, quae 27,11 sqq. leguntur, tertio amico attribuantur, nulla adest ratio; nam aptissime Iob, Sophare iam tacente, amicis eorum ipsorum doctrinam, quam defendere nequeunt, quasi ironice ipsis eorum verbis obtrudit (27,11-23) ac deinde eis ostendit, hominem, quamvis naturali scientia et arte multum valeat, ad supranaturalem sapientiam suis viribus pertingere non posse (28,1-28). Secundus autem Dei sermo (40,40 sqq.) nequaquam abundat, siquidem divinam potentiam duobus monstris, quae ille creavit homo autem regere nequit, descriptis celebrans eodem modo docet homini ob suam debilitatem cum Deo contendere non licere, sicut primus in eo potissimum est, ut homini propter suam ignorantiam id non licere ostendat.

Ad Eliu deinde sermones quod attinet, eos magis, quam reliquos aramaizare atque etiam aliquid tumidi et inflati habere, libenter fatemur; monemus autem pro disputantium indole poetam linguam stylumque variasse. Iam vero Eliu fuit iuvenis ex aramaica (*Gen.* 22,21) tribu Buz; linguam igitur aramaizantem stylumque tumidiorem apte ei attribuit auctor. Argumentum porro sermonum eius nec est repetitio eorum, quae ab amicis sunt dicta, nec praeoccupatio orationum divinarum. Etenim amicorum errorem, qui in calamitatibus non vident nisi vindicativas poenas Dei, corrigit Eliu virtute earum medicinali demonstrata. Nisi igitur haberemus Eliu sermones, omnes calamitates aut poenas vindicativas esse cum amicis diceremus aut iuxta prologi doctrinam probationes et manifestationes pietatis iustorum; id quod certe esset erroneum. Adde, a Deo Iobum et amicos vituperari quidem, sed qua in re erraverint, non indicari; undenam igitur de disputationibus eorum iudicabimus, si sermones Eliu reiecerimus, in quibus potissimum declaratur, quid in prioribus verbis sit reprehendendum? Demum si obiicitur, iuveni neminem respondere nec eius ullam mentionem in prologo et epilogo fieri, id optime se habere respondemus. Quae enim protulit, ea veritati sunt consona; quare nec a Iobo aut amicis nec a Deo vituperari potuerunt; tam parcus autem et sobrius fuit poeta in personis nominandis, ut iis tantum in locis illarum mentionem faceret, in quibus praetermittere illas non licuit, si carmen suum intelligi voluit; hinc Eliu in exordio non nominatur, quae autem lector de eo scire debuit, ea ibi inseruntur, ubi iuvenis publice prodiit (32,1 sqq.).

4. — Scholion. Versionis alexandrinae additamentum, in quo Iobi genealogia quaedam refertur et Iobab rex Idumaeorum (*Gen.* 36,32) fuisse dicitur, apocryphis scripturis est adnumerandum.

Canonicam auctoritatem nonnulli additamento vindicare voluerunt, a.) quia in graeca V. T. editione a Sixto V. approbata inveniatur, b.) quia Patres illud pro divina Scriptura receperint, c.) quia a Conciliis Carthag. et Laodic. videatur velut canonicum receptum. At nec Sixtum nec Concilia quidquam de multis versionis alexandrinae additamentis statuere voluisse, in comperto est; neque Patres ignorarunt, illa in multis exemplaribus deesse graecumque textum l. Iob minus purum esse conservatum; de corrupto enim eius textu iam conquesti sunt *Origenes* (Ep. ad Afric. 3) et *S. Hieronymus* (Praef. in l. Iob).

§ 5. — *De libri Iob auctoritate.*

1. — Cum S. Augustino plerique antiquitus librum Iob historicis operibus adnumerarunt; contra cum rabbinis nonnullis moderni rationalistae integrum libri argumentum arbitrarie confictum esse censent atque Iobum ipsum exstitisse negant. Inter quas sententias oppositas media via incedentes hodie catholici tantum non omnes interpretes historiam Iobi in libro relatam veram quidem esse, sed ab auctore poetice amplificatam et exornatam recte statuunt.

Namque *a.*) Iobum esse personam historicam, de fide est (cfr *Ezech.* 14,14. 20; *Iac.* 5,11; *Tob.* 2,12. 15 *Vulg.*), atque proin etiam eius fata, prout historice in libro referuntur, pro veris sunt admittenda. Revera summatim ea indicant S. Iacobus (patientiam felicemque calamitatum exitum) et auctor l. Tobiae (patientiam disceptationemque cum amicis). Accedit Ecclesiae universae consensus, quippe quae Iobum « virum admirabilis patientiae » (*Martyrol. Rom.*) et « multorum certaminum victorem » (*Menol. Graec.*) inter Sanctos colat. Atque fatendum est, prosaicarum pericoparum characterem omnino esse historicum, ita ut auctor nos in ineluctabilem errorem induxisset, si tota eius narratio esset mera fictio. Quibus argumentis absurde obiicitur, nomina Iobi amicorumque eius, quum personarum indoli fatisque respondeant, fictionem prodere. Nam plerorumque nominum significatio nos latet, atque ipsius nominis *Iob* etymologia certa nondum est proposita [1].

b.) Argumentum autem, etsi vere sit historicum, poetice esse exornatum et amplificatum, integra libri indoles docet, ita ut liber Iob medium quasi locum inter historicos et inter poeticos teneat neque inepte cum Domini narratione de Lazaro et divite comparetur; hanc enim nec parabolam « nec historiam esse » iam monuit *Ps. Iustinus*, quum Dominus « parabolam super historiam finxerit », ita « ut aliqua ad historiam, aliqua ad parabolam pertineant » (*Maldon.*). Itaque in eam sententiam, quam refert auctor, Iobum cum amicis de calamitatum suarum causis disputasse Deumque oraculo suo controversiam diremisse, est factum histori-

(1) Ab antiquioribus nomen *Iob* explicari solet *dolens* (יוֹבֵב?), a modernis *hostiliter tractatus* (אִיּוֹב a rad. איב adversatus est) aut *serio resipiscens* (a rad. אוב reversus est) etc. — *Eliphaz* (« Deus est robur » aut « Deus divitiarum »), *Bildad* (= Bel Adad?), *Sophar* (villosus) profecto non produnt personarum characterem.

cum, sed dialogorum, quum singulae orationes totidem sint carmina, compositionem, dispositionem, distinctionem poetae deberi, qui factum historicum amplificavit et exornavit, iure asseritur. Quaenam ad historiam aut ad ornatum poeticum pertineant, in genere satis facile discernitur, de nonnullis autem magis minusve incerta manet res. Num in historica parte numeri (1,3; 42,12) accurati sint, an rotundi, quomodo Dei cum angelis consessus (1,6 sqq.; 2,1 sqq.) eiusque apparitio (38,1) explicentur oporteat, inquirunt interpretes.

2. — *Divinam libri Iob auctoritatem* semper agnovit antiqua Synagoga et Christi Ecclesia.

Ezechielem (14,14. 20), *auctorem l. Tobia* (2,12. 15. *Vulg.*) ad eum respexisse atque *Ieremiam* eodem modo, quo alios libros V. T., eum adhibuisse iam diximus; *S. S. Paulus* (*Rom.* 11,35; 1 *Cor.* 3,19) et *Iacobus* (5,11 ad eum provocaverunt; Patrum inde a *S. Clementis Rom.* (cfr 1 Cor. 17. 20. 26. 39. 59.) tempore abundant testimonia. *Theodorus Mopsuest.* quidem inspirationem eius addubitavit, sed ideo a Conc. V. Constant. II. damnatus sequaces non invenit praeter *Iunilium Afric.*, sententiarum Mopsuesteni compilatorem, et recentiorum temporum rationalistas, qui omnes libros sacros divino charactere spoliant.

Attamen quoniam in libro hoc diversae et inter se oppositae sententiae a Iobo eiusque amicis defenduntur, accurate attendendum est, quousque, licet integrum opus sit inspiratum, divina auctoritas sese extendat. Iam vero evidens est, pericopas illas, in quibus auctor inspiratus ipse loquitur aut Deus loquens introducitur, iuxta communia praecepta hermeneutica esse exponendas; Iobi autem amicorumque eius et Eliu sermones secundum regulas, quas dialogorum scriptores sequi solent, sunt diiudicandi, ut divina auctoritate gaudeant illa omnia, quae a personis illis proferuntur, quatenus inter eas de illis convenit neque illis aut a Deo aut ab auctore ipso (in prologo et epilogo) contradicitur. Hanc enim auctoris inspirati ipsius ac proinde Spiritus S. esse sententiam, iure merito asseritur.

Plurima verba a Iobo prolata gaudere divina auctoritate certum est, quia Deus eius sermones saltem generatim approbat (42,7); nonnulla etiam verba amicorum licet thesin certo erroneam defendant, eandem habere auctoritatem, certum est, quia S. Paulus (1 *Cor.* 3,19) textum ex primo sermone Eliphaz desumtum velut Scripturam allegat atque Patres quoque et theologi in libro Iob citando saepe non attendunt, in cuiusnam sermonibus textus citati legantur. At non omnibus amicorum verbis eandem auctoritatem attribui posse, constat quum Dei vituperatione (« non estis locuti recta de me » 42,7) tum Patrum testimoniis, qui argumenta ex eorum verbis desumta aliquoties dicunt infirma. Neque omnia Iobi verba probantur Philippo, S. Hieronymi discipulo, S. Thomae, multisque interpretibus, atque de Eliu sermonibus magnus est Patrum et interpretum dissensus, aliis vix quidquam verae et sanae doctrinae in illis invenientibus, aliis doctrinam eius approbantibus. Quapropter norma quaedam, secundum quam sermonum illorum auctoritas diiudicari possit, certa statuenda est, ne multo maior libri pars, utpote in qua quodammodo humana et divina permixta sint, auctoritate sua privetur. Hanc autem normam nobis praebent regulae, quas dialogorum scriptores sequi solent; omnis enim liber secundum propriam suam naturam et indolem explicandus est,

quoniam alias regulas sequuntur historici, alias poetae; noster autem liber est dialogus poeticus. Atqui in dialogis auctor omnia illa censetur approbare, in quibus interlocutores aut diserte aut tacite consentiunt; nisi dissensum suum alia in operis parte manifestet. Hinc Eliu sermones, quibus nemo contradicit et quos nemo improbat, auctoris exprimunt sententiam; illud unum, quod Iobi calamitates insinuet esse poenas *mere* medicinales, corrigit auctor in prologo primariam earum causam indicans. In Iobi sermonibus Eliu non tam erroneam doctrinam, quam audaciam, qua contendere cum Deo ausus erat, vituperat, atque hanc solam audaciam reprehendit Deus. Amicorum demum *thesin, omnes* calamitates esse poenas vindicativas, Iob impugnat, Eliu improbat, Deus damnat, at nemo ex illis vituperat, quod poenas vindicativas admittant; omnia illa igitur, quibus calamitatum earum, quae velut poenae vindicativae immittuntur, iustitiam gravitatemque describunt, ab auctore approbari recte dicuntur. Quibus suppositis de singularum sententiarum auctoritate iudicare non erit difficile.

§ 6. — *De praecipuis commentariis catholicis in l. Iob.*

I. Interpretatio patristica. *Patrum graecorum* commentarius nullus integer ad nos pervenit; attamen in « *Catena in l. Iob* absolutissima e viginti quatuor Graeciae doctorum explanationibus contexta » (ed. Paul. Comitolus S. I. Lugduni 1587., et Patr. Iunius. Londini 1637.) collecta sunt fragmenta *Origenis, S. Athanasii, S. Chrysostomi, Didymi Alex., Olympiodori.* — Quibus accedit *Ps. Origenis* Comm. in Iob tria priora capita.

Ex aliis orientalibus nominandus est S. Ephraem (Annotationes Opp. syr. II. 1 sqq.), cui addimus saec. 13. scriptoris syri, sc. *Barhebraei* Scholia in l. Iob (ed. Bernstein. Wratislaviae 1858.).

Patres latini : S. Hilarii Pict. fragm.; — *S. Augustini* Annotationum in l. Iob liber unus; — *Ps. Hieronymi* vel *Ps. Bedae*, sed revera *Philippi presb.* Commentarius in Iob, ex quo excerpta est *Ps. Hieronymi* Expositio interlinearis in Iob; — *S. Gregorii M.* Moralium libri sive expositio in l. Iob, a quo omnino dependet *Wal. Strabonis* Glossa ordinaria in l. Iob.

II. Interpretes mediae aetatis. A S. Gregorio M. etiam plane dependent *S. Odo Cluniac.* (Epitome Moral. S. Gregor.), *S. Bruno Ast.* (Expositio in Iob.), *Rupertus Tuit* (Comment. super Iob.), *Petrus Bles.* (Compendium in Iob.). — Allegoricam expositionem fere tradit *Card. Hugo* (Postilla in Iob); solum autem sensum literalem explicant S. Thomas Aq. (Expositio in Iob) et *Nicol. Lyranus* (Postilla); in literali sensu S. Thomam, in morali et allegorico S. Gregorium sequitur *Dionysius Carth.*

III. Recentiores interpretes multi sunt, praecipuos tantum nominamus. *Saec.* 16-18 : *Caietani,* O. Praed.; Comment. in l. Iob (Romae 1535.); — *Did. de Zuniga* (Stunica), O. S. Aug., Commentarii in Iob, quibus triplex eius editio, Vulg., Hebr., Gr., necnon Chald. explicantur et conciliantur (Toleti 1584.); — I. de Pineda S. I. Comm. in Iob cum paraphrasi (Matriti 1597. etc.); — *Iac. Iansonii* Enarrationes in l. Iob (Lovanii 1623.); — Casp. Sanctii S. I. Comment. in l. Iob (Lugduni 1625.); — *Fr. Vavassor* S. I. Iobus brevi comment. et metaphrasi poetica illustratus (Paris, 1638.); — B. Corderii S. I. Iob illustratus (Antwerpiae 1646.); — *Phil. Codurci* S. I. Liber Iob scholiis illustratus (Paris. 1651.); — *H. de Ionghen,* O. Min., Literalis elucidatio in Iob (Antwerpiae 1661.); — *I. Har-*

douin S. I. le Livre de Iob selon la Vulg. paraphrasé avec des remarques (Paris 1729.); — *I. I. Duguet* Explication du l. de Iob (Paris 1732.); — *L. de Poix*, O. Capuc., Essai sur le l. de Iob (Paris 1768.); — *Xav. Matthaeii* I. libri poetici della Bibbia tradotti etc. (Napoli 1766.) et Giobbe giurisconsulto ossia saggio di un nuovo sistema per interpretare il l. di Giobbe (Siena 1780.).

Hoc nostro saeculo : Ros. Parisi S. I. Il divino libro di Giobbe esposto in lezioni theolog. — critico-morali (Palermo 1843.); — *B. Welte* D. Buch Iob übersetzt u. erklärt (Freiburg 1849.); — *H. Hayd* Das B. Iob in gereimtem Versmasse übersetzt (München 1859.); — *Le Hir* le Livre de Iob. Traduction sur l'hébreu et commentaire (Paris 1873.); — *H. Zschokke* Das B. Iob übers. und erklärt (Wien 1875.); — *G. Bickell* de Indole ac ratione versionis alexandrinae in interpretando l. Iob (Marburg 1863.); Iob, Dialog über das Leiden des Gerechten. (Innsbruck 1885.); cfr etiam Carmina V. T. metrice (Oeniponte 1882, p. 151 sqq.); — *I. Pieriek* S. I. Het Boek Iob; naar't Hebreewsch letterlijk vertaald. (Gulpen 1881.); — *I. Knabenbauer* S. I. Comment. in l. Iob (Parisiis 1885.); cfr *eiusdem* Beiträge zur Erkl. des B. Iob (Zeitschr. f. kath. Theol. Innsbruck 1886.); — *H. Lesêtre* Le livre de Job. Introd. critique, traduct. franç., comment. (Paris 1886.); — *I. Langer* Das B. Iob in neuer Uebers. (Freiburg 1889.). — Conferri quoque meretur *G. Gietmann* S. I. Classische Dichter u. Dichtungen. II. Parcival, Faust, *Iob* etc. (Freiburg 1887. p. 556-679.).

De metrica et strophica libri ratione agunt *G. Bickell* (Metrices bibl. regulae. Oeniponte 1879.; Carmina Vet. Test. metrice. 1882.; D. Buch Iob nach Anleitg der Strophik etc. übers. Wien 1894.), *G. Gietmann* S. I. (De re metrica Hebr. Friburgi 1880.), *Paul Vetter* (Die Metrik des B. Iob. Freiburg 1897.), *I. Hontheim* S. I. (Zum B. Iob. — Zeitschr. f. kath. Theol. Innsbr. 1898 1900.).

CAPUT III.

DE PSALTERIO DAVIDICO.

§ 7. — *De Psalterii nominibus, divisione, ordine.*

1. — In bibliis hebraicis carmina minora, quibus *Psalterium* constat, licet singulis diversi tituli praefigantur, communi nomine תְּהִלִּים (vel תִּלִּים, ὕμνοι, *laudes*) insigniuntur et in subscriptione *Ps.* 71. (72.) omnia praecedentia vocantur תְּפִלּוֹת (προσευχαί, *preces*). Ab Alexandrinis carmina singula ψαλμοί eorumque collectio βίβλος ψαλμῶν (*Luc.* 20,42 etc.) vel ψαλτήριον appellantur, unde latina nomina *Psalmorum liber* (Vulg.) vel *Psalterium* (Can. Trident.).

Non omnes quidem nostri Psalmi *stricto* sensu sunt *hymni* vel *preces*, *latiore* tamen sensu ita appellari possunt, quia indirecte saltem omnes laudes divinas celebrant mentemque ad Deum elevant; quare recte *S. Hieronymus* « totum Psalterium, inquit, non est nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio ». — De cetero graecum verbum ψάλλειν significat « summis digitis chordas musicorum instrumentorum pulsare » (*Suid.*), unde ψαλμός proprie est *chordarum pulsus* et translate *carmen ad fidium pulsum cantatum* (מִזְמוֹר cfr § 2,2). Similiter *Psalterium* proprie est instrumentum musicum a Hebraeis נֵבֶל (ναύλα *Nablium*) appellatum et ad carminum collectionem designandam translatum (*Euth.*).

2. — « Psalterium davidicum *centum quinquaginta* Psalmorum » appellatur liber a tridentinis Patribus, atque idem carminum numerus a Iudaeis Christianisque semper est agnitus. Tot tamen diversa carmina non sunt et vario modo in variis editionibus numerantur.

Revera *Ps.* 13. et 52. sunt unus idemque; *Ps.* 69. ultimis versibus *Ps.* 39, 14-18 constat; *Ps.* 107. compositus est ex *Ps.* 56,8-12 et 59,7-14. Alio deinde modo in hebraicis, alio in graecis latinisque editionibus carmina nonnulla distinguuntur, nec ipsi hebraici codices eandem tenent distinguendi rationem. Psalmus, qui nobis est 9., ab Hebraeis in duos dividitur (9. 10.), atque idem obtinet in nostro 113., qui illis est 114. et 115; contra nostri 114. 115 ab illis in unum 116. contrahuntur, atque iterum nostri 146. 147 illis unus est 147[1]. Porro Ps. 1. et

(1) Unde alia quoque Psalmorum *numeratio* :

ALEX. et VULG.		HEBR. et S. HIER.	ALEX. et VULG.		HEBR. et S. HIER.
Ps. 1.-8.	=	1.- 8.	114. 115.	=	116.
9.	=	9. 10.	116.-145.	=	117.-146.
10.-112.	=	11.-113.	146. 147.	=	147.
113.	=	114. 115.	148.-150.	=	148.-150.

In longe maiore Psalterii parte igitur (*Ps.* 10.-146.) numero nostro unitas est addenda, ut habeatur hebraicus numerus, quem hodie satis multi scriptores in allegationibus suis adhibent.

2. antiquitus pro uno habebantur, quare S. Paulus textum *Ps.* 2. dicit legi in *Ps.* 1. (*Act.* 13,33 secundum meliorem lectionem). In bonis codicibus hebraicis etiam Ps. 42. 43. (41. 42.) in unum contrahuntur, idque rectissime, quoniam versu intercalari (42, 6.12; 43,5) arctissime coniunguntur.

3. — Inde ab Origenis tempore aliqui Patres et interpretes in tres quinquagenos cunctos Psalmos pro triplici fidelium statu distribuerunt : « scilicet pro statu *poenitentiae* et ad hunc ordinatur prima quinquagena, quae finitur in *Miserere mei Deus* (*Ps.* 50), pro statu *iustitiae* et haec consistit in iudicio et finitur in Ps. 100. *Misericordiam et iudicium*, pro statu *gloriae* et ideo finitur in *Ps.* 150 *Omnis spiritus laudat Dominum* » (*S. Thom.*). Multo tamen antiquior, neque ad arbitrium facta sed ex ipsa Psalmorum collectione exorta est divisio in quinque libros, quorum primus continet *Ps.* 1.-40., alter 41.-71., tertius 72.-88., quartus 89.-105., quintus 106.-150.

Distributio in tres quinquagenas, licet a SS. *Hilario*, *Augustino*, *Thoma Aq.* aliisque haud paucis olim sit approbata, a modernis omnibus respuitur, quia argumenta Psalmorum tribus statibus, quibus assignantur, non nisi violenter accommodari possunt.

Divisio in quinque libros autem, quae SS. Hilario quidem, Augustino et Hieronymo non placuit, sed *Origenis*, SS. *Hippolyti*, *Ambrosii*, *Epiphanii*, *Gregorii Nyss.* etc. suffragia tulit, hodie ab omnibus velut certa iure admittitur. Quinque enim illos libros revera esse distinguendos doxologiae docent, quae ultimis singulorum carminibus additae (*Ps.* 40,14; 71,18-20; 88,53; 105.48), quia ad eorum argumentum non pertinent, recte *librorum* clausulae dicuntur; S. Augustino autem, qui in *Ps.* 150. eiusmodi clausulam non legi monuit, respondemus, integrum Ps. 150. esse doxologiam, qua 5. liber et integrum Psalterium apte terminantur. Porro alexandrini interpretes istas doxologias iam in suis exemplaribus hebraicis, quae graece transtulerunt, invenerunt, quare eas antiquissimas esse atque ad ipsam Psalterii originem ascendere merito dicimus, ita ut quinque Psalmorum libri totidem sint collectiones diversae postea nostro volumine comprehensae. Namque non eodem tempore et ab uno viro omnia carmina esse collecta, concludamus oportet quum ex eiusdem carminis repetitione (*Ps.* 13. = 52.), tum ex clausula, quae *Ps.* 71,20 doxologiam sequitur (« *Defecerunt* [i. e. terminantur] *hymni Davidis, filii Iesse* »), tum demum ex diversitate nominum divinorum in singulis Psalterii libris [2].

4. — In *Psalmorum ordinem* diligenter iam inquisiverunt Patres, at id unum est certum, « non iuxta historiae ordinem Psalmos, qui ab historia dependere videntur, esse descriptos » (*S. Hippol.*). Ceterum

(2) Legimus enim in *libro*

	I.	II.	III.	IV.	V.
nomen *Iahve*	272^{ies}	30^{ies}	44^{ies}	103^{ies}	236^{ies}
nomen *Elohim*	15^{ies}	164^{ies}	43^{ies}	0	7^{ies}

Neque casui id esse adscribendum elucet ex eo, quod *Ps.* 13. in libro I. *Iahve* exhibet, cuius in loco *Elohim* substituitur, quando in libro II. (*Ps.* 52.) repetitur. Cfr etiam nomina divina in *Ps.* 39,14-18 (lib. I.) cum *Ps.* 69. (lib. II.), et *Ps.* 67,2. 8. 9. cum *Num.* 10,35 et *Iudic.* 5,4. 5.

S. Athanasii praeferenda sententia videtur, carmina sc. eo ordine esse disposita, quo in collectorum manus venerunt; atque addere licet, collectores illa, quoad eius fieri potuit, coniunxisse, quae aut ab eodem auctore erant composita, aut eandem formam externam exhibebant, aut eidem usui liturgico inserviebant.

Psalmorum ordinem, « qui magni sacramenti videatur continere secretum, sibi nondum esse revelatum », ingenue fatetur *S. Augustinus*. Iure merito reiicit Eusebius eorum opinionem, qui in illis disponendis « numeros ipsos vim quamdam habuisse putarunt, ut singulis numeris aptaretur verborum sententia ». At *Eusebii* ipsius quoque sententia, quam moderni nonnulli sequuntur, « pro argumenti ratione et similitudine Psalmos ut plurimum esse digestos ideoque coniunctos esse illos, qui affinitatem inter se habeant », teneri non potest; subtiliora enim quam probabiliora statuerunt illi, qui eiusmodi affinitates demonstrare sunt conati. Neque nobis probatur *S. Gregorii Nyss.* opinio, qui in quinque libris eum invenire voluit ordinem, ut semper ad maiora et altiora virtutis studia perducant; nisi enim coacto et arbitrario modo quam plurima explicentur, talis progressus non detegitur. Itaque restat, ut cum S. Athanasio saltem multorum carminum dispositionem soli casui adscribamus; alia tamen coniuncta videntur, quia eundem auctorem habent (1.-40. 50.-65. etc. *Davidem;* 41.-48. *filios Core;* 72.-78. *Asaph*) aut eandem formam poeticam (55.-59. *Miktham;* 41.-44. 51.-54. *Maskil;* 120.-134. *Cantica graduum*) aut eundem usum liturgicum (110.-117. 146.-150. *Alleluia*) aut eandem melodiam (56.-58. « *Ne disperdas* »).

§ 8. — *De Psalmorum inscriptionibus.*

1. — Tituli longe plerisque Psalmis praefixi eadem, qua reliquae SS. Scripturarum particulae, gaudent auctoritate, si unanimi textus hebraici et versionum praecipuarum testimonio approbantur. Recte enim illos auctoribus carminum attribuerunt Patres antiquioresque interpretes, atque levia admodum sunt argumenta, quibus a modernis interpretibus (maxime acatholicis) velut librariorum arbitrariae glossae impugnantur.

Duobus in Vulgata et circiter viginti in textu hebraico exceptis omnes Psalmi suam quisque habet inscriptionem, qua aut eorum auctor, aut occasio historica, aut carminis genus ad quod pertinent etc. indicantur. Antiquitus iam teste *Theodoreto* non defuerunt, qui eis veram auctoritatem negarent, atque earum in variis versionibus varietas docet, librarios quoque antiquos in eis mutilandis mutandisque multo magis, quam in reliquis Scripturae partibus, ingenio suo indulsisse.

Vehementius tamen a modernis rationalistis sunt impugnatae. At immerito; licet enim inter eas nonnullae inveniantur, quibus, quia *critice* sunt dubiae, fides non debetur, reliquis tamen, *quae critice certae sunt,* summa competit auctoritas. Nam *a.*) earum auctoritati favet ipsa earum *antiquitas*, neque ulla est ratio cur de titulis illis aliter iudicemus, quam de aliis librorum sacrorum particulis, quas sine haesitatione pro genuinis recipimus, quamprimum critica documenta eis favent. Ac profecto ad ipsum Scripturae textum pertinere inscriptiones, persuasum erat antiquis rabbinis, qui eas velut genuinas Psalmorum partes accentibus instruxerunt, et SS. Patribus, qui eas « a Spiritu S. dictatas », « canonicas », « claves Psalmorum » esse, « mysteria psalmorum continere », « auctoritatem Psalmis

praestare » dixerunt. — *b.*) Ipsa quoque earum *obscuritas* auctoritati et authentiae earum favet; namque si iuxta adversariorum sententiam non essent nisi lectorum vel librariorum glossae, procul dubio clariores essent; neque enim ad obscurandum textum glossae ei adscribuntur. — *c.*) Hebraeorum poetarum morem fuisse, ut carminibus suum nomen praefigerent aliaque nonnulla scitu utilia praemitterent, docent libri historici (*Exod.* 5,1; *Deut.* 31,30; 33,1; *Iudic.* 5,1; 2 *Reg.* 1,17; 22,1; 23,1 etc.), prophetici (*Is.* 38, 9; *Hab.* 3,1 et in genere vaticiniorum tituli), poetici (Prov. 1,1; Cant. 1,1); eundem igitur morem tenuisse auctores Psalmorum, iure concludimus; neque improbabilis est nonnullorum sententia, olim omnibus aut saltem plerisque Psalmis nomen auctoris, occasionem historicam eaque, quae ad eorum usum liturgicum spectant, fuisse praemissa, sed temporis iniuria librariorumque incuria longiores titulos illos esse deperditos.

Nostrae sententiae magna inscriptionum in codicibus hebraicis et versionibus varietas opponitur, qua demonstretur, illas non maiore auctoritate gaudere, quam subscriptiones, quae libris N. T. in multis codicibus adduntur. At in longe maiore numero Psalmorum, qui a textu hebraico certis auctoribus attribuuntur, omnes codices versionesque concinunt; item plenus est consensus, si syriaca versio seponitur, in titulis historicam occasionem, carminis genus et melodiam indicantibus. Paucorum vero titulorum varietas alios non reddit dubios, in quibus varietas non deprehenditur. — Neque maiore cum iure ex eo, quod aliqui tituli sint erronei, deducunt, nulli fidem esse habendam; nam si Antecedens concederetur, id unum sequeretur, omnes caute esse examinandos; Antecedens autem concedi nequit, quia nullus titulus *critice certus* hucusque demonstratus est erroneus.

2. — Inscriptiones, iis exceptis quae auctores historicamque occasionem carminum indicant, pleraeque obscurae sunt, earumque genuina significatio alexandrinis aliisque antiquis interpretibus iam erat incognita. Ad musicam tamen carminum recitationem multas, alias ad liturgicum eorum usum pertinere, recte docent moderni interpretes, licet de singularum interpretatione non nisi magis minusve probabilia statuant.

De auctoribus statim dicemus (§ 9), de carminum speciebus diximus (§ 2,2); restat, ut de illis titulorum partibus pauca addamus, quae musicam recitationem et liturgicum usum Psalmorum attingere videntur. Patres, quibus solae graecae inscriptionum versiones cognitae erant, mysticis plerumque explicationibus contenti in earum sensum literalem non inquisiverunt; accuratius de iis tractari coeptum est inde a saec. 16., sed obiter tantum hanc quaestionem attingemus accuratiora interpretibus relinquentes.

1. Inde a davidica aetate cantorum chori erant instituti atque frequens erat Psalmorum usus in templi cultu; hinc non est mirum, quod in eorum titulis aliquid de corum MUSICA RECITATIONE sit indicatum. Quae autem antiquae musicae fuerit indoles, quas regulas levitae in canendo observaverint, quibus instrumentis sint usi, ignoramus; quare etymologicis dumtaxat coniecturis sensum titulorum musicorum assequi nobis licet. — *a.*) Quinquaginta Psalmis (4. 5. etc.) praefigitur titulus « *in finem* » (εἰς τὸ τέλος), quo hebraicum לַמְנַצֵּחַ exprimitur; נִצַּח autem est « rei alicui ad cultum divinum spectanti praecesse », atque adhibetur de iis, « qui canebant citharis, ut cantum regerent » vel praecinerent (1 *Par.* 15,21); participium מְנַצֵּחַ igitur designat *praecentorem* vel *cantorum magistrum* atque

inscriptione indicari videtur « carmen praecentori tradendum, ut in liturgia decantetur ». *Iduthun*, cuius nomen ter inscriptioni huic additur (*Ps.* 33. 62. 77 *hebr.*) unus ex praefectis musicae fuit (1 *Par.* 25,1). *b.*) Duo vocabula *genus instrumentorum* adhibendorum probabiliter designant. Septem enim Psalmis (4. 6. 54. 55. 67. 76. *hebr.* et *Hab.* 3,9) praefigitur expressio בִּנְגִינוֹת (*Al.* ἐν ὕμνοις, *Vulg.* in carminibus), uni (*Ps.* 5) expressio אֶל־הַנְּחִילוֹת (*Al.* ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης, *Vulg.* pro ea, quae haereditatem consequitur); prior vox *neginoth* (a נָגַן manu attrectavit) instrumenta pulsatilia, quae fidibus instructa sunt, altera autem *nechiloth* (a חָלַל perforavit) tibias aliaque instrumenta similia designare recte dicuntur. *c.*) Duae quoque expressiones *sonum vocis* exprimere videntur; alta vox (il soprano) vocabulis עַל־עֲלֻמוֹת i. e. « more s. voce virginum » (*Ps.* 45. *hebr.* et *Ps.* 9.; *Al.* ὑπὲρ τῶν κρυφίων, *Vulg.* pro occultis), vox gravis (il basso) vocabulis עַל־הַשְּׁמִינִית i. e. « in octava » sc. inferiore (*Ps.* 6. 12 hebr.; *Al.* ὑπὲρ τῆς ὀγδοῆς, *Vulg.* pro octava. Cfr 1 *Paral.* 15,19-21). *d.*) Non paucae inscriptiones melodiam ita indicare recte dicuntur, ut argumentum vel initium carminis magis cogniti innuant, ad cuius modulos Psalmus erat decantandus. Quo secundum plurimorum sententiam spectant : *ad* « *cerva aurorae* » (*Ps.* 22. *hebr.*), *ad* « *lilia* » (*Ps.* 45. 69. *hebr.*) vel *ad* « *lilium est testimonium* » (*Ps.* 60. *hebr.*) vel *ad* « *lilia testimonium sunt* » (*Ps.* 80. *hebr.*), *ad* « *ne disperdas* » (*Ps.* 57. 58. 59. 75. *hebr.*); forte etiam titulus *Ps.* 56. *hebr.*, qui vertendus videtur *ad* « *columba muta longinque agentium* ». Obscuras has inscriptiones antiqui interpretes coniecturis suis obscuraverunt potius quam illustrarunt[1].

Musicis inscriptionibus etiam nomen *Selah* (סֶלָה) recte additur. Plus septuagies in Psalmis et *Hab.* 3. legitur, in Vulgata tamen nunquam est expressum. Reliqui antiqui interpretes in eo vertendo discordant et moderni similiter quid proprie significet dubitant. Probabiliter hac voce praecipitur, ut cantu cessante concentus instrumentorum continuetur (id Alexandrinorum διάψαλμα *interludium* videtur indicare), vel iuxta alios nomen mutationem denotat sive sensus et argumenti (*S. Aug.*), sive musicae cantilenae et rhythmi (*Orig.*), sive ipsorum cantorum in psalmis, qui alternantibus choris cantabantur (*Cosm. Indicopl.* cfr. *Zenner* l. c.).

2. Licet non omnes Psalmi ab auctoribus suis usui liturgico proxime sint destinati (nam singularibus occasionibus haud pauci originem debent atque solius auctoris potius quam populi sensus exprimunt), post exsilium tamen omnes in sacra liturgia sunt adhibiti, atque haud pauci etiam in usum liturgicum videntur esse conscripti; hinc etiam aliquas INSCRIPTIONES LITURGICAS ab ipsis auctoribus praefixas, plerasque tamen iuniore manu additas esse arbitramur. *a.*) Secundi templi tempore singulis diebus assignatus erat Psalmus finito sacrificio matutino decantandus : *Ps.* 92 *hebr.* « in die sabbathi »; in *Alex.* et *Vulg. Ps.* 23 « prima sabbathi » (i. e. hebdomadis), *Ps.* 47. « secunda sabbathi », *Ps.* 93. « quarta sabbathi, », *Ps.* 92 « in die ante sabbathum »; secundum Thalmudem die 3. recitaba-

(1) Quae sit significatio inscriptionum *Ps.* 53. *hebr.* עַל־מָחֲלַת et 88. *hebr.* עַל־מָחֲלַת לְעַנּוֹת prorsus nos latet; *Alexandrini* eas ne coniectando quidem interpretari conati sunt (*Al.* ὑπὲρ Μαελέθ et ὑπὲρ Μαελὲθ τοῦ ἀποκριθῆναι, *Vulg.* « pro Maheleth » et « pro Maheleth ad respondendum ».

tur *Ps.* 81. et die 5. *Ps.* 80. Porro *b.*) nonnulla sacrificia suum habebant Psalmum : *Ps.* 100 *hebr.* לְתוֹדָה (*Al.* εἰς ἐξομολόγησιν, *Vulg.* in confessione); *thodah* autem est sacrificium, quod ad gratias agendas offerebatur; *Ps.* 38. 70. *hebr.* לְהַזְכִּיר (*Al.* εἰς ἀνάμνησιν, *Vulg.* in rememorationem), sed *Askarah* est incruenti sacrificii pars illa, quae in altari incendebatur. Dein *c.*) inscriptio הַלְלוּ יָהּ (*Alleluia*), quamvis nonnullorum carminum argumentum vel finem indicare possit (« laudate Dominum »), in nonnullis tamen Psalmis, qui maxime in coena paschali adhibebantur, usum liturgicum denotat. Demum *d.*) iuxta haud paucorum sententiam etiam inscriptio « *Psalmus graduum* » (*Ps.* 120.-134. *hebr.*) est liturgica et praefixa carminibus, quae aut a levitis in festo tabernaculorum aut a populo ad templum peregrinante cantabantur. — Tres Psalmi (8. 81. 84. *hebr.*) inscripti עַל־הַגִּתִּית (*Al.* ὑπὲρ τῶν ληνῶν, *Vulg.* pro torcularibus) destinati videntur, ut vindemiis finitis Deo gratiae agerentur; *Ps.* 30. *hebr.* autem titulo suo שִׁיר חֲנֻכַּת הַבָּיִת (*Al.* ᾠδὴ τοῦ ἐγκαινισμοῦ τοῦ οἴκου, *Vulg.* canticum in dedicatione domus) festo dedicationis templi addicitur.

§ 9. — *De Psalmorum et Psalterii origine.*

1. — Num David solus sit Psalmorum omnium auctor, antiqua est controversia, quam Concilii tridentini Patres decidere noluerunt; communis tamen et certa sententia, cui titulorum auctoritas psalmorumque ipsorum nonnullorum argumenta et indoles patrocinantur, varios admittendos esse eorum auctores tenet.

A Patrum tempore de hac quaestione iam disputatum est; *SS. Ambrosius* et *Augustinus* omnes Psalmos Davidi auctori attribuerunt et S. *Philastrius* (haer. 130) haereticis illos adnumeravit, qui aliter sentirent. Contra S. *Hilarius* (in Psalm. Prooem. 2) « absurdum est, inquit, *Psalmos David* cognominare, quum tot auctores ipsis inscriptionibus edantur », atque cum eo sentiunt omnes fere graeci Patres (S. *Hippol.*, *Orig.*, *Euseb.*, S. *Athan.*) et ex Latinis S. *Hieronymus* aliique. Eadem controversia iuniores interpretes divisit; Patres tridentini autem, ne eam dirimere viderentur, in canone noluerunt recensere « centum quinquaginta Psalmos Davidis », id quod propositum erat, sed expressionem magis vagam elegerunt « Psalterium davidicum centum quinquaginta Psalmorum » (cfr *Pallav.* Hist. Conc. Trid. VI. 14). — Ceterum hodie vix invenietur, qui omnes Psalmos a Davide compositos teneat. Revera titulis, quibus ipse S. Augustinus « canonicam auctoritatem » attribuit, plures eorum auctores nominantur, atque rectissime S. *Hieronymus* (ad Sophron. Praef. in Psalt.) « Psalmos omnes, inquit, eorum testamur esse auctorum, qui ponuntur in titulis ». Porro haud paucis in Psalmis sermo est de rebus davidica aetate recentioribus, quae non velut futurae praedicuntur, sed velut praeteritae narrantur aut velut praesentes describuntur (cfr ex. g. *Ps.* 136.). Demum satis magna quoque est styli elocutionisque diversitas inter multos Psalmos; faciliores et suaviores sunt illi, qui Davidi inscribuntur, vehementiores, sublimiores difficilioresque illi, qui Asaphi nomen prae se ferunt.

2. — Inscriptionum igitur maxime auctoritate definiendum est, qui sint Psalmorum auctores; earum autem testimonium maiorem quidem

numerum Davidi competere demonstrat, nonnullos tamen Moysi, Salomoni, Asapho, Eman et Ethan Ezrahitis, filiisque Core attribuit.

Quoniam non omnium titulorum textus critice certus est, in eum praeprimis inquirendum est; at de titulis eodem modo, quo de reliquis Scripturarum particulis, iudicandum esse iam diximus; sicut igitur omnes illas lectiones pro genuinis admittimus, quae omnium codicum, versionum, Patrum auctoritate munitae sunt, etiam illos viros pro auctoribus Psalmorum habemus, quorum nomina textus hebraicus consentientibus versionibus antiquis exhibet.

Itaque inter Psalmistas tempore primus erit *Moyses,* cui *Ps.* 88. *hebr.* ab omnibus textibus addicitur. — Sequitur David, « egregius Psaltes Israel » (2 *Reg.* 23,1); sexaginta novem carmina consentientes textus ei adscribunt, sed addenda sunt saltem quatuor alia, quae in textu hebr. et in plerisque versionibus, et nonnulla quae in solis versionibus eius nomen gerunt; ex anonymis quoque ei dandi sunt *Ps.* 1. 2. (cfr *Act.* 4, 25; 13,33), 94. *hebr.* (cfr *Hebr.* 4,7), *Ps.* 95. *hebr.* et saltem prior pars *Ps.* 104. *hebr.* (cfr 1 *Par.* 16,7-33), aliique ob internas rationes. Plus octoginta ergo carmina Davidis in Psalterio exstare, iure asseritur [1]. — *Salomoni* attribuitur *Ps.* 71. *hebr.* ab Hebr., Chald., Alex., Vulg., Hier., atque *Ps.* 126. *hebr.* ab Hebr., Chald., Vulg., Hier. — *Asapho*, « Videnti » et uni ex praefectis cantorum davidicorum (1 *Par.* 15,19; 16,5; 2 *Par.* 29,30) consentiens textuum testimonium adscribit *Ps.* 50. 73.-83. hebr.; attamen *Ps.* 74. 75. 79. davidico tempore recentiores videntur unique ex eius posteris (cfr 2 *Par.* 20,14; 35,15; 1 *Esdr.* 2,41 etc.) adscribendi. — *Eman Ezrahitae* ab omnibus, Syro excepto, *Ps.* 88 *hebr.* et *Ethan Ezrahitae* ab Hebr., Alex., Vulg., Hier. *Ps.* 89. hebr. dantur; ambo erant praefecti musicae tempore Davidis et prophetae (1 *Par.* 15,19; 25,4. 5; 2 *Par.* 35,15). — *Filiis Core*, qui tempore Davidis atque etiam tempore regis Iosaphat inter levitarum principes recensentur (1 *Par.* 9,19. 33; 2 *Par.* 20,19), inscribuntur *Ps.* 42.-49. 84. 85. 87. *hebr.;* quoniam eiusdem carminis admitti nequeunt complures auctores, inscriptio ita videtur explicanda, ut familiae Core poetae nomen patronymicum, quam proprium, carminibus suis praefigere maluerint. Aliqui ex Coritarum Psalmis tempore exsilii probabiliter sunt exorti. — Ieremiae (*Ps.* 136.) atque Aggaei Zachariaeque (*Ps.* 111. et 145. vel 145.-148.) nomina, quae in Alex. Vulg. Syr. dumtaxat leguntur, a iuniore manu creduntur addita ad aetatem, qua exorti sunt illi Psalmi, indicandam.

3. — A quibus et qua aetate plerique Psalmi, qui auctorum nominibus non sunt inscripti, compositi sint, cum certitudine definiri non potest; id unum satis constat, Esdrae Nehemiaeque aetate Psalterium esse terminatum *neque ullum machabaicum carmen in eo reperiri.*

Nonnullos Psalmos anonymos precationes esse Iudaeorum in exsilio degentium

(1) Non eodem modo per quinque libros davidici Psalmi sunt distributi; sed Davidi attribuunt tituli

ex	40 (41)	31	17	17	45 (44)	carminibus
libri	I.	II.	III.	IV.	V.	
Hebr.	37	18	1	2	15	= 73
Chald.	37	18	1	2	12	= 70
Alex.	38	20	1	11	14	= 84,
Vulg.	38	21	1	11	14	= 85,
Syr.	38	19	1	10	18	= 86

aut gratiarum actiones reducum ex exsilio, argumenta docent. Alia autem argumenta ita sunt comparata, ut variis periodis historiae israeliticae conveniant; unde fit, ut idem Psalmus ab aliis aetati Davidis vel primorum eius successorum, ab aliis tempori magnorum prophetarum, ab aliis machabaico tempori adscribatur. De Machabaeorum aetate in nonnullis Psalmis agi, iam coniecerunt Patres, at illam non velut praesentem a poeta aequali describi, sed velut futuram a propheta praedici statuerunt. Longe aliter nonnulli moderni interpretes, praesertim rationalistici, maiorem minoremve Psalmorum numerum illi tempori adscripserunt; at argumenta, quibus sententiam suam stabiliant, eis prorsus desunt. Quodsi enim monent, aliquos Psalmos aetati illi convenire, propterea quod in iis non tantum contra hostes externos, sed etiam contra impios Israelitas cum hostibus coniunctos auxilium petatur, id quidem verum esse fatemur, sed soli machabaicae aetati eos convenire negamus, quia semper in Israel boni et mali erant permixti nec raro hostes externi inter ipsos Israelitas habebant suos amicos et fautores. Itaque aliqui Psalmi procul dubio temporibus machabaicis accommodari possunt (*Ps.* 78. in 1 *Mach.* 7,16 velut impletus allegatur); conclusio autem, illis temporibus eos esse exortos, non erit legitima, nisi simul demonstretur, tam accurate omnia consonare, ut aliis similibus, quae multa fuerunt, temporibus adaptari nulla ratione possint, atque illos esse descriptiones rerum praesentium aut praeteritarum, non vero vaticinia de rebus futuris.

Unico adversariorum argumento infirmo opponimus alia, quibus origo machabaica Psalmorum prorsus excluditur. *a.*) Nehemias s. bibliothecam collegit, in quam etiam τὰ τοῦ Δαυεὶδ recepit (2 *Mach.* 2,13); quomodo probabunt adversarii, Psalmorum collectionem, quam omnes interpretes ista expressione designatam vident, a Nehemia receptam non fuisse completam, praesertim quum *Fl. Iosephus* (c. App. I. 8) Psalterium illis libris adnumeret, quibus inde ab Artaxerxis I. tempore nullus Iudaeus quidquam addere sit ausus? *b.*) Exeunte saec. 3. vel ineunte 2. saec., ergo ante Machabaeorum aetatem, facta est graeca Psalterii versio; quomodo iterum probabunt, huic versioni nova carmina esse inserta et addita eodem ordine, quo hebraicae collectioni addita vel inserta dicuntur? *c.*) Si maior Psalmorum pars, uti volunt rationalistae, tempore machabaico est exorta, quomodo factum est, ut illis tituli sint praefixi, quos eorum *aequales*, sc. alexandrini interpretes, iam non amplius intellexerunt? *d.*) Ex linguae puritate vel impuritate aetatem librorum saerorum definire solent rationalistae; quomodo igitur omnium Psalmorum puram linguam explicant, si multi eo tempore sunt conscripti, quo linguam hebraicam corruptissimam fuisse constat?

4. — *Psalmorum collectioni* Esdram ultimam manum imposuisse, plerorumque Patrum est sententia, cui favent Iudae Mach. (2 Mach. 2,13) et Fl. Iosephi (c. App. I. 8) testimonia. Si autem in quinque librorum, qui totidem sunt collectiones diversae, originem inquiritur, dicendum videtur, *primum librum* (*Ps.* 1.-40.) a Davide ipso in liturgicum usum esse collectum, *alterum* (41.-71.) privato usui destinatum aetate Ezechiae non esse recentiorem, *tertium* (72.-88.) forte « viris Ezechiae » illis deberi, qui Proverbiorum quoque partem collegerunt, *quartum* (89.-105) demum et quintum (106.-150.) post exsilium in usum liturgicum esse collectos.

Esdram carmina dispersa collegisse et, prout in manus venerint, in quinque Psalterii libris disposuisse tradunt *Origenes*, *S. Hilarius*, *S. Athanasius*, *Euse-*

bius, S. *Hieronymus* aliique Patres. Iam vero *primi libri* carmina omnia Davidem habent auctorem Deumque semper appellant *Iahve;* ideo ea a Davide, sacrae musicae institutore (2 *Par.* 29,25), collecta esse arbitramur, ut ad instrumentorum concentum in liturgia decantarentur. *Secundus* inchoatur carminibus filiorum Core, inter quae nonnulla aetate Davidis recentiora, terminatur carmine salomonico, continet unum asaphicum et aliqua davidica, plerumque adhibet nomen *Elohim*, repetit unum primi libri carmen (*Ps.* 13. et 52.); a Davide igitur non est collectus nec liturgiae destinatus; Ezechiae autem aetate librum hunc non esse recentiorem dicimus, quia nullum ex eius carminibus ad Ezechiae tempus descendit. In *tertio* praeter unum solum davidicum atque quinque Coritarum Psalmos invenimus *undecim asaphicos;* atqui « Ezechias et principes levitis praeceperunt, ut laudarent Dominum sermonibus David *et Asaph Videntis* » (2 *Par.* 29,30); unde sufficiens habemus fundamentum coniiciendi, « viros Ezechiae » (*Prov.* 25,1) asaphica carmina collegisse et prioribus collectionibus adiecisse; quin etiam, ut suam collectionem a prioribus discernerent, praecedenti addiderunt clausulam : « defecerunt hymni David filii Iesse » (Ps. 71,20). *Quarti* et *quinti* librorum carmina multa tempore exsilii aut post exsilium sunt exorta; eorum igitur collectiones sunt recentiores, et quoniam solum fere nomen *Iahve* adhibetur, eas liturgici usus causa esse factas coniicimus.

Exsilii autem tempore, quum cultus publicus cessasset, Psalmi omnes non tantum magno corruptionis periculo erant expositi, sed exsulum quoque, quorum quotidianae erant preces, necessitatibus sunt adaptati versiculis additis vel insertis. Quin Esdras, quum eos colligeret, iis expurgandis additionibusque indebitis removendis curam impenderit, dubium quidem non est; nihilominus in genuinis Davidis carminibus etiam hodie nonnulla leguntur, quae exsilio originem suam debent (*Ps.* 24,22; 50,20 sq.; 68,33 sqq. etc.); etenim S. Spiritus invigilavit, ne illa, quae ipse addenda curaverat, removerentur.

§ 10. — *De Psalmorum argumento et auctoritate.*

1. — Eadem ratione, qua reliquorum librorum, Psalterii argumentum et finis explicari non possunt, quia suum quisque Psalmus habet argumentum, suum finem, suam rei tractandae rationem; secundum specialia tamen sua argumenta carmina pleraque in varias classes ab interpretibus apte distribuuntur.

« Quemlibet librum argumentum suum proprium habere, librum Psalmorum autem sicut hortum omnes reliquorum fructus quasi complecti », monet iam *S. Athanasius* (ad Marcellin. 2., cfr *S. Basil.* Hom. in Ps. 1.), atque *S. Thomas* totius Psalterii argumentum dicit esse « generalem integrae theologiae materiam » (in Psalm. Prol.). Plerique quidem Psalmi ad certas classes revocari possunt, at in nonnullis varia argumenta ita sunt permixta, ut uni classi inseri nequeant. *S. Athanasius* (l. c.) viginti septem classes ita distinxit, ut aliae unum solum, aliae duos vel tres etc., aliae ultra viginti carmina continerent; sed satis apte in sex classes ita distribuuntur, ut nonnulli Psalmi variis inserantur. Etenim *a.*) alii Psalmi Deum eiusque attributa celebrant aut eius opera in ordine naturae et gratiae praedicant (*hymni et gratiarum actiones*); *b.*) alii auxilium divinum efflagitant sive in necessitatibus publicis aut privatis sive in salutis aeternae periculis

(*preces*); *c.*) alii populi electi fatis enarratis singularem Dei providentiam erga filios Israel describunt (*carmina historica*); *d.*) alii doctrinas morales commendant sive iustorum iniustorumque sorte descripta sive virtutibus laudatis (*carmina didactica*); *e.*) alii contritionem de peccatis exprimunt, divinam veniam implorant, salutis hostibus poenas imprecantur (*Psalmi poenitentiales et imprecatorii*); *f.*) alii Messiam venturum annuntiant de eius vita, passione, glorificatione vaticinantes (*Psalmi messianici*). — Quoniam de singulis classibus, nisi in interpretis munus nos ingerere velimus, accurate agere nobis non licet, pauca hoc loco addemus *de Psalmis messianicis* et *de Psalmis imprecatoriis*, ut eorum auctoritatem defendamus.

2. — Aliqua Psalterii carmina *de Messia eiusque regno* agere cuncti interpretes, solis rationalistis exceptis, consentiunt; quot autem sint Psalmi messianici, controvertitur. Certum tamen est, pro messianicis omnes illos esse agnoscendos, qui aut a sacris scriptoribus aut communiore Patrum et interpretum catholicorum explicatione ad Christum vel Ecclesiam referuntur. At non eodem modo omnes isti sunt messianici; alii enim literali, alii typico, alii eminenti quodam sensu nova de Christo mysteria revelant, alii demum vaticinium antea iam datum in memoriam dumtaxat revocant vel ad illud alludunt.

Inter Patres iam non defuerunt, qui aut omnes (*S. Augustin.*) aut fere omnes (*Tertull., S. Athan.* etc.) Psalmos censebant messianicos; at recte monet *Theodoretus*, ut « ea, quae priscis historiis conveniant, de eis etiam nunc intelligamus, praedictiones autem de Domino Christo et de Ecclesia e gentibus congreganda et de evangelica republica et de apostolicis praedicationibus non ad alia facta applicemus, sicut Iudaei facere solent... Sciendum enim est, prophetas non tantum futura praedicere, sed etiam praesentia et praeterita narrare... Sic etiam divinus David et beneficiorum olim a Deo collatorum meminit et longis post saeculis futura praemonstrat; neque tantum utitur verbis hominis vaticinantis, sed etiam admonitoris et legislatoris, et modo moralem doctrinam affert, modo dogmaticam, et Iudaeorum interdum calamitates deplorat, interdum gentium saluti praecinit, saepe autem Domini Christi tum passionem tum resurrectionem vaticinatur » (In Psalm. Proleg.). Mediam hanc viam tenentes satis multos Psalmos esse messianicos, cum plerisque Patribus et catholicis interpretibus agnoscimus; inter eos autem alii de Christo regnove eius ita agunt, ut omnem aliam explicationem respuant, atque hi literali sensu de Christo explicentur oportet (*Ps.* 2. 15. 21. 44. 71. 86. 109.). Maior est numerus eorum, qui proxime quidem Davidem vel alium regem davidicum eiusque fata vel regnum respiciunt, ita tamen ut simul Christum vel res ad eum pertinentes praemonstrent, atque hi typice messianici recte appellantur; iis autem non tantum adnumerentur oportet illi, qui in Novo Test. hac ratione explicantur (*Ps.* 34. 68. 108, etc.), sed illi quoque, quos communior interpretatio catholica ad Christum refert (*Ps.* 3. 4. 5. 9. 10, etc.). Pauci de homine iusto generatim proxime agunt, sed plenum et perfectum suum sensum non consequuntur, nisi de *iusto* κατ' ἐξοχήν, i. e. de Christo, secundo Adamo, simul intelligantur; hos igitur eminenti suo sensu Christum praedicere censemus (*Ps.* 8. 20. etc.). Demum in nonnullis magnifica promissio Davidi eiusque domui facta (2 *Reg.* 7.) in memoriam revocatur aut supponitur, atque horum pars saltem est messianica (*Ps.* 17. 88. 131, etc.).

Psalmis autem messianicis quam plurima nova mysteria de Christo regnoque eius sunt expressa; ad quam vaticiniorum copiam explicandam nonnulli immerito ad poeticum Psalmorum characterem provocant, siquidem soli Spiritui S. debetur, atque David, Asaph aliique psalmistae non tantum poetae erant sed etiam prophetae.

Usque ad Davidis aetatem pauca admodum de Christo eiusque regno erant diserte revelata; verum in Psalmis non tantum triplex Christi munus, duplex eius natura, passio et resurrectio et gloria eius, universalitas et aeternitas regni messianici, sed etiam (id quod nonnullis magis mirum videtur) minutae res vitae passionisque eius (uti manuum pedumque transfixio, vestium sortitio etc.) clarissime praedicuntur. At οἴστρῳ cuidam poetico potius quam Spiritui S. haec deberi immerito asseritur. Illud utique concedimus, Spiritum S. in inspiratione sese, ut ita dicamus, ingenio sacrorum scriptorum accommodasse atque poetas ita illustrasse, ut verorum poetarum partes agerent. Hac ratione, si quis voluerit, ex poeseos natura explicare poterit, cur a Davide minutae quaedam passionis res sint descriptae aliis maioribus omissis, dummodo simul teneat, illas revera a Spiritu S. esse revelatas. Ceterum in multis prophetarum vaticiniis idem videmus; interdum prophetae rem futuram extremis tantum lineamentis adumbrant, interdum parvam rei particulam minutatim depingunt; idem autem semper est Spiritus, qui per eos loquitur omniaque sive magna sive parva revelat.

3. — *Divinam auctoritatem* Psalmorum demonstrare superfluum est, quoniam in solo Novo Test. iam abundant testimonia divinitatis eorum. At inter eos nonnulli inveniuntur, qui, quoniam hostibus mala imprecantur, legi a Christo datae repugnare atque nihil nisi « animi indomiti effrenataeque irae expressionem » continere dicuntur. Cui gravissimae accusationi recte respondit *S. Thomas Aq.*, qui patrum doctrinam paucis verbis complectitur : « Dicendum quod in omnibus istis imprecationibus duplex est intellectus, unus, quod dicantur *per modum praenuntiationis*, ut quum dicat *Iudica* quasi dicat *Iudicabit;* alter, ut omnia intelligantur prolata non ex zelo vindictae propriae, sed *ex zelo divinae iustitiae*, cui se conformant iusti » (*S. Thom.* in Ps. 34).

Ex 2 *Mach.* 2,13 elucet, Nehemiam per Esdram Psalterium una cum prophetis Pentateucho adiunxisse, atque auctor 1. *Mach.* (7,16 sqq.) textum Psalmi iam illa formula allegat, qua divinae Scripturae allegari solent. In Novo Test. plus quinquaginta textus ex triginta sex Psalmis desumti ad verbum pro auctoritate citantur; « in Spiritu » teste ipso Domino Ps. 109., et testibus Apostolis a « Spiritu S. per os Davidis » Ps. 2. dicti sunt. Quibus scripturisticis testimoniis alia non adiungimus, quoniam nemo ignorat, inde a primis fidei temporibus Christianos continuo in publica et privata oratione Psalmos velut preces a Spiritu S. ipso dictatas adhibuisse.

Ne *Psalmis imprecatoriis* (uti 34,51. 53. sq. 57 sq. 67. 108. 136 et si qui sunt alii) perturbarentur Christiani, iam timuerunt Patres (*S. Chrysost.* in Ps. 108., *S. August.* in Ps. 34. et 108., *Euseb.* in Ps. 34. et 54. etc.); quare diligenter rationes collegerunt, quibus imprecationes illas explicarent; optime enim perspexerunt, vanam esse excusationem Theodoreti praetendentis « Legis statum, non vero evangelicum vivendi modum, sectatum esse Davidem; Legem autem imperare, ut proxi-

mum diligamus, inimicum odio habeamus, Dominum vero amorem inimicorum praecepisse ». Namque « omnes differentiae, quae assignantur inter novam Legem et veterem, accipiuntur secundum perfectum et imperfectum » (*S. Thom.*) idque praecipue in iis, quae amorem proximi attingunt; tantum enim abest, ut in antiquo foedere odium inimicorum licitum fuerit, nedum praescriptum, ut Apostolus verbis veteris Legis amorem inimicorum fidelibus commendet (*Rom.* 12,20 cfr *Prov.* 25,21; cfr etiam *Exod.* 23,4; *Lev.* 19,17. 18; *Prov.* 24,17. 29 etc.). Itaque docuerunt Psalmistas impiis poenas esse precatos, ut peccatores citius converterentur, alii impii absterrerentur, iusti a perverso impiorum exemplo liberarentur etc. Quibus et similibus rationibus sufficienter quidem explicatur, quomodo Psalmistae mala temporalia et transitoria hostibus imprecari potuerint, sed id quoque probe notandum est, « Scripturam imperativo modo futura proferre solere » (*Euseb.*), « in verbis quasi mala optantis intelligenda esse praedicta prophetantis » (*S. Aug.*), illas « prophetias esse sub specie imprecationis » (*S. Chrys.*). Neque id temere asseruerunt Patres, siquidem in *Ps.* 67. et 108. Iudae proditoris Iudaeorumque poenas sub imprecatoriis verbis praedictas esse docuit S. Petrus (*Act.* 1,20).

Praeterea etiam ex zelo divinae iustitiae imprecationes illas proferri potuisse, docent similia N. T. exempla (2 *Tim.* 4,14, ubi legendum est : ἀποδῴη, « reddat »; *Gal.* 5,12); quapropter *S. Hieronymus* (In *Gal.* 5,12) omnes « qui contra Vetus Testamentum latrant » recte monet, « quidquid pro Apostolo excusationis afferatur, hoc pro Lege vetere defendi posse ».

§ 11. — *De praecipuis commentariis catholicis in Psalterium.*

Quoniam inter libros sacros nullus est, qui Psalterio frequentius adhibeatur, mirum non est, innumeros quoque eius commentarios esse conscriptos. Ineunte saec. 18. *Lelong*, plus mille ducentos scriptores enumeravit, qui omnes aut aliquos Psalmos explicare studuerant; quot novas autem interpretationes ultima duo saecula protulerint, nemo facile dixerit. Satius erit maiore cum diligentia patristica opera recensere, aliarum autem aetatum illos solos indicare commentarios, qui plerisque maiori utilitati esse videntur.

I. Interpretatio patristica. — Patrum graecorum haec fere sola supersunt : *S. Hippolyti* Argumentum enarrationis in Psalmos et fragmenta pauca; — *Origenis* homiliae novem (in Ps. 36.-38.) et multa fragmenta; — Eusebii Caes. Commentarius non tamen integer; — *S. Athanasii M.* Epistola ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum; Expositio in Psalmos; de Titulis Psalmorum; — *S. Basilii M.* homiliae tredecim in aliquos Psalmos; — *Apollinar. Laod.* interpretationis metricae fragmenta; — *Didymi Alex.* fragmenta; — *S. Asterii Amas.* homiliae in Ps. 5.-7. septem; — *S. Gregorii Nyss.* Tractatus duo in Psalmorum inscriptiones; homil. in Ps. 6.; — *S. Chrysostomi* Expositio in Ps. 3.-12. 41.-49. 110.-117. 119.-150.; reliqua sunt spuria; — *Theodori Mopsuesteni* fragmenta; — *S. Cyrilli Alex.* Explanationis in Psalm. pars maior; — Theodoreti Commentarius in Psalmos fere integer; — *Euthymii Zigab.* Comment.; — *Catenam in Psalmos locupletissimam* ed. *B. Corderius* S. I. (Antwerpiae 1643.

3 voll. fol.). — Inter quae omnia praeter S. Athanasii epistolam commentarios Eusebii et Theodoreti eminere censemus, atque prae ceteris Theodoretus historicae et literali interpretationi inhaeret.

PATRUM LATINORUM haec supersunt : *S. Hilarii Pict.* Tractatus super Psalmos (non omnes; ab Origene omnino dependet); — *S. Ambrosii* Enarrationes in duodecim (1. 35.-40. 43. 45. 47. 48. 61.) Psalmos et Expositio in Ps. 118.; — *S. Hieronymi* epistolae 28. 30. 34. 65. 140. de nonnullis Psalmis (*Ps.* 118. 126. 44.89 etc.) agunt; — S. AUGUSTINI Enarrationes in Psalmos centum quinquaginta; — *S. Prosperi Aquit.* Expositio Psalmorum a 100. usque ad 150. (excerpta ex S. Augustini opere; — CASSIODORI Expositio in Psalterium (ex utilioribus est); — Quibus addenda tria opera spuria : *Ps. Rufini* Comment. in septuaginta quinque Psalmos; — *Ps. Hieronymi* Breviarium in Psalmos; — *Ps. Bedae* Exegesis in Psalmorum librum. — Ex latinis commentariis desumta sunt *Alcuini* Enchiridion seu expositio pia et brevis in Psalm. poenitentiales, in Ps. 118., in Psalmos graduales et *Walafr. Strabonis* Glossa ordinaria in Psalmos. Ad historicam et literalem explicationem Patres latini tantum non omnes parum attendere solent.

II. INTERPRETATIO MEDIAE AETATIS. — *Haymonis Halberst.* Explanatio in Psalmos; — *Remigii Antissiod.* Enarrationes; — *S. Brunonis Herbipol.* Expositio; — *S. Brunonis Carth.* Expositio; — *S. Brunonis Ast.* Expositio; — *Gerhohi Reichersperg.* Commentarius (Opus satis curiosum); — *Petri Lombardi* Commentarius (mera collectanea). Secuti sunt praeter alios *Card. Hugo* (Postilla in Psalm.), — *B. Albertus M.* (in Psalm. Opp. ed. Iammy. VII.), — S. THOMAS AQ. (« In quinquaginta priores Psalmos expositio » egregia et prae reliquis mediae aetatis commentariis commendanda), — *S. Bonaventura* (Summa expositionis in Psalter. Opp. ed. Rom. I.), — *Nic. Lyranus* (Postilla), — *Michael Ayguanus* (« Incogniti Commentarius. Mediolani 1510. et saepe), — *Ludolfus de Saxonia* (Comment. Spirae 1491. et saepe), — *Petrus de Herenthals* (Catena in universos Psalmos. Coloniae 1483.), — *Dionysius Carth.* (Opus commentariorum in Psalmos omnes. Coloniae 1533.) etc.

III. INTERPRETES RECENTIORES. — *Saeculis* 16.-18. quam plurimi sunt Psalmorum commentatores; paucissimos hos nominamus : *Aug. Iustiniani,* O. Praed., Psalterium hebr., graec., arab. et chald. cum tribus latinis interpretationibus et glossis (Genuae 1516.); — *Fr. Titelmanus*, O. Min., Elucidationes in omnes davidicos Psalmos cum amplioribus adnotationibus (Antwerpiae 1531.); — *Card. Caietani* Psalmi Davidis ad hebraicam veritatem castigati et iuxta sensum literalem enarrati (Venetiis 1530.); — *Gilb. Genebrardi* Commentarii in Psalmos genuinum eorum sensum hebraismosque breviter aperientes (Parisiis 1577.); — *Corn. Iansenii Gand.* Paraphrasis et Adnotationes in omnes Psalmos (Lugduni 1569.); — *Ant. Agellii,* O. Theat., Comment. in Psalmos et in Cantica (Romae 1606.); — *Rob. Bellarmini* S. I. Explanatio in Psalmos (Romae 1611.); — *Ioan. Lorini* S. I. Commentarii in Psalmos (Lugduni 1612.-1616.); — *Sim. de Muis.* Comment. in omnes Psalmos cum versione nova ex hebr. (Parisiis 1630.); — *Th. Le. Blanc* S. I. Analysis Psalmorum davidicorum cum commentario amplissimo (Lugduni 1665.-1677.); — *I. B. Bossuetii.* Notae in Psalmos cum dissertatione in libr. Psalm. (Lugduni 1691.); Supplenda in Psalmos (Parisiis 1693.) etc.

Illis, qui saec. 18. et ineunte saec. 19. in Psalterio interpretando operam suam posuerunt, praetermissis, quia nullus ex eis speciali mentione dignus videtur, praecipuos illos nominamus, qui inde a medio saeculo nostro claruerunt. Sunt autem in Italia *F. Xav. Patrizi* S. I. (Cento Salmi tradotti letteralmente dal ebraico

Roma 1875) et *S. Minocchi* (I. Salmi tradotti del testo ebr. Firenze 1895.); — in Gallia *P. H. Mabire* (Les Psaumes traduits sur le texte hébr. etc. 1868.), *A. Le Hir* (Le livre des Psaumes. Paris 1876.), *I. M. Péronne* (Chaîne d'or sur les Psaumes etc. Paris 1879.), *H. Lesètre* (Le livre des Psaumes. Paris 1883.), *Emin. Meignan* (Les Psaumes : David roi, psalmiste, prophète. Paris 1889); — in Belgio : *I. Th. Beelen* (Het book der Psalmen. Leuven 1878.) et *I. A. van Steenkiste* (Comment. in l. Psalm. Brugis 1880. 3 voll.); — in Germania et Austria : *P. Schegg* (Die Psalmen übers. u. erkl. Ed. 2. München 1857-58.), *Val. Thalhofer* (Erkl. d. Psalmen. Regensburg 1856. Ed. 6. 1894.), *Emm. Veith* (Hundert Psalmen. Wien 1856. Ed. 2. 1868.), *Maur. Wolter*, O. S. Ben. (Psallite sapienter. Erkl. d. Psalmen. Freiburg 1869. 5 voll. Ed. 2. 1891-94.), *A. Rohling* (Die Psalmen übers. u. erkl. Münster 1871.), *W. K. Reischl* (Das B. d. Psalmen. Regensburg 1873. 2 voll.), *Ios. Langer* (D. B. d. Psalm. in neuer Uebers. Luxemburg 1880. Ed. 3. Freiburg 1889.), *Melch. Mlcoch* (Psalterium iuxta Vulg. et versionem text. hebr. etc. Olomutii 1890), *G. Hoberg* (Die Psalmen der Vulg. übers. u. erkl. Freiburg 1892.), *F. Raffl*, O. Min. (Die Psalmen nach dem Urtext. Freiburg 1892.). — Psalmos messianicos interpretati sunt *L. Reinke* (Die mess. Psalmen. Giessen. 1857. 2 voll.) et *I. Bade* (Christologie II. Münster 1851).

Praeterea conferri merentur *L. Reinke* (Zusammenstellg der Abweichgen vom hebr. Texte der Psalm. in der *LXX* u. Vulg. Giessen 1858.), *I. Koenig* (Theologie der Psalmen. Freiburg 1857.), *I. K. Zenner* S. I. (Die Chorgesänge im B. der Psalm. Freiburg 1896. 2 voll.) et *eiusdem* ac *I. Hontheim* inquisitiones in rationem stropharum multorum Psalmorum (Zeitschr. für kath. Theol. Innsbruck 1897-1900.). — De metrica ratione Psalmorum egerunt *G. Gietmann* (De re metrica Hebraeorum. Friburgi 1880.) et *G. Bickell* (Carmina V. T. metrice. Oeniponte 1882; Metrices biblicae regulae. 1879.; Dichtungen der Hebr. nach dem Versm. des Urtextes. III. Der Psalter. Innsbr. 1884.).

CAPUT IV.

DE TRIBUS LIBRIS SALOMONICIS.

I. De Proverbiorum libro.

§ 12. — *De libri Proverbiorum argumento, divisione, fine.*

1. — « *Liber Proverbiorum, quem Hebraei Misle appellant* » a Patribus argumenti ratione habita saepe appellatur ***Liber Sapientiae*** vel ἡ πανάρετος σοφία (« Sapientia omnem virtutem docens ») vel ἡ παιδαγωγικὴ σοφία (« Sapientia iuvenes erudiens »).

Nomen *Misle* (Origenes : *Misloth*) est primum vocabulum tituli hebraici מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה בֶּן־דָּוִד מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל (Παροιμίαι Σαλομῶντος υἱοῦ Δαυεὶδ, ὃς ἐβασίλευσεν ἐν Ἰσραήλ, *Proverbia Salomonis, filii David, regis Israel*). Pro quo titulo, qui externam libri formam eiusque auctorem indicat, Patres aliis uti maluerunt, qui argumentum magis respiciunt; attamen nomina, quae adhibent, Proverbiis non ita sunt propria, ut aliis operibus denegentur. Nam quinque sunt libri, qui strictiore sensu *sapientiales* appellantur : Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Cant., Sapientia Salomonis, Ecclesiasticus; atque omnes quinque sub titulo « *libri Sapientiae* » in Missali leguntur. Porro *Sapientia* vel *Sapientia Salomonis* est nomen proprium *quarti* ex illis libris, atque Ecclesiasticus, qui Proverbiorum libro argumento et forma est simillimus, etiam a Patribus saepissime nominatur ἡ σοφία vel ἡ πανάρετος σοφία. — Tres priores libri sapientiales Salomonem habent auctorem, quapropter eos in tractatu nostro coniungimus; duo reliqui interdum sub Salomonis nomine allegantur, licet eius non sint; de iis in capite V. agemus.

2. — Est autem Proverbiorum liber collectio poematum didacticorum, quae omnia in sapientia docenda, celebranda, commendanda versantur.

Sapientia, quam libri sapientiales docent, non est humanae originis, sed divina revelatione nititur, secundum leges divinas omnia diiudicat, ad Deum velut eorum principium et eorum ultimum finem omnia refert; ex timore Dei exoritur (*Prov.* 9,10), timore Dei regitur et ducitur (*Prov.* 15,33), timore Dei coronatur (*Eccli.* 1,22). Tota practica est hominemque omnimodae virtutis exercitio ad plenam et perfectam beatitudinem adducit (*Prov.* 8,35. 36), iis autem, a quibus irridetur (לֵצִים, *irrisores*) iudicium annuntiat (19,29). Quare non immerito liber a *S. Basilio* (Hom. 12,1) appellatur « morum institutio et correctio perturbationum animi, seu disciplina vitae praeceptis multis et sapientissimis constans ». Neque tamen de omnibus hominis officiis agit, sed de iis maxime, quae erga se ipsum et erga proximum implere debet. Quae plerumque gnomis similitudinibusque, rarius longioribus carminibus proponuntur, ita ut accurata libri divisio secundum idearum nexum tradi non possit; neque enim maior est singulorum Proverbiorum, quam

singulorum Psalmorum inter se nexus internus. Secundum varias autem, quae inveniuntur, inscriptiones et secundum carminum in variis partibus diversitatem externa quaedam divisio tradi solet.

3. — Tres praecipuas partes inscriptionibus (1,1; 10,1; 25,1) innui, plerique censent; duae tamen rectius distinguuntur, quoniam prima et secunda arctius inter se connecti genuinumque opus salomonicum constituere videntur, cui tempore Ezechiae altera collectio addita est (cfr § 13,3 p. 331).

COLLECTIO PROVERBIORUM SALOMONIS PRIMA (1,1-24,34).

EXORDIUM (1,1-7) titulo adiungit finem libri.

SECTIO PRIOR (1,8-9,18) *undecim carminibus sapientiam commendat*, ut eius praecepta, quae in altera dantur, praeparet.

1. In *primo carmine* monetur sapientiae studiosus, ut impiorum invitatione reiecta (1,8-19), sapientiam sectetur (1,20-33).
2. *Tria sequentia* fructus sapientiae commendant (2,1-3,35), quippe quae hominem a pravarum mulierum consortio liberet (2,1-22), eique omnia bona afferat (3,1-20) ac maxime Dei protectionem (3,21-35).
3. Quam exhortationem auctor *in quinto* confirmat similibus praeceptis patris sui allatis (4,1-27);
4. atque ad singula descendens *quatuor carminibus* (5,1-7,27) docet, quae maxime sint vitanda : scilicet meretricum consortium (5,1-23), levitas, pigritia, fraus (6,1-19), luxuria et adulterium (6,20-35), meretricum seductiones (7,1-27).
5. *Duobus ultimis carminibus* (8,1-9,18) iterum ad sapientiam sectandam exhortatur auctor, sed ita eam describit, ut non sit dubium, quin Sapientiam hypostaticam i, e. Verbum Dei, intelligat. Suis enim bonis suaque aeterna et divina origine descriptis Sapientia ipsa beatos praedicat, qui se ipsam sint inventuri (8,1-36), atque huic invitationi opponitur invitatio insipientiae (9,1-18).

SECTIO ALTERA (10,1-22,16) *tradit quam plurima praecepta vitae*, quae unico fere disticho absolvuntur, de diversissimis rebus agunt, certo ordine non sunt dispositae.

SECTIO TERTIA (22,17-24,34) *velut epilogus primitivae collectionis est;* sapientiam enim iterum longioribus carminibus commendans praecepta tradita inculcat.

1. Monet sapientiae verba (antea tradita) esse audienda (22,17-21) eisque pauca nova addit (22,22-23,15);
2. Postquam deinde iterum sapientiam celebravit et ebrietatem impugnavit (24,1-22),
3. exhortationem terminat denuo monens, vitandum esse impiorum consortium (24,1-22).

Velut *appendicula* adduntur paucae sententiae de iustitia exercenda et de vitanda pigritia (24,23-34)[1].

(1) Sequimur ordinem *Vulg.* et *text. hebr.*, a quo dissentit *Alexandrinus*. Etenim ante 24,23-34 inserit Alex. 29,27 cum nonnullis versibus propriis et priorem partem verborum Agur (30,1-14 *Vulg.*); deinde insertae appendiculae (24,23-34 *Vulg.*) addit alia verba Agur et verba Lamuelis (30,15-31,9 *Vulg.*); quibus adnectit alteram Proverbiorum

Collectiones Proverbiorum recentiores (25,1-31,31).

1. *Proverbia Salomonis a « viris Ezechiae » collecta* (25,1-29,27) varia continent praecepta, disticho pleraque absolvuntur et ad parabolicum genus magis accedunt.
2. *Tres minores collectiones* pro appendice adduntur (30,1-31,31), — *a.*) « Verba Congregantis filii Vomentis » (*hebr.* Verba Agur, filii Iake) sententiis constant, quae pleraque numerorum artificio contextae sunt (30,1-31); — *b.*) Verba Lamnelis regis de regis officiis agunt (31,1-9); — *c.*) carmen alphabeticum de muliere forti (31,10-31) opus terminat.

4. — Finem operis auctor titulo indicat.

Prov. 1,1 sqq. « Parabolae ad sciendam sapientiam et disciplinam, ad intelligenda verba prudentiae, ad adipiscendam eruditionem doctrinae, iustitiam, iudicium et aequitatem, ad dandam parvulis astutiam, adolescenti scientiam et intellectum ». « Parvuli » autem et « adolescentes », quos genuinam sapientiam docere vult, non sunt ii, qui paucos numerant annos, sed ii, qui viam virtutis vix ingressi in pietate nondum adoleverunt.

§ 13. — *De libri Proverbiorum origine et auctoritate.*

1. — Longe maioris partis Proverbiorum (1,1-9,18; 10,1-22,16 [aut 1,1-24,22] et 25,1-29,27) salomonicam originem tuentur inscriptiones, nec quidquam hucusque est allatum, quo earum auctoritas infirmetur.

Patres omnia Proverbia Salomoni auctori attribuerunt iisque adstipulati sunt mediae aetatis interpretes; neque id mirum; nam Patribus sola cognita erat versio alexandrina, quae inscriptiones 30,1 et 31,1 ita obscuraverat, ut genuinus earum sensus non perciperetur[1], atque S. Hieronymus, quum nomina propria (*Agur*, *Iake*) velut appellativa vertisset, novae interpretationi ansam dederat, quae Salomonem sese ipsum nominibus symbolicis (Congregans, filius Vomentis) designasse statuit. Inde autem a saec. 16., quando textus hebraicus accuratius conferri coeptus est, multi interpretes a tradita interpretatione recedentes maiorem quidem operis partem Salomoni auctori attribuerunt, sed aliquas particulas ab aliis scriptoribus compositas tenuerunt; quae sententia etiam modernis interpretibus catholicis probatur. Merito autem heterodoxorum, maxime rationalistarum, reiicitur sententia, qui vix quidquam salomonici in integro opere inveniri contendunt.

Etenim prima inscriptio cum exordio arcte connexa (1,1) ad prima saltem *novem* capita, quae argumenti quoque et styli similitudine cohaerent, sese extendit; tertia (25,1) quinque capita immediate sequentia complectitur. Secunda (10,1), si genuina est, priorem sententiarum collectionem (10,1-22,16) Salomoni attribuit; sin genuina non est (deest autem in Alex. et Syr.), prima inscriptio ad integram

collectionem (25,1-29,26 *Vulg.*) atque opus terminat carmine de muliere forti (31,10-31 *Vulg.*). Omittit quoque inscriptionem 10,1 et alias inscriptiones ita mutavit et obscuravit, ut pro titulis partium amplius haberi nequeant. Ceterum in toto opere sententias nonnullas addit (6,8; 9,12. 18; 16,5. 17. etc. 25,10. 20; 27,20 etc.), alias mutat (1,11. 18 etc.), alias omittit (1,16; 4,5. 7; 8,29. 33).

(1) 30,1 Τοὺς ἐμοὺς λόγους, υἱέ, φοβήθητι καὶ δεξάμενος αὐτοὺς μετανόει. — 31,1 Οἱ ἐμοὶ λόγοι εἴρηνται ὑπὸ Θεοῦ βασιλέως. Χρηματισμὸς κτλ.

priorem partem (1,1-24,22) extendatur necesse est, idque eo magis, quia exordium, quocum connexa est, annuntiet Salomonis Proverbia, quae sapientiam non tantum *commendant* (1,8-9,18; 22,17-24,22), sed etiam *docent* (10,1-22,16). Atqui inscriptiones illae, utpote antiquissimae atque ab ipso auctore (1,1) vel a collectoribus (25,1) operi praefixae, plenam merentur fidem, nisi aut externis testimoniis aut internis argumentis certis erroneae demonstrentur. Externa eiusmodi testimonia non haberi, omnes concedunt; quid interna argumenta valeant, examinemus oportet; ea autem levia esse, facile demonstratur.

Novem enim priora capita quum ob docendi praecipiendique rationem, tum ob severam de castitate doctrinam paedagogum potius vel prophetam prodere auctorem monent, quam regem libidinosum. At cur regem sapientissimum (3 *Reg.* 3,5 sqq.; 2 *Par.* 1,7 sqq.) exhortatio ad sapientiam hanc acquirendam dedeceat, nemo facile dixerit; nec quidquam impedit, quominus Salomonem, antequam libidini se tradidisset, severam hanc de castitate doctrinam tradidisse dicamus. — Capita 25.-29. non esse collecta obiiciunt, nisi tribus saeculis post Salomonis mortem, quo tempore sententiae alienae facillime ei attribui potuerunt. At « viri Ezechiae », opinor, melius, quam nos, scire potuerunt, quae sententiae a Salomone profectae essent, praesertim quia ex fontibus scriptis eas hauserunt (הֶעְתִּיקוּ *Alex.* ἐξεγράψαντο *Ag.* μετῆραν. *Vulg.* transtulerunt). — Multas sententias ex vita privata et rustica desumtas esse addunt, quae Salomoni incognita erat. At legendae dumtaxat sunt sententiae obiectae (12,10 sq.; 13.23; 14,4; 24,27. 30-34 etc.), ut mireris, quod aliquis dubitaverit, an a Salomone conscribi potuerint. — Magnam difficultatem aliqui inveniunt in earumdem sententiarum repetitione; etenim eadem sententia vocabulis vix mutatis interdum in eadem collectione, frequentius in diversis collectionibus invenitur; interdum sensu aliquantulum mutato sententia repetitur, interdum eadem sententia similibus verbis bis exprimitur, interdum unus stichus alio mutato redit etc. Sed ex his repetitionibus nihil contra singularum sententiarum originem concludi posse, evidens est. *Eiusdem* enim sententiae repetitio, sive in eadem sive in diversa collectione reperitur, aut collectori aut librariis adscribenda est; *similes* vero sententiae, sive in verbis, sive in sensu, sive in utrisque sit similitudo, eidem auctori recte attribuuntur, qui idem praeceptum mentibus profundius inculcare voluit. — Alii tantam differentiam inter duarum collectionum (10,1-22,26 et 25,1-29,27) sententias inveniunt, ut eidem auctori non possint attribui; priorem enim solis fere gnomis, alteram parabolis et similitudinibus maxime constare monent. At ex hac differentia id unum sequitur, priorem collectorem parabolas, quia eas forte fini suo parum adaptatas censuit, praetermisisse; qui tot acutas sententias composuit, is parabolarum componendarum non erat incapax.

2. — Ex reliquis partibus duo capita, quae priorem collectionem sequuntur (22,17-24,22), etiam Salomoni auctori omnino sunt attribuenda, neque sufficiens videtur adesse ratio, cur appendicula illis adnexa (24,23-34) ei denegetur. Trium vero appendicum duae priores rectius eis attribuuntur, quorum nominibus inscribuntur, prima (30,1-33) Aguri Massaensi, altera (31,1-9) Lemueli Massaensi; num carmen de muliere forti (31,10-31) Salomoni debeatur necne, non liquet.

Quodsi inscriptio 10,1 non est genuina, duo capita (22,17-24,20), uti diximus, prima inscriptione (1,1) Salomoni iam attribuuntur; atque revera tanta est inter

ea et inter prima novem capita quum styli tum argumenti et finis similitudo, ut eidem auctori adscribantur necesse sit. Eodem enim modo, quo primis capitibus praecepta sua praeparavit, duobus istis capitibus velut peroratione quadam ea inculcavit. — Appendiculam (24,23-34) plerique moderni Salomoni abiudicant ob hebraicae inscriptionis auctoritatem : גַּם־אֵלֶּה לַחֲכָמִים, quam interpretantur « etiam haec sunt *sapientium* » sc. verba; antiqui autem interpretes omnes (Alex., Syr., Chald., Vulg.) verterunt « etiam haec *sapientibus* » sc. dico, atque eandem interpretationem supponit sequens virorum Ezechiae inscriptio « hae *quoque* parabolae *Salomonis* », quae inepta esset, si non Salomonis, sed aliorum sapientium verba praecederent. — Difficilior est quaestio de tribus ultimis appendicibus. Quomodo prima inscriptio (30,1) esset explicanda, antiqui interpretes ignorarunt, et de ea disputant moderni. Praeferimus illam sententiam, quae sola prima verba דִּבְרֵי אָגוּר בֶּן־יָקֶה הַמַּשָּׂא (Verba Aguris, filii Iake, Massaensis) pro titulo habet et reliqua initium sententiarum Aguris esse censet (« Effatum viri : Laboravi, Deus; laboravi, Deus, et evanui » etc.). Neque ulla apparet ratio, cur nomina Aguris et Iake pro symbolicis habeantur, licet ignoremus, quis Agar fuerit et quod regnum Massa intelligatur. Item cur altera inscriptio (31,1 Verba Lemuelis, regis Massaensis) auctoritate sua privetur aut symbolice explicetur, non affertur ratio idonea. Dubium autem est, utrum hic titulus etiam carmen de muliere forti complectatur, annon; per se nihil obstat, quominus illud Salomoni auctori tribuatur.

3. — Tres diversae Proverbiorum *collectiones* recte statui videntur. Atque prior quidem pars (1,1-24,22), quae absolutum et perfectum opus constituit, Salomoni uti auctori ita collectori debetur. Altera salomonicorum Proverbiorum collectio (25,1-29,27) « viris Ezechiae » inscriptione attribuitur, quam fide indignam esse nemo adhuc demonstrare conatus est. Quisnam duobus ultimis capitibus collectis et additis opus terminaverit, ignoratur; sed saltem Esdrae aetate liber Proverbiorum hodiernam suam habuit formam.

Cum sententia proposita plerique moderni interpretes catholici fere consentiunt. Ac profecto tanta in priore collectione (1,1-24,22) est argumenti et doctrinae unitas ac tam arctus trium sectionum, quibus componitur, nexus internus, ut si sola ad nos pervenisset, nemo prudens illam in varias particulas discerpere conatus esset. Salomoni autem eam attribuimus, quia recentioris aetatis nullum reperitur vestigium; atque sane decuit sapientissimum regem, qui tria millia parabolarum composuit (3 *Reg.* 4,32), ipsum ex tanto numero illa eligere, quae subditis suis erudiendis utiliora censuit, illaque prologo et epilogo de sapientiae laudibus munire. Aliqui Patres (*S. Cyrill. Ier.* Cat. 2,13; *S. Hier.* in Ezech. 43,10 etc.) erronea codicis sui lectione (24,32 « Novissime ego egi poenitentiam ») seducti Salomonem *senem poenitentem* Proverbia collegisse arbitrati sunt; at rectius eo tempore, quo sapientiae dono praeditus in divino cultu promovendo occupatus erat, hanc collectionem edidisse creditur; si senex poenitens eam adornasset, de idololatriae periculis, quae ipse expertus erat, non tacuisset. — Quoniam populo integro librum destinavit, parabolas similitudinesque intellectu difficiliores omisit; at « viri Ezechiae », si ex primis sententiis, quae de regum principumque potius, quam de populi institutione agunt (25,2 sqq.), coniecturam capere licet, eruditos

maxime viros prae oculis habuerunt; quare a difficilioribus illis recipiendis non abstinuerunt. Ceterum de illis « viris Ezechiae » nihil certi nobis est traditum. — Iisdem viris Ezechiae aliqui appendiculam (24,23-34) attribuunt propter inscriptionum similitudinem (24,23 et 25,1); at infirmum videtur argumentum atque probabilius est, appendiculam illam iam ante Ezechiae aetatem primae collectioni additam esse. — Alii Ezechiae, alii Esdrae tempore opus ultimis duobus capitibus additis terminatum dicunt. Si genuinus esset ordo alexandrinus, tres ultimas appendices iam a Salomone suae primitivae collectioni adiectas atque integrum hodiernum opus a viris Ezechiae sua collectione inter opus salomonicum et inter eius appendices inserta terminatum dicere liceret. Sed rei tam incertae immorari non vacat; Esdras librum completum canoni palaestinensi inseruisse iure dicitur.

4. — Quemadmodum synagogae antiquae persuasionem *de libri Proverbiorum divina auctoritate* dubitationes aliquorum rabbinorum non perturbarunt, ita eandem fidem ab Apostolis acceptam Ecclesia Christi contra antiquorum et modernorum haereticorum obiectiones semper defendit.

Thalmude teste pauci rabbini, quia nonnullas libri sententias inter se pugnare (ex. gr. 26,4. 5) atque meretricis descriptionem (7,10 sqq.) Scripturam dedecere arbitrabantur, eum inter apocryphos amandare voluerunt; sed « quod id facere cogitarunt, nec fecerunt tamen, indicio est, nefariam eorum voluntatem vi veritatis fuisse oppressam et utrimque pensitatis rationibus libri sanctitatem eos tandem agnovisse » (*Huet.*). Revera quanto in honore tempore Christi liber Proverbiorum sit habitus, non tam expressae Apostolorum allegationes docent (*Iac.* 4,6; *Hebr.* 12,5 etc.), quam frequentissimae illorum allusiones (1 *Petr.* 2,17 et *Prov.* 24,21; 1 *Petr.* 4,8 et *Prov.* 10,12; 1 *Petr.* 4,18 et *Prov.* 11,31; 1 *Petr.* 5,5 et *Prov.* 3,34 etc.). Apostolos secuti sunt Patres apostolici (*S. Barn.* Ep. 5; *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 14. 21. 30. 56 sq.; *S. Ignat. M.* Ephes. 5; Magn. 12; *S. Polyc.* Phil. 6) iunioresque; Theodorus Mopsuest. autem, quum Proverbia a Salomone *ex eius persona* atque sola *prudentiae gratia* composita esse assereret, damnatus est a *Conc. V. Constant. II.* Obiectiones renovarunt Ben. Spinoza et I. Clericus monentes, « eiusmodi sententias a quovis homine sine inspiratione proferri potuisse »; quibus recte respondit *R. Simon*, eadem argumentatione, si quid valeret, multorum aliorum librorum inspirationem destrui, qui etiam quam plurima contineant, ad quae cognoscenda nova revelatio non requiritur; inspirationem autem non argumento libri esse diiudicandam, sed divinis testimoniis in Scripturis et traditione conservatis. Quod responsum etiam modernorum rationalistarum obiectionibus refutandis sufficit.

De sententiarum, quas alexandrina versio textui hebraico addit, inspiratione iudicandum est secundum criticos canones.

Nonnullae scilicet ex iis non tantum etiam in Vulgata et syriaca versione, sed in ipsa chaldaica paraphrasi leguntur; quin illae, etsi in massorethico textu desiderentur, pro canonicis sint agnoscendae, non est dubium, quum unanimi et constanti Ecclesiae usu sint approbatae atque Chaldaei testimonio accedente casu dumtaxat ex textu hebraico excidisse demonstrentur. Quin etiam nonnullae ex illis, quae tot testimoniis non confirmantur, iuxta criticos canones defendi possunt; quare ante sedulum examen reiiciendae non sunt.

II. De libro Ecclesiastae.

§ 14. — *De libri Ecclesiastae argumento, divisione, fine.*

1. — Titulo suo alter Salomonis liber « *Ecclesiastes, qui ab Hebraeis Coheleth appellatur* » declaratur esse concio ad populum habita atque titulo consentiunt libri stylus et indoles.

Integra libri inscriptio est דִּבְרֵי קֹהֶלֶת בֶּן־דָּוִד מֶלֶךְ בִּירוּשָׁלָם (ῥήματα ἐκκλησιαστοῦ υἱοῦ Δαυεὶδ βασιλέως Ἰσραὴλ ἐν Ἰερουσαλήμ, *Verba Ecclesiastae, filii David, regis Ierusalem*). Inter varias autem vocabuli *Coheleth* explicationes illa sola iure defenditur, quae antiquitus tradita hodie quoque est communior : « Ἐκκλησιαστής, inquit S. *Hieronymus*, graeco sermone vocatur, qui coetum i. e. ecclesiam congregat, quem nos nuncupare possumus *concionatorem*, eo quod loquatur ad populum et eius sermo non specialiter ad unum, sed ad universos generaliter dirigatur ». « Verba Ecclesiastae » igitur sunt concio ad populum habita. Licet enim Ecclesiastes libris poeticis adnumeretur, stylus eius prosaicus potius est et humilis, quam poeticus et sublimis; propter multas tamen gnomas atque carmina didactica, quae continet, inter poetica adnumerari meretur opus. Integrum autem in exhortatione magis, quam in doctrinae expositione versatur atque omnia Ecclesiastae verba eo diriguntur, ut auditorum animi et voluntates ad certam tenendam et *sequendam* sententiam permoveantur; indole igitur sua opus oratorio generi addicitur.

Concionis autem argumentum est doctrina de summo bono, quo homo *hac in terra* frui potest.

« De rebus physicis » Ecclesiasten agere Patres multi asseruerunt (*Orig.* In Cant. Prol.; *S. Basil. M.* In prooem. Prov. hom. 12., *S. Hieron.* ad Paulam ep. 30., *Olympiod.* In Eccle. Prov. etc.), idque recte, quatenus intimam, ut ita dicamus, earum naturam, i. e. vanitatem et inanitatem, manifestat. At unam dumtaxat eamque negativam argumenti partem describunt, quicumque de sola rerum vanitate loquuntur; Ecclesiastes enim omnibus illis, quas homines ardenter expetere solent, quoniam in iis beatitudinem suam sitam esse putant, reiectis ostendit, summam felicitatem, qua *in hac terra* homo frui potest, *praeprimis Dei timore mandatorumque eius observatione contineri atque bonorum illorum, quae Deus ipse (iustis velut praemia) secundum providentiae suae ordinem concedit, fruitione quieta et pia.* Inquietum igitur studium, quo homines semper maiores opes, voluptates, honores quaerunt, ac si in earum adeptione sita esset beatitudo, improbat Ecclesiastes, *quietum et pium earum rerum, quas Deus ipse concedit, usum* non tantum permittit, sed commendat. Quoniam enim in vetere foedere Deus iis, qui Legem erant observaturi, res externas (divitias etc.) promiserat, mirum non est, quod Ecclesiastes moderatum earum usum a sua summae felicitatis descriptione non excludat; nam altior ille perfectionis gradus, qui nos Christum *pauperem, despectum, patientem* sequi docet, Novo Foederi erat reservatus.

2. — Thema suum Ecclesiastes non docta quadam argumentatione aut

oratione ad omnes rhetoricae artis regulas composita explicat, sed varias de felicitate in hac terra consequenda sententias eo ordine proponit, quo sese animo eius offerebant nonnullis interdum insertis, quae etsi ad argumentum non pertineant, illa tamen in occasione ei videbantur opportuna, atque nonnullis ita quoque prolatis, ut inter se pugnare videantur; quare aliqui interpretes dialogismum quemdam in libro admittendum esse (immerito) censebant.

Inter Patres iam non defuerunt, qui « sapientem hunc Ecclesiasten modo e sua ipsius persona, modo ex alterius, qui res mundanas attonitus admiratur, persona loqui » dicerent (*Olympiod.* l. c.) aut alio modo dialogismum aliquem statuerent (cfr *S. Gregor. M.* Dial. IV. 4 etc.). Quam sententiam exaggerantes nonnulli heterodoxi moderni iustum dialogum invenire voluerunt, dum alii variis variorum scriptorum carminibus aut variis fragmentis salomonicis librum a iuniore scriptore conglutinatum dixerunt ullumque ordinem in eo inveniri negarunt. At quicumque librum vel obiter legerit, continuum in eo esse sermonem deprehendet, qui etsi nonnullis, quae arcto logico nexu non adnectantur, interdum interrumpatur, nusquam tamen ab interlocutore intercipitur, ut ne minimum quidem dialogi aut dialogismi vestigium reperiatur. Quare unum in toto libro agnoscamus loquentem necesse est. Si quis vero diligens studium libro impenderit, certum ordinem ei non deesse animadvertet et apparentes contradictiones facile solvet (§ 15,5).

3. — Inter varias autem, quae propositae sunt, libri divisiones ea est praeferenda, quae duas praecipuas partes praeter epilogum (12,9-14) statuit : in priore (1,2-7,1) Ecclesiastes rerum humanarum vanitatem demonstrat, in altera (7,2-12,8) praecipit, quid facto sit opus, si homo felicem hac in terra vitam agere velit.

In PRIORE PARTE (1,1-6,12) *Ecclesiastes vanas esse res mundanas demonstrat, ut nimio eorum studio represso hominem ad quietum rerum a Deo datarum usum adducat.*

1. Praemissa consideratione de rerum omnium vanitate *ob earum mutabilitatem* (1,2-11),
2. imprimis *ad suam ipsius experientiam provocat* (1,12-3,22). — Qua edoctus cognovit vanam esse sapientem rerum investigationem (1,12-18) vanasque esse delicias studiose quaesitas (2,1-11); vanam autem esse sapientiam, quia sapiens etiam moriatur, et vanam divitiarum accumulationem, quia ignoto haeredi relinquantur. Unde concludit, melius esse rebus a Deo concessis frui (2,24-26), nam providentiae ordinem homo studio suo mutare nequit (3,1-15) et Deus aliquando de omnibus iudicabit (3,16-22).
3. Ad eandem conclusionem adducit *consideratio multiplicium calamitatum* (4,1-6,12). — Variae enim sunt calamitates subditorum, qui opprimuntur (4,1-3), diligentium et pigrorum (4,4-6), solitariorum (4,7-12), regum ipsorum, qui populi gratiam facile amittunt (4,13-16). — In *digressione* quadam [1] monet levitatem in cultu divino esse vitandam et Deum timendum (4,17-5,8). — Ad thema regressus avarorum calamitates describit (5,9-16)

(1) Nexus internus digressionis cum praecedentibus in eo videtur esse, quod levitas subditorum erga reges concionatori maiorem illam levitatem in memoriam revocaverit, qua homines multi res divinas tractant.

atque concludit bonis a Deo concessis esse utendum (5,17-19), quam conclusionem confirmat descriptione infelicitatis eorum, qui in aliorum tantum utilitatem laborant (6,1-12).

In altera parte (7,1-12,7) *positivis praeceptis auditores eo adducit, ut sorte sua contenti rebus a Deo datis fruantur*[1].

1. Praeprimis monet, *in omnibus finem esse respiciendum* et ex eo omnia diiudicanda (7,1-11);
2. deinde *commendat sapientiam* ob omnimoda bona, quae affert (7,12-8,1).
3. Antequam autem in hoc themate pergat, *praeceptum de sapiente vitae usu novis argumentis confirmat* (8,1-9,12). — Ab obedientia regi Deo praestanda, ne quid mali homo patiatur in die mortis, exorsus (8,1-8) sapientem rerum a Deo datarum usum inculcat, quia homo providentiae ordinem nec intelligere (8,9-17) nec mutare possit (9,1-12).
4. Ne quis vero ideo sapientiam inutilem esse dicat, *ad eam commendandam revertitur* (9,13-10,20). — Praestat enim fortitudini (9,13-16), licet in paupere non aestimetur (9,17-10,1); clarius autem elucet eius praestantia, si cum insipientia comparatur (10,2-20).
5. In *concionis epilogo* (11,1-12,8) omnibus sapientem rerum usum praecipit ob incertitudinem mortis (11,1-8), iuvenes vero exhortatur, ut vita fruentes memores sint Dei et futurae senectutis (11,9-12,7), concionemque terminat denuo asserta rerum vanitate (12,8).

Libri epilogus (12,8-14) concionem commendat eiusque argumentum complectitur hac sententia : « Deum time et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo; et cuncta quae fiunt, Deus adducit in iudicium ».

4. — Auctor, uti ex argumento proposito elucet, docere voluit, quomodo homo, ut ad eam beatitudinem, qua in hac terra frui potest, secure perveniat, vitam suam debeat ordinare. Reliquae, quae afferuntur, finis descriptiones aut erroneis hypothesibus nituntur aut ad integrum argumentum non satis attendunt.

Ut finis auctoris recte describatur, attendatur oportet, eum vanitatem quidem et imperfectionem omnium huius terrae bonorum demonstrare, at simul sapientem moderatumque eorum usum commendare, dummodo homo semper prae oculis teneat, Deo iustissimo aliquando de omnibus rationem esse reddendam ideoque virtutem pietatemque praeprimis esse sectandam. Arctioribus igitur limitibus finem circumscripserunt Patres et interpretes, qui auctorem putant nos « ad contemtum huius saeculi provocare » voluisse (S. *August.* Civ. Dei XX. 3; *S. Gregor. Nyss.* In Eccle. hom. 1; S. *Hieron.* in Eccle. Praef. etc.), licet non negemus, nos Novi Test. gratia ad maiorem perfectionem vocatos hunc fructum ex libri doctrina haurire posse ac debere. Neque satis accurate alii dixerunt, auctorem inquietam corradendarum rerum contentionem voluisse reprimere etc. Plane autem a vero aberravit Pineda, qui in libro nostro vidit « aliorum peccatorum et potissimum impietatis et idololatriae supplicem confessionem, qua Salomon Deo satisfacere et populum ad veram religionem revocare voluit ». Atque multo longius aberrarunt moderni nonnulli, qui auctorem dixerunt Iudaeos sub Persarum iugo degentes consolari

(1) Praecepta pleraque aphoristico modo proponuntur, ut accuratus nexus inter singulas gnomas vix inveniatur.

atque a rebellione retinere voluisse, aut iis explicasse, quibusnam peccatis regnum iudaicum ad interitum esset adductum etc. Multis enim saeculis ante regni interitum Ecclesiasten suam concionem habuisse statim ostendemus.

§ 15. — *De libri Ecclesiastae origine et auctoritate.*

1. — Contra modernos heterodoxos fere omnes et nonnullos catholicos interpretes omnino tenendum videtur, Salomonem libri Ecclesiastae esse auctorem; haec enim sententia constante et unanimi antiquae synagogae et Ecclesiae nititur traditione atque claro libri de se ipso testimonio confirmatur.

Inde a Grotii tempore, qui primus Salomoni librum abiudicavit, in diversissimas de eius origine sententias abierunt omnes interpretes illi, qui internis potius rationibus quam historicis testimoniis de librorum authentia iudicant. A morte Salomonis enim usque ad Domini N. nativitatem non invenitur saeculum, quo unus alterve librum exortum esse non putaret; longe plerique tamen heterodoxi, paucis consentientibus catholicis, exsilio babylonico saltem eum hodie dicunt recentiorem. Contra quos eius salomonicam originem asserimus praeprimis ob antiquae traditionis auctoritatem; de qua traditione unanimi et constante autem constat *a.*) loco, quem Ecclesiastes in omnibus antiquis librorum sacrorum catologis occupat. Medius enim inter duos alios libros salomonicos positus cum iisque semper coniunctus erat quum apud Iudaeos palaestinenses testibus Thalmudistis atque S. Melitone, Origene, S. Epiphanio, S. Hieronymo, tum apud Iudaeos alexandrinos et in Ecclesia testibus Patribus omnibus, qui alexandrinam versionem adhibuerunt. Ob liturgicum dumtaxat usum iuniores rabbini eum ex loco primitivo removerunt, ut eum cum aliis quatuor libellis, quos statis diebus in synagoga legunt, uno volumine comprehenderent. *b.*) Accedunt diserta rabbinorum et Patrum testimonia. « *Hebraei*, inquit *S. Hieronymus* (in Eccle. 1,12), aiunt hunc librum esse Salomonis poenitentiam agentis » [1], « neque usquam in Thalmude alius Proverbiorum, Cantici, Ecclesiastae auctor agnoscitur praeter Salomonem » (*Marx* Traditio rabbinorum de libr. sacr. origine p. 51). Patrum testimonia afferre superfluum est, quoniam eorum consensus a nullo in dubium vocatur. *c.*) Traditionem vero hanc testimonium libri ipsius confirmat. Etsi enim in inscriptione *nomen* Salomonis non ponatur, eius *persona* tamen clare describitur (« filius David, rex Ierusalem ») atque eadem ratione Ecclesiastes in tota concione se Salomonem esse prodit (1,12. 16; 2,4 sqq.; 12,9 sqq.). Neque haec « pia fraude » et « poetica fictione » explicari possunt, qua recentior auctor personam Salomonis induerit et suas sententias sub eius nomine et auctoritate venditaverit. Eiusmodi enim « pia fraus » et « fictio poetica », qua lectores in ineluctabilem errorem inducuntur, cum libri inspiratione non conciliantur. Neque ad « piam fraudem » excusandam iuvant exempla ab adversariis allata; libri enim Sapientiae auctor nusquam se Salomo-

(1) Librum a *poenitente sene Salomone* esse conscriptum, sententia est etiam nonnullorum antiquiorum et modernorum interpretum, sed parum probabilis. « Neque enim video, inquit recte *Bonfrerius*, quo argumento ex Ecclesiaste probetur Salomonis poenitentia; nusquam enim de amorum impuritatibus et insana mollitie loquitur, nusquam idololatriae, nusquam peccati sui etiam in genere mentio, nusquam verbum, quod de admissis peccatis verum animi dolorem exprimat ».

nem *fingit*, sed Salomonem loquentem introducit, atque Psalmorum inscriptiones, quae erronee Davidem auctorem nominare dicuntur, si erroneae sunt, a Davide ipso carminibus non sunt praefixae.

2. — Frustra contendunt adversarii, auctorem, quamvis Salomonem se fingere voluerit, expressionibus nonnullis sese Pseudo Salomonem prodere atque allusionibus historicis iuniorem libri originem indicare; erroneis enim textuum interpretationibus hae obiectiones innituntur.

Auctorem Salomonis personam, quam finxerit, sustinere non potuisse, his textibus probare conantur. *a.*) Se *fuisse* (וָאֱהִי, *fui* 1,12) regem in Ierusalem, ait auctor; sed haec scribere non potuit Salomon, qui usque ad mortem suam thronum occupavit. Attamen הייתי etiam significat : *Factus sum et adhuc sum* cfr *Ps.* 88 (87), 5, *Gen.* 32,11 etc. — *b.*) Se *omnes* reges, qui ante eum *in Ierusalem regnaverunt*, superasse ait (1,16; 2,7); sed ante Salomonem *solus* David in Ierusalem regnavit. Utique ex regibus Israel; num Salomoni, quem « omnes *reges terrae* » superasse dixit auctor 3. Reg. (10,23), se ipse cum regibus chananaeis, qui ante Davidem in Ierusalem regnaverant, comparare non licuit? — *c.*) Salomon rex scribere non potuit : « ego observo os regis » (8,2). Neque id scripsit; sed « ego (dico) : observa os regis »[2]. — *d.*) Auctor ita loquitur, ac si stultum filium et successorem Salomonis (Roboamum) iam vidisset regnare (2,12. 18 sq.), atque de subditorum oppressione, iudicum iniustitia, magnatum insipientia ita conqueritur (3,14; 4,1; 5,7; 10,5 sqq.), ut Salomon, si haec scripsisset, sese ipse contemtui exposuisset. Quae obiectio falso nititur supposito, auctorem res *suae aetatis* describere voluisse; neque enim de *suo* successore et haerede nec de suo regno speciatim loquitur Salomon, sed generali modo de iis, quae sub sole fieri solent. Revera omnes, qui in libro multas reperiri allusiones historicas obiiciunt, quibus recentior eius origo demonstretur, non satis attendunt, velut verum sapientem Ecclesiasten res praesentes et praeteritas, quae in populo suo aut vicinis in regnis aut longinquis in terris gestae sunt vel geruntur, cunctas complecti, ut ex eis salutarem doctrinam deducat. Profecto si allusiones illae historicae, quas inveniunt, ad originem libri definiendam quidquam valerent, adversarii non per novem saecula a Salomone usque ad Christum circumerrarent, ut aetatem definirent, cui librum attribuerent.

3. — Pro ariete ad salomonicam Ecclesiastae originem evertendam adversarii utuntur lingua, qua conscriptus est liber; eam enim omnino diversam esse asserunt a Davidis Salomonisque lingua, simillimam autem linguae aetatis esdrinae, aramaismis refertam etc. Cui difficultati recte respondetur, solo sermone aetatem alicuius libri non definiri, atque ex Ecclesiastae utpote concionis ad populum de huius terrae bonis habitae indole satis explicari, cur impurior sit eius sermo.

Ad adversariorum dissensum, qui solo sermone de aetate operis iudicari non posse demonstrat, iterum provocare opus non est, sed monemus, a recentissimis

(2) Hanc interpretationem communiorem esse, testatur S. Hieronymus (Comment. in h. l.), licet ipse alteram praetulerit *putans* de rege Messia Ecclesiasten loqui. Ceterum rex, cuius os observandum esse monet auctor, est *rex Deus;* ac proin etiam ex lectione Vulgatae nulla exoritur difficultas.

« criticis » plerosque libros, qui linguae puritate eminent (Pent., Ios., Iudic., Sam., Psalm., multa vaticinia Isaiae etc.), exsilio dici recentiores; eadem igitur aetate libros conscribi posse puriore et impuriore sermone, concedant oportet. Porro omni in populo duplex linguae forma inveniri solet, purior et eruditior, quae libris scribendis inservit, popularis et impurior, quae in quotidiano usu a populo adhibetur et ex qua in linguam scriptam paullatim vocabula et formae recipiuntur. Atqui liber noster est concio ad populum habita; in qua Salomon igitur linguam popularem adhibere potuit, ita ut mirum non sit, quod formis dictionibusque utatur, quae, quia in iunioribus tantum libris reperiuntur, e chaldaica lingua transumtae creduntur, quamvis chaldaicae non sint. Praeterea philosophico quodam modo auctor noster thema suum explicat; quapropter vocabulis abstractis satis multis utitur, quibus nec in historicis nec in poeticis aut propheticis libris est locus. Itaque argumentum hoc ex lingua desumtum velut infirmum merito reiicimus.

4. — In Novo Test. quidem nec ullibi allegatur Ecclesiastes nec certa ad eum legitur allusio; nihilominus *de divina eius auctoritate* constat testimonio antiquae synagogae et Ecclesiae, quae omnes conatus, quibus divina libri inspiratio impugnabatur, statim represserunt.

Saeculo 1. p. Chr. aliqui rabbini librum nostrum inter apocryphos relegare voluerunt, « quia eius verba se invicem everterent et ad haeresin adducerent »; accuratius autem rem investigantes « in principio et in fine eius tradi praecepta Legis » invenerunt ideoque eum in canone retinuerunt (*Sinai Schiffer* Koheleth p. 77 sqq. cfr S. *Hier.* in Eccle. 12,13). Quotannis autem in festo tabernaculorum librum in synagogis legentes ostendunt, quanta in auctoritate eum habeant. — Nec in Novo Test. quidem nec ab apostolicis Patribus Ecclesiastes umquam allegatur; eum tamen semper in canone christiano fuisse certum est, atque inter primos libros est, qui ineunte 3. saec. iam commentariis sunt illustrati (a SS. Hippolyto, Gregorio Neocaes., Dionysio Alex. etc.); *Theodorus Mopsuest.* autem, qui eius divinitatem impugnavit, damnatus est a Conc. V. oecumenico. Ab illo tempore divina eius auctoritas semper est agnita usque ad exortum rationalismum, qui multiplices errores in eo detegere sibi visus est.

5. — Difficultates autem, quas aliqui obscuriores textus contra libri inspirationem creant, accurata verborum explicatione sine magno negotio removentur.

Teste S. *Hieronymo* aliqui rabbini iam offendebantur, « eo quod Ecclesiastes vanas assereret Dei creaturas, et totum putaret pro nihilo, et potum et cibum et delicias praeferret omnibus » (In Eccle. 12,13), atque teste S. *Philastrio* (haer. 134.) aliqui Ecclesiasten reprobarunt, quia « paganorum et Epicuraeorum haeresi » faveret; moderni rationalistae demum etiam mundi aeternitatem, materialismum, fatalismum etc. a concionatore nostro doceri asserunt. Quas difficultates facile removeremus, si admisso dialogismo omnia ea, quae impia esse videntur, ex persona impii ab auctore proferri et in reliquo libro refutari diceremus. At dialogismi nullum vestigium detegi diximus, ideoque is, qui eum admitteret, arbitrariis explicationibus viam sterneret, quum omnia, quae minus placent, personae impii attribui possent. Itaque praecipuas obiectiones directe refutare malumus, ut nihil ab Ecclesiaste doceri ostendamus, quod veritati non sit consonum.

a.) Auctorem vana esse omnia asserentem non favisse *Manichaeismo*, demon-

stratione hodie non amplius indiget; — neque *b.*) minus clarum est, eum non favisse *Scepticismo*, quum scientiam diceret vanam (1,8 sqq.; 6,8; — 3,9 sqq.; 8, 16 sq.); integer enim liber docet, nostras cognitiones in dubium non vocari, licet plena perfectaque scientia homini negetur; — *c.*) neque *aeternitatem mundi* (1,9. 10) aut *stabilitatem terrae* (1,4) docet, nam de prima rerum creatione non loquitur, sed de rerum exsistentium continuoque sibi succedentium vicissitudinibus. — *d.*) *Materialismi* accusatur auctor, eo quod animi immortalitatem negare nec ullam inter hominum bestiarumque interitum differentiam agnoscere videatur (3,19-21). Duo priores quidem versus evidenter de sola externa apparentia agunt, at dubitationem saltem de immortalitate exprimere videtur tertius, quem S. Hieronymus vertit : « *Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* » Caietanus aliique hoc concedere non dubitant, sed verba Ecclesiastae, si recte explicantur, immortalitatem clare asserunt. Nam priora verba *Quis scit* (vel potius *Quis attendit*, nam יֹדֵעַ « attendendi ad aliquid » vel « curandi aliquid » sensum saepe admittit *Prov.* 9,13; 27, 23 etc.) non sunt dubitantis, sed admirantis et difficultatem exaggerantis (cfr *Ps.* 14,1; Prov. 31,10 etc.) ac proin significant : *Paucissimi attendunt* vel *curant* (cfr Ps. 89,11). Alterum vero membrum non est interrogatio indirecta (*quis scit, num spiritus hominis ascendat*), sed ad literam vertendum est : « *Pauci attente considerant spiritum filiorum hominis ascendentem* (vel *ascendere*), *spiritum autem bestiarum deorsum descendentem* (*descendere*) ». Totius igitur loci (3, 19-21) sensus est : « Quamvis hominibus et bestiis relate ad corpus idem sit exitus illisque secundum apparentiam idem insit spiritus vitalis, magnum tamen inter eos intercedit discrimen, quod proh dolor! pauci curant non considerantes, spiritum hominis ad Deum ascendere ac proin permanere, bruti vero animam cum corpore in terram descendere et perire ». Ita habemus aptum nexum cum 3,17, ubi Deus iustos et iniustos iudicaturus asseritur et plena consonantia cum 12,7. — *e.*) Porro status animarum post mortem ita describi dicitur, ut inter eiusmodi vitam et plenum interitum vix sit discrimen (9, 10 cfr 9,5). Attamen licet revelatio de altera vita in Vetere Test. multo minus sit clara, quam in Novo, Iudaei tamen sciebant, piorum defunctorum sortem praeferendam esse sorti impiorum; id enim est corollarium necessarium ex eorum doctrina de iudicio post mortem futuro, quod saepius asserit Ecclesiastes (3,16. 17; 11,9; 12,14). Quam ob causam textus obiecti, uti similes in Psalmis (*Ps.* 6,6; 29,10; 113,17 etc.), non absolute sunt explicandi, sed relative ad hanc vitam praesentem : « Fac quodcumque nunc potest et labora, quia quum ad infernum descenderis, locus non erit poenitentiae » (*S. Hier.* in Eccle. 9,10). — *f.*) *Epicureismo favere* dicitur Ecclesiastes; totam enim eius doctrinam in eo esse, ut rebus mundanis pro viribus fruamur; non enim esse homini sub sole bonum, nisi ut comedat et bibat et gaudeat (8,15 cfr 2, 24; 3,12 sq.; 3,22; 5,17; 9,7). Propter hos praecipue textus Patres (atque ipse S. Hieronymus saltem ad 9,7) dialogismum quemdam admittere voluerunt; at eiusmodi explicatio superflua est, dummodo attendatur, Dominum N. novis suis praeceptis antiquam Legem perfecisse et ante eius adventum bona temporalia velut praemium piis Israelitis Legem observantibus esse promissa; cur igitur Ecclesiastes auditores suos exhortari non potuit, ut iis, quae tamquam praemia acceperant, iuxta divinam voluntatem uterentur et fruerentur? Hanc eius esse mentem, clarum est, nam semper addit, bona haec esse *a Deo* (2,24. 26; 3,13. 22; 5,18; 9,7), eorum acquirendorum studium reprimit (2,3 sqq.), eorum fruitionem cum

pietate coniungendam esse monet (3,12). Demum attende, eum plerumque rerum usum non absolute praecipere, sed praeferre vitae avari (2, 24; 5,17) inutilibusque sapientium investigationibus (3,12. 22; 8,15 etc.). — *g.*) *Fatalismi* quoque accusatur Ecclesiastes, quia omnia caecae necessitati subiiciat (9,11) hominemque sortem ipsi destinatam aut sapientia (2,15. 16.) aut pietate (9,12) mutare vel avertere posse neget. Attamen fatalismum non docet is, qui providentiam divinam celebrat (5,5 sqq.), homines de omnibus actionibus rationem reddituros (11,9; 12, 14) et iuxta sua opera praemia aut poenas accepturos (2,26 etc.) diserte asserit. Verba obiecta autem id unum insinuant, providentiae divinae ordinem hominibus esse impervium, ideoque illis cavendum esse, ne de eo temere iudicent. Secundum Ecclesiastem Deus omnia quidem hominibus donat (2,26; 3,10 sqq.; 5,17 sqq.), sed de omnibus quoque iuste iudicabit (3,17; 8,12 sqq.; 11,9); ideoque homini, qui rationes divinas non intelligit, cum Deo non esse disputandum monet, sed fideliter in timore Dei perseverandum (3,11 sqq.; 5,6. 17 sqq.; 8,16 sqq.). — *h.*) Demum Ecclesiastes sibi saepe *contradicere* asseritur (4,2.3 cfr 9,4 sqq.; 11,7; — 4,6 cfr 9,10; — 1,16; 2,3 cfr 7,23 sq.; etc.); sed his non immorabimur, quoniam attenta contextus consideratione eiusmodi enantiophaniae facillime componuntur.

III. De Cantico Canticorum.

§ 16. — *De Cantici unitate, argumento, divisione.*

1. — Titulus *Cantici Canticorum* (שִׁיר הַשִּׁירִים, ἆσμα ἀσμάτων), quoniam secundum linguae hebraicae praecepta significat *carmen praestantissimum*, unum solum poema toto libro contineri docet, id quod etiam satis apparet ex tota libri indole.

Canticum Cantic. propter suam sublimitatem difficultatemque non minus, quam propter modum, quo argumentum suum explicat, singularem prorsus locum occupat inter Scripturas, neque completa tradi potest in libellum introductio, nisi simul tradatur maioris partis explicatio. Quapropter ne in interpretis munus nos ingeramus, eas solas quaestiones hoc loco tractabimus, quibus eius authentia et canonicitas vindicantur.

Titulus, uti recte iam monuit *Origenes* (In Cant. hom. 1.), eadem ratione explicandus est, qua similes substantivorum compositiones (*Exod.* 30,36 etc. Sanctum sanctorum = Sanctissimum; *Gen.* 9,25 Servus servorum = infimus servus; *Num.* 3,32 Princeps principum = summus princeps etc.), ac proin excludit eorum sententiam, qui in nostro libro carmina erotica, sicut in Psalterio carmina religiosa et in Proverbiis carmina didactica, collecta esse putaverunt. Ac profecto in toto libello eaedem usque recurrunt loquendi formulae, eaedem similitudines eaedemque imagines aliis in libris parum usitatae; iidem sunt in toto carmine loquentes, idem sponsus, qui cum Salomone vel rege comparatur, eadem sponsa, cuius mater et fratres et vinea identidem commemorantur, idem filiarum Ierusalem chorus etc. Unitatem igitur libelli satis demonstrat eius indoles; absurdam vero esse adversariorum sententiam, ipsi fateri coguntur, quum principia et exitus carminum, quae distinguere volunt, definire nequeant atque una cum integris poematis varia fragmenta collecta esse asserant, quae quum sola sumta sensu careant, cur colligi et conservari meruerint, nemo dixerit.

2. — Priusquam carminis argumentum definiatur, quaestio *de eius interpretatione* est praemittenda. Iam vero communis omnium paene doctorum et Sanctorum sententia est, eaque in ipsius Cantici indole fundata, *illud mere esse allegoricum omnique sensu proprio et historico carere*, sicut eodem carent fabulae parabolaeque, quae metaphorico solo sensu exponi debent ac possunt.

Tria olim fuerunt et hodie sunt explicationis systemata. Alii enim nudis Cantici verbis inhaerentes illaque proprio sensu interpretantes fervida tantum colloquia in eo deprehendunt, quibus sponsus quidam, quem plerique Salomonem vel esse vel fingi dicunt, eiusque sponsa, quam aut filiam Pharaonis aut Abisai Sunamitidem aut nescio quam puellam esse censent, tenerrimum suum amorem exprimunt; pro mero igitur carmine erotico vel epithalamio Canticum habent. Praeter antiquos rabbinos quosdam hanc sententiam tenuit Theodorus Mopsuest., hanc ob causam a Concilio V. (Const. II.) damnatus, tenentque moderni rationalistae. Non satis ab ea recedere videntur illi, qui aut cum Honorio Augustodun. nonnullisque interpretibus catholicis (Bossuet., Calmet. etc.) proprio quidem sensu de Salomonis filiaeque Pharaonis mutuis amoribus, typice autem de Christi Ecclesiaeque unione agi arbitrantur, aut cum modernis nonnullis (maxime acatholicis : Delitzsch, Zoeckler etc.) matrimonii mysterium velut typum coniunctionis Christi et Ecclesiae celebrari censent. Tertia demum sententia omnem proprium sensum Cantici plane reiicit illudque meram allegoriam esse tenet. In hac sententia omnes antiquos rabbinos consentire asserit Aben Esra, atque in eadem consenserunt omnes antiqui Ecclesiae Patres, ad quorum consensum iam provocavit Theodoretus, eosque secuti sunt tantum non omnes iuniores interpretes catholici. Neque id mirum; etenim *Concilii V. Patres* his verbis damnarunt Theodori Mopsuest. opinionem : « Despernit idem Theodorus Canticum Cant. et sicut ad amatam haec Salomonem scripsisse dicit, infanda Christianorum auribus de eo exponens »; quae verba ita sunt comparata, ut illos quoque, qui cum proprio typicum sensum coniungunt, configere videantur; nam etiam illi Salomonem haec de sua amata dixisse tenent. Quapropter *sola* metaphorica explicatio catholico interpreti esse licita videtur.

Ac profecto qui solum sensum proprium admittunt, numquam Cantici receptionem in canonem explicabunt; quomodo enim carmini profano et erotico locus inter sacras Scripturas attribui potest? At alii quoque, qui proprio typicum sensum adiungunt, quam plurima admittere coguntur, quae inter se pugnant et a Iudaeorum Orientaliumque moribus abhorrent. Pharaonis filia, seu quaecumque Salomonis sponsa fingitur, nunc in gynecaeo regio se a rege amari gloriatur, nunc cum sponso in agro greges pascit (1,3. 6. 7), nunc noctu urbis plateas perlustrat, custodes de dilecto interrogat, ab iis verberatur (3,1 sqq.; 5,1 sqq.) etc. Ut ab his difficultatibus sese expedirent, moderni rationalistae alia systemata excogitaverunt, quae in eo fere conveniunt, quod Salomonem et pastorem aliquem eandem sponsam adamare sibique expetere statuant, in aliis omnibus dissentiunt, quum suum quisque ingenium secutus alia et alia supponant, quae ne verbulo quidem in textu sunt indicata, novasque pro libitu fabulae suae romanensis personas fingant. Sed ne his quidem arbitrariis hypothesibus omnes difficultates effugiunt, quare aliqui eo pervenerunt, ut omnia aut nonnulla saltem in somnio agi et dici assererent. Nescio annon de omnibus modernis quoque, qui proprium aliquem sensum admittunt atque historiam veram (aut fictam) in Cantico narrari tenent, severa Theodoreti verba valeant : « Fabulas ne aniculis quidem delirantibus dignas contexunt, qui

Salomonem sapientem de se ipso, Pharaonisque filia haec scripsisse dicunt, aut pro Pharaonis filia Abisai Sunamitidem fingunt » (In Cant. Prol.).

3. — Cum SS. Patribus igitur et omnibus fere catholicis interpretibus admittendum est *argumentum Cantici* esse mysticam Christi et Ecclesiae unionem. Neque tamen quidquam obstat, quominus sensu literali (sed metaphorico) Salomon Dei et populi electi unionem mutuosque amores ita cecinisse dicatur, ut unio, qua Iahve sibi populum Israel coniunxit, sit umbra et typus perfectioris illius et arctioris unionis, qua Christus Ecclesiam sibi desponsavit.

Frequentissime in integro V. T. unio, quam Iahve cum populo Israel iniit, per allegoriam matrimonii exhibetur (*Is.* 54,5; 62,5 etc.; *Ierem.* 2,2; 3,1 sqq. etc.; *Ezech.* 16. 23. etc.; *Os.* 1. 2. 3. etc.) atque eadem allegoria supponitur, ubicumque idololatria cum fornicatione comparatur (*Exod.* 34,35. 16; *Levit.* 20,5. 6 etc.). Eandem quoque ad Christi et Ecclesiae unionem intimam innuendam adhibuerunt Apostoli (*Eph.*5,23 sqq.; 2 *Cor.* 11,2; *Apoc.* 19,7 etc.) Dominum secuti, qui ipse sese appellaverat sponsum, hoc nomine a S. Ioanne B. erat appellatus nuptiarumque imagine in suis parabolis frequenter erat usus (*Matth.* 9,15; *Ioan.* 3,29; *Matth.* 22,1 sqq.; 25,1 sqq.). Iam eandem antiqua synagoga et Ecclesia in Cantico agnoverunt. Atque synagoga quidem mutuos Dei et populi electi amores describi censuit, ut tota paraphrasis chaldaica Cantici sit continua descriptio relationis, quae inde ab exitu ex Aegypto inter Iahve interque filios Israel intercessit. Patres vero omnes Canticum de mystica Christi et Ecclesiae unione interpretati sunt « Christum intelligentes sponsum, Ecclesiam sponsam sine macula et ruga » (*Orig.* In Cant. hom. 1). Quae duae explicationes sese non excludunt sed complent, siquidem Ecclesia est antiquae synagogae perfectior continuatio, et integrum Vetus Test. cum omnibus suis privilegiis est imperfectus typus novae oeconomiae gratiae. Ceterum animadverte, non tantum in genere relationem inter Deum et filios Israel, inter Christum et Ecclesiam imagine relationis sponsi et sponsae a sacris scriptoribus esse descriptam, sed speciale argumentum Cantici iam in Psalmo 44. (45.), qui Salomone est antiquior, ita esse tractatum, ut Patres eum velut clavem habuerint, quae reserandis Cantici mysteriis inserviret (cfr *Theodoret.* l. c.).

Secundario quodam modo etiam de unione Domini cum quavis sancta anima ac praesertim cum Beatissima eius matre Canticum intelligi potest; inde enim ab Origenis aetate hanc quoque explicationem Patres excoluerunt.

Recte enim *S. Bernardus* (in Cant. hom. 12,1) : « Nemo nostrum sibi arrogare praesumat, ut animam suam quis audeat sponsam Domini appellare; *quia tamen de Ecclesia sumus, quae merito hoc nomine et re nominis gloriatur, non immerito gloriae huius participium usurpamus.* Quod enim sicut omnes plene integreque possidemus, hoc singuli sine contradictione participamus ». Unicum et adaequatum Cantici argumentum est unio Iahve et filiorum Israel velut typus mysticae Christi et Ecclesiae unionis; at haec ipsa Christi et Ecclesiae coniunctio *fundamentum* est et *imago* unionis Christi cum quavis anima iusta atque maxime cum sanctissima et purissima eius matre. Verum igitur ac solidum adest fundamentum, quo nixi Canticum unioni Christi cum anima iusta *accommodare*

possumus; immo haec explicatio ad *sensum consequentem* rectius, quam ad accommodationem trahitur.

In hac allegorica autem Cantici explicatione diligenter attendatur oportet ad regulas, quas poetae in allegoriis suis excolendis et perpoliendis sequi solent. Cavendum igitur est, ne omnia sponsi et sponsae verba velut directe et immediate a Christo et Ecclesia vel B. Virgine etc. dicta existimentur, neve omnes omnino imagines similitudinesque urgeantur omnibusque phrasibus vocabulisque mysteria abscondi putentur.

« Notanda, inquit *del Rio*, est regula verissima, non quaecumque in parabola commemorantur, ea ad historicum vel allegoricum sensum pertinere, sed ornatus dumtaxat gratia, non ut membra sed ut emblemata, non quia necessaria sed quia sic fieri solita, inseri solere... Nec semper personae personis nec partes partibus per omnia scrupulose sunt conferendae, sed totum negotium toti negotio comparandum et totum sententiae corpus intuendum, et integrum ex integra parabola tractandum ». Nullo igitur modo putandum est, Salomonem et Sulamitidem non esse nisi alia nomina adhibita pro Iahve et synagoga, Christo et Ecclesia; sed humani illi affectus, quos sponsus et sponsa exprimunt, imperfecte altiores et sublimiores Christi et Ecclesiae affectus repraesentant, atque in externae illius pulchritudinis descriptionibus ad singula et minuta quoque descendit oratio, ut clarior reddatur eius imago, atque interna et spiritualis pulchritudo, quam significare vult auctor, perfectius exprimatur. Quare otiosum, quin etiam periculis plenum est, in singulis sententiis descriptionibusque mysteria quaerere.

4. — Quamquam inter catholicos interpretes de universo argumento convenit, multum tamen in eo accuratius definiendo et in libri forma determinanda inter se dissentiunt; hinc etiam magnus inter eos dissensus in *Cantici divisione* indicanda, quippe quae a formae et argumenti descriptione dependeat.

Quoniam continuis sponsi sponsaeque colloquiis argumentum explicatur, « dramatis in modum » librum esse scriptum recte dixit *Origenes* (In Cant. hom. 1.); minus recte autem moderni multi iustum drama illud esse putaverunt, siquidem nihil in eo reperitur, quod fabulae dramaticae simile sit. Quare etiam omnes eorum conatus, qui illud in actus scenasque distribuerunt, vanos esse, summus eorum dissensus ostendit; nam pro suo quisque ingenio fabulam aliquam sibi fingunt et pro suo arbitrio personarum agentium, actuum, scenarum numerum stabiliunt. Externa igitur forma fundamentum divisionis non praeberi, plerique consentiunt; qui autem divisionis rationem ex argumento desumserunt, etiam in diversissimas abeunt sententias, quia diversimode illud definiverunt. Ex. gr. *S. Thomas* tres distinguit partes, quia de Ecclesiae incipientis (1,1-3,6), progredientis (3,7-6,9), ad perfectionem suam pervenientis (6,10-8,13) unione cum Christo agere censet; *Nic. Lyranus* duas tantum partes statuit : de amore Dei erga populum Israel (1,1-6,12) et de amore Dei erga Ecclesiam (7,1-8,13); *Cornelius a Lap.* quinque partes agnoscit pro quinque, quos distinguit, statibus Ecclesiae; alii alio modo.

§ 17. — *De Cantici origine et auctoritate.*

1. — *Salomoni auctori* Canticum inscriptio atque synagogae Ecclesiaeque certa traditio attribuit; duplex autem hoc testimonium indole libri non infirmatur, sed confirmatur.

Inscriptione carere non potuit libellus, quare eam ab ipso auctore profectam esse certum est. Hinc etiam factum est, ut antiqui interpretes ad unum omnes, ne illis quidem exceptis qui divinitatem libri aut addubitabant aut negabant, Salomonem esse Cantici auctorem professi sunt. Revera salomonicam aetatem libri arguunt res salomonicae, quae velut cognitae supponuntur aut velut praesentes describuntur (1,5. 9; 3,7 sqq.; 4,4 etc.); Salomonem ipsum auctorem produnt singularis rerum naturalium scientia, quae in pulcherrimis similitudinibus apparet, affinitas non levis in multis Proverbiorum et Cantici versibus, accurata totius terrae palaestinensis cognitio etc.

Pro more quidem traditam sententiam moderni interpretes linguae indole impugnant, quae recentiorem aetatem indicet; sed hoc argumento nihil effici saepius iam diximus; quin etiam contra Cantici originem salomonicam ineptius profertur, quia praeter relativum שֶׁ, quod in antiquissimis libris iam reperitur (*Gen.* 6,3; 49,10; *Iudic.* 5,7 etc.), sex septemve tantum vocabula vel formae in toto libello leguntur, quae a consueto hebraismo dissentiunt; totidem autem etiam in breviore carmine Debborae (*Iudic.* 5.) habentur, quod hucusque nemo Iudicum aetate compositum esse negavit. Morosos autem se exhibuerunt, qui ob parsismum (פַּרְדֵּס, paradisus, *pairidaeza* 4,13) et graecismum (אַפִּרְיוֹן, φορεῖον, ferculum 3,9) macedonico tempori libellum attribuere voluerunt, quia non inquisiverunt, annon vocabula illa radicem semiticam haberent aut cum rebus ipsis ex aliis terris in Palaestinam advenissent. — Praeterea aliqui obiiciunt, *Thersam* (6,4 *hebr.*; Alex. et Vulg. nomen proprium non retinuerunt) ante Ierusalem nominari ac proin velut regiam civitatem considerari, licet non nisi post regni scissionem sedes regum Israel facta sit. At duas illas civitates non ob dignitatem, sed ob amoenitatem suam nominari, clarum est; Thersa autem iam Iosuae aetate exstitit (*Ios.* 12,24). — Quod si demum aliqui monent, Salomonem se suamque sponsam risui despectuique expositurum fuisse, si ipse ea ratione, qua in libro fit, de mutuis suis amoribus locutus esset, id verissimum esse concedimus; at nec de Salomone in Cantico agitur nec de una ex eius uxoribus nec de Salomonis amoribus etc.; nobiscum allegorice explicent Canticum atque difficultas evanescet.

2. — *Divina Cantici inspiratio* traditione synagogae et Ecclesiae extra dubitationem ponitur.

Numquam quidem in Novo Test. Canticum allegatur nec ab apostolicis Patribus videtur esse adhibitum; at Iudaeos illud semper in canone suo habuisse constat, et nullus quoque reperitur christianus catalogus librorum sacrorum, in quo desit. Ad Patrum autem traditionem contra Theodorum Mopsuest. iam provocavit *Theodoretus* (In Cant. Prol.) libri canonicitatem et allegoricam interpretationem, quae intimo vinculo connexae sunt, simul defendens. « Beati Patres, inquit, Canticum in sacrarum Scripturarum numerum retulerunt; quin etiam multi ex veteribus

illud commentariis et interpretationibus illustrarunt, et qui illud integrum ex ordine non sunt interpretati, eius tamen sententiis libros suos decorarunt. Neque soli *Eusebius Palaest.* et *Origenes Aegypt.* et *Cyprianus Carth.* et *his antiquiores Apostolisque propinquiores,* sed etiam ii, qui postea in ecclesiis eminuerunt, magnus ille *Basilius*... et uterque *Gregorius* (*Nyss.* et *Nazianz.*)... et *Diodorus* (*Tars.*) et *Ioannes* (*Chrys.*)... et ut uno verbo dicam, *omnes* cum illis librum hunc *spiritualem* (πνευματικόν i. e. allegorice explicandum) esse dixerunt ».

Ad impugnandam autem libri divinitatem aliud argumentum adversarii non habent, nisi erroneam suam explicationem, qua Canticum de impuris Salomonis amoribus agere definiunt. Quod si aliqui addunt, ne semel quidem Dei nomen in toto libro inveniri, respondemus, ex maiore minoreve divinorum nominum frequentia divinitatem libri alicuius non dependere, atque sensu allegorico admisso Dei continuam fieri mentionem.

§ 18. — *De praecipuis commentariis catholicis in libros Salomonicos.*

I. Interpretatio SS. Patrum. — 1. Proverbia. — Sola fragmenta ex catenis collecta supersunt commentariorum *graecorum Origenis, S. Hippolyti, Didymi Alex., Olympiodori,* quibus accedunt *S. Basilii M.* Homilia in princip. Proverb. et *Procopii Gaz.* Commentarius.

Latinorum Patrum haud plura nobis remanent : *S. Augustini* Sermones 35.-37. de muliere forti; *S. Salonii Vienn.* Expositio mystica (sed ieiuna) in Parabolas Salomonis; S. *Gregorii M.* explicationes nonnullas collegit *S. Paterius* (de Testimoniis in Prov.); *Ven. Bedae* libellus de muliere forti, et fragm. in Prov.; *Rhabani Mauri* Super Parabolas Salomonis allegorica expositio, quae interdum Ven. Bedae erronee attribuitur, quamque excerpsit *Walafr. Strabo* (Glossa ordin.)

2. Ecclesiastes. — *Graeci* Patres : *S. Dionysii Alex.* Commentarius brevis in principium (i. e. in difficiliores versus cpp. 1.-3.) Ecclesiastae; S. *Gregorii Neocaes.* Metaphrasis in Ecclesiasten; S. *Gregorii Nyss.* « Accurata expositio in Eccle. » (i. e. octo homiliae in tria priora capita.); *Olympiodori* Commentarius in Eccle.; *Oecumenii* (?) Catena graecorum Patrum in Eccle. (Veronae 1552.),

Latini : S. Hieronymi Comment. in Eccle. (optimus); *S. Salonii Vien.* Expositio mystica in Eccle. (paucos textus); *Alcuini* Comment. in Eccle.; a S. Hieronymo et Alcuino dependet *Wal. Strabonis* Glossa ordin.

3. Canticum Canticorum. — *Graeci* Patres : *Origenis,* qui teste S. Hieronymo « quum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico ipse se vicit » et ter Canticum explicavit, supersunt Scholiorum fragmenta, duae homiliae (in 1,1-2,15) a S. Hieronymo latine redditae, et Commentariorum prologus primique quatuor libri (in 1,1-2,15) a Rufino latine redditi; *S. Gregorii Nyss.* Commentarius in Cant. (vel potius quindecim homiliae in 1,1-6, 8.); Theodoreti Explanatio Cantici; *Philonis Carpathii* (Ps. Epiphanii) Comment.; *Procopii Gaz.* Comment. (vel potius Catena ex Origenis, Greg. Nyss., Cyr. Alex., Phil. Carp., Nili etc. operibus contexta).

Latini Patres : Ex *S. Ambrosii* operibus Comment. in Cant. composuit *Gulielmus* S. Theoderici Abbas atque ex S. *Gregorii M.* operibus testimonia collegit *S. Paterius*, commentarios autem *Claudius*, S. Gregorii alter discipulus et *Gulielmus* S. Theoder. abb.; S. *Justi Urgell.* In Canticum explicatio mystica; *Ps. Cassiodori*

(forte *Haymonis Halberst.*) Expositio; VEN. BEDAE Allegorica Expositio, a qua dependent *Alcuini* Compendium, *Angelomi* Enarrationes, *Wal. Strabonis* Glossa.

II. MEDIAE AETATIS INTERPRETATIO. — 1. PROVERBIA. — *Brunonis Ast.* Expositio de muliere forti; *Honorii Augustod.* Quaestiones et responsiones in Prov.; *B. Alberti M.* de Muliere forti (Opp. ed. Iammy); *Roberti Holcoth* O. Praed. Comment. in Prov. (Parisiis 1510. et saepius), quibus addantur oportet *Card. Hugonis* et *Nic. Lyrani* Postillae et *Dionysii Carth.* Enarrationes.

2. ECCLESIASTES. — *Ruperti Tuit.* Comment. in Eccle.; *Honorii Augustodun.* Quaestiones et responsiones in Eccle.; *Hugonis a S. Vict.* In Eccle. homiliae undeviginti; S. BONAVENTURAE Expositio in l. Eccle. (Opp. Romae 1586. I. p. 309 sqq.); praeterea *Card. Hugo*, *Lyranus*, *Dionysius Carth.*

3. CANTICUM CANTIC. — *Anselmi Laudun.* Enarrationes; *Brunonis Ast.* Expositio; *Ruperti Tuit.* In Cantic. de incarnatione Domini libri septem; *Honorii Augustod.* Expositio; S. BERNARDI Sermones in Cant. et *Gilberti de Hoylandia* Serm. (in 1,1-5,9., ex quibus dependet *Gulielmi* S. Theoder. abb. In Cantici duo priora capita brevis commentatio); *Wolberonis Abb.* In Cant. libri quatuor; *Richardi a S. Vict.* in Cantic. explicatio: *Thomae Cist.* et *Ioannis Algrini* (ab Abbatisvilla) in Cantic. eruditissimi commentarii; *Philippi de Harveng* Comment. in Cant.; *Alani de Insulis* Compendiosa in Canticum ad laudem Deiparae elucidatio; *S. Thomae Aquin.* in Cantic. Expositio (*altera;* prior, quae in eius operibus editur, spuria est); *Ioan. Gersonis* Tractat. in Cant. (« de Amore seraphico, quo anima erga Deum ardet »); quibus accedunt *Card. Hugo, Lyranus, Dionysius.*

III. RECENTIOR INTERPRETATIO. — *Saeculis* 16.-18. — 1. PROVERBIA. — *Ioan. Arborei* Comm. in Prov. Eccle. Cant. (Parisiis 1533.); RUD. BAYNII Comment. (Parisiis 1555. et saepius); *Corn. Iansenii Gand.* Comment. (Lovanii 1569.; meliores editiones 1586. 1592. etc.); *Hieron. Osorii* Comment. (Antwerpiae 1569.); FERD. QUIR. DE SALAZAR. S. I. Expositio (Parisiis 1621.); *Ant. Agellii*, Cler. Reg. Commentarius (inter opp. Aloysii Novarini. Veronae 1649.); *P. Gorse* S. I. Explicatio compendiaria (Parisiis 1654. gallice); *I. B. Bossuet* Notae in quinque libros sapientiales (Parisiis 1693.); *Vict. Zink* O. Min., Comment. in tres libros salomonicos (Augustae Vindel. 1780.) etc.

2. ECCLESIASTES. — *Ioan. Campensis* Psalmorum et Ecclesiastae paraphrastica interpretatio (Parisiis 1533. et saepe); *Ioan. Feri*, O. Min., Sermones in Eccle. iuxta literam (Moguntiae 1550. et saepe.); *Vinc. Mansi*, O. S. Ben., Paraphrastica expositio (Florentiae 1580.); *Corn. Iansenii Gand.* Commentarius (Antwerpiae 1589.); *Hieron. Osorii.* Comment. et paraphr. in Eccle. et Cant. (Lugduni 1611.); *Franc. Sanchez*, O. S. Ben., Commentarius (Barcinonae 1619.); *Ioan. Lorini* S. I. Comment. (Lugduni 1606.); IOAN. DE PINEDA S. I. Commentarii (Hispali 1619. et saepe); *Ioan. Fernandez*, O. S. Ben., Comment. (Romae 1621.); *Ioan. Tollenaer* S. I. Speculum vanitatis s. Ecclesiastes soluta ligataque oratione dilucidatus (Antwerpiae 1635.); *Ferd. Quir. de Salazar* S. I. Expositio (Lugduni 1651.); *P. Gorse* S. I. Explicatio compendiaria (Parisiis 1653. gall.); *I. Hardouin* S. I. Paraphrase de l'Ecclésiaste (Paris 1729.); *L. de Poix*, O. Cap., L'Ecclésiaste (Paris 1778.), etc. quibus addantur *Bossuet* aliique, qui complures libros simul tractaverunt.

3. CANTICUM CANTIC. — *Fr. Titelmanni*, O. Cap., Comm. in Canticum cum adnotationibus ex Hebr. Chald. Graec. (Antwerpiae 1547. et saepe); G. GENEBRARDI Trium rabbinorum commentarii in Cant. latine versi cum eius comment. (Paris 1570.) et *eiusdem* Canticum versibus iambicis et commentariis explicatum

(Parisiis 1585.); *Dam. Hortulani*, O. S. Aug., in Cant. dilucidissima explanatio etc. (Venetiis 1585.); *Hier. Almonazir*, O. Praed., Comment. (Compluti 1588.); *Lud. Sotomaior* S. I. Interpretatio (Olyssipone 1599.), et *eiusdem* Notae posteriores et breviores (Ibid. 1611.); *Ioan. de Pineda* S. I. Praelectio sacra in Cantic. (Hispali 1602.); *Tucc. Tuccii* Adnotationes (Lugduni 1606.); MICH. GHISLIERII, Cler. Reg., Canticum Salomonis iuxta lectiones Vulg. Hebr. Graec. etc. (Romae 1609. et saepe); *M. A. Del Rio* S. I. Comment. liter. et catena myst. (Lugduni 1611.); *C. Sanctii* S. I. Commentarius (Lugduni 1616.); *Pauli Arresii* de Vero Cantici tum historico tum spirituali sensu (Mediolani 1640.); I. B. BOSSUET Notae etc. (cfr supra); *I. Ansart*, O. S. Ben., Expositio in Canticum (Parisiis 1771.) etc.

HOC NOSTRO SAECULO de omnibus tribus libris egregie disseruit Emin. *G. Meignan* (Salomon, son règne, ses écrits. Paris 1890.); — duos ultimos (Eccle. et Cant.) explicare conatus est *Emm. Veith* (Koheleth u. Hohes Lied; post auctoris mortem edid. Gruscha et Zschokke. Viennae 1878.), accurate explicavit *G. Gietmann* S. I. (Comm. in Eccle. et Cant. Parisiis 1890.); — sola PROVERBIA commentati sunt gallice *H. Lesètre* (Paris 1872.), germanice *Aug. Rohling* (Mainz 1879.); — soli ECCLESIASTAE defendendo vel explicando operam impenderunt *L. v. Essen* (Schaffhausen 1856.), *I. H. Kessel* (Brixen 1870.), *B. Schaefer* (Freiburg 1870.), *A. Vegni* (Firenze 1871.), *Rambouillet* (Paris 1879.), *G. Bickell* (Innsbruck 1882. et 1885.), *S. Euringer* (Leipzig 1890.); — solum CANTICUM CANT. novo modo interpretari voluit *I. L. Hug* (Freiburg 1814. 15.); veteri traditioni in eius explicatione accuratius inhaeserunt *I. H. Kistemaker* (Monasterii 1818.), *A. Schuler* (Würzburg 1858.), *B. Schaefer* (Münster 1876.); *A. Le Hir* et *Grandvaux* (Paris 1883.), *F. S. Tiefenthal*, O. S. Ben. (Kempten 1889.), *Fr. X. Kortleitner* (Oeniponte 1892.), *Salv. Minocchi* (Il. Cantico dei Cantici di Salomone, tradotto e commentato. Firenze 1898.); a traditione magis minusve recesserunt *Petr. Schegg* (Das Hohelied Salomons von der h. Liebe. München 1885.) et *I. Langer* (Luxemburg 1887., qui tamen in 2. edit. Das Hohelied nach seiner myst. Auslegung. Freiburg 1889. ad eam fere revertitur).

CAPUT V.

DE DUOBUS LIBRIS PSEUDOSALOMONICIS.

I. De libro Sapientiae.

§ 19. — *De libri Sapientiae argumento, divisione, fine.*

1. — Nomine *Pseudosalomonicorum librorum* Sapientia et Ecclesiasticus ideo hoc loco designantur, quia Patres et antiqui interpretes eos haud raro libris Salomonis adnumeraverunt, quamvis eos a Salomone conscriptos non esse scirent.

Concilia *Hippon.* (a. 393.) et *Carthag.* (a. 397.) uti etiam *S. Innocentius I.* (Ep. ad. Exsup. Tolos.) in suis Scripturarum catalogis « *quinque* libros Salomonis » recensuerunt, eosque secuti sunt plerique mediae aetatis interpretes. Attamen *S. Augustinus* (Doctr. christ. II. 8), qui duobus illis Conciliis interfuerat, iam monuit, « duos illos libros, qui Sapientia et Ecclesiasticus inscribuntur, de quadam similitudine *Salomonis* dici », atque *S. Hieronymus* (Praef. in libr. Salom.) « Sapientiam Salomonis » vocavit ψευδεπίγραφον Ecclesiasticumque « πανάρετον Iesu filii Sirach librum ». Atque haec eadem repetunt iuniores illi interpretes, licet « *quinque libros Salomonis* » in suis catalogis enumerare pergant.

2. — *Liber Sapientiae* titulo suum argumentum indicat, integer enim de verae sapientiae origine, effectibus, praemiis tractat.

A graecis Patribus, uti supra iam diximus, haud raro ἡ πανάρετος σοφία vel ἡ θεία σοφία, in alexandrina versione Σοφία Σαλομῶντος (*It.* Sapientia Salomonis), in syriaca « Liber magnae Sapientiae Salomonis, filii David » appellatur. Sapientia autem auctori praecipue quidem est *practica* Dei divinaeque voluntatis cognitio, qua homo quid Deo acceptum sit edoctus in operibus suis ita dirigitur, ut amicitiae divinae salutisque aeternae particeps fiat (cfr § 12. 1). Neque tamen speculativam plane negligit, quae res divinas et creatas considerat et ex creatis ad divinas ascendit. Utraque autem, practica et speculativa, ei est participatio increatae sapientiae, qua Deus omnia condidit et gubernat; hinc fit, ut de increata quoque sapientia interdum agat, eam autem describens aliquoties illis utatur expressionibus, quae nisi de sapientia notionali, i. e. de Verbo Dei, intelligantur, apte non explicantur (7,22 sqq.; 9,1 sqq.). « Sapientia » igitur optime appellatur liber, quia de omni fere sapientia agit.

3. — Secundum externam libri formam duae partes apte distinguuntur, quatenus in priore (1,1-6,23) auctor ipse loquitur, in altera (6,24-19,20) Salomonem loquentem introducit.

In PRIORE PARTE (1,1-6,23) *auctor principes ad sectandam iustitiam* (i. e. *sapientiam practicam*) *exhortatur.*

1. Atque praeprimis animi dispositionem describit, quae ad eam accipiendam requiritur (1,2-2,25). — Abstinendum enim est a pravis cogitationibus, sermonibus, operibus (1,2-16); nam peccatores, qui immortalitate negata vitiis sese dedunt iustumque opprimunt, vehementer errant (2,1-25).

2. Comparatis iustorum iniustorumque sortibus commendat sapientiam (3,1-5,24). Iusti, etiamsi ab iniustis affligantur, felices sunt, infelices autem peccatores (3,1-19); felix quoque iustorum mors, etiamsi sit praematura, infelix semper mors peccatorum (4,1-20); iustorum mortuorum demum sors gloriosa, funesta sors impiorum post mortem (5,1-24).

3. Quae quum omnia ad principes maxime pertineant, eos praeprimis ad sapientiam sectandam invitat (6,1-23).

In ALTERA PARTE (6,24-19,20) *Salomon*, qui loquens inducitur, *sapientiae laudes celebrat.*

1. Salomon docet, quomodo ipse sapientiam sit assecutus (6,24-9,19). — Proposito huius partis themate (6,24-27) se eam precibus a Deo impetrasse in genere docet (7,1-14). Deinde eius attributis fructibusque descriptis (7,15-8,1) accuratius explicat, quomodo permotus sit, ut eam a Deo expeteret (8,2-21), precationemque repetit, qua eam impetravit (9,1-19).

2. *Ex historia demonstrat utilitatem sapientiae* (10,1-19,20). — Sapientia enim patriarchas ad felicem finem perduxit (10,1-14) atque iustos adiuvat, id quod constat quum liberatione Israelitarum ex Aegypto miraculisque pro eis in deserto patratis (10,15-11,4), tum poenis Aegyptiorum (11,5-12,2) et Chananaeorum idololatrarum (12,3-27).

Ex idololatriae aegyptiacae et canaaniticae commemoratione auctor occasionem arripit, ut longiore in digressione de origine, natura, stultitia poenisque idololatriae disserat. A stultitia enim cultus elementorum siderumque exorsus (13,1-9) praeprimis in eos invehitur, qui manuum suarum figmenta colere non verentur (14,8-11), ac dein explicata origine cultus imaginis humanae huiusque cultus damnis recensitis (14,12-15,6), idololatrarum insaniam stultitiamque subsannat (15,7-19).

Ad thema demum reversus ostendit, quinam sapientiae atque insipientiae sint fructus, idque comparatione instituta accurata inter Israelitarum sortem et sortem Aegyptiorum plane diversam (16,1-19,20).

4. — Quamvis reges principesque haud semel alloquatur, auctor tamen omnibus suis contribulibus librum destinasse recte dicitur, ut omnes ad sectandam sapientiam exhortaretur atque ab apostasia idololatriaeque periculo averteret.

Longe maior libri pars, quum historiam Israel *accurate* cognitam supponat, a solis Iudaeis potuit intelligi; sed illo tempore, quo liber scriptus est, Iudaeis nec reges nec principes nec iudices terrae erant (1,1; 6,1. 9); quapropter admittamus necesse est, auctorem aut vocabulis istis latiore sensu sumtis omnes designasse, qui auctoritate quacumque in subditas familias etc. pollebant, aut compellationibus illis velut ornatu quodam sermonis esse usum; simili enim modo prophetae quoque in vaticiniis, quae solis Israelitis erant destinata, externas nationes regesque ethnicos frequenter alloquuntur. Contribules igitur omnes ad sapientiae studium exhortatur, cuius fructus praecipue describit, quia tum temporis consolatione in rebus adversis, quibus premebantur, indigebant et apostasiae periculo erant expositi.

§ 20. — *De libri Sapientiae unitate, integritate, origine.*

1. — Libri Sapientiae unitas, quam pauci ob styli diversitatem et idearum dissonantiam impugnaverunt, ipso potius interno idearum nexu atque styli in toto libro similitudine extra prudens dubium ponitur.

Medio saec. 18. *C. F. Houbigant*, Congr. Orat., librum in duas partes scidit, cuius priorem (1.-9), quia simplicitatem hebraicam redoleat parallelismumque poeticum retineat, Salomoni auctori attribuit, alteram (10.-19.) graeco prioris partis interpreti. Ulterius progressi rationalistae ideas quoque inter se dissentire rati librum in duo vel tria opuscula discerpserunt, aut totum opus anthologiam e variis dissertationibus conflatam dixerunt. Attamen stylus levibus non obstantibus differentiis, quae in omni fere libro deprehenduntur, operis unitatem tuetur. Idem enim ubique vere graecus color, quo reliquos libros alexandrinae editionis superat, idem ubique homoeoptotorum et paronomasiarum studium, eaedem voces constructionesque rariores; neque in altera parte parallelismus deest, licet ob argumenti diversitatem rarius adhibeatur[1].

Intimus idearum nexus iam ex conspectu tradito apparet; parum recte autem obiicitur, in priore parte historiam, quae in altera praevaleat, prorsus praetermitti; procul enim dubio licuit auctori sapientiam, quam « ratiocinando » commendaverat, « exemplificando » celebrare. Neque rectius monetur, in priore parte atheismum et religionis contemtum (2,1 sqq.), in altera idololatriam (14,12) fontem vitiorum dici, aut in priore virtutem, in altera scientiam Dei appellari radicem immortalitatis (1,12; 15,5), in priore sapientiam continuo commendari, in altera semel tantum (14,4) nominari. Etenim atheismus et idololatria, quum verum Deum negent, sapientiae opponuntur et vitiorum fontes sunt; sapientiam autem practicam a speculativa nusquam separat auctor, atque utraque, etsi non nominetur, totius argumentationis in altera parte est fundamentum.

2. — Levibus admodum argumentis a nonnullis *integritas libri* impugnatur; neque enim genuinus eius titulus deperditus est, nec apta eius clausula desideratur, nec a Christianis ulla ei inserta est interpolatio.

Houbigant genuinum titulum periisse censet, quia operi prophetico nomen auctoris praefigi debuerit. At liber Sapientiae, etsi 2,1 sqq. a Patribus velut vaticinium explicetur, proprio sensu propheticus non est, sicut propheticis non adnumerantur libri historici, in quibus vaticinia interdum referuntur. Ceterum auctor ex salomonicis libris pleraque hausisse recte dicitur (*infra* 4) ac proin titulo, quem alexandrina editio antiquioresque versiones retinent (*Sapientia Salomonis*) originem vaticinii manifestavit.

Clausulam libro deesse coniecit *A. Calmet*, qui tres modos proponit, quibus

(1) Paucis exemplis asserta confirmamus. *Parallelismum poeticum* in altera parte : 11,2-4. 11. 13. 22-25; 12,12. 18; 13,1. 3 sq. 18 sq.; 14,2,12; 15,11 etc. — *Homoioptota* et *paronomasiae* : 11,1. 2 εὐώδωσε — διώδευσαν, 11,12 ἀπόντες δὲ καὶ παρόντες, 12,5 ἐκ μέσου μυσταγωγείας σου, 12,12 ἔκδικος κατὰ ἀδίκων, 12,15 δίκαιος — δικαίως — καταδικάσαι, 12,25 sq. παισίν — ἐμπαιγμόν — παιγνίοις etc. — Eadem *vocabula rariora*, quae in priore parte : παντοδύναμος, κακότεχνος, ἀπότομος, γενέσεις (*genera*), συγγνωστός, παροδεύειν, καταδυναστεύειν etc.

opus apte terminari posse putat; quartum modum alii proponunt; sed quintum elegit ipse auctor ultimo versu summam quasi proponens totius historiae israeliticae, quippe quae integra sit commendatio sapientiae.

Interpolationes christianae inveniuntur in 2,24; 3,13; 4,1. 7; 14,7; at doctrinae illis in locis propositae procul dubio a Christianis admittuntur, a iudaico autem scriptore inspirato tradi potuerunt. Diaboli invidiam mortem in mundum invexisse (2,24), iam constat ex *Gen.* 3.; castitas, de qua proxime agunt 3,13 et 4,1, etiam Iudaeis erat observanda; iustum, etiamsi morte praematura abripiatur, requiem esse inventurum (4,7), profecto Iudaei non negant; et cur Iudaeus benedictam vocare non potuit arcam, qua iustus Deus pium Noe familiamque eius servavit (14,7)?

3. — *Graecum* esse primigenium libri Sapientiae textum, recte iam asseruit *S. Hieronymus* et tenent tantum non omnes interpretes.

« Liber, qui Sapientia Salomonis inscribitur, apud Hebraeos nusquam est, quin et ipse stylus graecam eloquentiam redolet ». Quibus verbis S. Hieronymus (Prol. in ll. Salom.) duo graecae originis argumenta innuit. Etenim liber noster, si secundum paucorum sententiam hebraice a Salomone ipso esset conscriptus, in canone palaestinensium Iudaeorum non deesset; gravius autem alterum est argumentum ex operis lingua styloque desumtum. Frequentissimae enim leguntur paronomasiae, homoeoptota aliaeque verborum figurae, quae nec fortuito exoriri nec ab interprete, nisi textum arbitrario modo reddere voluit, studiose inseri potuerunt[2]; multa quoque inveniuntur vocabula composita, quae hebraice vix reddi possunt, aliaque quae Graecorum doctrinas cognitas supponunt[3]; ipsa demum constructionis ratio diversa est ab ea, quam alexandrini interpretes tenere solent; licet enim frequentiores sint simplices enuntiationes, non desunt tamen verborum comprehensiones artificiosae constructionesque vere graecae[4]. Quomodo autem pauci, qui inveniuntur, hebraismi explicandi sint, ex dicendis elucebit.

4. — Probabilior sententia tenet, *libri auctorem* esse Iudaeum alexandrinum, qui in illo scribendo scripta salomonica hodie deperdita adhibuit ideoque Salomonem loquentem introducere potuit.

S. Hieronymus (Prol. gal.) refert, nonnullos Philoni Iudaeo attribuisse librum nostrum; quae sententia multis placuit mediae aetatis interpretibus non attendentibus librum a Novi Test. scriptoribus iam adhibitum Philone esse antiquiorem; Philo senior autem, cui cum Bellarmino et Huetio aliqui librum adscripserunt, ethnicus fuit (*Fl. Ioseph.* c. App. I. 23).

Pervulgata olim erat sententia, Salomonem librum scripsisse eamque non spernendis argumentis tuentur aliqui moderni; provocant enim ad antiquum libri titulum (*Sapientia Salomonis*), qui fide sit dignus, ad Patrum auctoritatem, qui

(2) Supra n. 1. aliqua exempla ex altera parte desumsimus; frequentiora sunt in priore: 1,1 ἀγαπήσατε — φρονήσατε — ἐν ἀγαθότητι καὶ ἐν ἁπλότητι — ζητήσατε, 1,2 πειράζουσιν — ἀπιστοῦσιν, 1,4 ὅτι οὖς — καὶ θροῦς etc. etc.

(3) Cfr n. 1. quibus adde 1,4 κακότεχνος, 1,6 φιλάνθρωπος, 2,2 αὐτοσχεδίως, 2.10 πολυχρόνιος (11,9 ὀλιγοχρόνιος), 2,19 ἀνεξικακία,3,9 ὁλοκάρπωμα etc. — 1,14 ᾅδου βασίλειον, 19, 20 ἀμβροσία τροφή. 4,2 ἀγῶνα νικᾶν vel βραβεύειν (10,12), 4,2 πομπεύειν, 4,3 στεφανοφόρειν etc. — Cfr etiam 7,22; 11,17; 14,3 etc.

(4) Cfr 1,16; 2,2. 3; 5,10; 8,5-9; 11,7-9; 12,3-8 etc.

opus sub Salomonis nomine allegent, ad operis ipsius indolem, in quo non tantum auctor se Salomonem esse indicet (7,1 sqq.; 8,14 sqq.; 9,1 sqq.), sed idem quoque argumentum simili modo, quo in aliis salomonicis libris, tractetur atque ex antiquiore tantum historia israelitica, ut fructus sapientiae celebrentur, exempla desumantur. Attamen huic sententiae duo eaque gravissima obstant; primitivus enim libri textus est graecus atque res ideaeque salomonica aetate recentiores commemorantur aut supponuntur.

Itaque cum multis antiquioribus et nonnullis modernis interpretibus mediam quasi viam tenere malumus inter illos, qui Salomonem auctorem dicunt, et inter illos, qui librum nullo pacto ad eum pertinere contendunt; hac enim ratione utriusque sententiae argumentis vim, quae eis competit, omnino relinquimus et utriusque incommoda evitamus. Remanet enim auctoritas tituli, qui argumentum potius quam formam libri respicit (*Sapientia* Salomonis aliud est, aliud *Canticum* Salomonis); remanet Patrum auctoritas, qui, quum plerique *tres* Salomonis libros *enumerent*, librum nostrum sub Salomonis nomine allegantes ei ideas tantum et sententias deberi innuunt; remanent rationes ex libri indole desumtae, quatenus auctorem scriptis salomonicis usum esse demonstrant. Ex hoc enim usu sufficienter hebraismi et parallelismus explicantur atque sufficiens ratio datur, cur Salomon loquens introducatur et historica exempla ex sola antiqua historia desumta sint. At alterius quoque sententiae argumenta vim suam retinent; graecus enim libri color allusionesque ad res Salomone recentiores auctori, alexandrino Iudaeo, debentur.

5. — Exeunte autem saec. 3., quando Ptolemaeus IV. Philopator (222.-205.) Iudaeos aegyptios persequebatur idololatriamque inter eos promovere studebat, liber Sapientiae scriptus esse videtur.

Auctorem Alexandro M. esse recentiorem et in Aegypto vixisse, omnes interpretes consentiunt; atque id quoque inter omnes constat, eo tempore, quo scriptus est liber, Iudaeos aegyptios duris persecutionibus oppressos esse. Inter reges Ptolemaeos autem duo Iudaeis maxime erant infesti, Philopator eiusque nepos Physcon (170. vel 145. — 117.); prioris igitur aut alterius regno plerique librum recte attribuunt. At Physcon avi crudelitatem quidem, sed non superstitionem aemulabatur; ideo prioris aetati liber rectius attribui videtur, qui cum epicuraeismo etiam idololatricam superstitionem fortissime impugnat, atque poenis, quibus olim Aegyptii oppressores et Chananaei idololatrae puniti sunt, Iudaeos oppressos et tentatos consolari et exhortari studet.

§ 21. — *De libri Sapientiae divina auctoritate.*

1. — Inter deuterocanonicos V. T. libros alius non est, quem libro Sapientiae frequentius Apostoli et integra antiqua Ecclesia pro auctoritate adhibuerint, cuius proinde divina inspiratio et canonicitas pluribus et certioribus testimoniis demonstretur.

Novi Test. scriptores librum Sapientiae diserte quidem non allegant, eum vero toties legerunt, ut etiam non attendentibus sententiae et phrases eius occurrerent, quibus suas ideas exprimerent. Quam plurimas eiusmodi allusiones inveniri nemo negaverit, sed inter illas nonnullae quoque sunt, quibus Apostolos Sapientiae

verba lectoribus in memoriam revocare voluisse tantum non est certum (cfr praesertim *Rom.* 1,20-32, qui versus sunt quasi compendium *Sap.* 13.-16.; *Rom.* 9,21 sq. et *Sap.* 15,7; *Rom.* 9,22 et *Sap.* 12,20; *Rom.* 11,32 et *Sap.* 11,24; 1 *Cor.* 6,2 et *Sap.* 3,8; 2 *Cor.* 5,4 et *Sap.* 9,15; *Eph.* 6,13 sqq. et *Sap.* 5,18 sqq.; *Iac.* 3,17 sqq. et *Sap.* 7,21 sqq.; 1 *Petr.* 1,6. 7 et *Sap.* 3,5 sqq.; *Hebr.* 1,3 et *Sap.* 7,26 etc. etc.). — Multo plura autem et clariora sunt Patrum antiquissimorum testimonia; S. Augustinus contra Massilienses iam monuit, « *temporibus proximis Apostolorum* egregios tractatores librum Sapientiae adhibentes nihil se adhibere nisi *divinum testimonium* credidisse » (de Praed. Sanct. 1,14). Revera in Occidente libro nostro velut divino usi sunt *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 27. 60. 61; 2 Cor. 17 etc.), auctor *Fragm. Murat.* (l. 69. 70.), *S. Irenaeus* (c. haer. IV. 38; V. 2; cfr *Euseb.* H. E. V. 26), *S. Hippolytus* (c. Iud. 9), *Tertullianus* (c. Marc. III. 32; c. Valent. 2 etc.), *S. Cyprianus* (de Hab. virg. 10; de Mortal. 25 etc.), *Lactantius* (de Instit. IV. 16), *S. Hilarius* (de Trin. I. 7; in Ps. 41,12 etc.), ut iuniores omittamus. In Oriente autem : *Doctrina duod. Apost.* (5. cfr 2. 3. 6), *Clemens Alex.* (Strom. IV. 16; VI. 11 etc.), *Origenes* (c. Cels. III. 27; in Exod. hom. 6,1; in Levit. hom. 5,2; in Rom. VII. 13 etc.), *Theognostus Alex.* (Fragm.), *S. Methodius* (Conviv. virg. 1,3; 2,7 etc.), *S. Athanasius* (in Arian. or. 2,32; ad Serap. ep. 1,26; in Ep. fest. 11,5; 19,5 etc.), *Eusebius Caes.* (Praep. Evang. I. 9; XI. 14 etc.), *S. Epiphanius* (Haer. 26,15; Ancor. 2. 12 etc.), *S. Basilius M.* (c. Eunom. 5; Ep. 8,10 etc.) aliique recentiores omnes.

2. — Mirum profecto est, quod libri a tot Patribus pro divino adhibiti divinitas non tantum ab catholicis omnibus negetur, sed ab haud paucis etiam acerrime impugnetur. Etenim si quis modernis quibusdam « apocryphorum » adversariis crederet, librum Sapientiae diceret errorum platonicorum, stoicorum, alexandrinorum farraginem doctrinis fabellisque rabbinicis permixtam. Quae gravis accusatio erroneas aut malevolas aliquorum textuum interpretationes pro unico fundamento habet

Omittimus ridiculam accusationem, quod auctor noster illas quoque doctrinas, quae satis clare iam in antiquioribus libris sunt revelatae, a philosophis graecis didicerit, ut graviores obiectiones paucis verbis explicemus.

a.) Creationem ex nihilo liber Sapientiae negare dicitur, quoniam materiam aeternam cum Platone statuat, ex qua Deus mundum formaverit (11,18). At isto in loco auctor de creatione secunda, i. e. de formatione mundi agit; disertis enim verbis habet : ἔκτισε εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα (1,14), ergo etiam illam ὕλην ἄμορφον (11,18), ex qua formavit mundum; expressione igitur sua illum rerum statum designat, qui post primum creationis actum exstitit (תֹּהוּ וָבֹהוּ *Gen.* 1,1).

b.) Cum Platone praeexsistentiam animorum diserte docuisse (8,19. 20) et tacite supposuisse (7,1) asseritur. Quod ad alterum textum attinet, tantum abest, ut verba (ἐγλύφην σάρξ, *figuratus sum caro* 7,1) Platonismo faveant, ut a platonicis, qui substantialem animi et corporis unionem negabant, scribi non potuerint. Ex prioris autem textus orthodoxis explicationibus, quae in medium allatae sunt, eam adscribere sufficit, quae probabilior et accuratior esse videtur : « *Corpus pulchrum* (παῖς εὐφυὴς ἦμην) *et animam bonam sortitus sum* (ἔλαχον); *vel potius* (μᾶλλον δέ, scilicet ne *casui* hanc pulchri corporis et bonae animae coniunctionem attribuere videatur, accuratius exprimit sententiam suam) *quia anima bona erat,*

ideo etiam corpus, quod naturali illius bonitati convenit, cum ea coniunctum est »; « significat, inquit *Iansenius Gand.* (i. h. l.), animae bonitatem, quam ex Dei munere habuit, fuisse causam munditiei corporis, minime vero corporis dotibus bonitatem animae esse paratam, et animae bonitatem praecessisse, non secutam esse »; praecessit autem non temporis, sed naturae prioritate. Auctor igitur de praestabilita harmonia corpus inter et animam loquitur nec ullo modo platonicam praeexsistentiam animae docet.

c.) Cum Neoplatonicis docere dicitur, corpus materiale esse peccati causam (1,4; 8,20; 9,15). Sed in primo textu obiecto (1,4) utrique parti peccatum attribuitur, quia etiam corpus peccatis carnis inquinatur atque haec peccata quam maxime impediunt veritatis inquisitionem. Porro « corpus incoinquinatum » (8,20) certe est expressio, quae adhiberi non potest, si « in corpore, utpote in materiae parte, causa peccati » esse asseritur. Demum verba « corpus corruptibile aggravat animam » (9,15) alio modo intelligenda non sunt, quam similia verba S. Pauli (*Rom.* 7,8. 23; 2 *Cor.* 5,2 etc.)[1].

d.) Emanatismi accusatur auctor Sapientiae, quoniam sapientia ab eo vocetur ἀτμὶς τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης (7,25); atque etiam aliis in locis extensionem Dei doceat (1,7; 8,1; 7,24). Sed ultimi hi textus, qui simpliciter omnipraesentiam divinam exprimunt, non magis favent emanatismo, quam sexcentae similes aliorum librorum expressiones (*Ier.* 23,24; *Act.* 17,28 sq. etc.). In primo autem, qui unanimi fere Patrum et antiquiorum interpretum consensu de Sapientia notionali intelligendus est, vocabula ἀτμὶς et ἀπόῤῥοια eodem sensu sunt adhibita, quo in sequente ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, quae *S. Paulus* Verbo divino applicat (*Hebr.* 1,3).

e.) Adulterorum liberos absolute damnasse (3,18) dicitur auctor; sed illos solos damnari, qui parentum peccata imitantur, omnes antiqui interpretes iam viderunt (cfr *S. Gregor. M.* Moral. XV. 51). Nonne auctor docet, Deum amore suo *omnia* complecti *omniumque* misereri (11,24 sq.)?

f.) Auctorem euhemeristico modo originem *polytheismi* a cultu mortuorum derivare (14,15), iam obiecerat Calvinus et obiiciunt moderni, non videntes de *polytheismi* origine, quae iam explicata erat (13,1 sqq.), ibi non fieri sermonem, nec completam doctrinam de *idolorum* origine ibi tradi, sed exemplis nonnullis illustrari.

g.) Ultima in parte historica auctor haud pauca de plagis Aegyptiorum et de miraculis in deserto factis narrat, quae in Exodo aliisque libris sacris non leguntur. Omnia et singula referre operae pretium non est; sufficit enim adnotasse, Moysen non omnia enucleate descripsisse atque *certa* traditione orali satis multa esse conservata (cfr *Ps.* 76,17 sqq.; 77,104; 2 *Tim.* 3,8 etc.); auctorem autem nostrum ex hac traditione narrationes suas hausisse. Praeterea nihil in omnibus illis narrationibus legitur, quod cum alibi relatis pugnat, dummodo omnia ea, qua decet, aequitate explicentur.

II. De Ecclesiastico.

§ 22. — *De Ecclesiastici argumento, divisione, fine.*

1. — *Ecclesiasticus*, qui in graeca et syriaca versionibus inscribitur

(1) Cfr. *S. Aug.* Civ. Dei XIII. 16 : « Addendo *corruptibile* non qualicumque corpore, sed quale factum est ex peccato consequente vindicta animam perhibuit aggravari ».

« *Sapientia Iesu, filii Sirach* » et a graecis latinisque Patribus interdum vocatur ἡ πανάρετος σοφία, « *Panaretos Iesu filii Sirach liber* », argumento suo simillimus est Proverbiorum Salomonis libro; praeceptis enim et exemplis verae virtutis propositis lectores suos ad sapientiam practicam i. e. ad omnium virtutum exercitium instituit; gnomis quoque et parabolis doctrinam suam explicat eodem prorsus modo, quo Salomon in Proverbiis.

« Ecclesiastici » nomine « scripturae *qualitatem* cognominatam esse » monuit *Rufinus* (Symb. Apost. 38) insinuans, librum ex illis esse, qui propter faciliorem suam doctrinam catechumenis instituendis existimabantur aptiores et *ecclesiastici* appellabantur; quapropter novellis Ecclesiae membris primi tradebantur atque intermedii quodam modo habebantur inter profanos libros et inter canonicos. Inter eos autem liber noster, quia completam fere morum doctrinam continet praecipuaque dogmata attingit, reliquis frequentius videtur esse adhibitus ideoque velut *Ecclesiasticus* κατ' ἐξοχήν a reliquis distinctus.

Genuinus titulus (σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σειράχ) argumentum libri indicat. Auctor enim, qui a puero sapientiam quaesiverat (*Eccli.* 51,18) eamque continuo Scripturarum studio invenerat (Prol. et 51,22 sq.), senescens aliquid eorum, quae ad doctrinam et sapientiam pertinent, literis mandavit, ut lectores accuratius secundum Legem ambularent (Prol.). Eadem igitur ratione, qua in Proverbiis Salomon, Iesus filius Sirach praecepta vitae quum privatae, tum publicae tradit, sed eis adiungit etiam longum catalogum virorum, quorum exempla institutioni inserviunt, atque frequentius, quam Salomon, dogmaticas veritates docet; quare iam Can. 85. Apostolorum « Sapientiam eruditi Sirach » adolescentibus addiscendam commendavit.

2. — Uti argumento, ita indole Ecclesiasticus similis est Proverbiorum libro. Eadem est in utroque sententiarum varietas, eadem forma didactica, similis quoque distributio[1]; in eo tamen differunt, quod Ecclesiasticus integram partem de Patrum laudibus addat parvulaque carmina, quae de eadem re agunt, frequentius coniungat[2].

Exordium (1,1-40) *exhortatur lectores ad sapientiam sectandam.* — Descripta enim sapientiae origine fructibusque eius nonnullis enumeratis (1,1-15) de intimo nexu sapientiam inter timoremque Dei agit (1,16-34) atque in simplicitate cordis ad utrumque lectoribus anhelandum esse monet (1,35-40).

Prior pars (2,1-43,37) *praeceptis constat de sapientia practica, i. e. de variarum virtutum exercitio.*

1. Praecepta sua ita tradit, ut novis ad sapientiam exhortationibus longioribusque meditationibus et precibus decem quasi sectiones distinguat, quae ipsae iterum de variis virtutibus agunt : 2,1-4,11; — 4,12-6,18; — 6,19-

(1) Adnotandum est, omnes *graecos* codices in 30,26-36,16 ab illo ordine recedere, quem *Vulg.*, *Syr.*, *Ar.* tenent. Etenim *Vulg.* 33,17-36,16 in *graecis* codd. posita sunt immediate post *Vulg.* 30,26, ita ut *Vulg.* 33,16 a. in fine istius pericopae, 33,16 b, in eius initio sint collocata. Ordinem *Vulg. Syr. Ar.* omnino esse retinendum, contextus docet; ordinis graeci vero inversio exorta est ex eo, quod in archetypo graeco, a quo hodierni codices dependent, folia nonnulla casu quodam e loco suo sint remota.

(2) Unde factum est, ut graeci codices aliquas pericopas inscriptionibus distinguant : 18,30 ἐγκράτεια ψυχῆς, 20,29 λόγοι παραβολῶν, 23,7 παίδεια στόματος, 24,1 αἴνεσις σοφίας etc.

9,25; — 10,1-14,21; — 14,22-16,23; — 16,24-19,17; — 19,18-23,37; — 24,21-32,17; — 32,18-38,24; — 39,1-42,14.

2. Praeceptis addit hymnum, quo divinam sapientiam in creatione manifestatam celebrat (42,15-43,37). — Etenim praefatus, ne sanctis quidem[3] plenam operum Dei cognitionem datam esse (42,15-20), creationis velut sapientiae manifestatae pulchritudinem in genere celebrat (42,21-25), atque ad singula descendens pulchritudinem firmamenti et astrorum describit (43,1-12), phaenomenorumque meteorologicorum (43,13-27); hymnum autem concludit imparem se esse asserens divinae sapientiae digne celebrandae (43,28-37).

ALTERA PARS (44,1-50,26), *s. hymnus Patrum, celebratis eorum laudibus exempla virtutum proponit.*

1. Praemissa generali laude Patriarcharum et Sapientum (44,1-15)
2. ab Henoch et Noe incipiens ordine chronologico Patriarchas, duces, reges, prophetas praeclariores recenset (44,16-49,15), quos tamen ab Henoch, Ioseph, Seth, Sem atque Adam superari dicit (49,16-19).
3. Quibus addit laudes Simonis, filii Oniae, qui auctoris tempore summum sacerdotium tenuisse videtur (50,1-23).

EPILOGUS (50,24-54,38) *novis exhortationibus ad sapientiam constat.* — Lectores, ut secum Deo gratias agant, exhortatus et beatum praedicans eum, qui sua praecepta sit observaturus (50,24-31), Deum celebrat, per quem ex multis tribulationibus ereptus sit (51,1-17), et carmine suum sapientiae studium describens omnes invitat, ut eadem ratione sapientiam acquirere studeant (51,18-38).

3. — Auctoris *finem* indicat eius nepos in prologo monens, avum suum haec scripsisse, ut alios sapientiae studiosos adiuvaret eisque viam monstraret, qua vitam iuxta Legis praecepta instituerent.

Idem igitur Ecclesiastici, qui Proverbiorum, etiam est finis; quatenus vero, uti recte monet *Cornelius a Lap.*, « omne cuiuslibet virtutis officium particulatim recenset », ipsis Proverbiis aliisque sapientialibus libris perfectius hunc finem attingit ideoque dignus est, « cuius testimoniorum assidua sit meditatio » (*Rhab. Maur.*).

§ 23. — *De Ecclesiastici origine.*

1. — Siracidam opus suum hebraice scripsisse satis magnis primigenii textus fragmentis iterum repertis hodie extra dubitationem est positum. At antea quoque id vix addubitari potuit, quum disertum graeci interpretis testimonium multis hebraismis ab eo retentis nonnullisque mendis ab eo in sua versione admissis confirmaretur.

Hebraici Ecclesiastici, qui praeter paucas sententias in Thalmude conservatas totus periisse credebatur, dimidia fere pars (3,5-7,29; 11,34-16,26; 30,11-33,3; 35, 9-38,27; 39,15-51,30) ultimis his annis iterum reperta et publici iuris facta est (a Cowley et Neubaur. Oxonii 1897; a Schlechter et Taylor. Cambridge 1899, aliisque). — Ceterum opus hebraice esse ab auctore editum, iam antea omnes consen-

(3) *Eccli.* 42,17 pro *nonne*, quod exhibet Vulg., cum Graeco lege *non*.

serunt. Diligentia enim, quam auctoris nepos sese in libro graece reddendo posuisse asserit, non obstante « phrasis eius non tantum hebraismum redolet, sed mere hebraica est » (*Huet.*). Pauca ex plurimis hebraismis *Huetius* haec iam exempla affert: ἡμέραι ἀριθμοῦ, *Vulg.* male : « numerus dierum » יְמֵי מִסְפָּר « *pauci dies* » 17,3; — διαθήκη αἰῶνος, *Vulg.* recte « testamentum aeternum » בְּרִית עוֹלָם 17,10; — ἀπὸ προσώπου λόγου ὠδίνει μωρὸς ὡς ἀπὸ προσώπου βρέφους ἡ τίκτουσα, *Vulg.* male : « A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis » ; verte : « *propter* verbum (aliquod מִפְּנֵי דְבַר) dolet fatuus, sicut *propter* foetum (מִפְּנֵי עוֹלֵל) parturiens » 19,11 etc. Neque omnia menda evitavit diligentia interpretis; cfr 25,22 οὐκ ἔστι κεφαλὴ ὑπὲρ κεφαλὴν ὄφεως, *Vulg.* « non est *caput* nequius super *caput* serpentis », ubi vertendum erat, quum רֹאשׁ *caput* et *venenum* significet, « non est *venenum* peius, quam *venenum* serpentis ». Item in 24,35-38 pro vocabulis : « qui mittit disciplinam *sicut lucem* », parallelismus nomen fluvii postulat; interpres כְּאוֹר vel כְּאֹר (cfr *Am.* 8,8) legens non attendit illud positum esse pro כַּיְאוֹר « *sicut Nilus* » etc. Neque annominationes satis accurate expressit; nam 43,7. 8 hebraice recte dicitur יָרֵחַ (*mensis*) nomen trahere a יָרֵחַ (luna), sed in graeca lingua μήν et σελήνη nihil habent commune

2. — Auctorem libri esse Iesum, filium Sirach, Ierosolymitanum, eius nepos in Prologo et ipse in fine libri docet : « doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit (rectius : *scripsi* ἐχάραξα) in codice isto Iesus, filius Sirach, Ierosolymita »(50,29).

De auctoris vita praeter ea, quae magis minusve clare nobis innuit, nihil innotuit. Ierosolymis oriundus vitam suam studio sapientiae impendit longaque ad eam acquirendam itinera instituit, in quibus multa quidem et gravia pericula atque vitae discrimina subiit, sed copiosos quoque studii fructus collegit (34,12 sq.; 51,4 sqq. 18 sqq.; *Prol.*). Vir erat profunda Scripturarum scientia insignis (51, 22 sq.; *Prol.*), ex quibus solis sacram sapientiam hauriri scivit. Eum medicum aut sacerdotem fuisse, levis est nonnullorum coniectura, quia rerum medicarum sacerdotaliumque sese non esse ignarum ostendat.

Si *Ps. Athanasio* (Synops. 41.) fides esset habenda, aliorum quoque sapientum sententias Siracides collegisset atque liber noster nepoti esset attribuendus, quippe qui sententias ab avo collectas aptum continuumque in ordinem redegisset. Cuius opinionis, quam aliqui moderni quoque tenent, fundamentum constituitur textuum nonnullorum repetitione atque eiusdem argumenti in variis locis recapitulatione. At haec libri indoles apte explicatur, si Siracidam seniorem ipsum non uno tenore codemque tempore, sed per longam vitam suam mox de uno, mox de variis argumentis gnomas composuisse et versus vitae finem uno volumine comprehendisse statuamus.

3. — Inter varias, quae de tempore auctoris propositae sunt, sententias melioribus nititur argumentis illa, quae eum versus initium saeculi 2. vixisse tenet, ita ut liber hebraicus circa a. 190. sit conscriptus et circa a. 130. graece translatus.

De tempore, quo vixit auctor, haec in libro ipso et in Prologo habemus indicia. *a.*) Velut ultimum virum illustrem auctor celebrat summum sacerdotem Simonem,

Oniae filium (50,1-21); quum tam vividis coloribus eum describat, communis est interpretum sententia, eum aequalem Simonis fuisse. *b.*) Auctoris nepos asserit se in Aegyptum venisse ἐν τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ Εὐεργέτου βασιλέως (*Vulg.* « in 38. anno temporibus Evergetis regis »); ab anno autem, quo liber ab avo est compositus, usque ad annum, quo a nepote est translatus, sexaginta circiter anni effluxisse videntur. *c.*) Auctoris tempore gravibus calamitatibus afflictos esse Iudaeos, docet eius precatio (35,22-36,19).

At indicia haec, quamvis clara esse videantur, non eodem modo ab omnibus explicantur; duo enim sunt summi sacerdotes insignes, quibus nomen « Simon filius Oniae » competit, prior 310.-291., alter 219.-199.; duo quoque Ptolemaei cognomen Euergetis habuerunt, prior Ptolemaeus III. Euergetes I. (247.-222.), alter Ptolemaeus VII. (IX.) Euergetes II. (170. vel 145.-117.).

Iam vero alterum Simonem alterumque Euergeten esse intelligendos arbitramur. Nam *a.*) prior Euergetes non regnavit nisi viginti quinque annis, interpres autem 38. anno Euergetis in Aegyptum se venisse dicit. Frustra autem opponunt, interpretem loqui de 38. anno aetatis suae ipsius; nam iuxta communem usum loquendi Alexandrinorum verba ἐν τῷ ὀγδοῷ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ Εὐεργέτου βασιλέως 38. annum regni Euergetis significant (1 *Mach.* 13,42; 14,27; *Agg.* 1,1; *Zach.* 1,7 etc.). Frustra quoque monent Euergeten II. non regnasse triginta octo annis. Nam Ptolemaeus VII (IX.) iam a. 170., quum frater eius Philometor in Syriam captivus esset abductus, ab Alexandrinis ad thronum evectus est et cum fratre reduce gubernavit usque ad a. 160.; deinde vero a fratre expulsus Cyrenas tenuit, usque dum a. 145. Philometoris filio Ptolemaeo VIII. occiso solus Aegypti et Cyrenarum rex factus est. Ideo ipse teste Eusebio (Chron. II. 22) annos regni sui ab a. 170. numeravit, eundemque morem tenuisse scriptores, qui eius regni tempore opus aliquod in Aegypto edere voluerunt, evidens est. *b.*) Eusebius (Dem. Evang. VIII.) et S. Hieronymus (in Dan. 9,14) testantur *Simoni Oniae filio*, « quo regente populum Iesus filius Sirach scripsit librum, qui graece πανάρετος dicitur », « successisse in pontificatu alium Oniam, quo tempore Antiochus (Epiphanes) Iudaeos diis gentium immolare cogebat ». Uterque igitur Simonem II. intelligunt idque rectissime, quoniam Simonis I. tempore nec a Ptolemaeis, quibus tunc subiecti erant, nec ab aliis populis vel regibus Iudaei ullam persecutionem perpessi sunt. In Aegypto autem Ptolemaeus IV. Philopator (222.-205.) Iudaeos persequi coepit, qui etiam in adytum templi ierosolymitani irrupit atque multo maiora mala populo intulisset, nisi Simon II. efficacibus suis precibus liberationem populi a Deo impetrasset (3 *Mach.* 2; cfr *Eccli.* 50,4).

§ 24. — *De Ecclesiastici divina auctoritate.*

1. — Ecclesiasticus, licet ab hodiernis Iudaeis et Protestantibus in canonem SS. Scripturarum non admittatur, ab antiqua tamen synagoga eodem in honoris et auctoritatis gradu est habitus, quo reliqua Hagiographa; ab Apostolis vero velut divinus agnitus Ecclesiaeque traditus inde a primis fidei temporibus semper reliquis canonicis Scripturis est additus.

Quin alexandrini Iudaei olim Ecclesiasticum in canone habuerint, nemo dubitat, at palaestinenses quoque eum pro libro divino habuisse, docent haud pauca Thalmudis testimonia; iisdem enim formulis, quibus aliae Scripturae, a plerisque

magni nominis rabbinis allegatur atque a nonnullis tertiae canonis classi diserte adnumeratur. A iunioribus vero Iudaeis ideo esse repudiatus videtur, quia in hebraicum textum aliquae sententiae irrepserant, quae libro sacro videbantur indignae.

Attamen ad divinam libri inspirationem demonstrandam nobis maioris auctoritatis sunt Apostolorum testimonia. Etenim maiorem partem epistolae S. Iacobi Ecclesiastico inniti Apostolumque ex eo magnam vocabulorum phrasiumque partem desumsisse, ipsi protestantici interpretes non negant; quin etiam semel saltem eius verba pro auctoritate allegantur (*Iac.* 1,19 cfr *Eccli.* 5,13). Rarius quidem in aliis Novi Test. libris opus nostrum adhibetur, sed nequaquam illis desunt allusiones satis clarae (*Eccli.* 2,18 cfr *Ioan.* 14,23; — *Eccli.* 11,10 cfr 1 *Tim.* 6,9; — *Eccli.* 11,18. 19 cfr *Luc.* 12,19; — *Eccli.* 15,16 cfr *Matth.* 19,17; — *Eccli.* 29,15 cfr *Luc.* 16,9 etc.). Porro in catechesi quoque apostolica librum nostrum esse adhibitum, constat ex *Doctr. duod. Apost.* 3 (cfr *Eccli.* 4,36; atque *S. Barn.* ep. 19), eiusque verba in liturgiam apostolicam transiisse, iure concludimus ex *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 60 (cfr *Eccli.* 2,11; quibus adde 1 Cor. 59 *Eccli.* 16,18. 19; 1 Cor. 63 cfr *Eccli.* 51,26).

Inde a medio 2. saec. abundant testimonia patristica, quibus divina Ecclesiastici auctoritas demonstratur. Ut ab Occidente incipiamus, nominamus *S. Hermam* (Pastor. Vis. 3,7; Mand. 1,1; Simil. 5,3. 5. 6. 7 etc.), *S. Hippolytum* (Argum. in Ps. 7.), *Tertullianum* (de Monogam. 14), *S. Cyprianum* (de Mortal. 9.; de Op. et Eleem. 2; c. Iud. II. 1 etc.), *Lactantium* (Div. Instit. IV. 8), *S. Hilarium* (in Ps. 66 n. 9; Ps. 140 n. 5), *S. Phoebadium* (c. Arian. 11), *S. Ambrosium* (de Bono mortis 8; de Elia 18; in Ps. 1 n. 16; in Ps. 36 n. 55 etc.). Iure igitur asseruit *S. Augustinus* « antiquitus maxime ab Ecclesia occidentali Ecclesiasticum in auctoritatem esse receptum » (Civ. Dei XVII. 20), atque ipse *S. Hieronymus,* quamvis in theoria ab hac sententia recedere videatur, in praxi eam tenet (ep. 118,1; c. Pelag. I. 34; II. 5; in Is. 3,12 etc.). Atque eadem ratione orientales Patres testimoniis Ecclesiastici utuntur; *Clemens Alex.* eum in tribus suis Paedagogi libris plus vicies allegat formula utens: ἡ γραφὴ λέγει, vel ἡ σοφία λέγει: nec minus saepe eum adhibent *Origenes* (de Princ. II. 8, in Num. hom. 18; in Ierem. hom. 6,2; 16,6 etc.), *S. Dionysius M.* (de Natura fragm 3,5.), *S. Alexander Alex.* (Ep. de haer. arian 5. 6), *S. Athanasius* (c. Arian. Or. II. 79; Apol. c. Arian. 66; Hist. Arian. 52 etc.), *S. Cyrillus Ieros.* (Cat. 6,4; 11,9; 13,8 etc.), *S. Epiphanius* (Haer. 24,6; 33,8; 37,9 etc.), *S. Basilius M.* (Hexaem. hom. 6,10; in Ps. 14 n. 4; Ps. 44 n. 2 etc.), *S. Gregorius Naz.* (Or. IV. 12; VII. 1; XIV. 30 etc.), *S. Gregorius Nyss.* (in Psalm. tract. II. 3; in Eccle. hom. 3 etc.), *S. Chrysostomus* (ad Vid. iun. 6; de Laz. II. 4 etc.), *Theodoretus* (in Cant. 6,4; in Dan. 1,9; 5,6 etc.), *S. Ephraem* (Opp. gr. I. 83; II. 118 etc. Opp. syr. II. 325 etc.).

2. — Cui testium nubi adversarii nihil opponunt praeter errores nonnullos, quos erroneis interpretationibus ex paucis Ecclesiastici versibus extorquere conantur.

Calvinum librum nostrum vehementer quidem odisse neque tamen quidquam habuisse, quod ei obiiceret, iam monuit *Bellarminus* (de Verbo Dei I. 14). Quem defectum ut suppleret, Raynaldus Ecclesiasticum arianismo, impurae necromantiae, « exsecrabili Iudaeorum errori » favere docuit. Arianismo sc. favet, quia *Sapientiam,* i. e. Verbum Dei, dicat *creatam* (24,12. 14); at Ecclesiasticus

eodem modo, quo Salomon (*Prov.* 8,22), loquitur, atque illud κτίσας et ἔκτισε in *Eccli.* 24. eodem modo explicandum est, quo in *Prov.* 8., ubi hebraico קנה (*Vulg.* « possedit ») respondet, quo vocabulo creationis proprie dictae notio excluditur; ceterum Eccli., quum Sapientiam πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς « creatam » esse dicat, arianum axioma ἦν ὅτε οὐκ ἦν ὁ λόγος prorsus confundit. — Necromantiae *Eccli.* 46,23 non magis favet, quam auctor 1 *Reg.* 28,8 sqq., cuius narrationem sequitur. Eliam demum esse reversurum, « ut leniat iracundiam Dei » etc. (*Eccli.* 48,10), non est « exsecrabilis error Iudaeorum », sed eum non esse reversurum, est error protestanticus (cfr *Mal.* 4,5. 6).

A paucis recentioribus Siracida alexandrinismi accusatus est, quoniam Henoch vocavit ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς (44,16) et populis aliis angelos, Israelitis autem Deum ipsum praepositum dixit (17,14. 15). Quae refutatione non indigere clarum est. Alii demum obiecerunt, peccatum originale ab auctore negari Deumque velut auctorem mali statui, siquidem *timorem Domini* « cum fidelibus in utero matris concreatum » (1,16), « errorem autem et tenebras peccatoribus concreata » esse (11,16) asserat. At neuter textus ne ullam quidem creat difficultatem attendenti, sermonem fieri de naturali hominis sive ad virtutem exercendam aptitudine sive ad vitia inclinatione.

3. — Scholion. Ecclesiastico in graecis et latinis editionibus praecedit prologus, in quo auctoris nepos audaciam, qua hebraicum opus graece transtulit, quodammodo explicat et excusat. Cui prologo auctoritatem canonicam non competere, recte tenent plerique, quoniam « interpretes non condunt Scripturam S., sed eam dumtaxat interpretantur »

Non defuerunt quidem, qui Prologi canonicitatem defenderent provocantes ad Clementinae Vulgatae praefationem, in qua « nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum » editioni illi esse insertum asseritur, licet Prologum iisdem, quibus libros sacros, literis impressum contineat; at huic opinioni iure opponitur sententia tantum non omnium interpretum canonicitatem Prologo denegantium. Nam praefatio illa « nec est Summi Pontificis nec eius, qui habet potestatem de ea re definiendi, sed eorum, qui Biblia emendarunt »; « *ex illius igitur, qui praefationem scripsit, opinione* » nihil non canonicum in Clementinam Vulgatam est receptum (cfr *Bonfr.* Prael.). Multo minore auctoritate gaudet alter Prologus, qui in multis quidem graecis sed paucis latinis codicibus legitur; ex Ps. Athanasii Synopsi enim est desumtus.

4. — Tres antiquae versiones, graeca, latina, syriaca, quum suo quaeque modo ab hebraico immediate dependeant, primitivae lectioni dignoscendae et restituendae inservire possunt ac debent. Sed quoniam latina multo purior est conservata atque ipsi Patres graeci syriacaque versio non raro cum latina potius, quam cum graeca, lectione consentiunt, plerisque in casibus, in quibus latinus et graecus dissentiunt, « non latinus ex graeco est corrigendus illique adaptandus, sed potius graecus est accommodandus latino » (*Corn. a Lap.*).

Magna in tribus versionibus praecipuis, quibus hodie exstat Ecclesiasticus, deprehenditur differentia; interdum quidem sententiis in uno alterove textu pauca tantum vocabula sunt inserta, interdum autem sententiae integrae eaeque non paucae in uno leguntur, quae in aliis desiderantur. Unde haud raro satis magna incertitudo exoritur de sententiarum nonnullarum auctoritate.

Iam vero *graeca versio*, quum ab auctoris nepote magna cum cura et sollicitudine, uti ipse asserit, sit adornata, procul dubio omnibus aliis esset praeferenda, si pura et integra ad nos pervenisset. At eam in codicibus superstitibus haud paucis corruptelis scatere certum est; omnes enim hodierni codices graeci ab uno exemplari satis recente dependent, qui non tantum foliis nonnullis transpositis ordinem libri perturbaverat (§ 22. n. 1 p. 355), sed etiam lacunis et mendis fuit difformis, uti ex Patrum graecorum allegationibus abunde constat; velut Ecclesiastici verba enim Patres quam plurima afferunt, quae in hodierno graeco textu aut plane desiderantur aut alio modo exprimuntur.

Altera autem ex parte *latina versio* eadem prorsus est, qua antiqua Ecclesia usa est; ex graeco quidem textu eam esse translatam menda graeci textus retenta, erroneae graeci textus interpretationes, vocabula graeca literis latinis dumtaxat transcripta docent[1]; sed interpretem latinum praeter graecam versionem etiam primigenium textum hebraicum prae manibus habuisse et interdum secutum esse, aliae lectiones probabile reddunt[2]. Ad eius autem puram conservationem quod attinet, nequaquam diffitemur, eum eadem ratione, qua reliquos libros antiquos, negligentia et praesumtione librariorum multis mendis esse foedatum, at longe puriorem latinam versionem, quam graecam, nobis esse transmissam, vel ex eo solo elucet, quod *graecorum* Patrum allegata cum latina contra graecam conspirent[3].

Origo *syriacae* versionis eadem fere videtur ac latinae atque syriacus quoque interpres praeter graecum etiam hebraicum in manibus habuisse censetur. Multo tamen minus accuratus fuit quam latinus, quum paraphrastico interdum modo sententias reddat. Praeterea versio syriaca non pura ad nos pervenit; satis multae sententiae, quae in graecis latinisque codd. leguntur in ea hodie desiderantur atque vix pauciores culpa librariorum videntur vitiatae.

Ex hoc praecipuarum versionum statu quae omnes a primigenio textu magis minusve dependent, sua sponte praeceptum fluit, quod supra statuimus.

§ 25. — *De praecipuis commentariis catholicis in l. Sapientiae et Ecclesiasticum.*

SS. Patres, licet libris Sap. et Eccli. frequenter velut divinis usi sint (cfr § 21,1; 24,1), eos commentariis non instruxerunt; homiliae autem, quas SS. Ambr. et August. in l. Sap. habuisse dicuntur, interierunt, uti etiam commentarius presbyteri cuiusdam *Bellatoris*. At supersunt *Rhabani Mauri* commentarii in ambos libros et *Strabonis* Glossa ordin.

(1) Menda quaedam ex graeco textu in latinum transumta, *supra* (§ 23. 1) iam adnotavimus. Mendis, quae ex erronea lectione vel interpretatione graeci textus exorta videntur, haec adnumerantur : 22,33. φίλον σκεπάσαι οὐκ αἰσχυνθήσομαι « amicum *salutare* non confundor » (permutatis σκεπάσαι, *protegere* et ἀσπάζεσθαι, *salutare*); 24,21 ὡς λιβάνου ἀτμίς « quasi Libanus non incisus » (pro « *sicut thuris fumus* »; legit ἄτομος pro ἀτμίς et omisit vocem λιβάνου) etc. — Vocabula latinis literis transcripta : 6.5 « lingua *eucharis* », 20,24 « homo *acharis* », 18,6 « *aporiabitur* » etc.

(2) Cfr 1,33 ἐντολάς, *Vulg.* « *iustitiam* », quia משפט utrumque sensum habet; 1,37 ἐν στόμασιν ἀνθρώπων Vulg. « in *conspectu* hominum », in hebr. procul dubio לפני אנשים etc.

(3) *Clemens Alex.* in duobus prioribus Paedagogi libris saltem octo textus habet, in quibus ab hodierno graeco textu dissentit et cum Vulgata consentit.

Vix plura nobis reliquit MEDIA AETAS; nam praeter *Card. Hugonis*, *Nic. Lyrani*, *Dionysii Carth.* commentarios innotuerunt dumtaxat *S. Bonaventurae* Expositio in l. Sap. (Opp. Ad. Clar. Aquas VI. 1893.), atque *Rob. Holkoth*, O. Praed. Praelectiones in l. Sap. (Venetiis 1483 et saepe) eiusdemque Expos. in septem priora capp. Eccli. (Venetiis 1508).

Fertiliora SAECULA 16. 17. 18. fuerunt : SAPIENTIAE LIBRUM commentati sunt *Petrus Nannius* (Basileae 1552.), *Hier. Osorius* (Bononiae 1577.), *Corn. Iansenius Gand.* (Antwerpiae 1589. et saepius), *Ioan. Lorinus* S. I. (Lugduni 1607. et saepius), *Christ. de Castro* S. I. (Lugduni 1613.), *G. de Cervantes*, O. S. Aug. (Hispali 1614.), *Corn. a Lapide* S. I. (Antwerpiae 1633. et saepe), *P. Gorse* S. I. (Paris 1655.), *Péan de la Coullardière* (Paris 1673.), *I. B. Bossuet* (Parisiis 1693.), *Clém. de Boissy* (Paris 1767.), *Fr. Boaretti* (Venetiis 1792.) aliique.

Inter ECCLESIASTICI autem interpretes *iisdem saeculis* eminuerunt *Paul. Palacios de Salazar* (Villaeviridi 1581.), *Corn. Iansenius Gandav.* (Antw. 1589.), *Oct. de Tufo* (Coloniae 1628.), *Corn. a Lapide* (Antw. 1629.), *I. de Pina* S. I. (Antw. 1634.), *Salv. de Leon* (Antw. 1610.), *Petr. Gorse* (Paris 1655.), *A. de Flores* (in c. 24. Eccli. Antw. 1661.), *Péan de la Coullardière* (Paris 1673.), *I. B. Bossuet* (Parisiis 1693.), *Ménard* (Paris 1710.), *Clém. de Boissy* (Paris 1767.), aliique.

HOC NOSTRO SAECULO catholici pauca tantum ad duorum librorum interpretationem contulerunt. LIBRUM SAPIENTIAE, ad quem *F. I. Reusch* criticas adnotationes edidit (Friburgi 1861.), commentario germanico illustrarunt *I. A. Schmid* (Wien 1858. Ed. 2. 1865.), et *Const. Gutberlet* (Münster 1874.). Ad ECCLESIASTICI textum accuratius cognoscendum contulerunt *H. Herkenne* dissertatione « de Veteris Latinae capitibus 1.-11. » (Lipsiae 1897.), et *N. Peters* inquisitione in sahidicae versionis libri nostri auctoritatem (Paderbornae 1898.). Librum ipsum interpretati sunt germanice *I. F. Allioli* (Ed. 2. Landshut 1837.) et gallice *H. Lesètre* (Paris 1880.). Omnium demum librorum sapientialium doctrinam complectere studuit *H. Zschokke* (Der dogmat. ethische Lehrgehalt der alttestam. Weisheitsbücher. Wien 1889.), atque praecipuum quoddam doctrinae istius caput cum philosophia Iudaeorum alexandrinorum *F. Klasen* comparavit (Die alttestam. Weisheit u. der Logos der alexandrinisch-jüdischen Philosophie. Freiburg 1878.).

DISSERTATIO VI.

DE VETERIS TESTAMENTI LIBRIS PROPHETICIS

CAPUT I.

DE LIBRIS PROPHETICIS UNIVERSE SPECTATIS.

§ 1. — *De prophetarum nominibus et officiis.*

1. — *Propheta* (προφήτης), si etymologice spectatur nomen, est ille, qui *alicuius vice loquens* eius est interpres, atque eadem videtur esse significatio etymologica nominis נביא. Aptissime igitur nominibus illis designantur viri illi, qui a Deo illustrati ad populum loquuntur, quorumque proprius character est, ut sint *os Dei*. Etenim « ea loquuntur prophetae Dei, quae audiunt ab eo, *nihilque est propheta Dei nisi enuntiator verborum Dei hominibus*, qui Deum aut non possunt aut non merentur audire » (*S. August.* Quaest. 17. in Exod. 7,1).

Vocabulum προφήτου a προφάναι derivari, communis est et certa sententia, at in eo errant haud pauci, quod genuinum sensum verbi προφάναι dicant esse *praedicere*, sola futurorum praedictione totum munus propheticum absolvi insinuantes. Attamen primus verbi sensus est « pro aliquo loqui » « *vice alicuius loqui* »; in profanorum enim scriptorum usu propheta est idem ac *interpres*[1], neque Patribus genuina haec nominis vis erat incognita, quum haud semel asserat *S. Chrysostomus* (in 1 Cor. hom. 36,4; in Act. hom. 19,3 etc.) » prophetam esse interpretem Dei », « prophetarum ora esse ipsius *Dei os* », idemque nobis iam insinuavit Apostolorum princeps (2 *Petr.* 1,21). — Hebraicum nomen *Nabi* quoque secundum probabiliorem etymologiam designat illum, qui ab alio impulsus cum ubertate loquitur; quidquid autem de eius etymologia est, certum est, nomine isto Dei

(1) Teste Festo « prophetae nominantur fanorum antistites et *oraculorum interpretes* »; Delphis *propheta* nominabatur sacerdos, qui Pythiae oracula interpretabatur; poetae vocantur Μουσῶν προφῆται, aristotelicorum operum interpres προφήτης Ἀριστοτέλους (Cfr *Rob. Stephani* Thesaur. graecae linguae s. v.)

interpretem et os designari; id enim Deus ipse nos docet, quando Moysi, ne ad Pharaonem mitteretur, blaesam linguam excusanti dixit : « Ecce constitui *te Deum* Pharaonis et Aaron, frater tuus, erit *propheta tuus* (נְבִיאֶךָ); *tu loqueris ei* omnia, quae mando tibi, et *ille loquetur ad Pharaonem* », vel ut paullo ante dixerat : « ipse loquetur pro te ad populum et erit *os tuum*, tu autem eris *ei Deus* » [2].

2. — Non tam plene eorum characterem exprimunt alia nomina, quibus in Scriptura designantur; sed aut modum indicant, quo a Deo illustrantur, aut singularia munera, quae exercent.

Videntis (רֹאֶה vel חוֹזֶה) nomen exprimit illud, quod S. *Thomas* (Summa II. 2. qu. 171, a. 1) « *primum et principale* » in propheta esse dixit, sc. cognitionem divinitus datam; aliud nomen rarius *nuntii Domini* (מַלְאַךְ יְהוָה) illud insinuat, quod S. Doctor *secundarium* esse censet, ut « prophetae ea, quae divinitus edocti cognoverunt, ad aedificationem aliorum annuntient »; tertio nomine *viri Dei* vel *servi Dei* intima innuitur eorum cum Deo coniunctio. — Pro variis deinde muneribus, quibus funguntur, vocantur *pastores* (*Ierem.* 17,16,16; *Zach.* 11,4), *custodes* (*Is.* 62,6; *Hab.* 2,1 etc.), *speculatores* (*Am.* 3,6; *Is.* 56,10 etc.), *probatores* (*Ierem.* 6,27) etc.

3. — Arctioribus igitur, quam par est, limitibus *munus prophetarum* circumscribitur, si *futurorum praedictores* fuisse dicuntur; *supremi potius et authentici magistri fuerunt filiis Israel a Deo constituti, ut foedus per Moysen datum conservarent, explicarent, excolerent, atque novum foedus per Christum dandum praepararent.*

Triplex prophetarum munus nonnulli distinguunt S. Pauli verbis (1 *Cor.* 14,3) nixi; « ad aedificationem » enim loquuntur, quando « velut theologi a Deo instructi populum... viam virtutis et salutis docent », « ad exhortationem », quando « per ardentes efficacesque conciones dura hominum corda emolliunt », « ad consolationem », quando « vaticinantur et praedicunt futura tum gentibus tum Iudaeis, praesertim Ecclesiae et Christianis ». Quae omnia aptius complectimur, si eos supremum et authenticum magisterium populi Israel constituisse dicimus.

Omnes nullo excepto auctoritati eorum erant subiecti; integrae enim domus Israel singulorumque membrorum cura eis erat demandata (*Ezech.* 3,17 sqq.; cfr 33,1 sqq.); quapropter eadem cum libertate, qua plebem docebant et corrigebant, etiam magnatum, sacerdotum, regum vitia vituperabant omnesque in via salutis dirigebant. Uti omnes filios Israel, ita etiam integram fere singulorum vitam, privatam, publicam, religiosam, magisterium eorum regebat. Nam quoniam a Deo illustrabantur prophetae, eorum consilia in rebus quotidianis quoque et minimis exquirebantur; « hanc, inquit S. *Hieronymus* (in Ezech. 20,1), fuisse consuetudinem populi Israel, ut quidquid scire cupiebant a Domino quaererent per prophetas, multa exempla testantur » (cfr 1 *Reg.* 9,3 sqq.; 3 *Reg.* 14,1 sqq.;

(2) *Exod.* 7,1 cfr 4,6. In altero loco S. Hier. minus accurate vertit : « tu autem ei eris in his, quae ad Deum pertinent »; secutus est alexandrinam versionem, atque Onkelos quoque genuinum sensum exprimere non est ausus (« tu eris ei in principem » לרב), sed recte *Syrus* : « tu eris ei in Deum » vel *Deus* (לאלהא).

4 *Reg.* 1,2 sqq.); scilicet in *privata* vita ad prophetas suos Deus misit filios Israel, ut a consulendis ethnicis hariolis eos retraheret. Longe autem plura et graviora de prophetarum auctoritate in rebus *publicis* narrant libri sacri. Prophetarum enim erat invigilare, ut reges iuxta Domini mandata rempublicam gererent; quapropter a Saule usque ad Sedeciam ne unus quidem invenitur rex Iuda, cui prophetae Legem divinam velut supremam normam in memoriam non revocaverint. Quin etiam ad exteras gentes munus eorum extendebatur, sive ut regnum a Deo fundatum efficaciter tuerentur, sive ut Israelitas docerent, Dominum, licet filios Israel in peculium sibi elegisset, regem tamen dominumque omnium populorum esse illisque quoque salutem messianicam destinasse. At in his omnibus alium finem non habebant, nisi ut populum in foedere cum Deo inito retinerent et ad novum foedus ineundum praepararent; praecipua igitur eorum cura erat, ut *religiosam* eius vitam regerent promoverentque. Continua eorum erat pugna contra idololatriam, frequentissimae eorum exhortationes ad cultum legitimum Deo exhibendum, vix minus frequentia eorum monita, opera Legis externa nihil valere, nisi prius « lavati et mundati fuerint filii Israel ab iniquitatibus suis, cessaverint perverse agere et bene agere didicerint ». Praecipuum autem est, quod novis revelationibus depositum fidei auxerint atque praesertim mysteriis futuri Messiae regnique messianici patefactis pios Israelitas sint consolati, impios terruerint, omnes ad novam salutis oeconomiam praeparaverint.

4. — Munus hoc propheticum *extraordinarium* est dicendum, si modus spectatur, quo conferebatur et exercebatur, *ordinarium* autem, quatenus a Deo per certum et definitum tempus velut continuum et supremum magisterium populo Israel erat concessum.

Re enim vera immediate a Deo conferebatur, qui ipse illos quos elegerat supranaturali vocatione interpretes suos constituit (cfr 1 *Reg.* 2,1 sqq.; *Is.* 6,1 sqq.; *Ierem.* 1,4 sqq. etc.). Neque enim certae tribui aut familiae (sicut sacerdotium et regnum) neque certae hominum classi erat adnexum munus propheticum; omnium tribuum viri et mulieres, pueri et senes, divinae illius vocationis erant capaces. Neque ulla requirebatur praeparatio ad illud recipiendum, licet facile concedamus, illos praeprimis a Deo esse vocatos, qui pietate eminebant; at immerito moderni haud pauci loquuntur de « *scholis prophetarum* », quae expressio nec umquam in Scripturis nec a Patribus adhibetur[3]. Neque ullo ritu externo inaugurabantur prophetae (sed cfr 3 *Reg.* 19,16). Extraordinarium quoque fuit muneris exercitium, quippe quod eadem ratione, qua vocatio, a Deo immediate pendebat. Nam « lumen propheticum, inquit S. *Thomas* (Summa II. 2. qu. 171. a. 2), non inest intellectui per modum formae permanentis... sed cuiusdam passionis vel impressionis transeuntis ». Quare etiam precibus suis prophetae divina responsa efflagitant (1 *Reg.* 8,6; *Ierem.* 32,16; 33,2 sq.; 42,4 sq.) atque a vero aberrare possunt, si respondent, antequam Deum interrogaverunt (2 *Reg.* 7,2. 3).

Ordinarium autem fuisse munus propheticum, si in se spectatur velut supremum populi magisterium, continua et non interrupta successio prophetarum nos iam docet. A Samuele usque ad Malachiam, i. e. per septingentos circiter

(3) 1 *Reg.* 10,5; 19,20; 3 *Reg.* 20,35 etc. (« *grex* » vel « *cuneus prophetarum* », « *filii prophetarum* ») a rabbinis quidem de « prophetarum *discipulis*, qui se disponant ad vaticinandum » intelliguntur; sed nullo argumento nova haec explicatio, quae antiquis ignota fuit, redditur probabilis.

annos numquam defuisse prophetas, libri historici docent; sed iam inde a Moysis aetate continuo et sine interruptione Deum populum suum per prophetas docuisse et monuisse, diserte tradunt *Ieremias* (7,25) et *Amos* (2,11). Eadem igitur ratione, qua *regium* munus, quod a Saule usque ad Sedeciam duravit, etiam propheticum, quod multo diutius populo erat concessum, ordinarium iure vocatur. Accedit, quod etiam velut constans et ordinarium munus a Deo sit institutum et per Moysen promulgatum. Quam promulgationem in *Deuteronomio* (18,9-22) descriptam legimus, cuius verbis simul docemur, iam in prima legislatione sinaitica (*Exod.* 20,18 sqq.; *Deut.* 5,19 sqq.) illud velut ordinarium a Deo esse promissum. De *solo* quidem Messia nonnulli interpretantur Deuteronomii locum (praesertim 18,15 sqq.), at licet eius messianitatem non negemus, sed fide tenendam asseramus, eum tamen cum multis Patribus et maiore interpretum numero de munere prophetico seu de integra serie prophetarum una cum eorum capite et corona Christo intelligendum esse pro certo tenemus; id enim clarissime docet contextus.

§ 2. — *De numero et distinctione prophetarum.*

1. — Paucorum tantum prophetarum nomina in Sacris Literis sunt conservata, at multo plures exstitisse, quorum nomina non innotuerunt, certum est.

Clemens Alex. (Strom. I. 21) dumtaxat triginta quinque prophetas et quinque prophetissas ab Adam usque ad Christum fuisse censet, *Iudaei* (Seder Olam 21) autem sibi quadraginta octo et septem prophetissas attribuunt, *S. Epiphanius* demum ab Adamo usque ad Agabum (*Act.* 11, 28) septuaginta tres prophetas et a Sara usque ad B. Virginem decem prophetidas numerat. Quae omnes recensiones arbitrariae sunt; a Moyse usque ad Malachiam, qui Nehemiae tempore floruit, ergo per mille circiter annos, numquam viros defuisse, qui tamquam Dei interpretes divina voluntate manifestata Israelitas in Lege data retinerent et ad perfectiorem oeconomiam praepararent, certum est, neque minus certum est, magno numero eos plerumque adfuisse. Velut rem memoria dignam adnotat scriptor sacer, ultimis Iudicum annis « verbum Domini rarum neque frequentem visionem » fuisse (1 *Reg.* 3,1); eius igitur tempore (i. e. sub Roboamo) res erat mutata. Revera Samuel iam integros coetus virorum, qui omnes prophetico spiritu erant imbuti, congregaverat (1 *Reg.* 10,5 sqq.; 19,20 sqq.), atque similia collegia in septemtrionali regno invenimus cum Elia et Eliseo (4 *Reg.* 2,2 sqq.; 4,38 sqq.); quam numerosa autem fuerint, elucet ex 3 *Reg.* 18,4; 4 *Reg.* 2,2. 3. 7. Itaque illis, quorum nomina ad nos pervenerunt, sive quia in rebus publicis gerendis maiorem habebant auctoritatem, sive quia sermones vaticiniaque aut suae aetatis historiam literis mandabant, adnumeremus oportet multo plures anonymos, quorum per occasionem dumtaxat mentio fit in Scripturis, atque procul dubio non pauciores, qui, licet tamquam genuini prophetae populum suae aetatis ad Legis observantiam exhortati sint, nullam omnino sui memoriam in historia nobis reliquerunt.

2. — In duas classes hodie prophetae distribui solent. Quamquam enim omnes eodem munere sint functi omnesque divinae voluntatis erant interpretes a Deo ipso immediate electi et constituti, in muneris exercitio tamen aliqua animadvertitur differentia; multi enim, atque praesertim

antiquiores, qui usque ad Oziae (Azariae) circiter aetatem vixerunt, ad solos aequales suos docendos et corrigendos a Deo erant missi, iuniores vero non minus posteris quam aequalibus erudiendis erant destinati, quare etiam sermones suos scribere sunt iussi, dum antiquiores praeter aetatis suae historiam nihil scripsisse perhibentur.

Inter antiquiores praeclarissimi sunt Elias et Eliseus, qui toti in eo erant, ut coaevos ab idololatria revocarent aut in Lege retinerent : ardentibus suis concionibus auditorum corda mollire conabantur, insignibus miraculis prodigiisque verbis suis fidem conciliabant, impios terrebant, pios consolabantur, multa quoque praedicebant, sed omnia post breve tempus eventura; de Messia autem eiusque regno nihil annuntiasse leguntur. Integra igitur eorum cura in aetatis suae hominibus convertendis coercendisque sese continebat, quare opus non erat, ut vaticinia sua iam impleta transmitterent posteris. Similes fuerunt antiquiores omnes, qui regum quidem res gestas scripserunt, ut posteris testimonio essent iustitiae ac misericordiae divinae, vaticinia autem sua, si quae ediderunt, literis non consignarunt.

Ab exeunte autem saec. 9. et ineunte saec. 8 res est mutata. Etenim quoniam nec primorum prophetarum monitis aut prodigiis, nec minoribus calamitatibus a Deo missis filii Israel ad poenitentiam sunt adducti, gravioribus poenis Deus eorum cervices frangere decrevit, ut humiliati ad divina promissa recipienda sese praepararent. Pro magna autem sua misericordia poenas illas dudum antea voluit manifestare, ut una ex parte populo tempus concederetur, quo eas poenitentia acta a se averteret, altera ex parte impediretur, ne Israelitae in ethnicorum manus traditi se potius a fortioribus hostibus devictos, quam a Domino suo punitos crederent. Itaque ab ineunte saec. 8. regno Israel captivitas assyriaca, regno Iuda destructio urbis templique et exsilium babylonicum annuntiari coepta sunt. Attamen ne populus gravissimis minis perterritus de promissionibus olim acceptis desperaret dubitaretve, Deus per iuniores prophetas illas renovavit novisque vaticiniis de futuro Messia eiusque regno universali accuratius definivit. Quas minas et promissiones, quum non statim essent implendae, Deus non sola viva voce promulgari, sed etiam literis consignari voluit, ut posteris non minus quam aequalibus prophetarum inservirent; utrisque enim erant destinatae. Aequales suos prophetae descriptis futuris calamitatibus ad poenitentiam adducere aut in Lege retinere volebant, posteros vero edocere, quo animo tribulationes dudum antea annuntiatas recipere ac perferre deberent, ut salutis messianicae promissae dignos se redderent.

3. — Iuniores prophetae, qui posteris vaticinia sua scriptis libris transmiserunt, vulgo sedecim numerantur, quatuor *maiores* et duodecim *minores;* addendus autem est Baruch, cuius libellus olim plerumque cum Ieremiae vaticiniis erat coniunctus.

Iudaei in suo canone non nisi quindecim prophetas numerant, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem et duodecim Minores; Danielis librum vero in tertia canonis sui parte inter hagiographa habent, quia *gratia* quidem prophetica instructus fuerit Daniel, sed in ethnica aula inter ethnicos degens *munere* prophetico non sit functus; Ecclesia tamen semper Danielem tribus aliis velut quartum prophetam maiorem adiecit, uti etiam libellum Baruch semper inter propheticos habuit eum velut partem libri Ieremiae considerans.

De *maiorum minorumque* prophetarum distinctione recte iam monuit *S. Augustinus* (Civ. Dei XVIII. 29) « duodecim vocari *minores,* quia sermones eorum sunt breves in eorum comparatione, qui *maiores* vocantur, quia prolixa volumina condiderunt »; ceterum addit *S. Hieronymus* (in Ep. ad Philem. Prol.), « in duodecim prophetis tam mira et tam grandia ferri, ut nescias, utrum brevitatem sermonum in illis admirari debeas, an magnitudinem sensuum ».

Secundum temporis quoque rationem in varias classes a variis distinguuntur septemdecim prophetae.

Satis apte illi, qui *assyriaci imperii aetate* vaticinati sunt (Isaias et septem priores ex Minoribus), a prophetis *chaldaicae periodi* (Habacuc, Sophonia, Ieremia et Baruch, Ezechiel, Daniel) et *persicae aetatis* (Aggaeo, Zacharia, Malachia) distinguuntur, licet Daniel etiam primi regis persici tempore aliqua vaticinia ediderit. Minus apte alii *anteexsilicos*, *exsilicos*, *postexsilicos* discernunt, quia duae priores classes aegre seiunguntur, ita ut alii duos tantum (Ezech., Daniel), alii quinque (Sophoniam, Ieremiam, Baruch, Ezech., Dan.), alii septem (Nahum, Habacuc, Sophon., etc.) exsilicos statuant. Alii quatuor aut quinque aut plures classes facere malunt, sed eas enumerare superfluum est, quoniam omnes istae distinctiones magis minusve incertae sunt neque librorum interpretationi inserviunt.

§ 3. — *De libris propheticis eorumque dictione.*

1. — Prophetae, sicut tamquam divini interpretes monita et vaticinia coram populo regibusque viva voce annuntiabant, ita divinorum quoque interpretum munere functi sunt, quando ea literis mandabant, ut posteris inservirent aeternoque essent testimonio.

Raro quidem legimus, Deum disertis verbis praecepisse, ut verba sua conscriberentur (*Is.* 8,1; 30,8; *Ierem.* 30,2 sq.; 36,2 sq. etc.), at omnes libros propheticos divinitus esse inspiratos demonstratione vix indiget. Plerique ipsis titulis divinam librorum suorum originem innuunt : *Isaias* et *Abdias* eos *Visionem* nominant; *Ieremias, Osee*, *Ioel*, *Michaeas*, *Sophonias* illos dicunt *Verbum Domini*, *quod factum sit ad eos;* utrumque titulum *Amos* quasi coniungit : *Verba*, *quae vidit;* una cum divina origine etiam indolem operum suorum *Nahum*, *Habacuc*, *Malachias* indicant : « *Onus* Ninive; *liber visionis* Nahum », « *Onus, quod vidit* Habacuc », « Onus verbi Domini »[1]. Sicut titulis integra opera, ita iisdem vel similibus inscriptionibus partes quoque ad Deum referunt (*Is.* 2,1; 6,1 etc.; *Ier.* 2,1; 7,1 etc.), aut insertis נְאֻם יי, « *effatum Domini* »[2] vel יְאָמַר יי (*Is.*) vel כֹּה אָמַר יי (*Ierem.*) vel similibus formulis verba a se conscripta a Deo proficisci testantur, aut modum tempusque indicant, quo revelationes suas acceperunt (*Ezech.*

(1) Vocabulo *Onus* S. Hieronymus reddidit hebraicum מַשָּׂא, ut *tristem et onerosam prophetiam* significaret; nam « *Massa*, inquit, numquam praefertur in titulo, nisi quum grave et ponderis laborisque plenum est quod videtur » (in Habac. Prol.).

(2) *Ieremias* circiter *centies septuagies* formula ista utitur, quam S. Hieronymus plerumque vertit « *dixit Dominus* »; vix minus frequenter ab Ezechiele adhibetur synonyma נְאֻם אֲדֹנָי; Amos quoque et Zacharias eam amant.

1,1 sqq.; 6,1 etc.; *Dan.* 7,1; 8,1 etc.; *Agg.* 1,1 etc.). Revera Isaias opus suum « librum Domini » non vocasset, nisi eum totum esse inspiratum scivisset[3].

2. — Plerique libri prophetici non videntur esse nisi epitome quaedam concionum, quas viva voce prophetae coram populo habuerant. Neque tamen omnium librorum aut pericoparum eadem est ratio. Nonnulla enim conscripserunt, postquam ea pro concione dixerunt, sed alia statim conscripta neque umquam viva voce promulgata esse recte dicuntur.

Ieremias « *omnia verba*, quae adversum Israel et Iuda et adversum omnes gentes Deus ei locutus erat ex diebus Iosiae (i. e. ab a. 13. Iosiae) usque ad diem istam » (i. e. usque ad a. 4. Ioakim) scribere iussus est (*Ier.* 36,2); at is non fuit praecepti sensus, ut omnes et singulos sermones, quos ex Dei instinctu viginti tribus annis ad populum dixerat, fuse conscriberet, sed ut eorum epitomen aliquam conderet; id enim evidenter elucet ex eo, quod quum rex Ioakim priorem librum combussisset, propheta alterum eorundem sermonum exemplar dictaret adderetque « *sermones plures, quam antea fuerant* » (*Ierem.* 36,32). Simili modo reliquos prophetas saltem aliquoties egisse, libri eorum demonstrant. Quatuor capitibus *Isaias* (2.-5.) ea comprehendit, quae sedecim (vel sex) annis regni Ioatham vaticinatus est; quatuordecim capitibus Osee ea complectitur, quae sub quatuor regibus quinquaginta circiter annis operibus et verbis praedicare iussus erat. Atque ipsum dicendi genus concisum et rebus sensibusque refertum, quo plerique libri prophetici conscripti sunt, omnino docet, sermones ad populum non potuisse ea ratione dici, qua hodie conscriptos eos possidemus. — Attamen licet multa sint compendiose conscripta, postquam fusius pro concione sunt dicta, alia tamen numquam viva voce a prophetis sunt promulgata; quo non tantum historicae narrationes pertinent (*Ionas* integer; *Is.* 36.-39.; *Ierem.* 36.-43. 52; *Dan.* 1.-6.) aut breviores notae historicae sermonibus et vaticiniis praemissae, aut epistolae (*Ier.* 29; *Bar.* 6) aut pericopae, quae concionis forma plane carent (*Is.* 6; *Dan.* 7 sqq.), sed multa quoque, in quibus concionis forma est conservata, sed quorum argumenta concioni publicae parum sunt adaptata, uti vaticinia contra gentes (*Is.* 13. sqq.; *Ier.* 46. sqq. etc.) aliaque uti *Is.* 40.-66.; *Ez.* 40. sqq. etc.

Versus finem igitur vitae plerique prophetae ex divino impulsu concionem suas multis annis habitas in epitomen ita redegisse recte dicuntur, ut fideliter quidem earum summam referrent, sed in iis proponendis et disponendis libertate quadam uterentur iisque nonnulla, quae pro concione non dixerant, pro sua prudentia interponerent vel adderent.

Etenim non tantum in singulis fere pericopis, sed in integris quoque libris plerisque accurata, immo interdum artificiosa, deprehenditur partium dispositio; stylus quoque plerumque comtus est et ornatus. Atqui concionibus ex tempore habitis accuratus ordo stylique elegantia deesse solent. Multo minus autem inter varias conciones collectas singulasque librorum partes internus deprehenderetur nexus, si aut solius temporis ratio in sermonibus coniungendis esset habita aut arbitrario quodam modo, prout in manus venerunt, singuli essent recepti.

(3) Solus *Ionas* nec inscriptione praemissa nec in libro ipso divinam illam inspirationem indicat; sed eius libellus tota sua forma est historicus; quo tamen cum iure prophetici adnumeretur cfr infra § 25. 2.

3. — Obscuros esse libros propheticos saltem illis in pericopis, quae vaticinia proprie dicta continent, omnes fatentur. Quae obscuritas non tam ex stylo exoritur, qui oratorius quidem et saepe poeticus sed plerumque planus est, quam ex vaticiniorum natura argumentoque et ex modo, quo prophetae ipsi a Deo sunt illustrati.

Concionatores divinitus inspirati erant prophetae ideoque pro munere suo oratorium dicendi genus adhibebant, ita tamen, ut ad poeticum haud raro proxime accederent, immo nonnulla vaticinia essent iusta carmina. Attamen non tam ex altiore hoc dicendi genere quam aliis ex causis exoritur vaticiniorum obscuritas. *Prima* enim obscuritatis causa in ipsa vaticiniorum natura sita est. Nam prophetiae, quum res futuras dumtaxat *adumbrent* nec plus dicant, quam requiritur, ut res fuisse praedictas post earum eventum appareat, ex impletione lucem accipiunt, atque obscurae manent, quamdiu aut nondum sunt impletae aut earum impletio non plane innotuit. Atqui ex V. T. vaticiniis alia, quae de progressu et ultimis temporibus regni messianici agunt, impleta nondum sunt, alia autem, quae de ethnicis populis aut etiam de ipsis Iudaeis agunt, impleta quidem sunt, sed ob antiquorum monumentorum defectum cum impletione comparari nequeunt. Porro *altera* obscuritatis causa sita est in argumenti, de quo multa agunt, altitudine; de mysteriis enim loquuntur, quae intellectui nostro sunt impervia. *Tertia* demum causa ex modo exoritur, quo prophetae a Deo edocebantur. In *visione* se prophetis appariturum aut per *somnium* se illis locuturum esse, promiserat Deus (*Num.* 12,6 sq.); revelationis autem per somnium ipsi prophetae factae dumtaxat unum exstat exemplum in propheticis libris (*Dan.* 7,1 sqq.), ut ordinarius illustrationis modus *visio* fuisse videatur, id quod etiam nomina *Roeh* et *Chozeh* (Videns), inscriptiones librorum (*Visio quam vidit; Verbum quod vidit; Onus quod vidit* etc.), disertaeque assertiones prophetarum (*Is.* 6,1; 21,3 etc.) confirmant. Triplex autem visionis species vulgo distinguitur, quatenus aut *sensibus externis* res proponebatur (*Dan.* 5,25; 8,15 sq. etc. cfr *Gen.* 18,2 sqq.; *Exod.* 3,2 sqq. etc.), aut *internis sensibus* formae quaedam imaginariae imprimebantur (*Is.* 6,1 sqq.; *Ezech.* 1,3 sqq.; *Am.* 7,7 sqq. etc.), quo etiam pertinent symbolicae visiones (*Ezech.* 2,9 sqq.; 37,1 sqq.; 40.-46. etc.), aut *menti ipsi* species intelligibiles a Deo indebantur intellectusque lumine supranaturali ita illustrabatur, ut divinae providentiae mysteria normasque, secundum quas omnia ad finem suum divinitus diriguntur, cognoscere posset[4]. Iisdem vocabulis prophetae has species designant, ut saepe difficile sit dictu, ad quamnam aliqua visio pertineat. Ex hoc autem illustrationis propheticae modo dependent aliquae proprietates dictionis propheticae.

4. — Tamquam fideles testes prophetae illa retulerunt, quae viderant, eoque modo, quo illa viderant, eaque sola, quae viderant.

Hinc explicatur *a.*) cur res futuras velut praesentes aut etiam praeteritas saepe proposuerint.

« Mos hic est prophetarum omnium, inquit *S. Chrysostomus* (in Gen. Hom. 10,4), de nondum factis tamquam de factis loqui. Quia enim mentis oculis videbant, quae post multos annos erant futura, idcirco velut nunc ob oculos videntes omnia narrabant », nam « secundum scientiam prophetantium, inquit *S. Augu-*

(4) Cfr *S. Thom.* Summa theol. II. 2. qu. 173. a. 2. eiusque interpretes i. h. l.

stinus (In Ps. 4. n. 6) iam pro factis [aut pro praesentibus] erant habenda »[5]. Hinc etiam Isaias Cyrum velut praesentem alloquitur, et in secunda libri parte interdum cum exsulibus quasi vivere videtur eosque praesentes habens ulteriora tempora liberationis ex exsilio et messianicae redemtionis praevidet.

b.) Neque minus inde elucet, cur omnia vaticinia fragmentis sint similia, quae cuncta apto ordine disponi atque componi oporteat, ut completa rei imago exoriatur.

Nam « prophetae, inquit *S. Thomas* (Summa II. 2. qu. 171. a. 4), non omnia prophetabilia cognoscunt, sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua secundum specialem revelationem huius vel illius rei »; atque *S. Chrysostomus* (in Ps. 44. n. 3) « *omnia* quidem dicere evangelistarum est, prophetae vero munus est *partes aliquas* sumere et de eis disserere ». Hinc factum est, ut a prophetis Messias interdum exhibeatur neonatus, interdum belli dux hostes debellans, interdum humilis et despectus, ignominiosae morti traditus, interdum gloriose regnans, aut sacerdos, aut doctor etc.; interdum minuti vitae eius eventus describuntur, interdum de solo eius regno sermo est, nec quidquam de eius persona additur. Quomodo haec omnia, quae partim inter se pugnare videbantur, essent componenda et concilianda, latuit Iudaeos nosque lateret, nisi cuncta in Domini N. vita et regno videremus impleta.

c.) Hinc etiam in prophetica praedictione non ea, quae in historica narratione, claritas est quaerenda, atque maxime cavendum est, ne eadem accurata temporum distinctio, quae ab historicis iure exspectatur, a prophetis postuletur.

Ea ipsa, quae prophetis ostendebantur, non semper omni ex parte erant clara et definita, ideoque ea clarioribus verbis reddere non potuerunt. Extrema tantum rei alicuius lineamenta videbant ac proin describebant; sed « quemadmodum rudes illae adumbrationes, quas pictores de obiectis pingendis carbone delineare solent, plura offerunt, ex quibus deinceps, perfecta imagine, facile cognoscitur, eam illa delineatione fuisse adumbratam, ita vaticinia quoque, etsi minus clara sint, exhibent de futuro eventu satis multa, ex quibus deinceps accedente historia cognoscatur, haec vaticinio fuisse praedicta » (*Ackerm.*).

Maior difficultas in vaticiniis explicandis exoritur ex defectu indicationum chronologicarum. Non desunt quidem vaticinia, in quibus rei futurae tempus accurate definitur (*Is.* 7,8; 16,14; 20,3 etc.; *Ierem.* 25,12; 27,7 etc.; *Ezech.* 24,1 sq. etc.), in longe pluribus vero aut vago quodam modo aut omnino non indicatur, quia a prophetis ipsis ignorabatur (cfr 1 *Petr.* 1,11). Eadem scilicet visione interdum prophetae res futuras, quas longo temporum intervallo disiunctas esse eventu postea est demonstratum, viderunt ideoque eas descripserunt ac si eodem tempore essent eventurae, aut eventum unum, ad quem complendum multa saecula requirebantur, iam completum viderunt ideoque in sua descriptione initio statim finem adiunxerunt; atque crescit difficultas, si prior eventus, quoniam typus erat alterius, posteriori fuit similis prophetaeque in sua descriptione mox unum (typum),

(5) Interdum iidem Patres atque iuniores quoque interpretes minus recte docent, tempora praeterita ideo esse adhibita, « quia res futurae prophetis tam certae sint, quasi factae sint » (*S. Aug.* In Ps. 43. n. 5), vel « ut plane futurae et sine contradictione eventurae demonstrentur » (*S. Chrys.* C. Anom. 7,5). Cfr *S. Hier.* In Is. 5,25 etc.

mox alterum (antitypum) attigerunt, quasi de una sola re agerent. Sicut nos coelum nocturnum spectantes stellarum distantias non discernimus, aut picturam, in qua scenographiae praecepta non sunt observata, difficilime intelligimus, ita prophetae futuras res, quas saeculorum intervallum esset separaturum, eodem quasi in plano positas viderunt ideoque in iis describendis ab una ad alteram, temporis intermedii ratione non habita, transierunt.

Difficultas, quae ex hac describendi ratione exoritur, partim historica eventuum consideratione solvitur, partim locis parallelis, in quibus duo eventus, qui ab uno propheta quasi coniungi videntur, accurate secernuntur. Dominus N. in destructionis urbis Ierusalem et ultimi iudicii praedictione eundem propheticum morem sequi voluerat (*Matth.* 24); iam vero post destructionem urbis nos hodie definire possumus, quae ad priorem illum eventum non spectant, atque eadem praedictio, prout a S. Luca refertur (*Luc.* 21), ad duo illa iudicia de urbe Ierusalem et de mundo universo discernenda non parum iuvat. Eadem ratione etiam antiqui Iudaei accurata consideratione historiae et vaticiniorum parallelorum ea cognoscere potuerunt, quae Deus ad eorum salutem illis manifestare voluerat.

d.) Quoniam per visiones prophetae erudiebantur, frequentissimus est in vaticiniis usus imaginum; neque enim abstracto modo futuras res proponunt, sed prout eas viderant, imaginibus sive ex antiqua populi historia desumtis sive symbolicis.

Quoniam vetus oeconomia integra erat novae typus, ideo Deus ex illa desumsit imagines, quibus futura prophetis manifestaret. Hinc Messias illis ostenditur et ab eis repraesentatur tamquam magnus rex theocraticus, tamquam alter David, cuius nomen ipsum Messiae attribuitur, aut tamquam magnus propheta, qui docturus sit omnes gentes, aut tamquam summus sacerdos, qui se ipsum offerens deleturus sit omnia peccata. Item regno messianico eiusque hostibus describendis inserviunt res et hostes regni davidici, atque cultus Novi Testamenti describitur imaginibus ex vetere cultu desumtis.

A quibus differunt imagines symbolicae, quarum involucro interdum res prophetis ostendebantur: duo calathi ficorum portendebant Ieremiae diversam sortem exsulum et Iudaeorum in patria relictorum (*Ierem.* 24.), uncinus pomorum Amoso maturitatem regni Israel ad iudicium (*Am.* 8.) etc. Quae symbola rariora in antiquiorum, frequentiora in iuniorum (maxime Danielis et Zachariae) visionibus leguntur. Huc etiam spectant actiones symbolicae (*Is.* 20; *Ierem.* 19. etc.), nam non solis verbis, sed etiam actionibus suis prophetae erudire populum debebant.

Ceterum in propheticis imaginibus explicandis caveatur oportet, ne ultra modum premantur, ac si singula ac minutissima quaeque aliquid portenderent. Poeticum enim dicendi modum a prophetis frequenter adhiberi diximus; ideo etiam ab eis imagines poetice exornantur et perpoliuntur; errandi igitur periculo sese exponeret, qui illa, quae ornatus gratia sunt addita, ad rem ipsam pertinere arbitraretur. Non minus autem caveas, ne cum multis rationalistis omnia pro nudis ornamentis poeticis habeas, quibus vaga tantum spes futurae sortis melioris exprimatur. Ad quos scopulos evitandos interdum vaticinia iam impleta cum impletione compara, interdum ad alia vaticinia recurre, quae de eadem sine imagine loquuntur, interdum ipsam imaginum naturam perpende.

CAPUT II.

DE PROPHETIA ISAIAE.

§ 4. — *De prophetae vita et temporibus.*

1. — De vita Isaiae, filii Amos, qui sub quatuor regibus (Ozia, Ioatham, Achaz, Ezechia) munere prophetico Ierosolymis functus est, praeter paucissima illa, quae ex sacris literis colliguntur, vix quidquam certi est traditum.

Ne id quidem constat, qua ex tribu sit oriundus. Propter similitudinem nominum patris eius Amos et regis Amasiae immerito coniecerunt aliqui rabbini, prophetam ex stirpe davidica esse exortum. Infelicior fuit aliquorum Patrum coniectura, qui nomina patris Isaiae Amos (אָמוֹץ) et prophetae Amos (עָמוֹס) confundentes Isaiam dixerunt filium prophetae thecoensis. Ex honesta potius familia ierosolymitana natus videtur tempore regis Oziae (Azariae), atque liberalibus artibus institutus (id quod styli elegantia carminaque libro inserta docent) ultimo Oziae anno (a. 747.) sublimi visione ad propheticum munus est vocatus (6,1 sqq.). Matrimonio iunctus ex uxore sua, quae ipsa quoque prophetissa erat (8,3), duos filios genuit, quibus a Deo iussus prophetica nomina imposuit (7,3; 8,3), ut non minus pueri eius, quam ipse, nominibus suis « essent in signum et portentum Israel » (8,18)[1]. Quantum auctoritas eius valuerit, non tantum modus docet, quo cum impio Achaz (7,1 sqq.) et cum pio Ezechia (36,1 sqq.) egit, sed praeprimis insignis illa libertas, qua integri populi atque ipsorum principum et magnatum vitia aggredi et vituperare ausus est. Quo anno sit mortuus, non constat; certum est, eum usque ad ultimos Ezechiae annos munere suo functum esse, siquidem expeditionem Assyriorum, cuius infelicem exitum praedixit et vidit (37,6 sqq.), a. 4. Sennacherib (a. 701.) susceptam esse, ex monumentis cuneiformibus colligitur[2].

(1) Prophetae nomen יְשַׁעְיָהוּ (ישעיה, Ἡσαΐας, It. *Esaias*, Vulg. *Isaias*) probabilius compositum est ex יָשַׁע יְהוָה, σωτηρία Κυρίου, *salus Domini* (*S. Hier.* in Ioel. Prol.); « ita autem appellatus est, inquit *Abarbanel*, quia proclamaturus erat *salutem Domini* multaque oracula de futura salute edidit », immo vero quia ipso suo nomine quoque *Salvatorem* praesagire debuit. Primogeniti filii nomen erat שְׁאָר יָשׁוּב (7,3; *S. Hier.* parum recte partem nominis vertens : *qui derelictus est Iasub*) « *reliquiae convertentur* » vel « *revertentur* »; utroque sensu nomen praedixit partis Israelitarum futuram conversionem et reditum ex exsilio. Alterius filii nomen (8,3. 4) מַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז (*festinans praeda, velox rapina*) explicatur ab ipso propheta (l. c.).

(2) Secundum *Is.* 36,1 (cfr 4 *Reg.* 18,13) expeditio Sennacherib ponenda esset a. 14. Ezechiae; communis autem est modernorum interpretum sententia, temporis indicationem ex *Is.* 38,1 (4 *Reg.* 20,1) per librariorum errorem in alterum locum (36,1) esse transpositam. Revera a. 14. regni sui Ezechiam aegrotasse ex eo constat, quod precanti quindecim vitae anni a Deo sint concessi (38,5), universi autem anni regni eius fuerunt

Summa quoque probabilitate valet eorum sententia, qui eum Manasse tempore, quamvis eum in inscriptione non nominet, superstitem fuisse et munus continuasse tenent. Antiqua enim est Iudaeorum traditio, quae in Novo Test. (*Hebr.* 11,37) confirmari videtur atque inde a S. Iustini M. aetate a Patribus recepta in Martyrologium Rom. (d. 6. Iulii) transiit, iussu regis Manasse prophetam serra lignea dissectum martyrio vitam coronasse. Ultra quinquaginta igitur annos munus propheticum sustinuit, atque senex plus septuaginta aut octoginta annorum martyrium est passus.

2. — Difficillima erant tempora, quibus Isaias tamquam custos fidelis in alta specula positus gravissimis poenis praevisis contribules suos impios terrere, pios futura salute annuntiata regnique messianici felicitate descripta consolari et confortare debuit. Illa enim aetate regnum septemtrionale, quod peccatorum mensuram impleverat, ab Assyriis destructum est; regnum vero meridionale ipsum, in quo Isaias munere suo fungebatur, impietate et stultitia regis Achaz invasionibus Assyriorum obiectum est, neque Isaiae monita impediverunt, quominus pius rex Ezechias novis periculis rempublicam exponeret.

Eodem fere tempore, quo *Ozias* (799.-747.) thronum Iuda, *Ieroboam II.* (802.-762.) thronum Israel occupavit, qui fortissimus rex regnum septemtrionale ad summum quidem externae fortunae culmen adduxit, attamen populum ad veri Dei cultum revocare eiusque mores corrigere non est conatus. Ita factum est, ut post eius mortem internis dissidiis regnum dilaceraretur; filius eius *Zacharias* post paucos menses a *Sellum* (a. 761.), Sellum post paucas hebdomadas a *Manahem* throno et vita privati sunt. Manahem (760.-750.), ut usurpatum thronum confirmaret, regem Assyriorum, Phul, advocavit; at regnum eius non est firmatum, nam filius eius *Phaceia* (750.-748.) iam post duos annos a duce exercitus sui *Phacee*, filio Romeliae (748.-728.) e throno eiectus et occisus est. Assyrii vero exinde incursiones repetierunt, usque dum totum regnum destruxissent.

Omnes hae regum Israel mutationes factae sunt, quo tempore *Ozias* thronum davidicum occupavit; regnum eius, quod Isaias descripsit (2 *Par.* 26,22), unum ex gloriosissimis fuit in tota historia Iuda; sed rex in servitio Dei, qui eum direxerat, fidelis non permansit; populi sacrificia in excelsis non impediverat et quum superbia elatus sibi ipse sacerdotale munus arrogasset, lepra punitus administrationem regni a. 757. filio Ioatham relinquere atque ultimos vitae annos solitarius degere debuit. Anno mortis eius (a. 747.) Isaias munus propheticum iniit (huc igitur pertinet *Is.* 6.). *Ioatham* (757. vel 747.-741.) patris mores est imitatus; fortis et sollicitus fuit in debellandis hostibus et administrando regno, at negligens et debilis in auferendis excelsis et impugnanda morum corruptione, quae paullatim invaluit et quam Isaias vehementissime impugnavit (huc pertinent *Is.* 2.-5.). Neque longe abfuit poena; nam « in diebus illis coepit Deus mittere in Iudam Rasin regem Syriae et Phacee filium Romeliae » (4 *Reg.* 15,37); advenit autem poena tempore *Achaz* (741.-725.). Qui impiissimus rex ipsum cultum Baalim regno Iuda invexit omnique modo idololatriam promovit. Quapropter Deus

undetriginta (4 *Reg.* 18,2). Morbum Ezechiae praecessisse expeditioni Sennacherib ex tota narratione constat; Isaias autem in duobus factis referendis ob rationem in analysi indicandam chronologicum ordinem invertit, atque ideo fortasse secundae narrationi indicationem temporis adiecerat, quam librarius ad prius factum erronee retulit.

eum in manus regum Syriae et Israel tradidit, qui regnum invadentes ipsam domum davidicam destruere et « filium Tabael » aliquem in Ierusalem regem constituere voluerunt (*Is.* 7,6). Frustra in hoc extremo periculo Deus per Isaiam regi auxilium suum obtulit; nam impius rex auxilium Assyriorum implorare maluit. Precibus eius Theglatphalasar, Assyriae rex, acquiescens Phacee quidem et Rasin devicit, sed ipsum quoque Achaz « afflixit nulloque resistente vastavit » (2 *Par.* 28,20) atque tributarium fecit (huc pertinent *Is.* 7.-12.).

Interea Phacee interfecto successit ultimus rex Israel *Osee,* filius Ela (728.-720.), qui, licet praedecessoribus suis minus malus esset, regni interitum impedire non potuit. Ab Assyriis tributarius factus apud Aegyptios auxilium quaesivit; sed nova expeditione Salmanasar regnum Israel vastavit; Samaria capta est, regni incolae in Assyriam sunt transportati (720.). Felicior fuit regni Iuda conditio; Achaz enim successorem habuit pium filium suum *Ezechiam* (725.-696.) qui mores populi reformare atque excusso Assyriorum iugo regno suo libertatem vindicare studuit, sed non pleno cum successu. Templum quidem iterum aperuit magnaque cum sollemnitate festa religiosa celebravit; at haud pauci ex eius subditis idola sua secreto colebant, multo plures ob regis timorem mere externo cultu Dominum venerabantur, atque magnam, praesertim inter divites regnique magnates, remansisse morum corruptionem clare docent Isaiae Michaeaeque conciones isto tempore habitae (ad regnum Ezechiae pertinent *Is.* 1. et fere omnia vaticinia 13.-35., uti narrationes 36.-39.). Ita factum est, ut etiam Ezechiae tempore Deus ab omni populi sui castigatione non abstineret. Neque enim Assyriorum iugum abiicere neque eorum invasionem avertere potuit Ezechias. Ab initio quidem Isaiae monitis (*Is.* 30. 31.) obsequens restitit magnatibus, qui Aegyptiorum auxilium contra Assyrios implorare voluerant, at a. 14. regni sui cum rege Babylonis Merodach Baladan aliisque foedus contra Assyrium pepigisse videtur. Quare Assyrii sub Sargonis filio et successore Sennacherib magna expeditione non tantum reliquos populos foederatos subiecerunt, sed etiam magnam terrae Iuda partem occupaverunt; atque ipsa urbs Ierusalem maximo periculo erat exposita, sed Deus per Isaiam Ezechiae auxilium suum promisit unaque nocte exercitum Assyriorum destruxit. Fugitivus Sennacherib reversus est in terram suam nec amplius arma vertit contra Ezechiam, cuius ultimi anni felices fuerunt.

Successorem habuit *Manassen* (696.-641.), qui idololatriam a patre eius continuo impugnatam resuscitavit, sed eius historiam praetermittimus quoniam ad Isaiae vaticinia intelligenda directe non iuvat, licet probabile sit, prophetam primis impii illius regis annis libro suo ultimam manum imposuisse.

§ 5. — *De libri Isaiae argumento, ordine, indole*

1. — Multis concionibus vaticiniisque, quae quinquaginta fere annis dicta aut scripta sunt, librum Isaiae constare, ex titulo totius operis (1,1) nonnullarumque partium inscriptionibus (7,1; 13,1 etc.) apparet. Pericopae autem omnes, etsi singulae de variis rebus agant, ad unum finem collineant unaque idea reguntur; totum enim earum argumentum apte illo « gratiae edicto » (*Rup. Tuit.*) comprehenduntur : *Sion in iudicio redimetur et conversi eius in iustitia* (1,27).

A Deo missus, ut populum « ad Legem et testimonium » (8,20) revocaret, pro

munere suo iuxta auditorum necessitates eos mox obiurgare, mox consolari, mox confortare debuit; nihilominus integrum eius librum « consolationem » esse, recte iam monuerunt Thalmudici; atque iure Isaias vocatur *propheta misericordiae divinae*. Nam iudicium quidem annuntiat filiis Israel et gentibus, sed iudicium et poenae, etsi in interitum sint occaecatorum, in salutem erunt reliquiis, quae poenitentia acta ad Dominum Deum suum revertentur, atque populi ethnici ipsi quoque non destruentur, nisi ut eorum reliquiae participes fiant beneficiorum regni messianici, quod in priorum regnorum ruinis erectum non dissipabitur in aeternum. Novi autem regni centrum erit Ierusalem (2,2 sqq.) eiusque rex progredietur ex Iuda (4,2 etc.); ideo omnia vaticinia, etiam illa, quae de longinquis gentibus agunt, propheta, ut eorum unitatem insinuet, inscribit « *de Iuda et de Ierusalem* » (1,1), quippe ad quae vere referantur.

2. — Ordo, quo vaticinia Isaiae sunt disposita, non est mere chronologicus, sed ita ex argumento petitus, ut aliqua temporis ratio sit habita.

« Usque ad finem libri scriptum referri, quid seorsim sub Ozia et quid sub Ioatham et quid sub Achaz et quid sub Ezechia prophetae esset revelatum », putavit *S. Hieronymus* (In Is. 1,1), quem alii sequuntur. At parum recte haec asseri clarum est, siquidem Oziae regno sola adscribitur visio c. 6., Ioatham in solo titulo (1,1) nominatur, tempore Achaz edita indicantur 7,1 sqq. et 14,28-32, Ezechiae iterum nomen in titulo tantum et in relatione historica (36.-39.) ponitur; porro prologus (1,1 sqq.) et vaticinia sequentia (2.-5.), quum prior ad Ezechiae, alia ad Ioatham regnum pertinere videantur, visione c. 6. sunt recentiora etc. Nec secundum regna igitur nec ordine chronologico conciónes sunt dispositae. Rectius *S. Thomas* ex argumento desumsit divisionis rationem, atque duae partes, quas distinxit (« in priore ponitur comminatio divinae iustitiae ad excidium peccatorum 1.-39., in secunda consolatio divinae misericordiae ad resurrectionem iustorum 40.-66. »), hodie ab omnibus fere agnoscuntur, etsi aliis verbis earum argumenta definiuntur. Controvertitur tamen, num pericopae historicae (36.-39.) priori an alteri an neutri parti sint attribuendae; rectius illi sentiunt, qui duo priora capita (36. 37.) prioris partis clausulam, duo reliqua (38. 39.) introductionem alterius dicunt. Altera controversia est de totius libri exordio, quod longe plerique solo cp. 1. absolvi tenent, nos cum aliis usque ad cp. 6. extendimus.

3. — Argumenti et ordinis ratio ex brevi hoc totius operis conspectu clarius innotescet.

INTRODUCTIO TRIPARTITA (1,1-6,13) *utrumque libri argumentum indicat eiusque innuit auctoritatem et fructus, quos producturus sit inter Iudaeos.*

1. *Concio prima argumentum comminativum explicat* (1,2-31). — Quia populus calamitatibus ad Deum non est reductus (1,2-10) ac frustra mere externis suis ritibus confidit (1,11-20), severo iudicio redimetur Sion (1,21-30).
2. *Concio secunda, etsi futurum iudicium non tacet, magis tamen consolatorium argumentum indicat* (2,1-5,30). — Ut ad gloriosum regnum Messiae cum gentibus accurrant, Iudaei invitantur (2,1-5); quam invitationem necessariam esse docet perversitas populi, quae divinis poenis auferetur (2,6-4,1). Ne vero integer populus destruendus videatur, proponitur vaticinium de germine ex Iuda progrediente et reliquias sanctificante (4,2-6), cui additur parabola de vinea sterili (5,1-7), quam in populo verificari ostendunt peccata poenis luenda (5,8-30).

3. *Visio, qua propheta inauguratur* (6,1-13) eius auctoritatem demonstrat (6,1-7) fructumque missionis innuit (6,8-13).

PARS PRIOR (7,1-37,38) : *Sion et mundus in iudicio redimentur.*

1. *Sion tempore Achaz a Deo per Assyrios punitur, sed salvatur propter Emmanuel* (7,1-12,6).

Primum vaticinium de Emmanuele ex Virgine nasciturо (7,1-25). — Regi Achaz signum auxilii contra Israel et Syriam promissi petere recusanti Deus ipse statuit signum, Emmanuelem ex Virgine nasciturum (7,1-16), at incredulo regi simul annuntiat poenam per socios eius Assyrios infligendam (7,17-25).

Secundum vaticinium de Emmanuele eiusque regno in terra Israel exoriente (8,1-9,7). — Alteri prophetae signo de brevi periculi duratione non credens regnum Iuda cum Israel et Syria punietur per Assyrios, sed servabitur propter Emmanuel (8,1-10). Quid ista in calamitate agere debeant, Iudaei edocentur (8,11-22), iisque promittitur lux in terra Israel exoritura, Emmanuel eiusque regnum (9,1-7).

Tertium vaticinium de Emmanuele gloriose regnante (9,8-12,6). — Regni Israel, quod per Assyrios destruetur (9,8-10,4), et regni assyriaci postea interituri (10,5-34) ruinis opponitur Messias ex humili quidem trunco Iesse progrediens, sed gloriose regnans (11,1-16); quare cantico gratias agens propheta sectionem terminat (12,1-6).

2. *Regna mundi destruentur, sed eorum reliquiae benedictionum Messiae participes fient* (13,1-27,13).

Onus Babylonis (13,1-14,27), utpote typi potestatis antimessianicae. — Descripto interitu Babylonis (13,1-22) iudiciique huius fructu indicato (14,1. 2) reliquiae Israel epinicio celebrant Babylonis ruinam (14,3-21); certitudinem autem huius iudicii futuri confirmat propheta praedicens instantem Assyriorum cladem (14,22-27).

Onus gentium vicinarum (14,28-17,14) sc. *Philisthaeorum* (14,18-32) — et *Moabitarum,* quos, quum eorum regnum iam destructum videat (15,1-9), a Sion auxilium petere iubet propheta (16,1-5), quia gravis futura sit eorum ruina et mox initium habitura (16,6-14), — atque *Damascenorum* (17,1-14).

Onera gentium longinquarum, a quibus ad viciniores revertitur (18,1-23, 18). — Incipit propheta ab *Aethiopia* et *Aegypto* (18,1-20,6). Aethiopes quiescere iubentur, quia Assyria subito corruet (18,1-7); Aegyptiis variae praedicuntur calamitates, quarum fructus erit verus cultus in Aegypto et in Assyria (19,1-24). In cuius vaticinii remoto tempore implendi confirmationem affert aliud de clade a Sargone Aegyptiis mox inferenda (20,1-6). — Transit ad *desertum maris* i. e. Babylonem, cuius interitus solatio erit Iudaeis (21,1-10), atque per *Duma* (Idumaeam?) et *Arabiam* (21,11-16) revertit ad *vallem visionis* i. e. Ierusalem, quae urbs terrore perculsa et strage afflicta remedio, quo salvari possit, uti non vult ideoque punietur (22,1-14); quod vaticinium remotum iterum confirmat altero mox implendo de Sobna, praefecto regio, eiusque successore Eliakim (22,15-25). — Demum stragis *Tyri* gravitate descripta auctorem et causas eius indicat spem ei relinquens (23,1-18).

De iudicio universali ac de singulorum iudiciorum fructu (24,1-27,14) ita

Isaias agit, ut simul singulorum iudiciorum descriptorum finem ac scopum illustret eaque quasi summatim comprehendat. Ab accurata enim ultimi iudicii descriptione exorsus (24,1-25) triplicem eiusdem fructum ostendit : gloriam Dei, beatitudinem piorum, impiorum humiliationem (25,1-12) particulamque claudit cantico, quo salvati Deo de his fructibus gratias acturi sint (26,1-19).

Velut conclusionem practicam autem ex tota hac sectione deducit, populum quiete debere exspectare, donec Deus debellatis eius hostibus eum facturus sit vineam suam amabilem (26,20-27,6); futurum quippe esse, ut in hoc calamitatum exitu et fine appareat bonitas ac sapientia Dei, qui punit, ut salvet (27,7-13).

3. *Sion tempore Ezechiae a Deo per Assyrios iterum punitur, sed salvatur, quia credidit* (28,1-37,38). Sex vaticiniis minacibus constat haec sectio, eique additur descriptio diversae sortis finalis impiorum et piorum. Confirmationis gratia narrat propheta, quomodo Deus Ezechiam et Sionem ab assyriaca invasione liberaverit.

Duo Vae contra Samariam et Ierusalem (28,1-29,14). — *Samariae* Deus minatur interitum propter eius peccata, sed ob eandem rationem *Ierusalem* punienda est (28,1-15), cui unica via salutis remanet, fiducia sc. in « lapidem angularem pretiosum » in fundamentis Sion positum (28,16-29).

Vae contra Ierusalem calamitatem praedictam accuratius describit simul promittens futurum auxilium (29,1-14).

Tria Vae contra populi seductores, qui humanis auxiliis (foedere aegyptio) se devicturos esse Assyriam sperant (29,15-32,20).

Primum Vae subitam quandam annuntiat rerum conversionem, quae piis gaudio, impiis ruinae futura sit (29,15-24);

altero docetur foedus aegyptiacum ignominiam esse allaturum, id quod confirmatur vaticinio contra iumenta austri (Aegyptum) edito (30,1-14); unde propheta populum hortatur, ut veram salutis viam ineuntes fiduciam suam in Deo collocent, qui hostes sit percussurus (30,15-33).

Tertium tandem Vae stultitiam eorum carpit, qui ab infirmis Aegyptiis auxilium exquirunt, quod Deus populo fideli ad idola confundenda praestiturus sit (31,1-9); cuius divini auxilii fructus erit regnum iustitiae; at prius humiliatio, deinde felicitas (32,1-20).

Vae contra Assyriam, quae vastabitur; subito auxilio Deus terrebit impios, recreabit pios (33,1-24).

Exitus finalis infidelium et fidelium (34,1-35,10). — Iudicio contra Edom, tamquam typum impiorum (34,1-17) opponitur futura felicitas piorum (35,1-10).

Epilogus historicus (36,1-37,38) docet, quem fructum praecedentes conciones tulerint. Dei enim fiduciam, quam omnes commendant, non defuisse Ezechiae ostendunt; rex credidit et angelus Dei destruxit exercitum Assyriorum. Verum quoniam his capitibus nonnulla vaticinia Isaiae referuntur, quae statim impleta sunt, narratio etiam reliquis omnibus confirmandis inservit.

PARS ALTERA (38,1-66,24) : *Conversi in iustitia redimentur*. Praemissa introductione historica (38,1-39,8), quae prima *babylonici* exsilii praedictione ab assyriaca calamitate ad liberationem ex exsilio babylonico, quae typus erat libera-

tionis ex iugo peccati, lectores apte transducit, propheta characterem consolatorium et divisionem huius partis indicat (40,1. 2), quae integra est de liberatione ex exsilio et ex peccato.

1. *Terminata est militia i. e. molestia et aerumna* (40,3-48,22).

Prima concio (40,3-31) Dominum ob potentiam et sapientiam suam populum liberare posse docet.

Tres sequentes conciones (41,1-44,23) de utraque liberatione universe agunt. — *Secunda* eam praedicit velut argumentum potentiae et sapientiae divinae (41,1-29), quum Deus ab Oriente advocaturus sit iustum suum (Cyrum), qui omnes praeter Israelitas sit territurus; — *tertia* de altera liberatione maxime agens liberatori, qui terret, opponit alterum, « servum Dei » mitem (42,1-12); — *quarta* de utriusque liberationis auctore primario, modo et fructibus ita agit, ut a typo ad antitypum saepe transeat (42,13-44,23).

Tribus aliis concionibus (44,24-47,15) de priore liberatione agitur. — *Quinta* est de Cyro liberatore (44,24-45,25); — *sexta* de ruina idolorum Babylonis (46,1-13); — *septima* de humiliatione Babylonis (47,1-15).

Octava concio (48,1-22), utpote sectionis epilogus, in exhortatione versatur caritatem divinam celebrans.

2. *Dimissa est iniquitas* (49,1-57,20).

Prima concio de secundo liberatore (« servo Dei ») eiusque opere universe tractat (49,1-26).

Duabus sequentibus (50,1-52,12) modus fructusque liberationis explicantur. — *Secunda* enim inobedientiam Sionis ablatum iri obedientia passionis « servi Dei » docet, (50,1-11); — *tertia* modo dialogico velut fructum liberationis populo salutem promittit et Sionem ad gaudium excitat (51,1-52,12).

Tres aliae conciones (52,13-56,8) modum liberationis et fructus redemtionis accuratius describunt. — *Quarta* humiliationem passionesque « servi Dei » fructibus obiter indicatis describit (52,13-53,12); — *quinta* fructus exaltat antiquae Sioni sterili et pauperi novam Sionem opponens (54,1-17); — *sexta* autem novum foedus promittit, cuius Messias futurus sit testis et cuius participes futurae sint omnes gentes, quae cum Israel congregabuntur (55,1-56,8).

Septima (56,9-57,21) a futura illa gloria lectores reducit ad tristem populi conditionem, quae fuit aetate prophetae. Gentes (bestiae terrae) enim populum devorare iubentur, qui vitiis et idololatriae est deditus (56,9-57,12), sed non integrum reiiciet Deus (57,13-21).

3. *Duplicia recipiet Ierusalem* i. e. magnae erunt benedictiones messianicae (58,1-66,24).

Duabus primis concionibus (58,1-59,21) iustitia interna commendatur tamquam radix illarum benedictionum. — *Prima* externis populi operibus cum peccato coniunctis veram iustitiam opponit, qua ad felicitatem perveniatur (58,1-14); — *altera* peccata esse salutis impedimenta ostendit, quae humili confessione agnoscantur oporteat (59,1-21).

Quinque sequentes conciones (60,1-65,25) de regni messianici bonis eorumque auctore agunt. — *Tertia* est de novae Sionis gloria, quae ex eius sanctitate exoritur (60,1-22); — *quarta* auctorem huius gloriae celebrat (61, 1-11); — *quinta* desiderium novae Sionis excitat (62,1-12); — *sexta* passionem, qua Messias hanc gloriam meruit, peccataque populi Deo semper

resistentis in memoriam revocans Deum exorat, ut hanc gloriam nihilominus populo concedat (63,1-64,11); — in *septima* Deus praecedenti precationi respondet (65,1-25).

Octava (66,1-24), tertiae sectionis et totius libri epilogus, summum prophetiae argumentum complectitur. Externis Iudaeorum ritibus reiectis Deus novum sibi populum in Sion praeparabit (66,1-9); ideo pii laetentur, impii timeant (66,10-17); undique gentes ad novam Ierusalem accurrent (66, 18-23), extra cuius muros iacebunt cadavera impiorum (66,24).

4. — Quum ob argumentorum quae tractat varietatem tum ob vaticiniorum messianicorum claritatem atque ob styli pulchritudinem et sublimitatem velut princeps prophetarum merito celebratur Isaias.

« Magnum et admirabilem » aut « divinum » immo « maximum et divinissimum » prophetam eum appellarunt *Eusebius* (Dem. evang. II. 4; V. 4) et *Theodoretus* (in Is. Prooem.), « magniloquentissimum » *S. Gregorius. Naz.* (*Or.* 4,2) et *S. Chrysostomus* (in Gen. hom. 8); *SS. Cyrillus A.* (in Is. Prooem.) autem, *S. Hieronymus* (in Is. Prol.), *S. Augustinus* (Civ. Dei XVIII. 29) eum evangelistam et apostolum potius, quam prophetam, appellandum dixerunt, quia evangelicae praedicationis splendore vaticinia sua exornasset. Similibus laudibus eum celebrarunt iuniores interpretes omnes, inter quos aliqui eum omnibus oratoribus et historicis et poetis fuisse graviorem, ornatiorem, sublimiorem, iucundiorem censent, ut si latine scripsisset, Latinorum, si graece, Graecorum omnium gloriam obscurasset (cfr *Sanct.* in Is. Prooem. 13.). Inter sacros scriptores, si oratoriam artem attendis, solus ei Apostolus Gentium comparari potest.

§ 6. — *De auctoritate et authentia vaticiniorum Isaiae.*

1. — *Divina auctoritas* vaticiniorum Isaiae plurimis Novi Test. testimoniis ita demonstratur, ut alia argumenta afferre superfluum sit.

Circiter quinquagies a Domino ipso et ab Apostolis verba Isaiae accurate allegantur, et plus quam quadragies liberiore modo. Allegationes autem ex omnibus libri partibus ita sunt desumtae, ut integrum opus testimoniis Novi Test. divinum probari merito dicatur. Ceterum iam Ecclesiasticus (48,25-28) totum opus velut divinum prae oculis habuit, quando Isaiam vocavit « prophetam magnum et fidelem in conspectu Domini », qui « spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion, usque in sempiternum ostendit futura et abscondita, antequam evenirent ». Mirum igitur non est, quod una cum Pentateucho et Psalterio vaticinia Isaiae praecipui sint fontes, ex quibus Patres apostolici et recentiores argumenta Veteris Test. hauserunt.

2. — Iidem auctores autem, qui vaticiniis his usi sunt, illa etiam Isaiae filio Amos auctori attribuerunt; sed ab exeunte saec. 18. rationalistae hanc gloriam Isaiae negare coeperunt, ita ut, si eis fides esset, minima pars vaticiniorum, quae hodie in eius libro leguntur, ab ipso esset profecta.

Primus *I. B. Koppe* (a. 1779.) levem dubitationem de authentia c. 50. movit non suspicatus, quo sententia sua alios esset adducturus; statim enim alius in-

tegram secundam partem (40.-66.) addubitavit, atque paucis annis post (a. 1794.) tertius eam argumentis allatis spuriam demonstrare conatus est. Quae argumenta ita placuerunt, ut inter rationalistas hodie nullus inveniatur, quin pro dogmate teneat, tempore exsilii babylonici cpp. 40.-66. esse conscripta; Isaiam enim, qui centum circiter annis ante ortum magni regni babylonici vixit, nihil de Chaldaeis scivisse ac proin nihil de exsilio babylonico aut de exsulum reditu praedicere potuisse. Quo fundamento posito alia quoque vaticinia de Babylonia et de Chaldaeis (cpp. 13; 14; 21,1 sqq.; 23) Isaiae abiudicabantur; quoniam nonnulla autem capita (24.-27; 34; 35) stylo argumentoque similia videbantur reiectis, illa quoque reiiciebantur. Aliis deinde alia displicuerunt, atque eo hodie res pervenit, ut ex sexaginta sex capitibus, quibus liber constat, *sola sexta circiter pars*, i. e. undecim integra capita et trium fragmenta quaedam principi prophetarum ab omnibus concedantur.

Duobus argumentis adversarii sententiam suam demonstrare conantur, uno dogmatico, altero philologico. Praeprimis tenent prophetam nec plura scire nec plura praedicere posse, quam quicumque vir sagax rebus suae aetatis diligenter consideratis cum maiore minoreve probabilitate coniicit; secundo loco partes reiectas stylo linguaque a reliquis, quas retinent, differre monent. At prius eorum argumentum merum est praeiudicium rationalisticum; alterum vero nihil probat, quum levis, quae adest, styli dissimilitudo ex diversa argumenti, temporis, confectionis ratione satis explicetur.

Omnia et singula commenta, quibus uni alterive rationalistae pericopen aliquam impugnare placuit, accurate referre et refutare, vel ideo non est necessarium, quia tam futilia sunt, ut ne amicis quidem suis ea probabilia reddiderint; de illis igitur praecipue pericopis agemus, quae a maiore rationalistarum numero Isaiae abiudicantur, i. e. de secunda libri parte (40.-66.) et de prioris partis cpp. 13. 14.; 21,1-10; 24.-27.; 34-35.; 36.-39. Ceterum argumenta positiva, quae statim affe remus, integri operis authentiam vindicant.

Iam ad obiectiones rationalisticas quod attinet, procul dubio verum est, Isaiam naturali sagacitate nec exsilium babylonicum nec reditum exsulum praevidere potuisse; at hucusque rationalistae nondum demonstraverunt, omniscium Deum, qui remotissima non minus quam vicina atque specialia non minus quam generalia perspicit, haec prophetis non revelasse. Num hominis est praescribere Deo, quae et qua ratione et quo ordine prophetis futura ostendat?

Alterum argumentum ornamenti gratia potius addunt, ut rationalistica sua principia tegant. Nec minus puram esse linguam nec minus pulchrum stylum reiectarum partium, quam retentarum, ipsi fatentur, sed faciliorem politioremque sermonem secundae partis esse censent simulque diffusiorem verbosioremque; suis quoque proprietatibus linguam prioris ab altera parte distingui. At adversarii nostri non attendunt, Isaiam plus quinquaginta annis munere prophetico esse functum, neque integrum librum uno tenore conscripsisse sed ex variis pericopis, quas antea iam literis mandaverat, versus finem vitae composuisse iisque alteram partem addidisse. Ubinam autem invenitur scriptor, qui per longam vitam semper eodem *stylo* utatur? Neque attendunt, prioris partis conciones ab Isaia coram populo esse habitas et deinde earum summam esse scriptam, alteram autem partem non pro concione esse dictam. Addamus, utriusque partis argumentum esse

diversum, eundemque stylum non convenire increpationibus prioris partis atque consolationibus alterius. *Linguam* vero utriusque partis diversam esse, immerito obiiciunt adversarii; ἅπαξ λεγόμενα in omnibus partibus reperiuntur, atque ad isaianos idiotismos quoque attendere debent, si ex lingua de alicuius pericopae authentia iudicare volunt[1].

3. — Quoniam libri origo est factum historicum, historia praeprimis interroganda est, quid de illa referat. Atqui constans traditio inde ab antiquissimis temporibus omnia vaticinia, quae hodie in Isaiae volumine leguntur, Isaiae filio Amos, qui tempore Ezechiae vixit, auctori attribuit.

Aetate Domini N. vaticinia, quae hodie a rationalistis Isaiae abiudicantur, in Isaiae volumine adfuisse constat ex *Act.* 8,28. 32 sqq. (cfr *Is.* 53.), *Luc.* 4,17 sqq. (cfr. *Is.* 61.); in genere octo allegationibus ex secunda parte desumtis additur nomen Isaiae. Duobus saeculis antea Ecclesiasticus (48,25 sqq.) Isaiae librum ita describit, ut vaticinia reiecta in eo fuisse omnes concedant; atque etiam 3. saec. a. Chr., quum graeca versio adornaretur, vaticinia iam omnia Isaiae attributa esse, ipsi adversarii fatentur. Unde concludimus, etiam Esdrae aetate, quando libri sacri collecti sunt, Isaiae volumen eadem, qua hodie, forma exstitisse. Adversariorum igitur nunc est, explicare, quomodo factum sit *a.*) ut vaticinia, quae paullo ante Esdram exorta esse dicunt, iam Esdrae aetate cum longe antiquioris prophetae operibus sint coniuncta, *b.*) ut eximii huius prophetae, cui Is. 40.-66. aliaque vaticinia Isaiae abiudicata debeantur, nomen oblivioni prorsus sit datum, licet brevissima Abdiae etc. opera nomina auctorum suorum conservaverint.

Traditioni testimonium gravissimum accedit illorum prophetarum et scriptorum sacrorum, qui ineunte exsilio aut ante illud viventes integrum nostrum librum iam prae oculis habuerunt atque ex illis vaticiniis, quae reiiciuntur, nonnulla mutuati sunt.

Esdrae tempore, quando scripta sunt Paralipomena, narrationes de expeditione Sennacherib, de morbo et sanatione Ezechiae, de legatione Merodach Baladan in libro, qui eodem titulo, quo noster, appellabatur *Visio Isaiae, filii Amos, prophetae* (2 *Paral.* 32,32), iam aderant eodem ordine chronologico inverso, quo in nostro hodie exstant (§ 4. n. 2. p. 373). Immo eadem ordinis inversio iam invenitur in 4 *Reg.* 18,13-20,19, quo in loco narrationes istae ad verbum fere repetuntur. Concludamus igitur oportet, auctorem librorum Regum, quem Ieremiam esse probabilibus argumentis ostendimus (Diss. IV. § 23. 3 p. 225) quemque medio circiter exsilio opus suum terminasse constat, illam narrationum dispositionem in libro Isaiae invenisse ideoque eam adoptasse. — Porro ex infra dicendis (§§ 9. n.;

(1) Vocabula phrasesque, quae a solo Isaia adhibentur, *septuaginta septem* numerari dicuntur in 1.-12. et *octoginta* in duodecim aliis capitibus, quae a plerisque genuina habentur (17.-20.; 21,11-23,18; 28.-33.), *septuaginta novem* in altera parte (40.-66.), ut pauciora sint ἅπαξ λεγόμενα in reiectis, quam in retentis capitibus. — In solo cp. 1., quod omnes Isaiae tribuunt, *quadraginta quinque* vocabula et formae reperiuntur, quae in solis reiectis partibus iterum adhibentur. Isaiae omnino proprium est nomen divinum *Sanctus Israel*, quod 14^ies^ in receptis, 15^ies^ in reiectis pericopis legitur, in toto reliquo V. T. dumtaxat 6^ies^. Vaticinia praecedentia confirmantur formula : *os Domini locutum est* in receptis : 1,20; 21,17; 22,5; 25,8, in reiectis 24,3; 40,5; 48,15; — vaticinia afferuntur formula : *sic dixit Dominus* (יאמר יהוה) in receptis 12^ies^, in reiectis 24^ies^; eaedem deinde similitudines, comparationes, figurae etc. in utrisque partibus adhibentur etc.

14,2. 3; 29,2.) patebit Ieremiam, Ezechielem, Sophoniam libros suos eodem modo disposuisse, quo Isaias, duas partes vaticiniorum de Iuda minis contra ethnicos interiectis separantes. — Demum *Ezechiel* (32,19 sqq.) in suo carmine de Pharaonis interitu imitatur *Is.* 14,4 sqq. atque ad idem vaticinium alludit *Ezech.* 28, 2. 7. 8. *Ieremiae* vaticinium de interitu Babylonis (*Ier.* 50. 51.) omnino dependere ab Isaiae vaticiniis contra Babel (*Is.* 13. 14.; 20,1-10; 40.-66), tantum non omnes concedunt; ceterum cfr etiam *Ier.* 10,1-16 cum *Is.* 40,18-20 similibusque locis, quibus idololatriam facete castigat Isaias (41,23 sqq.; 42,17; 44,9-20 etc.), *Ier.* 13,18. 22. 26 cum *Is.* 47,1-3; *Ier.* 31,16 cum *Is.* 51,15 etc. *Sophonias* (2,15) ad verbum fere repetens *Is.* 47,10 et in versu praecedente (2,14) ad *Is.* 13,21 sq. alludens de Ninive pronuntiat, quae de Babel dixerat alter. *Nahum* 1,15 prope sequitur Isaiam 52,7 et 51,23, atque iterum in 3,7. 10 imitatur *Is.* 51,19. — Ne quis vero obiiciat, « Pseudo Isaiam » alios esse imitatum, duo monemus : *a.*) Ieremias et Sophonias omnibus fatentibus frequenter antiquioribus libris usi sunt; iure igitur eadem ratione, qua a reliquis Isaiae vaticiniis aliisque libris, etiam ab iis, de quibus quaestio agitur, dependere dicuntur; *b.*) etiam adversariis nostris auctor istorum vaticiniorum reiectorum fuit scriptor insignis; immerito igitur undequaque phrases dictionesque suas decerpsisse dicitur.

Argumentum historicum confirmatur testimonio *Fl. Iosephi* (Antiqu. XI. 1. 2) narrantis, Cyrum lectis vaticiniis Isaiae, quibus nomen suum praedictum sibique regnum universale promissum vidit, permotum esse, ut Iudaeis reditum in patriam templique aedificationem permitteret.

Quae narratio fide digna est, quum Cyri decreto corroboretur. Nam « omnia regna terrae, inquit, dedit mihi Dominus Deus coeli, et ipse praecepit mihi, ut ei aedificarem domum in Ierusalem » (1 Esdr. 1,2); unde autem, nisi ex vaticiniis nostris (*Is.* 44,28 sqq.) illud praeceptum illamque promissionem didicit? Eum autem ita levem fuisse, ut in vaticinii ei ostensi originem non inquirens a callidis Iudaeis sit deceptus, quis sibi persuaserit?

4. — Historico argumento, quo authentia integri libri extra prudens dubium ponitur, recte additur alterum ex vaticiniorum, de quibus quaeritur, indole desumtum. Eorum enim auctor, etsi prophetico spiritu sublatus sese exsulibus quasi praesentem sistat ut eos consoletur et confortet, se tamen ante exsilium vixisse prodit. Proximi enim sui muneris, ut aequales suos « ad Legem et testimonium » revocaret, Isaiam non immemorem fuisse, haud pauca monita docent, quae in secunda parte leguntur.

Quo praeprimis frequens idololatriae mentio spectat; vix ulla enim pericope inde a c. 40. legitur, in qua idololatria non carpatur et damnetur (40,18 sqq.; 41,7; 42,17; 44,8; 45,20; 46,5 sqq. etc.). Atqui exsules quoque ab omni idololatria non abstinuisse, verum quidem est; sed eos versus finem exsilii, quo tempore « Pseudo Isaiam » vixisse statuunt adversarii, idolis ita addictos fuisse, ut continuis his monitis indigerent, nemo concedet, nisi qui exsilio Iudaeos non emendatos esse contenderit; eos autem saltem ab idololatria esse absterritos, satis patet ex eo, quod ex exsilio reduces illam diligentissime evitaverint. Monita igitur haec propheta destinavit non exsulibus, sed aequalibus suis, qui ultimis eius annis praeeunte rege Manasse magis, quam patres eorum, idolis servierunt. Ideo etiam 57,3 sqq. illas enumerat idololatriae species, quae tempore regis Manasse exerce-

bantur (cfr 4 *Reg.* 21,2 sqq.). Tam clare ibi supponitur status, qui ante exsilium fuit, ut aliqui adversarii totam istam pericopen (56,9-57,21) ante exsilium scriptam et a « Pseudo Isaia » in suum librum receptam dicerent. At merum hoc est effugium, et remanent semper alii textus, quibus idololatria tamquam causa futurae poenae imminentis traducitur (65,2 sqq.; 66,3. 7.).

Frequenter quoque propheta, ut lectores ab idololatria avertat et ad verum Deum reducat, ad omniscientiam provocat, qua Deus res « *antequam oriantur* » praescivit et praedixit (41,23 sqq.; 42,9; 43,9 sqq.; 45,21; 46,10; 48,3. 5. 16), eamque probat futura regni babylonici destructione et futura liberatione per Cyrum efficienda. Atqui auctor vaticiniorum, si haec, uti asserunt adversarii, eo tempore scripsisset, quo Cyrus iam Babylonios debellare et vincere coeperat, profecto lectoribus suis illudere voluisset, illa velut nova et inaudita proponens, quae partim iam viderant, partim facili coniectura assequi poterant.

Demum alibi quoque is rerum status supponitur, qui ante exsilium fuit : Ierusalem aliaeque civitates nondum sunt destructae (40,2.9; 62,6 cfr 41,27; 51,17; 62,1 sqq.), in templo superstite sacrificia offeruntur (56,5; 43,22 sqq.), regna maxime timenda erant Aegyptus, Aethiopia, Sabaea (43,3; 45,15) etc.

§ 7. — *De praecipuis commentariis catholicis in Isaiae vaticinia.*

I. INTERPRETATIO PATRISTICA. — Inter PATRES GRAECOS haud pauci Isaiam interpretati sunt, sed non omnium opera integra ad nos pervenerunt; *Origenis* pauca tantum supersunt fragmenta et novem homiliae a S. Hieronymo latine translatae; integer autem est *Eusebii Caes.* commentarius. Praeterea habemus *Theodori Heracl.* fragmenta ex catenis collecta, totum *S. Basilii M.* commentarium in sedecim priora Isaiae capita ac similiter *S. Ioan. Chrysostomi* explicationem octo priorum capitum et aliquas homilias in cp. 6. Quibus omnibus praestant *S. Cyrilli Alex.* et *Theodoreti* explicationes; minoris autem pretii sunt *Hesychii Ieros.* Capita Isaiae et *Procopii Gaz.* Epitome variarum expositionum.

Hisce accedunt *S. Ephraemi* Scholia in Is. 1.-42. (Opp. syr. II. 20 sqq.), quibus recenter addita sunt eiusdem scholia in cpp. 43. sqq. (edita a *Th. Lamy.* Mechliniae 1886. II. p. 109).

Inter PATRES LATINOS primatum tenet S. Hieronymus (Commentariorum in Is. libri duodeviginti.); ex *S. Gregorii M.* operibus collegit *S. Paterius* Testimonia in Is.; *Haymonis Halberst.* Comment.; ab Hieronymo et Haymone dependet *Wal. Strabonis* Glossa ordin.

II. INTERPRETATIO MEDIAE AETATIS. — *Ruperti Tuit.* In Is. comment. ll. duo; *Godefriedi Admont.* Liber de decem oneribus Isaiae; *Hervei Dol.* Comment.; *Alani de Insulis* Opusculum de sex alis Cherubin; *Richardi a S. Vict.* de Emmanuele ll. duo; *S. Thomae Aquin.* Expositio in Isaiam proph.; quibus accedunt Postillae *Card. Hugonis*, *Nic. Lyrani*, atque « piae et eruditae enarrationes » *Dionysii Carth.*

III. INTERPRETES RECENTIORES. — *Saeculis* 16.-18. : *Ad. Sasbout* Comm. in Is. (Lovanii 1558.); — *Hect. Pinti*, O. S. Hier., Comment. (Lugduni 1561.); — *F. Forerii*, O. Praed., Comm. (Venetiis 1563. etc.); — *Hieronymi Osorii Sen.* Paraphr. in Is. libri quinque (Bononiae 1577.); — *Christoph. a Castro* Comm. in Es. proph. ex ss. scriptoribus graecis et lat. confecta adversus aliquot commentaria ex rabbin. scriptis compilata (Salmanticae 1570.); — *Ioan. Maldonati* S. I. Comm. in Is. (non prodiit nisi 1656.); — *Didaci Alvarez*, O. Praed., Comm. in

Is. iuxta sensum literalem et moralem (Romae 1599.-1602.); — *Casp. Sanctii* S. I. Comm. in Is. (Lugduni 1615. et saepe); — *Gabr. Alvarez* S. I. Isaias expositus (Lugduni 1623.); — *Lucae Arconaei* (de Arcones) S. I. Isaiae elucidatio literalis, mystica et moralis (Lugduni 1642.-1652.); — *I. B. Bossuet* Explication de la prophétie d'Isaïe sur l'enfantement de la Vierge (Paris 1704.); — *A. B. Roboredo* O. Serv., Lucerna prophetica (Lucae 1715.); — *I. I. Duguet* et *I. V. d'Asfeld* Explication d'Isaïe (Paris 1734.-1738.); — *G. F. Berthier* Isaïe traduit en franç. avec des notes (Paris 1788.) etc.

IV. SAECULO HOC NOSTRO prodierunt *M. Molkenbuhr* O. Min. De Emman. et prophetissa. *Is.* 7.8. (Monast. 1810.); — *I. H. Kistemaker* Weissagg vom Emmanuel. *Is.* 7.-12. (Münster 1824.); — *Petr. Schleyer* Würdigung der Einwürfe (a Movers propositarum) gegen das Orakel Isaias (23. 24) über den Untergang Babels (Rottenburg 1835.); — *Laur. Reinke* Exeg. crit. in Is. 52,13-53,12 (Monasterii 1836.), *eiusdem* in Is. 2,2-4 de gentium conversione eiusque effectibus (ibid. 1838.); *eiusdem* Die Weissagung von der Jungfrau und vom Emmanuel (*Is.* 7,14-16. ibidem 1848.); *eiusdem* Messianische Weissagungen bei den grossen Propheten I. II. (Giessen 1859. 1860.); — *I. Bade* Christologie des A. T. (Münster 1851.); — *G. K. Mayer* Die mess. Weissagungen des Iesaias (Wien 1860.); — *I. Corluy* S. I. Spicilegium dogmatico biblicum (Gandavi 1864. I. p. 394 sqq. II. p. 82 sqq.); — *Peter Schegg* Isaias übersetzt und erklärt (München 1850.); — *A. Rohling* Isaias übers. u. erkl. (Münster 1872.); — *Le Hir* Les Trois grands prophètes (Paris 1877., opus postumum); — *B. Neteler* Die Gliederung des B. Isaias (Münster 1870.); *eiusdem* D. Buch Isaias aus dem Urtext übers. u. erkl. (ibid. 1876.); — *Trochon* Les prophètes. Isaïe (Paris 1878.); — *I. Knabenbauer* Plan u. Gedankengang des Isaias (Ztschr. f. kath. Theol Innsbr. 1878.); *eiusdem* Erklärung des Propheten Isaias (Freiburg 1881.); *eiusdem* Comment. in Isaiam (Parisiis 1887. 2 voll.). — *G. Ionckbloet* S. I. Isaias en nederl. verzen vertolkt met Anm. (Amsterdam 1889.); — *W. Schenz* Die priesterl. Thaetigkeit des Messias nach *Is.* 49.-57. (Regensburg 1892.).

CAPUT III.

DE IEREMIAE LIBRIS ET DE PROPHETIA BARUCH.

§ 8. — *De Ieremiae prophetae vita et temporibus.*

1. — *Ieremias*[1], Helciae sacerdotis filius, versus finem regni Manasse in civitate sacerdotali Anathoth natus est; quamvis iam ante nativitatem sanctificatus et ad munus propheticum electus esset (*Ier.* 1,5), illud tamen non nisi invitus suscepit, quando circiter viginti annos natus ad illud obeundum a Deo vocabatur.

Temporum rationes consideranti mirum non videbitur, quod iuvenis tantum onus refugerit. Etenim rex *Manasses* (696.-641.) longo suo regno idololatriam ab Ezechia patre suo repressam resuscitaverat exemploque suo abominationes chananaeas ita promoverat (cfr 4 *Reg.* 21,2 sqq.; 2 *Par.* 33,3 sq.), ut ipse postea ab eis populum revocare non amplius valeret. Filius autem eius *Amon* (641.-639.) multo maiora patre suo deliquit (2 *Par.* 33,22 sq.), atque idem tristis status etiam primis *Iosiae* (639.-608.) annis perduravit, quippe qui puer octo annorum patri succedens nihil immutare potuit. A. 8. tamen regni sui Iosias Dominum quaerere coepit et a. 12. Iudaeam et Palaestinam ab excelsis et idolis mundavit (2 *Par.* 34,3). Ieremias ergo toto adolescentiae tempore idololatriam in toto populo effrenate regnare viderat, ita ut a. 13. Iosiae ad eam impugnandam a Deo vocatus facile iuventutem infirmitatemque suam excusare potuerit.

2. — Divini tamen auxilii promissione confortatus inde a sua vocatione per quadraginta annos usque ad urbis excidium sese « civitatem munitam et columnam ferream et murum aereum toti terrae » (1,18 exhibuit. Quomodo Dei verbum quum libris et epistolis (29,1 sqq.; 36,2 sqq.; *Bar.* 6.) actionibusque symbolicis (18,1 sqq.; 19,1 sqq.; 27,2) tum viva voce ubique annuntiaverit et inculcaverit, tota historia ultimorum regum Iuda docet.

Crimina Manasse divinam poenam necessariam fecerant; sed pro sua misericordia Deus populo suo, ut quam plurimos salvaret, pium regem Iosiam ac prophetam Ieremiam suscitavit; prior restituto promotoque cultu legitimo ac foedere renovato occasionem peccandi removit (4 *Reg.* 22. 23; 2 *Par.* 34. 35.); quid alter eodem tempore ad populi renovationem egerit, ex prioribus libri eius concionibus (1.-20.), quae ad Iosiae aetatem pertinent, et ex persecutionibus eo tempore ab eo perlatis (11,21 sqq.; 12,6) videre licet. At tam altas radices idololatria et impietas egerant, ut iis destruendis regis et prophetae auctoritas impar esset.

(1) Nominis יִרְמְיָהוּ (pro quo brevior forma יִרְמְיָה 27,1 etc., unde *Alexandrinorum* Ἱερεμίας, *It.* Hieremias, *Vulg.* Ieremias) quae sit etymologia, non plane certum est. *S. Hieronymus* (In Ierem. 23,10) illam proposuit, quae hodie multis praeplacet, primum elementum derivans a rad. inusitata ירם (*excelsus fuit*), unde *Ieremias* = *Excelsus est Dominus*. Probabilius tamen a רָמָה *iacere* nomen derivatur, ut יִרְמְיָהוּ = *proiicit Dominus* sc. populum suum, ita ut eius quoque nomen fuerit propheticum.

Statim enim post Iosiae cladem et occasionem (4 *Reg.* 23,29 sq. ; 2 *Par.* 35,20 sqq.) secundus eius filius *Ioachaz* a populo rex constitutus « malum fecit coram Domino, sicut fecerant patres eius » Amon et Manasses (4 *Reg.* 23,31 sqq.) ; primogenitus autem, quem iam post tres menses Pharao Nechao regem constituit, *Ioakim* (608.-597) item malum fecit avarusque fuit et crudelis et persecutor prophetarum (cfr *Ier.* 22,13; 26,1 sqq. 23). Neque vero longe abfuit instrumentum a divina ira ad regnum destruendum vocatum. Nam a. 4. Ioakim (i. e. a. 605.) Nabuchodonosor, Aegyptiis devictis (*Ier.* 46,2.), Syriam et Palaestinam occupavit, Ierusalem expugnavit, regem tributarium fecit, iuvenes nobiles, inter quos Daniel, cum multis thesauris in Chaldaeam abduxit : hoc est initium septuaginta annorum captivitatis a Ieremia (25,1. 8 sqq.) praedictorum. Qua clade non eruditus Ioakim denuo prophetam persecutus est (36,9-31), sed monito eius spreto seditionem movens morte ignobili occubuit (22,18 sqq. ; 26,30). Eius filius *Iechonias* (Ioachin) iam post tres menses in Chaldaeam abductus successorem habuit *Sedeciam*, tertium Iosiae filium, cuius regnum (597.-586.) continua erat agonia. Imbecillo animo consilia semper mutavit; Ieremiae chaldaicum iugum quiete ferendum esse monenti[2] non obtemperans a. 8. vel 9. regni sui, auxilio Aegyptiorum fretus a Nabuchodonosor defecit, sed hic accurrens, reliquis expugnatis terrae civitatibus, obsedit Ierusalem. Duos annos obsessio duravit, quo tempore Sedecias mox preces et consilia prophetae expetiit (21,1 sqq. ; 37,17), mox eum crudelitati inimicorum eius reliquit (37,11 sqq. ; 38,1 sqq.); ita carceri Ieremias inclusus erat, quando demum m. 4. a. 11. Sedeciae Ierusalem a Chaldaeis capta et cum templo deleta est.

3. — Regno deleto Ieremias apud pauperes in Palaestina relictos remanens (40,1 sqq.) eosque in Aegyptum sequens munere suo fungi non cessavit. De loco et tempore mortis eius nihil certi est traditum.

Facultate accepta, ut aut exsules in Chaldaeam sequeretur aut in terra remaneret, Ieremias remanere maluit, ut pauperes relictos consolaretur ; at hi timentes, ne ipsi quoque in Chaldaeam abducerentur, contra eius consilium in Aegyptum fugerunt eumque ut secum iret coegerunt (40,7-43,7). Sed in aliena terra muneri suo non defuit ; quum enim Iudaei ultimis calamitatibus nondum emendati sese iterum idololatriae dedissent, eos novis poenis praedictis corrigere studuit (43,8-44,8) ; vaticinia haec sunt ultima muneris suis documenta. — Iuxta incertam traditionem, quae ex *Ps. Epiphanio* (de vitis proph. 8.) et *S. Isidoro* (de obitu Patr. 38) in Martyrologium Rom. (die 1. Maii) transiit, Ieremias Taphnis in Aegypto a Iudaeis lapidatus est ; iuxta aliam Iudaeorum traditionem (Seder Olam Rabba 38) per Nabuchodonosor, qui a. 27. regni sui Aegyptum debellavit, in Chaldaeam adductus ibique mortuus est. Verisimile est, prophetam usque ad medium saltem exsilium vitam protraxisse, quum sufficiens non sit ratio, ut auctor esse negetur *totius* ultimae pericopae libri sui (*Ier.* 52,31-34). — Praeter vaticiniorum collectionem (« Prophetia Ieremiae ») nobis supersunt eius « Lamentationes » de templi et urbis excidio et « Epistola » (*Bar.* 6.) ad exsules de idololatria ; Threni eius de Iosiae morte (2 *Par.* 35,25) interierunt. De singulis et de libro Baruch cum Ieremiae scriptis semper coniuncto separatim agemus.

(2) *Ier.* 27,1. Pro « *in principio regni Ioakim* » legendum esse « *in principio regni Sedeciae* » tota pericope docet, uti Calmetus suo tempore iam monuit, quocum moderni plerique in hoc loco errorem librarii admittunt.

§ 9. — *De Prophetia Ieremiae.*

QUAESTIO I. — De duplici recensione libri.

1. — Ieremiae vaticinia duabus recensionibus, hebraica et graeca, conservata sunt, quae, etsi substantialis inter eas non deprehendatur differentia, longius tamen, quam reliquorum librorum exemplaria hebraica et graeca, quum ordine tum textu discrepant.

Utrumque hunc dissensum iam adnotarunt *Origenes* (ad Afric. 4) et S. *Hieronymus* (In Ierem. Prol.). Ordinis autem differentia in eo est, quod vaticinia contra gentes a textu primigenio et a Vulg. in fine libri exhibeantur, ab alexandrino autem alia serie digesta medio libro inserantur (post 25,13) [1]. In textu ipso graeca versio saepius pauca vocabula vel minora phrasium membra (uti phrasis נְאֻם יי *dixit Dominus*, appositiones ad nomina divina : Dominus *exercituum*, Deus *Dominus exercituum*, Deus *Israel* etc. vel ad alia nomina : Ieremias *propheta*, Hananias *propheta* etc.), interdum integros versus (8,10-12; 10,5-8; 11, 7. 8; 17, 1-4; 27,13. 14. 19-22; 29,16-20; 30,10. 11; 34,11; 51,44-49; 52,2. 3. 15. 28-30), immo duas longiores pericopas (33,14-26; 39,4-13) praetermittat, ut octava circiter parte graecus liber brevior sit hebraico et latino nostro.

Quae differentia ex eo exorta esse videtur, quod iam antiquitus duae recensiones hebraicae exstiterunt, quarum una brevior interpretibus alexandrinis inservivit, altera longior textus hebraici factus est fons, ex quo S. Hieronymus suam versionem adornavit.

Neque enim interpretis aut librariorum sive neligentiae sive inscitiae sive festinationi omnes illas discrepantias attribuere licet. Quamvis enim minores pleraeque ex illis fontibus iure deriventur, aliae tamen sunt eaeque graviores, quae apte non explicantur, nisi primitivi libri textum *consulto et deliberate* mutatum esse dicamus. Huc praesertim spectat ordinis inversio; huc quoque omissio pericopae 39,4-13, recte trahitur, quae sicut modernis nonnullis interpretibus, quia contextum per-

1) Duplici hac tabula, quam diversus sit ordo alexandrinus a massorethico, quocum consentit Vulgata, colligitur.

HEBR. ET LAT.		ALEXANDR.
25,14-38	=	32,1-24;
26,1-43,13	=	33,1-50,13;
44,1-30	=	51,1-30;
45,1-5	=	51,31-35;
46,1-28	=	26,1-28; (Aegyptus).
47,1-7	=	29,1-7; (Philisthiim).
48,1-47	=	31,1-44; (Moab).
49,1-5	=	30,1-5; (Ammon).
7-22	=	29,8-23; (Edom).
23-27	=	30,12-16; (Damascus).
28-33	=	30,6-11; (Arabes).
34-39	=	25,14-18; (Elam).
50,1-51,64	=	27,1-28,64; (Babylon).
52,1-34	=	52,1-34.

ALEXANDR.		HEBR. ET LAT.
25,14-18	=	49,34-39; (Elam).
26,1-28	=	46,1-28; (Aegyptus).
27,1-28,64	=	50,1-51,64; (Babylon).
29,1-7	=	47,1-7; (Philisthiim).
29,8-23	=	49,8-23; (Edom).
30,1-5	=	49,1-5; (Ammon).
6-11	=	49,28-33; (Arabes).
12-16	=	49,23-27; (Damascus).
31,1-44	=	48,1-47; (Moab).
32,1-24	=	25,14-38;
33,1-50,13	=	26,1-43,13;
51,1-30	=	44,1-40;
31-35	=	45,1-5;
52,1-34	=	52,1-34.

turbet, non probatur, etiam antiquo diascevastae displicere potuit; huc etiam omissio nonnullarum sententiarum videtur pertinere, quae, quoniam alio in contextu iisdem fere verbis erant expressae, abundare censebantur (ex. gr. 8,10-12 propter 6,13-15; — 11,7. 8 propter 7,24 sqq.; — 17,3 sq. propter 15,13 sq.), aut quae ob certum brevitatis studium compendiose tantum sunt redditae (ex. gr. 10,4-10; 27, 12-24; 41,14 etc.). Versione autem graeca has mutationes dicimus antiquiores, quia Ieremiae interpres servili modo saltem plerumque totidem fere verbis et eodem vocabulorum ordine, si fieri potest, retento hebraicum textum graece expressit, ita ut non sit suspicio, eum integras phrases aut pericopas consulto omisisse et ordinem vaticiniorum mutasse.

Utraque recensio pro authentica admittatur oportet; utraque suis ornatur virtutibus suisque deformatur naevis, utraque genuino textui inveniendo inservit, sed neutra primitivo libro Ieremiae omni ex parte est conformis. Cum massorethica recensione longiores pericopae ab Alexandrinis omissae omnino sunt recipiendae; cum alexandrina versione ordo a massorethico textu perturbatus videtur restituendus; minores discrepantiae secundum sanae criticae regulas sunt diiudicandae.

Utraque recensione usi sunt sacri scriptores; *S. Matth.* 2,18 massorethicum textum sequitur, ubi graecus aliquantum dissentit (*Ierem.* 31,15), *S. Paulus* (*Hebr.* 8,9) graecum sequitur, ubi massorethicus dissentit (*Ierem.* 31,32). Utraque approbata est ab Ecclesia; alexandrina recensione usi sunt tantum non omnes ecclesiae sex prioribus saeculis et hodie utuntur pleraeque ecclesiae orientales; massorethicam inde a saeculo 6. adhibet occidentalis Ecclesia in Vulgata versione; « vetustate igitur et usu » utraque meruit auctoritatem. Quoniam autem plenior Vulgata recensio est approbata, etiam illae maiores pericopae, quas Alexandrini omiserunt, pro divinis recipiantur oportet; idque eo magis, quia syriaca ecclesia eas semper iam habuit, multae graecae ecclesiae antiquitus eas ex Theodotionis versione studiose receperunt, criticae quoque rationes eis favent. Ordinem tamen alexandrinum praeferimus, *a.*) quia vaticinia contra gentes in massorethica editione aptum non habent locum; neque enim cum praecedentibus nec cum sequentibus ullo modo cohaerent, dum in graeca editione post 25,13 inserta optimo sunt in contextu; *b.*) quia hebraicus textus ipse 25,13 innuit, olim vaticinia contra gentes immediate fuisse annexa; *c.*) quia titulus (1,2.3) hebraico libro nullatenus convenit, qui vaticiniis titulo indicatis alia multa (40.-44.) inserit, quae illis sunt recentiora et titulo excluduntur, dum graeca editio omnia haec velut appendicem primitivo libro addit.

Quaestio II. — De libri argumento, ordine, indole.

2. — *Ieremiae Prophetia* multis constat concionibus vaticiniisque quadraginta annorum spatio (626.-586.) habitis nonnullisque pericopis historicis, quae vaticinia illustrant vel confirmant; velut appendix autem ei sunt addita nonnulla historica et prophetica, quae utpote regni destructione recentiora titulo non comprehenduntur. Omnes autem conciones et prophetiae et narrationes, quamvis diversa sint earum argumenta, ad unitatem rediguntur idea *divinae iustitiae*, cuius Ieremias erat praeco.

Titulus vaticinia promittit accepta « in diebus Iosiae ab anno 13. regni eius et in diebus Ioakim usque ad finem anni 11. Sedeciae », qui annus completus tamen non fuit, sed terminabatur destructione regni et « transmigratione Ierusalem in mense 5. » (1,2. 3). Quapropter illa, quae leguntur cpp. 40.-44. et in ultima parte cp. 52., quum mense 5. a. 11. Sedeciae sint recentiora, pro appendice sunt habenda et ab Alexandrinis recte in fine libri coniuncta sunt. De diversis quidem argumentis singulae pericopae agunt, neque tamen libro *unitas* deest. Integram Prophetiam Ieremiae esse *vastationem* non sine exaggeratione quadam asseruerunt Thalmudistae, siquidem propheta, ne populum ad desperationem adduceret, continuis poenarum minis consolatoria vaticinia intermiscere non omittit (cfr 3, 14 sqq.; 23,2 sqq.; 30.-33. etc.); at missus erat, ut « iudicia divina loqueretur cum populo super omnem eius malitiam » (1,14.) et « constitutus super gentes et regna, ut evelleret et destrueret et disperderet et dissiparet, et aedificaret et plantaret » (1,10); unde non mirum, quod iustitia Dei vindicativa, quae quatuor vocabulis in muneris descriptione indicatur, in eius libro omnino praevaleat. Illo enim in tempore positus, quo regnum Iuda mensuram peccatorum suorum impleverat, totus in eo est, ut poenarum, quas Deus immissurus erat et immisit, iustitiam ostendat. Uti igitur idea divinae misericordiae integrum librum Isaiae, ita idea divinae iustitiae totam Prophetiam Ieremiae regit atque permanat.

3. — *Ordo libri* non est chronologicus, sed ad argumentum finemque suum attendens conciones, prophetias, narrationes suas ita connexuit propheta, ut iusta fuisse ultima iudicia Dei contra populum foedifragum demonstraret.

Secundum temporis rationem non esse dispositas pericopas, multarum inscriptiones chronologicae ostendunt[2]; errant autem, qui sive in hebraica sive in graeca editione ullum ordinem inveniri negant; aptus enim est *alexandrinus ordo*. Nam Ieremias, qui praedecessorum suorum libros frequenter imitatur, etiam in concionum suarum dispositione priorem Isaiae partem secutus esse videtur. Sicut enim Isaias vaticinia sua de duabus Assyriorum expeditionibus contra Achaz et contra Ezechiam ab invicem separavit vaticiniis contra gentes insertis prioremque partem historica narratione confirmavit, ita Ieremias conciones, quae iustum Dei iudicium de excidio regni docent esse ineluctabile, vaticiniis contra gentes separavit ab illis concionibus narrationibusque, quae Iudaeos usque ad ultimum obsidionis momentum in sua contumacia perseverantes poenas avertere noluisse ostendunt, eaque etiam expugnatione urbis et transportatione populi narrata confirmat. Appendix autem, quam terminato libro adiecit, etiam vindicandae Dei

(2) Inscriptiones chronologicae sunt hae :

3.6 « In diebus *Iosiae;*
21,1 Tempore *Sedeciae* (uno ex ultimis annis);
24,1 « Post translationem *Iechoniae* »;
25,1 « Anno 4. *Ioakim* »;
26,1 « In principio regni *Ioakim* »;
27,1 « In principio regni Ioakim » (lege *Sedeciae* cfr § 8. n. 2. p. 387).
28,1 « Anno 4. *Sedeciae* »;
29,2 Post translationem *Iechoniae;*
32,1 « Anno 10. *Sedeciae;*
33,1 Tempore *Sedeciae*, versus obsidionis finem;
34,1 Tempore *Sedeciae;* obsidionis initio;
35,1 « In diebus *Ioakim* »;
36,1 « Anno 4. *Ioakim* »;
37,1 *Sedeciae* et obsidionis tempore;
38,1 Eodem tempore;
39,1 Anno 11. *Sedeciae;*
40,1 Post translationem populi in Chaldaeam
45,1 « Anno 4. *Ioakim* »;
46,2 Anno 4. *Ioakim;*
49,34 « In principio regni *Sedeciae* »;
52,31 « *Anno* 37. *transmigrationis Iechoniae* »

iustitiae inservit, siquidem continuata Iudaeorum inobedientia manifestat, *longum* exsilium in libro praedictum ad exsules emendandos necessarium fuisse.

Secundum alexandrinam editionem hic est totius libri conspectus.

Exordium (1,1-3,5) post inscriptionem (1,1-3) vocatione et missione prophetae narrata indolem muneris eius adumbrat (1,4-19) atque argumentum libri explicat, populum propter continuam idololatriam poenis esse maturum (2,1-29) atque punitum iri (2,30-3,5).

Pars prima (3,6-24,10) *regni reprobationem propter eius crimina et contumaciam docet iustam et ineluctabilem esse*[3].

1. *Ineluctabilis poena denuntiatur, quia populus converti nolit* (3,6-6,30). Ut Iuda ad sinceram conversionem excitet, propheta sortem Israelis cum sorte Iuda, quae erudiri non vult, comparat (3,6-4,2) gravitatemque poenae imminentis describit (4,3-31). At vana sunt haec monita, quia nullus est iustus, nec quisquam audit verba prophetarum (5,1-31); ideo certa et ineluctabilis est poena; Iuda est velut argentum reprobum (6,1-30).
2. *Vana est fiducia in externo cultu et Lege accepta, quoniam illa remedia, quae necessaria sunt, non adhibentur* (7,1-10,25). — Frustra Iudaei confidunt templo (7,1-15) et sacrificiis (7,16-8,3); frustra gloriantur de Lege (8,4-12) et de Deo habitante in Sion (8,13-22). Populi igitur malitiam, tantae calamitatis causam, deplorans propheta (9,1-22) media salutis indicat (9,23-10,16), quibus nunc non utens populus postea stultitiam suam deplorabit (10,17-25).
3. *Poena necessaria est propter violatum foedus* (11,1-13,27). — Foedus violatum propter populi contumaciam poenas postulat (11,1-17); contumaciam autem probat propheta suis ipsius persecutionibus narratis (11,18-12,6), quibus multo graviores sunt populi offensiones erga Deum (12,7-17). Contumaciam igitur duabus similitudinibus castigans (13,1-17) regni interitum exsiliumque annuntiat (13,18-27).
4. *Poena precibus averti non iam potest* (14,1-17,27). — Propheta pro populo orans triplicem experitur repulsam (14,1-15,9); qua de re afflictum Deus consolatur (15,10-21) docetque, quomodo vivere debeat, ut vivum sit symbolum futurae sortis populi (16,1-18); demum poenae causas indicat : idololatriam (16,21-17,4), fiduciam in hominibus collocatam (17,5-18), Legis violationem (17,19-27).
5. *Duarum actionum symbolicarum explicatione certam esse poenam per Chaldaeos infligendam docetur* (18,1-20,18). — Symbolum vasis a figulo pro arbitrio mutati docet, Deum minas mutare quidem posse, sed mutationem impediri contumacia populi (18,1-23). Symbolum vasis a Ieremia confracti sortem regni annuntiat (19,1-15). Propter quod vaticinium in carcerem iniectus propheta postridie docet, poenam a *Chaldaeis* inflictum iri (20,1-6), atque vehementer de muneris sui inutilitate conqueritur (20,7-18).
6. *Sedeciae tempore completa regni, et maxime ducum, ruina annuntiatur*

(3) *Sex* huius partis distinguendas censuimus sectiones, quia totidem a propheta novis inscriptionibus distinguuntur; non minus apte tamen plures distingui possunt, ita ut 5,1 aut 9,1 aut 9,23 etc. nova inchoetur. — Prima concio dicitur habita *in diebus Iosiae regis;* quatuor, quae sequuntur, sectiones eidem regno attribuendae videntur.

(21,1-24,10), postquam nec prima civitatis occupatio (a. 5. Ioakim) nec transportatio regis Iechoniae populum ad conversionem adduxerant. — Ultimo igitur regni tempore interroganti Sedeciae respondet propheta, Deum traditurum esse populum in manus Chaldaeorum (21,1-14). De singulis deinde ultimis praedecessoribus Sedeciae agens (22,1-30) indignis illis opponit *iustum germen David*, per quod salus sit adventura populo (23,1-8). Porro a pseudoprophetis eorumque asseclis cavendum esse monet (23,9-40) atque terminat sectionem visione symbolica de malis ficis proiiciendis (24,1-10).

PARS SECUNDA (25,1-14; 46,1-51,64; 25,15-38) *Deum iustum, uti regnum Iuda, ita reliquas gentes puniturum esse docet.*

1. « Anno 4. Ioakim, qui est a. 1. Nabuchodonosor » edidit propheta *vaticinium de iudicio per Chaldaeos contra Iuda et omnia regna vicina exercendo*, quod velut *prooemium* huic parti praemittit (25,1-14).

2. *Vaticinia contra gentes* (46,1-51,64) [4].

A *duobus vaticiniis contra Aegyptum* incipit (46,1-28), quorum *prius* a. 4. Ioakim editum praedicit Aegyptiorum cladem ad Euphratem (46,1-12), *alterum* expugnationem Aegypti per Nabuchodonosor felicioremque sortem regni Iuda (46,13-28). — Sequuntur breve *vaticinium contra Philisthaeos*, qui plane destruentur (47,1-7); *vaticinium contra Moab* (48,1-47), quae propter idololatriam et vanam fiduciam (48,1-25) et superbum agendi modum gravissime punietur (48,26-46), sed cui spes relinquitur (48,47); *vaticinium contra Ammonitas* quod eorum dispersionem praedicit, sed reditum promittit (49,1-6); *vaticinium contra Edom* (49,7-22), quae sapientia sua salvare sese non poterit (49,7-13), sed propter superbiam meruit destructionem (49,14-22). — Tria brevissima *vaticinia contra Damascum* (49,23-27), *Arabes* (49,28-33), *Aelam* (49,34-36) praecedunt gravissimo *vaticinio contra Babylonem terramque Chaldaeorum* (50,1-51,64). Babylon destruetur eiusque incolae occidentur, quia Israelem vexaverunt, templum deleverunt, contra Dominum insurrexerunt (50,1-40). Completum Babylonis interitum decrevit Deus (50,41-51,26); decreti autem huius exsecutio describitur (51,27-58); atque vaticinii certitudo confirmatur actione symbolica (51,59-64).

3. Partis huius *epilogum* constituit *vaticinium contra Iuda omnesque gentes simul sumtas* (25,15-38).

TERTIA PARS (26,1-38,28) *concionibus et narrationibus ostendit, populum prioribus Chaldaeorum expeditionibus non esse conversum; ultimum igitur urbis excidium et longam captivitatem esse iustas poenas.*

1. Quoniam populi contumacia maxime elucet ex eo, quod Ieremiae monitis fidem habere recusaverunt, velut exordium huic parti praemittitur *narratio de modo, quo prophetae tempore Ioakim tractati sint*, ut pervicaciam populi tempore obsidionis crevisse ostendatur. Tempore enim regis Ioakim Ieremias propter sua vaticinia ad mortem postulatus, quum ad divinam suam missionem provocasset, liber dimissus est (26,1-19), licet alius propheta (Urias), qui fugerat, a rege sit occisus (26,20-24).

(4) Quamquam ordinem, quo singula quoque vaticinia contra gentes in alexandrina editione disponuntur, utpote genuinum praeferendum ducimus, in conspectu nostro tamen, ut facilius cum Vulgata comparari possit, massorethicum retinemus; idque eo libentius, quia *interno* vinculo in neutra recensione haec vaticinia colligari videntur.

2. *De pseudoprophetarum machinationibus tempore Sedeciae* (27,1-29,32). Ierosolymis *Hananias* a. 4. Sedeciae contradicit Ieremiae subiectionem sub rege Babylonis commendanti (27,1-22), ideoque ei mors vicina annuntiatur (28,1-17). — Circa idem tempus Ieremias exsules in Babylonia degentes monere debuit, ne pseudoprophetis fidem haberent, sed quieti finem exsilii exspectarent (29,1-20); pseudoprophetis ipsis poenas annuntiat (29,21-32).

3. *Vaticinia de futura felicitate populi Israel* (30,1-33,36) vanis pseudoprophetarum promissionibus veras opponunt atque hoc loco, antequam ad regni excidium transitur, inseruntur, ne populus se plane a Deo reiectum credat.

a.) *Toti populo promittitur liberatio et exaltatio* (30,1-31,40). — Populo in exsilium eiecto Deus promittit reditum in patriam, novum *Davidem* (Messiam), vulnerum sanationem, restitutionem in integrum (30,1-24). Etiam tribus septemtrionales revertentur, ut videant magnum mysterium: *Femina circumdabit virum* (31,1-26). Cum populo iterum unito Deus *novum foedus* feriet, cuius participes etiam erunt gentes (31,27-40).

b.) *Actione symbolica praedicitur liberatio et aeternum foedus* (32,1-44). Anno 10. Sedeciae enim Ieremias captivus agrum in Anatoth emere iubetur (32,1-25), ut populum rediturum et aeteruum foedus accepturum esse significet (32,26-44).

c.) *Aeternum regnum davidicum promittitur* (33,1-26). — Ieremiae ostenduntur reaedificatio et novus splendor urbis (33,1-13) atque *germen iustitiae* oriturum ex Davide, cuius semen erit innumerabile (33,14-26).

4. *Tempore obsidionis continuata est populi inobedientia et pervicacia in prophetam* (34,1-38,28).

Eadem, quae antea, fuit populi inobedientia (34,1-35,19). — Votum enim, se servos Hebraeos esse dimissuros, fregerunt Iudaei tempore obsidionis, quamprimum periculum transiisse putabant (34,1-22). — Ut melius peccati huius malitia cognoscatur, affert propheta exemplum Rechabitarum, qui tempore regis Ioakim ad mandatum patris sui transgrediendum seduci non potuerunt (35,1-19).

Eadem, quae antea, immo maior fuit populi pervicacia contra prophetae monita (36,1-38,28). — Quod ut ostendat, propheta narrat, quae a. 4. Ioakim acciderant, quando vaticiniis suis scriptis et lectis magnam populi commotionem excitavit (36,1-32), iisque opponit persecutiones, quas ultimo obsidionis tempore perpessus est (37,1-38,28).

Epilogus (39,1-18) vaticinia confirmat narratione excidii urbis et regni (39,1-10) atque praemiorum, quae ipse eiusque amicus a Deo acceperunt (39,11-18).

Appendix (40,1-45,5; 52,1-34) duabus sectionibus constat.

Prior (40,1-44,30) iustam et necessariam esse longam captivitatem demonstrat narratione continuatae inobedientiae Iudaeorum. — Iudaei enim in Palaestina relicti, licet se prophetae verbis obedituros promisissent (40,1-42,6), monitis eius non obediverunt, sed in Aegyptum aufugientes eum coegerunt, ut secum in Aegyptum abiret (42,7-43,13). — In Aegypto autem omnis populus non obstantibus eius monitis se idololatriam continuare velle professus est (44,1-19); quapropter contumacibus plenus interitus praedicitur; velut sigillum autem minis apponitur vaticinium de clade Pharaonis Ephree (44,20-30).

Altera (45,1-5; 52,1-34) vaticiniorum praecedentium veritatem confirmat relato *parvulo oraculo de Baruch* (45,1-5), quod a. 4. Ioakim editum Iudaei coram oculis suis impleri viderunt, et *accuratiore narratione* excidii urbis (52,1-30). Exaltatio Iechoniae demum etiam vaticinia consolatoria iam initium impletionis invenisse ostendit (52,31-34).

4. — Simplice plerumque Ieremias utitur dicendi genere, interdum laxiore et remissiore aut etiam verbosiore, at non desunt loci, praesertim in vaticiniis contra gentes, in quibus Isaiae sublimitatem fere aequat. Maxime autem ei proprium est, ut sua ipsius verba saepius repetat atque ad praedecessorum suorum verba alludat eaque suis inserat

De Ieremiae dicendi genere non omnino consentiunt interpretes; aliqui cum *S. Hieronymo* (Praef. in Ier.) sermonem eius incultum et paene subrusticum dicunt (*Sixt. Sen.*), aliqui cum *Sanctio* et *Ghislerio* nihil rustici in eo inveniunt, sed prophetae eloquentiam magnis laudibus ornant. Attamen ab Isaiae sublimitate, pulchritudine, puritate satis longe distat Ieremias; simplex eius atque interdum remissior stylus specie negligentiae non caret; lingua eius pro tempore, quo vixit, nonnullis vocabulis formisque aramaizat; verbosior quoque aliquoties est, ut redundantiae vituperium non plane evitare videatur. At simplex sermo, quo sensus gravissimi exprimuntur, atque redundantia, quae animum perturbatum acerboque dolore commotum prodit, suam quoque habent pulchritudinem. Haud raro vituperatur Ieremias propter frequentes repetitiones suorum et aliorum verborum; at propositum ei non fuit, ut varietate delectaret, sed eadem veritate saepius repetita animos percuteret (cfr. ex. gr. 7,16; 11,14; 14,11; — 7,25 sqq.; 11,7 sq.; 25,4; 26,5; 29,19; 35,15; 44,4 etc.), atque ob similem quoque rationem frequenter alludit quum ad Legem (maxime ad Deuteronomium) tum ad aliorum prophetarum vaticinia; tempus enim advenerat, quo Moysis et prophetarum minae exsecutioni erant mandandae; vanis igitur pseudoprophetarum promissionibus sese opponens praedecessorum suorum verbis interdum loqui voluit, ut eorum vaticiniis in memoriam revocatis sua confirmaret.

Quaestio III. — De Ieremiae Prophetiae origine et auctoritate.

5. — De origine « Prophetiae Ieremiae » haec apte statui videntur. Ut exsules ad poenitentiam agendam exhortaretur, brevi post destructam urbem propheta ex duobus operibus antea iam conscriptis librum suum ita composuit, ut ultima sua vaticinia eis partim insereret, partim adderet. Appendicem autem versus finem vitae suae adiecit, postquam forte inter Iudaeos in Babylonia degentes eandem, quam apud aegyptiacos, idololatriam vidit.

Anno 4. Ioakim Ieremias vaticinia sua eo usque habita iussus a Deo ministro suo fideli Baruch dictavit (36,1-32.). Quo in opere praeter minas contra Iudaeos etiam vaticinia contra gentes fuisse contenta, constat quum ex mandato Dei (36, 2), tum ex altera concione a. 4. Ioakim habita, qua asserit vaticinium contra Babylonem scriptum esse « in libro isto » (25,13). Uti minas, ita promissiones scribere iussus est (30,2) idque, ut probabile omnino est, eodem a. 4. Ioakim; quo tempore enim Nabuchodonosor prima vice Ierusalem voce terroris implevit pri-

mosque captivos abduxit (30,5. 10), consolatio maxime fuit necessaria. Iam evidens est, duo haec opera hodierni nostri libri esse germen, immo illa in eum esse transumta. Viginti prima capita (1,4-20,18) concionibus constant ante a. 4. Ioakim habitis; eodem igitur ordine probabiliter in priore opere fuerunt; duae quoque partes cp. 25. (25,1-13. 15-38), quarum prior a. 4. Ioakim edita dicitur, et omnia vaticinia contra gentes (46.-51., excipe 49,34-39 et 51,59-64) nihil continent, quod a. 4. Ioakim scribi non potuerit. Itaque hodiernus liber nova editio aucta prioris operis vocari potest. Exsules enim post destructam urbem ad poenitentiam adducturus primitivo operi illa inseruit et addidit, quibus elucebat Iudaeos etiam post a. 4. Ioakim primis cladibus non fractos in sua pervicacia perstitisse et ipso obsidionis tempore novis peccatis iustam Dei iram provocasse. Hoc solum opus describitur titulo : Vaticinia Ieremiae *ab a. Iosiae usque ad transmigrationem Ierusalem m. 5. a. 11. Sedeciae* prolata (cfr 1,2. 3.). Appendix igitur, quae de Iudaeis in Aegyptum fugitivis maxime agit, recentiore tempore operi est addita; nihil autem impedit, quominus a Ieremia ipso addita dicatur, nisi quis negaverit, eum annum 88. vel 86. aetatis attingere potuisse.

Modernorum systematis, quibus originem libri explicare student, non immoramur, quia omnia in eo peccant, quod ordinem in hodierno libro inveniri negant.

6. — Licet rarius, quam Isaiae, Ieremiae vaticinia in Novo Test. allegentur, frequentiora tamen habent in Vetere *divinae auctoritatis* suae testimonia.

Dominus ipse templum mundans verbis Ieremiae velut scripturisticis usus est (*Matth.* 21,13 cfr *Ier.* 7,11), Evangelista in caede infantium (*Matth.* 2,17 sqq. cfr *Ier.* 31,15) et in agri figuli emtione (*Matth.* 27,9 et *Ier.* 18. 19. 20 cfr *Zach.* 9,9) « Ieremiae vaticinia » impleta dixit; S. Paulus (*Rom.* 11,27 et *Hebr.* 10,16 sq. cfr *Ier.* 31,33 sq.; *Hebr.* 8,8 sqq. cfr *Ier.* 31,37 sqq.) ad ea provocavit. Siracides integrum nostrum librum attribuit Ieremiae (*Eccli.* 49,8 sq. cfr *Ier.* 1,5. 10; 20,10 sqq.; 36,26; 37,11 sqq. etc.); diu antea Esdras monet, Dominum suscitasse Cyrum ad explendum vaticinium Ieremiae (2 *Par.* 36,32; 1 *Esdr.* 1,1); versus finem exsilii Daniel « intellexit in libris (בַּסְּפָרִים, ἐν ταῖς βίβλοις sc. sacris, quibus iam adnumerabatur Prophetia nostra) numerum annorum, de quo factus est sermo ad Ieremiam etc. » (*Dan.* 9,2 cfr *Ierem.* 25,11 sq.; 29,10).

7. — Ultima testimonia allata simul cum divinitate etiam *authentiam* libri demonstrant eiusque integritatem. Ceterum tota sua indole quoque omnia vaticinia eundem auctorem tam clare produnt, ut his ultimis tantum temporibus rationalistae nonnulli levibus rationibus nixi aliquas pericopas ex libro decerpere et prophetae abiudicare ausi sint.

Praecipuas obiectiones paucis afferemus; *a.*) neque tamen primae immorari opus est, quae *Ier.* 52. ideo prophetae abiudicat, quia usque ad a. 560. a. Chr., i. e. usque ad 86. aetatis annum vivere non potuerit. — *b.*) Vehementius impugnatur vaticinium contra Babel (50,1-51,58 vel 51,64), quod ab aliquibus iuniori scriptori versus finem exsilii viventi attribuitur, ab aliis interpolatum dicitur. Priorum argumenta sunt praeiudicia rationalistica : prophetam praevidere non potuisse interitum Babylonis per Medos et Persas etc. Quae merito omittimus. Alii logicum idearum nexum desiderari monent, ac si propheta philosophicam dissertationem scribere voluisset; integrum interitum nobis ob oculos ponit variis picturis,

quae omnes simul sumtae completam imaginem exhibent, neque ille deest idearum nexus, quem solum in poetica et prophetica descriptione exspectamus. Porro vocabula quaedam adhibita esse dicunt ex Ezechielis libro desumta; at nec vocabula illa Ezechieli soli esse propria demonstrant, neque Ezechielem iuniorem illa a seniore Ieremia non esse mutuatum. Accusatur vaticinii auctor, quod nominibus propriis ludat; at Ieremias 20,3 et 25,26 similibus lusibus indulget. Demum nonnulla ex prioribus Ieremiae vaticiniis, alia ex Isaiae vel potius « Pseudo Isaiae » vaticiniis dicuntur transcripta; monuimus autem et omnes concedunt, id Ieremiae quam maxime esse proprium, ut et sua ipsius et praedecessorum verba repetat. — *c.*) Contra vaticiniorum messianicorum authentiam quatuor afferuntur argumenta : styli similitudo cum « Pseudo Isaia », levitae 33,18. 21. inepte inserti, Samaritani 33,24 commemorati, *Zach.* 8,7 ad *Ierem.* 31,7. 33 velut ad iuniorem auctorem provocans. At styli similitudo (non cum Pseudo Isaia sed) cum Isaia maior non est, quam aliis in locis, in quibus Ieremias praedecessores sequitur. Levitae vel potius « levitae sacerdotes », i. e. sacerdotes levitici generis (cfr *Deut.* 17,9 etc.), apte inseruntur, quia praedicere vult propheta, uti legitimos (i. e. davidicos) reges, ita legitimos (i. e. leviticos) sacerdotes semper adfuturos. Samaritanorum in loco obiecto nullum est vestigium, neque Zacharias illo in loco de promissionibus Ieremiae loquitur. — *d.*) Exhortatio, quae legitur 10,1-16, adscribitur prophetae in exsilio degenti, quia monitum illud antea non fuerit necessarium (sed cfr 44,16 sqq.), quia versus chaldaicus (10,11) sit insertus (ac si Ieremias chaldaicam linguam ignorasset), quia stylus sit similis « Pseudoiesaiano » (!!). — *e.*) Demum cpp. 27.-29. a iuniore manu retractata esse dicuntur, quia recentiores nominum formae (יורמיה, צדקיה etc.) reperiantur (quae tamen etiam leguntur 21,1; 26,18; 35,3 etc. et apud antiquiores prophetas *Os.* 1,1; *Am.* 1,1), quia Ieremias saepius הנביא vocetur (28,5. 6. 10 sqq.; 29,1; scilicet in oppositione ad *pseudo*prophetas, de quibus ibi agitur), quia 27,7. 16-21 in Alex. desint (quippe quae multa alia omiserit).

§ 10. — *De Lamentationibus Ieremiae.*

1. — Lamentationum libellus quinque constat elegiis, quibus sanctae civitatis, templi, regni Iuda ultimum excidium defletur

Nomen suum libellus a carminum genere traxit; a rabbinis enim antiquitus קִינוֹת (*Al.* Θρῆνοι, *Vulg.* « Threni i. e. Lamentationes) inscribebatur; nomen autem hodiernum iudaicum אֵיכָה (*eheu! quomodo*) a primo libri vocabulo desumtum tempore Patrum non erat usitatum. Quatuor prima carmina sunt alphabetica; in duobus primis singula disticha, in tertio terni versus, in quarto singula tristicha, initiali litera seriem alphabeti exhibent; quintum numero saltem versuum ad alphabetismum accedit. — *Fl. Iosephus* (Antiqu. X. 5,1) Threnos nostros a Ieremia de morte pii regis Iosiae compositos esse putavit (cfr 2 *Par.* 35,25); eandem sententiam *Paraphr. chald.* (ad 4,20) expressit et aliquoties indicavit *S. Hieronymus* (in Zach. 12,11; c. Pelag. II. 22. 23), a quo in *Glossam ord.* et ad nonnullos mediae aetatis interpretes transiit. At rerum status, qui in Threnis nostris defletur, prorsus diversus est ab illo, qui Iosiae mortem secutus est; cum communi igitur sententia tenendum est, excidium urbis et regni esse argumentum libelli (cfr *S. Hier.* Praef. in Ierem.; in Is. 63,3).

2. — Qua ratione in singulis carminibus lugubre hoc argumentum explicetur, docet hic conspectus.

Primum carmen *in civitatis destructae desolatione deflenda ita versatur*, ut ipse poeta urbem ab omnibus derelictam describat (1,1-11), ac dein per prosopopoeiam Ierusalem suam vastitatem deflentem sistat (1,12-22).

Alterum *calamitatis huius auctorem esse Deum docet.* Etenim poeta Deum contra populum suum bellantem templumque destruentem depingit (2,1-10), atque iustum esse hoc iudicium docens Sionem exhortatur, ut Dominum precibus sibi conciliet (2,11-22).

In tertio *Ieremias populi personam induens calamitates ita deflet, ut ad novam spem se erigat.* A suarum enim calamitatum descriptione incipit (3,1-18), sed ad Deum conversus, qui in puniendis hominibus eorum salutem maxime sectatur (3,19-39), novam suam spem prodit humili culpae confessione et auxilii petitione (3,40-66).

Quartum *peccata esse calamitatum causas docet.* Calamitatum magnitudinem describit pristinae felicitatis oppositione atque explicat peccatorum magnitudine (4,1-11); peccatis deinde accuratius enumeratis poeta carmen terminat Idumaeis eandem sortem denuntians (4,12-22).

Quintum, licet *oratio Ieremiae* inscribatur, integri populi est precatio. Postquam enim omnimodam suam miseriam (5,1-7) singulorumque ordinum calamitates ac praesertim cultus cessationem deflevit (5,8-18), Deum precatur, ne in aeternum irascatur (5,19-22).

3. — Threnorum auctorem esse Ieremiam prophetam, synagogae et Ecclesiae traditione extra dubium ponitur et carminum indole confirmatur.

Synagogae traditionem iam haurimus ex *Fl. Iosephi* (Antiqu. X. 5), *Thalmudistarum* (Baba bathra), *Thargumistarum* (qui explicationi praemittunt verba : « Dixit Ieremias propheta et magnus sacerdos ») iuniorumque interpretum testimoniis. Clarius autem synagogae sententia exprimitur loco, quem olim Threni in canone iudaico occuparunt; hodie quidem in tertia canonis parte inter Megilloth habentur; at olim eos Prophetiae Ieremiae fuisse adiunctos colligitur ex Origenis (in Ps. 1.), S. Hilarii (Prol. in Psalt. 15), S. Epiphanii (Haer. 8,6), S. Hieronymi (Prol. gal.) testimoniis. Cum Iudaeis palaestinensibus consensisse alexandrinos, non tantum locus ostendit, quem Threnis in suo canone assignarunt, sed etiam praefatiuncula, quam eis praemiserunt[1].

De Ecclesiae traditione unum adnotasse sufficit. Threni, quamvis semper pro libro canonico sint habiti, raro in catalogis librorum sacrorum enumerantur, immo ab ipsis Conciliis Florentino et Tridentino omittuntur; atqui haec omissio

(1) Praefatiunculae huius, quae in Vulgatam nostram transiit, canonicitas olim a nonnullis immerito est asserta. S. Hieronymum enim eam, quum in textu hebr. desit, in suam versionem non recepisse certum est, siquidem ab antiquioribus interpretibus, qui Vulgata utebantur (*Rhabano Mauro*, *Pasch. Radberto* etc.), melioribus codicibus (*Amiat.* etc.) correctoriisque ignoratur aut reiicitur; *S. Bonaventura* quoque, *Card. Hugo*, *Lyranus*, *Dionysius Carth.* eam aut « de textu esse » negant aut taciti praetermittunt. A syriaca editione exsulat, et inter Graecos *Theodoretus* eam non cognovit, quamvis in plerisque codicibus graecis habeatur.

non explicatur, nisi in catalogis nomine *Ieremiae* una cum Prophetia etiam Threni, utpote ab eo conscripti, contineri dicantur.

Porro omnino certum est, elegias auctori deberi, qui non tantum calamitatum testis fuit, sed eas ipse, immo maiores, quam reliqui, perpessus est (cfr 2,11; 3, 1 sqq.; 4,17-20; 5,1 sqq.); atqui haud pauca cum illis, quae Ieremias se passum esse in Vaticiniis testatur, ita consentiunt, ut dicendum sit, auctorem aut Ieremiam esse aut se Ieremiam fingere (cfr ex. gr. 3,14 et *Ier.* 20,7; — 3,17 sq. et *Ier.* 20,14 sqq.; — 3,52-54 et *Ier.* 38,6 sqq.; — 3,64-66 et *Ier.* 17,18 etc.); eiusmodi autem fictionis admittendae nulla suppetit ratio. Quibus accedit dictionis similitudo in Vaticiniis et in Threnis; eodem modo, quo Ieremias, auctor noster repetit imagines similitudinesque suas et ad libros mosaicos frequenter alludit; quin etiam iidem reperiuntur dicendi modi, atque idem in quantum prosaicae et poeticae dictionis differentia permittit, est sermonis color[2]. Itaque libri indoles originem eius ieremianam confirmat.

Inde a saeculo praecedente cum multis rationalistis etiam pauci catholici interpretes Threnos Ieremiae auctori eripere conati sunt; at frustra. Neque enim in duorum librorum argumento oppositionem et pugnam, quam praetenderunt, neque in lingua styloque veram dissimilitudinem demonstrare potuerunt.

Velut levissimam omittimus aliquorum catholicorum obiectionem, formam Threnorum esse artificiosiorem, quam quae Ieremiae deberi possit, ut ad rationalistarum obiectiones veniamus. In Threnis (5,7) calamitates propter *patrum* peccata immissas dici censent, in Vaticiniis (*Ierem.* 31,29. 30) patrum peccata causas esse calamitatum negari. At cfr una ex parte *Thren.* 4,6; 3,42; 5,16 etc., atque altera ex parte *Ier.* 32,18; quomodo autem peccata propria et peccata patrum dicantur causae calamitatum, docet *Ierem.* 16,11 sq. — Secundum *Thren.* 2,9 post destructionem urbis « prophetae non invenerunt visionem a Domino », Ieremias autem post destructam urbem revelationes accepit (*Ier.* 42.7 sqq.; 43, 8 sqq.). At Threni eadem ratione prophetis visionem, qua Legi existentiam negant; quemadmodum populo Lex tempore isto non fuit tutelae, ita visiones non fuerunt consolationi. — Similitudinem aliquam linguae et styli inter Threnos et Vaticinia non negant adversarii, sed monent in Lamentationibus nonnullas locutiones usurpari, quae in Vaticiniis non leguntur, et satis multas in Vaticiniis, quae frustra quaeruntur in Threnis. At non satis videntur attendere, Threnos ad poeticum dicendi genus pertinere, Vaticiniorum longe maiorem partem ad prosaicum; mirum ergo non esse, quod in Threnis certus numerus vocabulorum adhibeatur, quibus uti non potuit propheta in narrationibus aut concionibus.

(2) Multa exempla, quibus utriusque libri affinitas in argumento et dictione demonstratur, afferunt illi ipsi, qui Ieremiae auctori Threnos abiudicant. Ex. gr. *De Wette Schrader* (Einl. Ed. 8. p. 531) : 1,8 sq. cfr *Ier.* 4,30; 30,21 sq. 26; — 1,20 et 4.13 cfr *Ier.* 14,7. 8; — 2,14 cfr *Ier.* 14,13; — 1,16; 2,11; 3,48 sq. cfr *Ier.* 8,21 sqq.; 9,16 sqq.; 10,19 sqq.; — 3,52 cfr *Ier.* 15,26 sq.; etc. — 1,15 et 2,13 cfr *Ier.* 14,17 et 16,11 בְּתוּלַת בַּת עַמִּי; — 2.22 cfr *Ier.* 4,25; 10,3. 10 מָגוֹר; — 1,8 נִידָה pro נָדָה; לוֹא pro לֹא etc. Alia exempla plura afferuntur ab authentiae vindicibus.

§ 11. — *De Prophetia Baruch et de Epistola Ieremiae.*

QUAESTIO I. — De Epistolae Ieremiae (*Bar.* 6) [1] argumento et authentia.

1. — « Epistola, quam misit Ieremias ad captivos in Babyloniam abducendos, ut annuntiaret illis secundum quod praeceptum erat illi a Domino », tota in eo versatur, ut inanitate idolorum demonstrata pauperes exsules contra timorem et cultum idolorum praemuniat.

Post breve exordium (6,1. 2) thema suum proponit propheta (6,3-6), atque variis argumentis, quae stricto nexu logico non videntur colligari, infirmitatem idolorum, quae nec sese defendere (6,7-15), nec sibi consulere (6,16-26), nec sacerdotum suorum iniurias a se avertere aut punire possint (6,27-44), explicat; etenim a vilibus artificibus confecta omni vilissimo vase sunt inutiliora (6,45-58) nec cum sole aliisve creaturis maiore vi a Deo praeditis comparari merentur, sed similia sunt avium formidinibus, que in cucumerariis ponuntur (6,59-71). Qui igitur commaculari nolit, caveat a simulacris (6,72).

2. — Ieremiae, cui inscriptio eam attribuit, Epistola a protestanticis interpretibus abiudicatur, quia primigenia eius lingua sit graeca et in nonnullis textibus genuino Ieremiae contradicat. At ab auctore hebraice est conscripta, nec quidquam continet, quod a Ieremia scribi non potuerit; immerito igitur inscriptioni fides denegatur.

Solus graecus quidem textus nobis est transmissus, neque negamus, in eo pauciores quam ex. gr. in libro Baruch hebraismos inveniri; attamen tantus est eorum numerus et tam duri sunt nonnulli, ut primigenio hebraico textu non admisso apte non explicentur. Quo frequens temporis futuri usus de rebus praesentibus aut continuatis (6,10. 11. 33. 34 etc.), continua temporum varietas, constructionumque hebraicarum et graecarum in eadem phrasi permixtio praeprimis spectant; atque phrases nonnullae, quae soli interpretis negligentiae deberi videntur [2], inscriptionis testimonium omnino confirmant.

Cum Vaticiniis pugnare dicitur Epistola in exsilii duratione : *Ierem.* 29,10 « septuaginta anni », Epistola (*Bar.* 6,2) : « usque ad generationes septem ». Sed pugna eo solo in casu exoritur, si *generatio* (דּוֹר) certo numero annorum definitur; nullibi autem in Scriptura definitus numerus annorum *generationi* vel potius *periodo* (*Dor*) assignatur. Si mavis, poteris mendum librarii admittere legentis et

(1) De *Epistola Ieremiae,* etsi in Vulgata sit *Baruch* 6., primo loco agimus, ne Ieremiae genuina opera alio interiecto separemus. De Prophetia Baruch et Ieremiae Epistola autem simul agimus, licet diversi sint eorum auctores, quia in Vulg. coniunguntur et quia ambae ex deuterocanonicorum librorum numero sunt.

(2) Cfr ex. gr. 6,8 Ψευδῆ δ'ἐστι (τὰ εἴδωλα) καὶ οὐ δύνανται λαλεῖν, aut 6,67 τὰ θηρία αὐτῶν ἐστι κρείττονα, ἃ δυνανται ἐκφυγόντα εἰς σκεπὴν ἑαυτῶν ὠφελῆσαι, ubi in secundis membris pluralis ex hebr. est retentus, in primis autem singularis recte positus, quoniam in textu hebr. verbum non erat expressum. — Porro 6,12 ἐκμάσσονται τὸ πρόσωπον αὐτῶν hebraice vertatur oportet נִמְחוּ פְנֵיהֶם (*abluentur facies eorum*), et mira illa constructio 6,38 τοῖς λίθοις ὡμοιωμένοι εἰσὶν τὰ ξύλινα κτλ solo admisso textu hebraico apte explicatur.

scribentis ז׳דורות pro ג׳דורות. (*7 periodi* pro *3 periodi*). Ceterum septuagenarius Ieremiae numerus tam cognitus erat (*Dan.* 9,2; *Zach.* 7,5; 2 *Par.* 36,21), ut falsarius, qui Ieremiam se fingere voluisset, ab eo mutando abstinuisset. Nihil igitur adest, quod testimonium inscriptionis infirmet.

Adsunt autem, quae auctoritatem inscriptionis confirment. Temporum enim personarumque rationibus optime convenit Epistola, eiusque dicendi genus stylo Ieremiae admodum est affine.

Etenim *a.*) propheta pro munere suo exsules, quos propter eorum inclinationem ad idololatriam (cfr *Ier.* 44,18) in Babylonia magno periculo expositum iri non ignoravit, contra illud praemunire debuit; *b.*) demonstratio ipsa simplicibus suis ac vulgaribus argumentis supponit tales lectores, quales ultimi illi exsules erant (« pauperes terrae » 4 *Reg.* 24,14); *c.*) argumentatio satis diffusa atque repetitionibus (cfr versum quasi intercalarem 6,15. 22. 28. 39 etc.; cfr etiam 6,14 cum 6,49 etc.) et allusionibus ad Legem (cfr 6,27-33 cum *Lev.* 10,16; 12,4; 15,19 sqq. etc.) plena cum Ieremiae modo disserendi consentit; *d.*) accurata *babylonicae* idololatriae scientia, quam tota Epistola monstrat, auctorem supponit, qui ante interitum regni babylonici vixit.

Quaestio II. — De Prophetiae Baruch (*Bar.* 1.-5.) argumento et authentia.

3. — *Baruch* (Benedictus) propheta ex nobili familia exortus individuum et fidelem ministrum sese Ieremiae adiunxit, atque a. 5. post urbis templique destructionem libellum suum composuit. De ultimis eius annis nihil certi traditum est.

Baruch, filius Neriae filii Maasiae, fuit frater Saraiae, qui cum rege Sedecia Babylonem profecturus Ieremiae vaticinium contra Chaldaeos secum detulit (*Ier.* 51;59 sqq.). Intimiore autem, quam frater, vinculo Baruch prophetae erat coniunctus; a. 4. Ioakim Ieremias eius ministerio est usus ad vaticinia sua conscribenda et promulganda (*Ier.* 36.); persecutiones, quae inde exortae sunt, aegre ferentem Deus speciali vaticinio confortavit (*Ier.* 45.); ab illo autem tempore eum semper cum Ieremia videmus, quem etiam carceri inclusum non reliquit (*Ier.* 32,6 sqq.). Post urbis destructionem a Chaldaeis liber dimissus cum Ieremia in Palaestina remansit, atque tanta erat eorum familiaritas, ut Iudaei Ieremiae consilia ipsi Baruch attribuerent (*Ier.* 43,1-3). Cum magistro etiam in Aegyptum transmigrare a Iudaeis coactus est (*Ier.* 43,5-7), at a. 5. post urbis excidium erat in Babylonia probabiliter a magistro suo ablegatus, quem exsulum semper curam habuisse scimus (cfr *Ier.* 29.). In Babylonia libellum suum terminavit exsulibusque legit, a quibus una cum donis nonnullisque vasis sacris hanc Prophetiam Ierosolyma deferre iussus est (*Bar.* 1,3 sqq.). Probabiliter Ierosolymis reversus est in Aegyptum ad magistrum suum et cum eodem a Nabuchodonosor (a. 578.) in Chaldaeam adductus ibi diem suum obiit.

4. — Argumentum libelli est consolatorium. Deum enim gravissimis quidem calamitatibus debuisse populum peccatis deditum punire, sed poenitenti populo pristinas suas promissiones impleturum esse docet duabus partibus, quae forma externa plane differunt.

Exordium (1,1-14), praelecto hoc libello regem Iechoniam aliosque exsules permotos esse, ut dona Ierosolyma mitterent (1,1-8) narrat, exsulumque epistolam exhibet de donorum fine (1,9-14).

1. *Populi poenitentis precatio* (1,15-3,8). — A peccatorum confessione (1,15-22), quae Deus punire debuit (2,1-10), inchoantes misericordiam divinam implorant (2,11-20). Iustitiam deinde poenarum a Moyse iam praedictarum professi (2,21-29), sperant fore, ut promissiones quoque impleantur (2,30-35), ideoque Deum rogant, ut populi poenitentiam respiciat (3,1-8).
2. *Prophetae consolatio et exhortatio* (3,9-5,9). — In calamitates irruerunt filii Sion, quia fontem verae sapientiae, quae humanis adiumentis non acquiritur sed in Lege illis data erat, reliquerant (3,9-38); ad Legem igitur revertantur oportet (4,1-4); calamitas enim ad interitum non est (4, 5-8). Ierusalem nunc quidem de filiis suis abductis luget (4,9-16), sed eos etiam consolatur, quia auxilium a Deo sit venturum (4,17-29). Quae confirmans propheta restitutionem in integrum promittit (4,30-5,9).

Licet duae partes forma sua distinguantur, tanta tamen est earum unitas, ut duobus auctoribus deberi immerito dicantur.

Duobus auctoribus libellum deberi aliqui rationalistae asserunt, quia prioris partis lingua multo impurior, stylus multo humilior sit, quam alterius dictio. Quae ratio infirma est; de lingua statim dicemus, hoc autem loco adnotasse sufficit, in humili poenitentis viri precatione eandem sublimitatem ac vehementiam dicendi, quam in prophetica exhortatione, inepte quaeri. Neque magis valet altera ratio, quod in priore parte saepius, quam in altera, ad antiquiores libros alludatur. Haud paucas enim allusiones ad Isaiam in altera parte inveniri, ipsi adversarii fatentur, sed etiam ad Ieremiam alluditur (cfr 3,12 et *Ier.* 2,13; — 3,16 et *Ier.* 27,1; 28,14; — 3,22. 23 et *Ier.* 49,7; — 4,6 et *Ier.* 4,27; 5,18; etc.).

5. — A quo *auctore* et quo *tempore* libellus sit exaratus ipse docet: « Haec sunt verba libri, quae scripsit *Baruch filius Neriae... anno* 5... postquam Chaldaei ceperant Ierusalem eamque combusserant igne ».

Cum nonnullis igitur antiquioribus dicere non licet, prophetam *dictante Ieremia* haec scripsisse, nec cum aliis annum 5. a transportatione Iechoniae numerare; in prioribus enim expugnationibus nec Chaldaei urbem igne deleverunt, neque ea acciderunt, quae 2,2 sq. narrantur (cfr *Thren.* 2,20; 4,10). Multo magis acatholicorum systemata reprobamus, qui inscriptioni omnem fidem denegantes sub finem persici imperii, aut primorum Ptolemaeorum tempore, aut aetate machabaica, aut exeunte primo saeculo christiano librum exortum dicunt.

Nihil enim hucusque allatum est, quo inscriptionis auctoritas destruatur. Nam praeprimis, quidquid contra dicunt aliqui adversarii, dubium non est, quin integri libelli lingua primigenia fuerit hebraica; id enim historice constat atque multis et duris graeci textus hebraismis nonnullisque interpretis mendis confirmatur.

Inter authentiae adversarios aliqui nobiscum integrum librum hebraice esse conscriptum defendunt, alii saltem prioris partis hebraicam originem agnoscunt, pauci graecam esse integri libri primigeniam linguam asserunt. Attamen licet S. Hieronymus hebraicum librum Baruch non amplius invenerit, *Origenes* eum

cognovit, qui in suis Hexaplis integrum libellum asteriscis et obelis eodem modo, quo alios hebraicos libros, distinxit. *S. Epiphanius* quoque (Haer. 8,6) *hebraicos* Veteris Test. libros recensens nominat Baruch cum Ieremia. Quorum historica testimonia confirmantur hebraismis duris et mendis, quae in utraque parte reperiuntur[3]. Neque mirum est, quod graeca alterius partis lingua sit purior; nam in vertenda priore parte, quae utpote precatio in usum liturgicum transierat, interpres ab hebraico longius recedere non est ausus.

Neque rebus narratis auctoritas inscriptionis infirmatur; sua enim sponte omnes historicae difficultates evanescunt, quando textus secundum regulas hermeneuticas explicantur, nec ea omnia facta esse temere negantur, quae ab aliis scriptoribus non sunt relata.

Ex multis difficultatibus, quas antiquiores heterodoxi in libello invenerunt, moderni paucas tantum retinent. Negant, eo tempore *Ioakim* summum sacerdotem fuisse (1,7), sed nos quoque id negamus; ab auctore enim (1,7) Ioakim non vocatur *summus* sacerdos, sed ὁ ἱερεύς, sc. sacerdos ille qui summi pontificis Iosedec captivi vices gessit. — Negant, vasa sacra per Nabuchodonosor ablata Iudaeis eo tempore esse restituta et in Iudaeam reportata (1,8). Distinctione opus est : vasa *aurea* per Chaldaeos in primis expeditionibus ablata et idolis consecrata (*Dan.* 1,2; 2 *Paral.* 36,7) non sunt restituta nisi per Cyrum; sed ne cultus interrumperetur, Sedecias pro aureis fecerat vasa *argentea,* quae in tertia urbis expugnatione etiam ablata ob vilitatem suam idolis non sunt consecrata, ita ut a Iudaeis redimi (*restituta* ea esse a rege, auctor non dicit) et in Iudaeam mitti potuerint. — Negant, filium Nabuchodonosor nomen habuisse Baltassar (1,11sq.), sed quo iure id negent, non apparet. Nomen enim est chaldaicum (*Dan.* 5,1); facile igitur admittitur, Evilmerodach aut alio nomine vocatum esse Baltassar, aut fratrem maiorem natu habuisse, qui hoc nomen gesserit. — Negant, Ierosolymis destructis templum, altare, cultum perdurasse. Attamen ex *Ier.* 41,5 et 1 *Esdr.* 2,68 constat, etiam ruinas templi vocatas esse οἶκον Κυρίου, sicut in nostro libro; atque iisdem Ieremiae verbis edocemur, post templum destructum nec sacrificia Ierosolymis cessasse nec altare defuisse. — Demum auctorem nostri libri multa ex Daniele et Nehemia desumsisse asserunt. At maximam quidem similitudinem intercedere inter precationem Danielis et nostrum librum (cfr *Dan.* 9,7. 8. 10 et *Bar.* 1,15-18; — *Dan.* 9,11. 14 et *Bar.* 1,20 sq.; — *Dan.* 9,12 sq. et *Bar.* 2,1 sq.; — *Dan.* 9,15-18 et *Bar.* 2,7-17) et minorem quoque inter 2 *Esdr.* 9. et Baruch, libentissime concedimus; sed duos illos auctores a nostro dependere monemus, siquidem precatio populi poenitentis, quae diebus festivis Ierosolymis in ruinis templi recitabatur, nec Danieli nec levitis postexsilicis ignota erat.

(3) Ex. gr. *in priore parte :* 1,20; 2,6. 11. 21 ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη i. e. כַּיּוֹם הַזֶּה, *sicut hodie;* — 1,17 ὧν ἡμάρτομεν i. e. אֲשֶׁר חָטָאנוּ, *qui peccavimus;* — 1,22; 2,21 sq. ἐργάζεσθαι i. q. *servire,* quia עָבַד, *operari* et *servire;* — 2,19 καταβάλλομεν τὸν ἔλεον ἡμῶν κατὰ πρόσωπόν σου, ubi ἔλεος i. q. תְּחִנָּה, *misericordia* et *precatio* (« proiicimus precationem nostram coram te ») etc. *In altera parte :* 4,20 σάκκος τῆς δεήσεως, ubi δέησις i. q. עֲנוּת, *afflictio* et *clamor afflicti* s. precatio cfr Ps. 21 (22), 5; — 4,15 ὅτι pro οἳ non recte translato hebr. אֲשֶׁר; — 3,23 μερράν probabiliter pro בְּדָן vel מִדְיָן non recte lecto; cfr etiam 3,11. 30. 31. 33; 4,5. 9. 14 etc.

Quaestio III. — De Prophetiae Baruch et Epistolae Ieremiae canonicitate

6. — Libelli Baruch et Epistolae Ieremiae canonicam auctoritatem agnovit antiqua synagoga. In Novo Test. quidem non allegantur, sed ab antiquissimis temporibus abundant testimonia, quibus eorum canonicitatem ab Ecclesia semper agnitam esse invicte demonstratur.

Danielem in sua precatione priorem libelli partem ita sequi, ut eius verba omnino sua faciat (*Dan.* 9.), iam diximus; *Iudas Mach.* autem et synedrium in suis literis ad Iudaeos alexandrinos una cum authentia etiam auctoritatem Epistolae testantur (2 *Mach.* 2,2); *Constitutiones Apost.* (V. 20) asserunt, Iudaeos quotannis die 10. m. Gorpiaei vastitatem a Nabuchonosor inductam Threnis et libello Baruch plangere; *Origenes* (in Ps. 1) et *S. Epiphanius* (Haer. 8,6) utrumque opusculum in canone Iudaeorum fuisse docent.

Quanto in honore fuerit libellus Baruch in antiqua Ecclesia, quinque primorum saeculorum Patres *plus triginta* ostendunt, qui *Bar.* 3,36-38 velut divinum testimonium afferunt (cfr *Kilber* Analys. bibl. ed. *P. Tailhan* I. p. 428). Rarius ab antiquis Patribus allegatur Epistola, cuius argumentum Christianis erudiendis parum est adaptatum; nihilominus *Tertullianus* (Scorp. c. Gnost. 4.) et *S. Cyprianus* (de Orat. Dom. 5.) eam allegant; ineunte saec. 4. *M. Firmicus Maternus* (de Errore 29) eam integram transcribit; *SS. Cyrillus Ier.* (Cat. 4,35) et *Athanasius* (Ep. fest. 39) eam in canone recensent; in catalogis latinis omittitur, quia cum Baruch erat coniuncta.

§ 12. — *De praecipuis commentariis catholicis in libros Ieremiae et Baruch.*

I. Interpretatio patristica. — *Patres orientales* non admodum multa reliquerunt. *Origenis* supersunt una et viginti homiliae (ex quibus duae latine tantum) et multa fragmenta in Vaticinia et Threnos; *Eusebius Caes.* pauca attingit in Eclogis proph. I. 33 sqq.; *S. Cyrilli Alex.* quoque fragmenta tantum supersunt, at integer *Theodoreti* Comm. in Vatic., Thren., Bar. Praeterea exstant *I. Math. Caryophili Cret.* Catenae graec. Patrum (in omnia Ieremiae scripta et in Bar.), graece et latine ex versione Leon. Allatii (Lugduni 1628.). — Quibus addatur oportet *S. Ephraem* in Ierem. explanatio (Opp. syr. II. p. 98 sqq.; et *I. Th. Lamy* Mechliniae 1886. II, p. 217 sqq.).

Pauciora quidem reliquerunt *Patres latini*, meliora tamen *S. Hieronymus* in suo Commentario in triginta duo priora capita. Praeterea *S. Paterii* testimonia ex *S. Greyorii* operibus excerpta habemus et *Rhabani Mauri* Commentarios in Vatic. et Threnos, quem *Wal. Strabo* in sua Glossa sequitur.

II. Interpretatio mediae aetatis. — Threnorum praecipui interpretes sunt *Paschasius Radb.*, *Guibertus Abb.* (Tropologiae in Lament.), *Rupertus Tuit.*, *Hugo a S. Vict.* (Adnotatiunculae), *S. Bonaventura* (in Thren. Opp. Romae I. p. 428 sqq.), *Ioan. Latheburius*, O. Min. (Expositio moralis in Lament. 1482.), *B. Albertus M.* (in Threnos et Baruch. Opp. VIII.), *S. Thomae Aquin.* (in Threnos et Vaticinia); quibus accedunt *Card. Hugonis, Lyrani, Dionys. Carth.* Postillae in omnes libros.

III. Interpretatio recentior. — Saeculo 16. omnes tres libros explicavit

Ioan. Maldonatus S. I. (Lugduni 1609. Opus postumum); Vaticinia et Thren. *Nat. Taillepied*, O. Min. (Comm. in Thren. Parisiis 1582; in Ierem. 1583.); Vaticinia sola *Silv. Mencius de Castilione*, O. S. Aug. (Interpret. in Ier. Coloniae 1577.), *Andr. Capella* (Commentarii, in Ierem. Carthusia Scalae Dei 1580.), *Andr. Masius* (Notae in Ierem. 2.-4. critici sacri IV.); Threnos solos *P. N. Delgado* (Expositio, Hispali 1530.), *Hector Pintus* O. S. Hier. (Comment. Lugduni 1561.), *Antonius Agellius* Cler. Reg. (Comment. Romae 1598.).

Saeculo 17. omnes tres libros explicaverunt *Chr. de Castro* S. I. (Comment. Parisiis 1609.), *Petr. a Figueiro*, Cler. Reg. (Paraphr. Lugduni 1615.), *Christ. Costerus* S. I. (Comment. Moguntiae 1616.), *Casp. Sanctius* S. I. (Comment. Lugd. 1618.; in Bar. 1621.), *M. Ghislerius*, Cler. Reg. (Comm. in Ier. 1.-5., Catenae ex Patribus gr. in omnes libros. Lugduni 1623.). —Vaticinia sola *Thom. de Beira*, O. Min. (Considerationes. Olyssipone 1633.), *Ben. Mandina*, Cler. Reg., (Expositio in Ier. 1. Neapoli 1620.). — Threnos solos *I. B. Navarette* (Comment. Cordubae 1602.), *Mart. Del Rio* S. I. (Comm. liter. Lugduni 1608.), *Ioannes a Iesu*, O. Carm. (Interpret. et paraphr. Neapoli 1608.), *Seb. Costa de Andrada* (Comment. Lugduni 1609.), *Bald. Iunius*, O. Min. (Lamentationes triplici sensu Antw. 1632.), *Fr. de Lemos*, O. S. Ben. (Comm. Matriti 1649.). — Baruch solum *Laelius Bisciola* S. I. (Discursus tres. Comi 1621.), *Petr. Lansellus* S. I. (in eius opere : Biblia sacra cum notationibus Emm. Sa etc. Antw. 1624.).

Saeculo 18. praeter *Calmetum* vix alius est memoria dignus; Vaticinia explicavit *Modestus a S. Ioan. Evang.*, O. Carm. (Elucidatio literalis. Pragae 1715.), omnes libros gallice *Lud. de Poix*, O. Cap. (Paris 1780.-1788.).

Hoc nostro saeculo quaestiones criticas tractaverunt *F. C. Movers* (de Utriusque recensionis Ieremiae indole et origine. Hamburgi 1837.) et *A. Scholz* (Der massoreth. Text u. die LXX Uebersetzung des B. Ieremias. Regensburg 1875.); omnes libros explicarunt *Trochon* (Paris 1878.) et *Ios. Knabenbauer* S. I. (Vatic. Parisiis 1889; reliqua 1891.); — Vaticinia et Threnos *I. Schneedorfer* (Prag. 1876. 1881); — sola Vaticinia *Ant. Scholz* (Commentar. Würzburg 1880.); — solum l. Baruch F. H. Reusch (Erklärung. Freiburg 1853.); vaticinia messianica *I. Bade* (Christologie III. 2), *L. Reinke* (Messian. Weissagungen III.), *C. G. Mayer* (die Mess. Weissagungen Ieremia's Wien 1865.).

CAPUT IV.

DE PROPHETIA EZECHIELIS.

§ 13. — *De Ezechielis vita et munere.*

1. — *Ezechiel*, filius Buzi, sacerdos, eodem tempore quo Iechonias in Chaldaeam captivus abductus cum uxore, quam a. 9. exsilii morte amisit, iuxta fluvium Chobar domicilium fixit. Ibi a. 5. exsilii sui sublimi visione propheta inauguratus per viginti duos saltem annos munere prophetico magna cum auctoritate inter exsules functus est, licet non deessent, qui vaticinia eius irriderent. Versus finem vitae suae ipse vaticinia sua collegit unoque volumine apte disposuit.

Admodum pauca de eius vita nobis sunt tradita. Si « 30. annum », quo visionem inauguralem habuit (1,1), de aetate eius intelligere licet, natus est a. 622. paucis annis postquam Ieremias propheticum munus iniit. Ultimum vaticinium, quod literis mandavit, a. 27. transmigrationis suae promulgavit (29,17); quamdiu postea vixerit, ignoramus. Traditio quaedam est iudaica, quam Patres receperunt, eum « a iudice quodam populi Israel propterea, quod illum de cultu idolorum arguisset, apud Babyloniam interfectum esse ». Reliquas fabellas, quas iuniores scriptores fide non digni tradunt, adscribere superfluum est.

2. — Inter prophetas Ezechiel singularem locum occupat. Eo enim tempore, quo antiquus theocratiae status corruebat, vocatus est, ut *in terra aliena* exsules ad novum, qui condendus erat, statum praepararet. Namque ne regno antiquo et templo destructis exsules omnem melioris sortis spem abiicerent, Ezechiel tamquam *fidelitatis divinae propheta* missus est, qui Deum suis promissis fidelem stare ostendens animos exsulum nova spe repletos ad Deum reduceret.

Quo infeliciora et Israelitis periculosiora erant tempora, in quae incidit Ezechielis vita, eo clarius Deus misericordiam manifestavit, qua populum suum eius peccatis non obstantibus amplectebatur; omni enim qua potuit ratione eum ad se revocare studuit, neque in Palaestina tantum degentibus Iudaeis prophetas suscitavit, sed etiam exsulibus. Eodem tempore, quo Ieremias et Baruch Ierosolymis, Daniel et Ezechiel in Chaldaea vaticinati sunt. — Exsules vero eadem ratione, qua Iudaei ierosolymitani, superstitiosa quadam sanctuarii fiducia abrepti nec primis cladibus edocti, credere noluerunt, Deum permissurum esse, ut antiquum regnum destrueretur, sed pseudoprophetarum promissionibus seducti mox se esse in patriam reversuros sperabant. Difficile igitur erat Ezechielis munus, ad quod implendum singulari indigebat fortitudine, quam ei, uti nomine eius praesagitum erat, Deus impertivit[1]. In duro enim et obstinato populo vanam illam fiduciam, qua a sincera conversione retinebatur, destruere debuit vaticiniis symbolicisque actionibus imminentem regni et urbis et templi interitum annuntians. In hac muneris parte omnino similis est Ieremiae eadem eodem tempore Ierosolymis docenti; at hac parte Ieremiae munus absolvebatur, dum Ezechielis

(1) Nomen יְחֶזְקֵאל (*Alex.* Ἰεζεκιήλ) rectius explicatur יְחַזֵּק אֵל, *confortat Deus* (cfr *Ezech.* 3,6-8). Alii tamen explicare malunt יְחֹזֵק אֵל « *praevalet Deus* ».

praecipuum munus praeparabatur. Septem enim annis ante urbem deletam suscitatus, ut destructionem annuntiaret, impletione minacium illorum vaticiniorum sese probavit genuinum Dei legatum, cui etiam laetiora annuntianti fides deberetur. Laetiora quidem reliqui quoque prophetae praedixerant, at omnes eorum promissiones cum domo davidica, cum urbe sancta, cum templo ita videbantur connexae, ut iis sublatis non amplius impleri posse viderentur. Itaque quo tempore res omnes putabantur conclamatae, Ezechiel fidelitatem Domini praedicans nova spe animos replet; davidicae domus ramusculum esse relictum ostendit, qui in monte excelso plantatus totam terram sit impleturus (17,22 sqq. etc.); pro antiquo templo, cultu etc. destructis novum templum, novum cultum, novam urbem, novam terrae distributionem fore docet imagines futurarum rerum delineans (40.-46.). Deus autem, quum per Ezechielem priores suas promissiones denuo et clarius proponeret, id praesertim intendit, ut fidelitate sua manifestata populum ad Legem revocaret. Septuagies enim circiter velut sigillum minis et promissionibus suis addit verba : « *Et scietis, quia ego* IAHVE » i. e. *ille qui est,* qui ab aeterno et in aeternum per se solum *est* ideoque omnis mutationis incapax promissis suis fidelis stat; qui autem fidelem et immutabilem sese exhibuit in poenis, quas comminatus erat, fidelem quoque sese exhibebit in praemiis, quae populo poenitenti promiserat, praestandis.

§ 14. — *De Ezechielis libro.*

1. — Ezechielis Prophetia multis vaticiniis, actionibus symbolicis, visionibus constat, quae partim imminentem regni Iuda interitum, partim felicem novi regni exorituri sortem praedicunt.

Ezechielem a vastatione incipere et desinere in consolationem, dixerunt rabbini satis apte libri nostri argumentum describentes, quod pro prophetae munere duplex est. Nam in priore libri parte, quae vaticinia usque ad m. 10. anni 9. Sedeciae, i. e. usque ad initium obsidionis urbis pronuntiata continet, vanam esse fiduciam exsulum ostendit propinquum reditum in patriam conservationemque regni et urbis sperantium; in ultima autem parte, i. e. in vaticiniis a m. 10. anni 12. (vel potius 11., postquam captae et deletae urbis nuntius erat allatus) promulgatis animos ad novam spem erigit reditum ex exsilio promittens et novi regni (messianici) splendorem describens. Quae duo ad unitatem illa idea rediguntur, qua totus liber regitur : Deum quum in minis tum in promissionibus esse fidelem.

2. — Prophetam in disponendis vaticiniis ad solam chronologiam non attendisse, licet magnam eius rationem habuerit, docent inscriptiones [1].

(1) Hae inscriptiones chronologicae in Prophetia Ezechielis leguntur :

2,1. Die 4 mens. 5. an. 5. transmigrationis Iechoniae;
8,1. Die 5. mens. 6. an. 6.
20,1. Die 10. m. 5. a. 7.
24,1. Die 10. m. 10. a. 9.
26,1. Die 1. m. ? a. 11.
29,1. Die 11. m. 10. a. 10.
29,17. Die 1. m. 1. a. 27.
30,20. Die 7. m. 1. a 11.
31,1. Die 1. m. 3. a. 11.
32,1. Die 1. m. 12. a. 12.
32,17. Die 15. m. ?. a. 12.
33,21. Die 5. m. 10. a. 12 (rectius : 11.) transmigrationis nostrae.
40,1. Die 10. m. 1 (?) a. 25 transmigrationis, a. 14. post urbis excidium.

Praeter exordium autem de prophetae vocatione ac praeparatione ad munus suum (1,1-3,21) recte tres partes distinguimus, quatenus vaticinia minacia contra filios Israel chronologice disposita (3,22-24,27) a vaticiniis ad eosdem consolandos pronuntiatis similiterque chronologice dispositis (33,1-48,35) per vaticinia contra gentes edita, in quorum ordine praevalere videtur geographia (25,1-32,32), separantur.

Hodie plerique duas tantum partes ita distinguunt, ut prior omnia vaticinia minacia complectatur (3,22-32,32), altera Israelis restaurationem, hostium destructionem, gloriosum Messiae regnum praedicat (33,1-48,35). — Ceterum tertia quoque libri dividendi ratio, quae ad Isaiae ordinem prope accedit, probabilis est. Duas videlicet partes in utraque Prophetia distinguere licet, quarum prior (*Is.* 7.-37.; *Ezech.* 3,23-39,39) de praeparatione ad regnum messianicum agit, altera autem (*Is.* 38-66; *Ezech.* 40.-48.) messianicam salutem describit. Prior deinde utriusque pars in tres sectiones distribuitur : calamitati quippe assyriacae sub Achaz incredulo interitus regni increduli per Chaldaeos imminens respondet (*Is.* 7.-12.; *Ezech.* 3,23-24,27); sequuntur vaticinia contra gentes (*Is.* 13.-27.; *Ezech.*, 25.-32.); liberationi demum ab invasione Sennacherib sub pio rege Ezechia iterum respondent vaticinia de feliciore populi poenitentis statu (*Is.* 28.-37., *Ezech.* 33.-39.). Tanta ergo est in utriusque libri dispositione similitudo, ut Ezechiel totam Prophetiam Isaiae, quam hodie legimus, cognitam habuisse iure dicatur.

Hic ergo est conspectus argumenti iuxta dispositionem nostram.

Introductio (1,1-3,21) *prophetae vocationem et institutionem exhibet.* — Etenim anno (aetatis?) 30. prope fluvium Chobar prophetae apparet maiestas divina (1,1-29). Qua visione de sua missione ad populum rebellem edocetur (2,1-3,1) et confortatur (3,2-11), atque in locum missionis suae transportatus constituitur custos populo suo (3,12-21).

Prima pars (3,22-24,37) *ineluctabilem esse urbis et regni proximum interitum praedicens docet, Deum fidelem esse in minis suis.*

1. *Reali et verbali vaticinio certus urbis interitus et infelix populi sors annuntiantur* (3,22-7,27).

   Reale vaticinium est duplex. Instantem enim calamitatem in se repraesentare iussus (3,22-27) situ suo coram imagine urbis obsessae obsidionem (4,1-17) et comae suae dispersione sortem populi praefigurat(5,1-17).

   Duplex quoque est vaticinium verbale. Nam omnibus locis, in quibus Israelitae idolis servierunt, praedicitur interitus (6,1-14), et carmine lugubri celeritas et gravitas advenientis iudicii describitur (7,1-27).

2. *Visione edocetur propheta de urbis interitu eiusque causa* (8,1-11,25).

   Spiritu in urbem translatus idololatriam ubique exerceri videt (8,1-18); Dominus autem ministros suos incolas propter haec flagitia occidere urbemque comburere iubet (9,1-10,7); urbem dein relicturus (10,8-22) praecipit prophetae, ut impiis principibus mortem annuntiet (11,1-21) atque urbem egressus in monte Olivarum residit (11,22-25).

3. *Tertio vaticiniorum cyclo captivitas Sedeciae et populi praedicitur causaeque calamitatis describuntur* (12,1-19,14).

   Duplici actione symbolica infelix sors regis populique captivitas (12,1-16) et terrae desolatio praefigurantur (12,17-28).

Quarum calamitatum causa prima est eorum, qui populo invigilare debent, corruptio, sc. virorum et mulierum mendacia praedicentium (13,1-23) et seniorum, qui idololatriam in corde retinent (14,1-23).

Altera causa est integri populi corruptio, quae tribus parabolis illustratur : *Prima* assimilat populum ligno vitis praeciso, quod soli igni inservit (15,1-8). — *Altera* historiam religiosam Israel adumbrat. Virginem (Ierusalem) origine abiectam Deus sibi desponsavit (16,1-14), at illa cum omnibus fornicata (16,15-34) iustissime per amasios suos punietur (16,35-52), donec a Deo recipiatur (16,53-63). — *Tertia* politicam apostasiam Israel indicat. Vitis (Sedecias) aquilam, a qua plantata est (Chaldaeam), relinquens ad alteram aquilam (Aegyptum) inclinans merito punietur; sed ex domo davidica tener ramusculus conservabitur (17,1-24).

Sua quemque peccata expiare docet deinde propheta (18,1-32), ne Israelitae putent, se ob patrum tantum crimina pati nec ipsos poenitentia indigere.

Cyclum hunc terminat carmine parabolico, quo interitum domus regiae et populi plangit (19,1-14).

4. *Quarto cyclo ita proponuntur causae poenarum atque calamitates ipsae, ut divinum hoc iudicium populo emendando et gloriae divinae manifestandae inservire appareat* (20,1-23,49).

Senioribus Deus conspectu historico necessitatem poenae ostendit. Populo semper rebellanti Deus ob gloriam nominis sui pepercit (20,1-26); sed eum nunc disperget, ut sibi creet gentem mundam (20,27-44).

Iudicium venturum annuntiat parabola incendii saltus meridiani (20,45-49), quae explicatur de gladio regis Nabuchodonosor (21,1-24), qui pontificatum et thronum Iuda sit destructurus (21,25-32).

Causae poenarum proprio sermone (22,1-31) et parabola duarum sororum meretricum describuntur, quae Samariam et Ierusalem idolis servientes figurant (23,1-49).

5. *Vaticinia promulgata eo die, quo Ierusalem obsideri coepta est* (24,1-27). — Hanc diem adnotare iussus instantem calamitatem sub parabola ollae aestuantis annuntiat (24,1-14); de uxoris morte lugere prohibetur, quia de templo interituro luctus sit agendus (24,15-24); demum contribulibus suis tacere iubetur, usque dum destructae urbis nuntium acceperit (24,25-27).

Pars altera (25,1-32,32) *septem gentibus interitum annuntiat.*

1. *Sex populis vicinis, qui de interitu Iuda gavisi sunt, annuntiatur poena.*

Brevissime propheta contra *Ammonitas, Moabitas, Idumaeos, Philisthaeos* vaticinatur (25,1-17). — Deinde *Tyri* completum interitum annuntiat (26,1-21) atque carmine lugubri plangit (27,1-36); regis quoque Tyri castigatur superbia et praedicitur poena (28,1-19). — Breve adnectitur vaticinium contra *Sidon* (28,20-26).

2. *Aegyptus* sex vaticiniis castigatur. — *Primum* a. 10. post Iechoniae transmigrationem praedicit Pharaoni totique Aegypto excidium (29,1-16), atque confirmatur altero, quod a. 27. promulgatur (29,17-30,19). *Tertium* a. 11. editum est (30,20-26), et *quartum* eodem anno comparat Pharaonis interitum cum interitu regis Assyriae (31,1-17). *Quintum* (32,1-16) et *sextum* (32,17-32) a. 12. edita sunt elegiae de Pharaonis excidio.

PARS TERTIA (33,1-48,35) *vaticiniis consolatoriis Deum fidelem esse in promissionibus demonstrat.*

1. Pro *introductione*, ut falsa Israelitarum fiducia destruatur, edocetur populus, quid requiratur, ut promissionum particeps fiat (33,1-20); sanguinem enim abrahamiticum ad id non sufficere (33,21-34).

2. *Vaticinia de restitutione et futura gloria Israel* (34,1-39,29).

Pastorum infidelium locum occupabit bonus pastor. — Reiectis enim antiquis pastoribus, qui Israelem perdiderunt Dominus congregat gregem suum (34,1-17) eique praeponit pastorem *Davidem* (34,18-31).

Diversa sors Israelis et Idumaeae. — Idumaei, utpote Israelis hostes (35,1-15) vicinaeque gentes destruentur (36,1-7); ad perennem autem gloriam resurget Israel (36,8-15) ob honorem nominis Domini (36,16-38).

Resuscitatio et unio Israel duabus parabolis illustratur. — Etenim mortuorum ossa vaticinante propheta vita nova donantur (37,1-14), et duo ligna manu eius coniuncta unionem regnorum praefigurant (37,15-28).

Victoria de hostibus duce Gog novum regnum aggressuris. — Hostium Israelem destruere volentium consilio propheta opponit consilium Dei aggressionem permittentis (38,1-23), ac dein hostium stragem describit (39,1-20) fructusque victoriae celebrat (39,21-29).

3. *Prophetica descriptio novi regni Israel* (40,1-48,35). Templum destructum iacebat, cultus cessaverat, populus e terra sua erat eiectus : ex his igitur propheta desumit symbola ad novum Messiae regnum describendum.

Describuntur novi templi atria et vestibula (40,1-49), sanctuarium ipsum (41,1-24), aedificia in atriis erecta (42,1-20).

Novum templum, in quod maiestas divina revertitur, consecratur (43,1-44,3); — atque praecepta proponuntur de novi templi sacerdotibus et levitis (44,4-31) et oblationibus (45,1-46,24).

Terra ipsa torrente progrediente sub limine templi immutatur (47,1-12), aequaliter inter duodecim tribus dividitur (47,13-48,23); demum describitur nova civitas, cuius nomen erit *Dominus ibi* (48,30-35).

3. — Ezechielis stylus, licet non minus, quam eius lingua, elegantia careat, insignis tamen est vi et vehementia quadam, qua alios plerosque superat. At magna quoque est eius obscuritas non tam ob verborum structuram, quam ob descriptionum ubertatem, eruditionem, audaciam.

Pro temporis et loci ratione Ezechielis lingua non paucis formis ad aramaismum inclinat; tempore enim exsilii in terra aliena scribens, mirum non est, quod ne Ieremiae quidem, cui suppar fuit, puritatem attigerit. Iisdem quoque dictionibus formulisque repetitis monotonia styli quaedam exoritur : plus *centies* verba Domini eadem formula (« haec dicit Dominus Deus ») inchoantur, plus *octogies* verbis Domini inseritur formula נאם יהוה (« dixit Dominus »), plus *septuagies* phrasis repetitur « et scietis, quia ego Dominus », plus centies propheta a Deo appellatur « fili hominis » etc. Nihilominus habet aliquid, quo lectorum animos quasi abripit; vix quisquam enim est inter sacros scriptores, qui crudioribus imaginibus flagitia populi describat, durioribus increpationibus abominationes populi profliget : verus *Ezechiel* (vir, quem Deus confortat) zelo divino abreptus etiam toto dicendi sui genere lectorum animos horrore vitiorum implet.

At non minus insignis, quam eius vehementia, est eius obscuritas, de qua Patres

interpretesque omnes conqueruntur et ipsi primi vaticiniorum auditores iam conquesti sunt, simul rationem praecipuam obscuritatis indicantes : « Numquid non per parabolas loquitur iste » (20,40)? Longe scilicet maior libri pars visionibus constat, actionibus symbolicis, parabolis, quae ipsa natura sua aliquid perplexi habent et impediti. Accedit autem, quod Ezechiel visiones suas et parabolas non adumbret, uti alii facere solent, sed accuratissime et minutissime describat et quasi depingat. Qua rerum minutarum exuberante copia mens non parum distrahitur atque illa, quae in visionibus maioris momenti sunt aut in actionibus symbolicis parabolisque ad ideam exprimendam vere pertinent, difficillime ab aliis distinguuntur, quae ornatus potius aut amplificationis gratia videntur esse addita. Unde facile fit, ut mysteria ibi quaerantur, ubi nulla sunt, aut alia negligantur, quae ideae accuratius definiendae inserviunt.

4. — Ultima Ezechielis capita (40.-48.) sunt symbolica et poetica futuri regni messianici, i. e. Ecclesiae, descriptio; sub symbolis enim templi vastissimi in alto monte erecti, cultus levitici splendide restaurati, terrae admirabili fonte foecundatae et inter duodecim tribus advenasque aequali modo distributae, describit propheta regni messianici pulchritudinem, sanctitatem, universalitatem.

Inter Ezechielis pericopas obscuras obscuritate eminent ultima eius capita, ad quae explicanda proposita sunt varia systemata. Alii enim proprio sensui verborum eique soli inhaerere volunt, ita ut propheta de templo ierosolymitano et cultu ibi exercito loquatur; inter se tamen non plane conveniunt, siquidem secundum aliquos Ezechiel salomonici templi et cultus memoriam descriptione sua conservare sibi proposuit, secundum alios templum et cultum postexsilicum praeformare, secundum alios demum templi et cultus aut Messiae aetate aut tempore millenii futuri ideam adumbrare. Altera interpretum classis cum prima tenet, prophetam proxime de templo et cultu antiquae synagogae agere, sed simul altiorem significationem typicam esse admittendam concedit, ita ut restauratio templi ierosolymitani et cultus levitici sit umbra et figura perfectioris templi a Messia fundandi et perfectioris cultus in Ecclesia exercendi; quare etiam admittit prophetam in nonnullis sensu proprio prorsus relicto immediate ad typum transiisse. Tertia demum classis, cui plerique Patres adnumerandi sunt, in integra visione solam agnoscit allegoricam futurae Ecclesiae descriptionem; eadem enim ratione, qua propheta sub figura navis ornatae undequaque merces conquirentis praesentem pulchritudinem et opulentiam Tyri descripsit (cp. 27.), etiam futurae Ecclesiae magnificentiam sub figuris antiqui templi etc. describere potuit.

Quam tertiam sententiam solam tenendam esse, tribus argumentis contra illos praesertim primae classis asseclas asserimus, qui Ezechielem in ultima libri parte cultum a Iudaeis postexsilicis exercendum praeformasse eumque in finem leges liturgicas, quae ante exsilium in usu fuisse recordabatur, collegisse aut novas finxisse asserunt. Etenim *a.*) notandum est, unam solam visionem novem ultimis capitibus exhiberi, cuius partes ita inter se sunt connexae, ut eadem ratione omnes explicentur necesse sit, neque ullo modo intermediam partem proprio, primam ac tertiam improprio modo interpretari liceat. Iam vero evidens est, Ezechielem nec templum ab urbe sancta separare nec miram illam terrae divisionem introducere voluisse, quam fuse cpp. 45. et 48. describit. Quare si in his praeceptis improprius et symbolicus sensus conceditur, idem in praeceptis ritualibus admittendus est.

b.) Quoniam Ezechiel semper pro legitimo Dei propheta est agnitus, explicari non potest, cur eius leges, quas velut divinas promulgavit, numquam sint observatae, si sensu proprio eas intelligi voluit. Nonnullae quidem, quae etiam in Pentateucho continentur, observatae sunt, sed aliae in quibus a Pentateucho discrepat, in usum non sunt deductae; neque in levioribus tantum, sed in gravioribus quoque a Moyse discrepat Ezechiel, qui hierarchicum ordinem ignorat nec umquam de summo sacerdote loquitur, omnibus sacerdotibus illud onus imponit, ad quod Pentateuchus solum summum pontificem obligat (44,21 cfr *Lev.* 21,13), duo tantum festa maiora (paschatis et tabernaculorum) admittit etc. *c*.) Non semel tantum, sed saepe per integram visionem propheta cavet, ne proprio sensu verba sua intelligantur. Statim a principio « mons excelsus nimis » (40,2), in quo exstruendum est templum, non est Sion, sed mons ille, quem prophetice viderant Isaias (2,2) et Michaeas (4,2); in novum templum maiestas quidem divina ingreditur (43,1 sqq.), sed ei deest arca foederis (cfr *Ierem.* 3,16); ingressu Dei integrum templum cum atriis et adiacentibus aedificiis consecratur « sanctum sanctorum » (43,12), ergo nec de salomonico nec de zorobabelico templo loquitur; porro a nullo fons, cuius aquae miram spargunt fertilitatem (47,1 sqq.), intelligitur proprio sensu, attamen est idem angelus, qui eadem ratione mensuras templi (40,5 sqq.) et mensuras fluvii (47,3 sqq.) explicat etc.

Complementi gratia addi potest, impropriam explicationem omnino esse admittendam, quia S. Ioannes in sua Apocalypsi Ezechielis figuras iterum adhibet, ut « sponsam Agni » describat (cfr *Apoc.* 21,10 et *Ezech.* 40,2; *Apoc.* 21,12 et *Ezech.* 48,31; *Apoc.* 22,1 sqq. et *Ezech.* 47,1 sqq. etc.).

5. — Ezechielem ipsum omnia sua vaticinia literis mandasse et uno volumine comprehendisse, communis est et certa sententia.

Ipsis rationalistis « Ezechielis liber ex paucis illis est, qui a principio usque ad finem tanta styli et dictionis unitate insignes sunt, ut omnis suspicio, aliquam partem esse suppositam, prorsus excludatur ». Quodsi nihilominus nonnulli, etsi vaticinia ab Ezechiele conscripta et collecta esse concedunt, inscriptiones chronologicas aliquas in dubium vocant easque a propheta temere praefixas aut vaticinia aliqua post eorum impletionem ab eo retractata et eventui adaptata dicunt, solis praeiudiciis rationalisticis ducuntur, quae veras praedictiones admitti vetant. — Alii, licet etiam authentiam et integritatem libri admittant, textum tamen praesertim ultimae visionis (40.-48.) ab antiqua synagoga fraudulenter corruptum esse suspicantur; at immerito. Textum enim purum ad nos non pervenisse certum est, sed eius mendis explicandis plane sufficiunt rationes, quibus reliquorum librorum textus nonnullis in locis incertus redditus est. Ob obscuritatem enim vaticiniorum librarii in iis describendis maiori errandi periculo erant expositi.

6. — Ezechielis Prophetia iam Siracidae tempore eundem, quem hodie, in canone locum occupavit atque ab antiqua synagoga et Ecclesia semper pro inspirata est recepta.

Siracides (*Eccli.* 49,10. 11) « viros gloriosos » celebrans immediate post Ieremiam et ante Minores Prophetas Ezechielem nominat eiusque librum hodiernum describit. Rabbinos iuniores aliquando de eius canonicitate dubitasse, quia nonnulla eius verba cum Pentateucho pugnarent, tradit Mischna; at dubitatio illa vix exorta statim evanuit. In Novo Test. diserte nusquam allegatur Ezechiel, at satis frequenter ad eius vaticinia et symbola alluditur. Dominus, quum se « pastorem

bonum » diceret (*Ioan.* 10,11), procul dubio ezechielicum vaticinium de bono pastore (*Ez.* 34,11 sqq.) in se impletum esse docuit; magna arbor, quae ex grano sinapis excrescit (*Matth.* 13,32), omnino similis est arbori messianicae apud Ezech. (17,23 etc.). Maxime vero S. Ioannes in Apocalypsi ad Ezechielem respicit eiusque vaticinia resumit et excolit (cfr *Apoc.* 18.-21. cum *Ezech.* 27; 38. 39; 47. 48.).

§ 15. — *De praecipuis commentariis catholicis in Ezechielem.*

I. INTERPRETATIO PATRISTICA. — *Patres orientales : Origenis* Homiliae quatuordecim (latine redditae a S. Hier.); ex eius comment. et scholiis fragmenta in cpp. 1.-30; 32; 45.; *S. Ephraem* Explanatio (Opp. syr. II. p. 165 sqq.); THEODORETI Commentarius. Aliorum graecorum *Apollinaris Laod., Polychronii, Hesychii* etc. fragmenta exstant in Catenis manuscriptis.

Patres latini : S. HIERONYMI Commentariorum libri quatuordecim; *S. Gregorii M.* Homiliarum in Ezech. (1,1-4,3 et 40,1-49) libri duo; ex eiusdem operibus excerpta sunt *S. Paterii* Testimonia in Ezech.; *B. Rhabani Mauri* Commentar.; *Walafridi Strabonis* Glossa ordinaria.

II. INTERPRETATIO MEDIAE AETATIS. — *Ruperti Tuit.* Commentariorum in Ezech. (1.-12.; 40.-48.) libri duo; *Richardi a S. Vict.* in Ezechielis (de Cherubim et de templo) visionem; quibus accedunt Postillae *Card. Hugonis, Nic. Lyrani* et Enarrationes *Dionysii Carthus.*

III. INTERPRETATIO RECENTIOR. — *Saeculis* 16.-18. *Hect. Pinti,* O. S. Hier., Comment. (Salmanticae 1568.). *Petr. Serrani* Comment. (Antw. 1572.); *Hier. Pradi* S. I. et *I. B. Villalpandi* in Ezechielem (1.-28.; 40.-43; 46) explanationes et apparatus urbis ac templi commentariis et imaginibus illustratus (Romae 1596.-1604.); *Ioan. Maldonati* S. I. Comment. (Lugduni 1609. Opus posthumum); *Casp. Sanctii* S. I. Comment. in Ezech. (Lugduni 1610. Prae reliquis commendandus); *Ludov. ab Alcasar* in magno volumine, quo de iis partibus agit, quas Apocalypsis respicit, *Ezech.* 1. 10. 38. 39. 48. satis fuse explicavit (Lugduni 1632.). Praeterea nominandi sunt totius Vet. Test. commentatores *Cajetan., Cornel. a Lapide, Aug. Calmetus*) et scholiastae (*Emm. Sa, Iac. Tirinus, Steph. Menochius* etc.).

IV. HOC NOSTRO SAECULO : *B. Neteler* Gliederung des B. Ezechiel (Münster 1870.); *I. Knabenbauer* S. I. Beitraege zur Würdigung des Proph. Ezechiel (Stimmen aus M. Laach. XVII. XVIII. 1879.), et Commentarius in Ezech. (Parisiis 1890); *Trochon* Les Prophètes. Ezéchiel (Paris 1880.); *Nic. Nilles* S. I. Ezechiels Vision über Noe, Iob u. Dan. (Ezech. 14.), und ihre symbolische. Deutung im Ius canon. (Zeitschr. f. kath. Theol. Innsbruck 1891.). — Quibus accedunt messianicorum vaticiniorum interpretes *I. Bade* Christologie des A. T. Münster 1862. III. 2.; *Laur. Reinke* Messian. Weissagungen bei den Proph. IV. (Giessen 1862.); *G. C. Mayer* Die mess. Weissaggen bei Ierem. u. Ezechiel (Wien 1865.) et « Eine mess. Prophezie des Ezech. 1,1-27. (Oesterr. Vierteljahrsschr. 1863.).

CAPUT V.

DE PROPHETIA DANIELIS.

§ 16. — *De Danielis vita et munere.*

1. — *Daniel* ex nobili familia tribus Iuda oriundus puer a. 4. Ioakim a Nabuchodonosor in Chaldaeam abductus ibi ad magnos honores pervenit publicisque semper in rebus toto exsilii tempore erat occupatus. Quamdiu finem exsilii supervixerit, ignoratur.

Inter nobiles iuvenes, quos in prima sua expeditione contra Ierusalem captivos abduxit, Nabuchodonosor aliquos elegit, qui in aula regia linguam Chaldaeorum literasque addiscerent, ut publicis postea ministeriis adhiberentur. Ex eorum numero *Daniel*, quem *Baltassar* nominari rex voluit[1], et tres eius amici, Anania, Misael, Azaria, legibus patriis fideliter inhaerentes a Deo ita adiuti sunt, ut scientia ceteros superantes iam mox ad aulica ministeria sint assumti (1,1-21). Haud diu post Daniel singularem, quam divinitus acceperat, sapientiam manifestavit, et coram contribulibus suis innocentiam Susannae, piae mulieris, iniuste accusatae patefaciens (13,1 sqq.) et coram ethnicis somnium regis revelans et explicans (2,1 sqq.). Ita factum est, ut Nabuchodonosor iuvenem sapientibus suis praeficeret eique et tribus amicis provinciam Babyloniam administrandam committeret (2,46 sqq.); quibus in muneribus Daniel toto Nabuchodonosoris regno permansit.

De proximis Nabuchodonosoris successoribus Daniel non loquitur; sub Evilmerodach tamen pristinis suis muneribus functus esse videtur, ex aula autem remotus, quando Evilmerodach post duos regni annos occisus successorem habuit suum cognatum Neriglissor. Qui quatuor tantum annis regnavit, eiusque filius Labosordachus post novem menses iam occisus est. Thronum tunc ascendit Nabonidus, qui ultimus Babyloniae rex sibi regni socium associavit filium Baltassar, ex Nabuchodonosoris filia progenitum. Eo autem tempore Cyrus regnum Chaldaeorum aggressus est; Nabonidus Borsippam fugiens filio Baltassari urbem Babylonem defendendam reliquit. Dum Cyrus urbem obsidebat, Baltassar cum principibus grande convivium fecit, sed mysteriosa scriptura, quam Daniel ei explicavit, de instante urbis expugnatione edoctus est (5,1 sqq.). Baltassare interfecto Babyloniae expugnatae praeesse coepit Darius Medus (5,31 cfr 9,1; 11,1), quo nomine alii Ugbaru designari volunt, quem inscriptio (Annales Nabonidi) a Cyro institutum esse urbis gubernatorem dicit, alii Cyaxarem II. designari probabilius censent, Astyagis filium et Cyri avunculum, cuius dux belli Cyrus ipse fuisse traditur (*Xenoph.*

(1) Daniel דָּנִיֵּאל, *Iudex Dei* vel *divinus* (cfr c. 13.), aut *Iudex meus est Deus*. Nomen Baltassar (בַּלְטְשַׁאצַּר, *Beltschazzar*) ab aliis explicatur *Balat-su-uzur* i. e. « vitam eius protegat » sc. Bel, ab aliis *Bilath-sarra-uzur* i. e. « Beltis protegit regem », quae altera explicatio magis consonat cum *Dan.* 4,8. — Danielis autem cognomen Baltassar (Beltschazzar) prorsus differt a nomine regis Baltassar (Dan. 5,1), licet Vulg. et Alex. nomina non distinguant; rex vocatur בִּלְשַׁאצַּר, *Bil-sar-uzur*, « Bel, protege regem. »

Cyrop. I. 4,5 cfr *S. Hier.* in Dan. 8,3 etc.). A novo rege Daniel inter tres summos imperii magistratus est constitutus atque in hoc munere confirmatus, postquam e lacu leonum, in quem inimicorum invidia eum iniecerat, illaesus egressus est (6,1 sqq.).

At ad finem vergebant septuaginta exsilii anni a Ieremia praedicti; Dario igitur mortuo Cyrus haud diu cunctatus Iudaeis, qui vellent, permisit. ut in Palaestinam reversi templum resuscitarent. Verum cum exsulibus Daniel non est reversus; iuvenis a. 4. Ioakim transportatus fere nonagenarius fuit, quando exsilii finis advenit. Apud Cyrum igitur remansit, sed haud diu exsilii fini supervixisse videtur; ultima, quam nobis transmisit, visio anno 3. Cyri adscribitur.

2. — Danielis munus quasi duplex erat; neque enim contribules tantum vita et exemplo suo edocuit, qua cum fidelitate et fortitudine inter medios ethnicos Lex sit observanda, visionibusque suis consolatus est, sed ethnicis quoque potentiam et magnitudinem Domini manifestavit.

Quoniam in aula regia degebat publicisque regni chaldaici in negotiis erat occupatus, Daniel eadem ratione, qua reliqui prophetae, populum concionibus ad Deum reducere non potuit; at tota eius vita concio fuit egregia. Exsules enim, quum Danielem eiusque amicos nec minis nec periculis a patria religione averti viderent magnaque miracula spectarent, quibus fideles Domini servi in camino ignis et in lacu leonum conservabantur, quasi manu apprehenderunt, Dominum populum suum non dereliquisse nec promissionum esse immemorem. At vix minus ethnicorum, quam Iudaeorum propheta fuit Daniel, quatenus praeiudicia removere coepit, quibus a vero Deo agnoscendo arcebantur, animosque praeparavit, ut bonum nuntium, qui eis quoque erat destinatus, acciperent. Destructo regno Iudaeorum unicoque veri Dei templo deleto Iahve ipse, quem velut Iudaeorum deum nationalem ethnici habebant (4 Reg. 17,24 sqq.; 18,33), a Chaldaeorum diis videbatur esse devictus; sicut aliarum gentium idola, ita templi ierosolymitani vasa sacra in domum dei sui intulerat Nabuchodonosor (1,2) tamquam spolia, quae Iudaeorum deo erepta essent a diis suis. Ut hunc errorem praecaveret et destrueret, in aula regia constitutus est propheta cum amicis suis, qui vaticiniis et miraculis docerent veri Dei, licet templum non amplius possideret, magnitudinem et potestatem atque Nabuchodonosorem, Darium, Cyrum cogerent, ut Dei Danielis maiestatem publice agnoscerent decretisque suis, licet ipsi ad monotheismum non sint conversi, ad veri Dei cognitionem in regnis suis propagandam conferrent. Iure igitur Daniel etiam gentium propheta dicitur. quia ad destruendam idololatriam Deus eius ministerio usus est. Visiones autem danielicae, quum cunctae victoriam a Messia de potentissimis regnis reportandam annuntient, hanc sententiam non parum confirmant. Itaque Daniel, qui toto libro suo magnitudinem Domini celebrat, *propheta maiestatis divinae* est.

§ 17. — *De libri Danielis argumento et indole.*

1. — Liber Danielis, quem velut canonicum Ecclesia semper recepit, libro canonis iudaici et protestantici plenior, argumento suo a plerisque propheticis eatenus differt, quatenus maior eius pars est historica.

Protocanonico libro, quem solum Iudaei hodierni admittunt, Ecclesia velut

genuinas et canonicas semper addidit pericopas quasdam, quarum primigenius textus interiit, sc. orationem Azariae et hymnum trium amicorum Danielis (3,24-90), historiam Susannae (13,1-65), narrationem de Bel et dracone per Danielem destructis (14,1-42), de quarum origine et auctoritate infra dicemus. Protocanonicus liber duabus partibus fere aequalibus constat, quarum prior fere integra est historica (1.-6.), altera prophetica (7.-12), deuterocanonica autem additamenta etiam sunt historica. — Quoniam non tam arcto nexu, quam in reliquis libris propheticis, historia cum vaticiniis videtur esse coniuncta, nonnulli duo diversa opuscula quasi coagmentata esse putant; iuniorem scilicet scriptorem vaticiniis Danielis historicam de prophetae rebus gestis introductionem praemisisse. Sed attende *a.*) prima capita non *mere* esse historica atque somnium Nabuchodonosoris (2,31-45) omnino respondere somnio Danielis (7,1-28); *b.*) in utraque parte duas linguas, hebraicam et chaldaicam, adhiberi[1]; *c.*) eodem chronologico modo utramque partem esse dispositam; *d.*) ad eundem finem utramque conspirare, quum priores narrationes vaticiniis fidem concilient, atque non minus quam visiones Israelitis confortandis, ethnicis confundendis inserviant. De protocanonici igitur libri unitate dubitare non licet.

2. — Historica libri pars Deum per Danielem amicosque eius magnitudinem suam manifestasse maxime ostendit, prophetica vero quatuor visionibus docet, Deum magnitudinem suam in ethnicis regnis destruendis esse manifestaturum.

Introductio (1,1-21) de Danielis praeparatione. — Captivus in Babyloniam abductus in aula regia fideliter Legem observat (1,1-16), atque propter hanc fidelitatem ipse et tres amici eius a Deo ita sunt adiuti, ut singulari sapientia praediti aulica ministeria obtinerent (1,17-21).

Pars prior (2,1-6,28) *quinque eventus refert, quibus Deus per Danielem eiusque amicos maiestatem suam manifestavit.*

1. *Nabuchodonosoris somnium de magna statua parvo lapide destructa* omnibus incognitum precanti Danieli a Deo revelatur (2,1-23); rex autem ob somnii manifestationem et explicationem (2,24-45) Deum Danielis proclamat deum deorum Danielemque ad altiores dignitates evehit (2,46-48).
2. *Tres amici Danielis statuam adorare nolentes camino iniiciuntur* (3,1-23), sed miraculo conservati in fornace Deum celebrant (3,24-90; Additamentum deuterocanonicum); rex autem miraculo viso Deum eorum celebrat decretoque prohibet, ne quis eum blasphemet (3,91-97 [24-30]).
3. *Epistola Nabuchodonosoris de morbo suo per Danielem praedicto* (3,98 [31]-4,34). — Regi somnio quodam per Danielem explicato gravis praedicitur morbus (3,98-4,24); anno insequente impleta est praedictio; ad sanam autem mentem reversus rex Deo iustissimo gratias agit (4,25-34).
4. *Regis Baltassar interitus* (5,1-31). — Regi convivium celebranti apparuit arcana scriptura, quam solus Daniel legere potuit et de imminente regis et regni interitu explicavit (5,1-29); eadem nocte impleta est praedictio et Darius Medus successit Baltassari interfecto (5,30. 31).
5. *Daniel a Dario Medo in lacum immissus a Deo servatur* (6,1-28). — Da-

(1) *Hebraice* scripta sunt 1,1-2,4 a. et 8,1-12,13; *chaldaice* 2,4 b.-7,28. Deuterocanonicae pericopae, quae olim etiam chaldaice vel hebraice exstiterunt, Theodotionis versione, a qua aliae versiones omnes dependent, et alexandrina nobis sunt transmissae.

nielis inimici coegerunt regem, ut invitus eum leonibus discerpendum proiiceret (6,1-17); attamen postridie rex eum incolumem reperiens decreto sanxit, ut omnes sui subditi Deum Danielis timerent (6,17-28).

Pars altera (7,1-12,13) *quatuor constat visionibus, quibus Deus maiestatem suam in ethnicis regnis manifestaturus describitur.*

1. *Visio habita a.* 1. *Baltassar* (7,1-28). — Quatuor bestiae apparente sene venerando destruuntur, et filio hominis traditur potestas (7,1-14); quae explicantur de regno Messiae surrecturo in ruinis regnorum mundi (7,15-28).
2. *Visio habita a.* 3. *Baltassar* (8,1-27). — Aries superatur a hirco, ex cuius cornu exoriuntur quatuor cornua, quorum unum infestat terram sanctam (8,1-14); quae explicantur de regno persico per Alexandrum destruendo, de quatuor regnis diadochorum et de persecutione regis impii (Antiochi Epiphanis, typi Antichristi) (8,15-27).
3. *Visio habita a.* 1 *Darii Medi* (9,1-27). — Precanti Danieli angelus Gabriel revelat, septuaginta hebdomades fore a permissione reaedificandae urbis usque ad Messiam.
4. *Visio habita a.* 3. *Cyri* (10,1-12,13). — Descripta apparitione angeli, a quo revelatio traditur (10,1-11,1), revelatio ipsa proponitur de futuris Aegypti et Syriae bellis (11,2-20), maxime de Epiphane (11,21-35), a quo ad eius antitypum, Antichristum, transitur (11,36-12,3). Altera apparitione Daniel de tempore rerum praedictarum obscure edocetur (12,4-13).

Appendices duae deuterocanonicae (13,1-14,42), quarum *prior* Susannae historiam narrat (13,1-64), *altera* destructionem idoli Bel et draconis Danielisque conservationem in fossa leonum (14,1-42).

3. — Lingua sua et vaticiniorum indole Prophetia Danielis a reliquis libris propheticis differt. Reliqui enim regnum messianicum maxime considerant velut regni davidici continuationem, Daniel autem eius relationem ad magna imperia mundi manifestat, atque praedecessorum vaticinia partim complens partim accuratius definiens ampliorem illam de novissimis rebus revelationem praeparat, quam per Novi Test. prophetam Deus Ecclesiae daturus erat.

Librum protocanonicum partim hebraice partim chaldaice esse scriptum, iam diximus [2]; duabus autem his linguis usus Daniel ab aliorum prophetarum more discedens iam indicare videtur, hebraici populi separationem ab aliis nationibus aliquando esse cessaturam. Clarius idem docetur vaticiniorum indole. Aliorum prophetarum, quum proxime ad solos filios Israel essent missi, vaticinia pleraque de solius populi electi fatis agunt, atque illa ipsa, quae de gentibus vaticinantur, intimo in nexu sunt cum eius sorte : terra sancta, Sion eiusque templum, domus davidica semper eis prae oculis versantur. Quae omnia a Daniele non commemorantur (excipe 9,1 sqq.), qui magna mundi imperia eorumque relationes considerat non tam ad regnum iudaicum, quam ad regnum messianicum, quippe quod aliis imperiis destructis succedens totum mundum sit occupaturum (2,44 sq.; 7,14. 27).

(2) Neutra autem lingua pura propheta utitur; hebraicus eius sermo aramaizat et aramaicus hebraizat, id quod mirum non est in auctore, qui duabus istis linguis inter se affinibus in vita quotidiana utebatur. Hinc etiam simili modo, quo Esdras allato documento aramaico (1 *Esdr.* 4,8), noster allatis aramaicis magorum verbis adducitur, ut media in narratione eandem linguam aramaicam adhibere pergat.

Quod si alii prophetae de Ierusalem velut de centro regni messianici agunt atque templum cum eius sacerdotibus, levitis, cruentis sacrificiis permansurum docere videntur, Daniel eorum verba spirituali sensu intelligenda esse ostendit (9,25 sqq.). Alii regnum messianicum cum reditu ex exsilio immediate connectere videntur; quam erroneam explicationem Daniel praecavet tempore adventus Messiae definito (9,25 sqq.) regnisque enumeratis, quae ante messianicum sint exoritura et peritura (2,37 sqq.; 7,17 sqq.; 8,20 sqq.; 11,2 sqq.). Alii exsilium velut ultimam calamitatem videntur describere, quam perfecta novi regni felicitas sit secutura; Daniel S. Ioanni Apostolo praeludens graviores persecutiones ultimae et erfectae gloriae praecessuras esse docet (11,36 sqq.).

4. — Scholion. « Danielem prophetam iuxta LXX interpretes Domini Salvatoris Ecclesiae non legunt, utentes Theodotionis editione. Et cur hoc acciderit, nescio...; illud unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet et recto iudicio repudiatus sit » (*S. Hier.* Prol. in Dan.).

Quoniam in Ecclesia non adhibebatur, alexandrina versio etiam in Scripturarum codicibus omittebatur, ut hodie in uno tantum codice supersit unaque eius versio syriaca. Ex quibus codicibus verum esse S. Hieronymi iudicium apparet. In prioris praesertim partis narrationibus haud pauca compendiosius reddit, alia omittit, alia e proprio penu addit. Minus frequenter in visionibus interpres discrepat, aliquoties tamen vaticinia accuratius ad historiam accommodasse videtur ideoque etiam plane corrupit vaticinium de septuaginta hebdomadis, illud ad Epiphanis historiam adaptans. Ceterum medio fere saec. 2. exorta videtur continetque omnes quoque deuterocanonicas pericopas.

§ 18. — *De Danielis libri authentia et auctoritate.*

Quaestio I. — De protocanonici libri origine.

1. — Praeter Pentateuchum nullus ex V. T. libris maiore cum ardore, quam Prophetia Danielis, a verae fidei adversariis impugnatur; integrum rationalistae omnes reiiciunt, atque deuterocanonicas saltem pericopas repudiant alii quoque protestantici interpretes.

« Tanta, inquit S. Hieronymus (in Dan. Praef.), dictorum fides est, ut propheta incredulis hominibus non videatur futura praedixisse, sed narrasse praeterita ». Quae clarae praedictiones saec. 3. p. Chr. iam permoverunt Porphyrium, philosophum neoplatonicum, ut Danielis Prophetiam auctori, qui temporibus Antiochi Epiphanis in Palaestina vixit, attribueret. Quae sententia a S. Methodio, Eusebio, Appollinario Laod., Theodoreto, S. Hieronymo refutata iterum placuit rationalistis, qui in reiiciendo nostro libro unanimes sunt, atque variis externis et internis ratiunculis demonstrare conantur, ante medium saec. 2. a. Chr. opus nostrum scribi non potuisse. Ut ordine procedamus, primum protocanonici libri authentiam stabiliemus; qua stabilita velut divinum agnoscendum eum esse sua sponte apparet; deinde de origine et auctoritate pericoparum deuterocanonicarum disserentes ostendemus, eas immerito ab acatholicis extra canonem poni.

2. — Primum authentiae argumentum praebet Danielis de se ipso auc-

tore testimonium, quod tota operis indole confirmatur, sive eius lingua sive narrationum visionumque character considerantur.

Unum esse libri protocanonici auctorem, ab omnibus fere interpretibus conceditur; unius igitur pericopae origine danielica demonstrata simul etiam integri operis authentia demonstratur. Iam vero non unius tantum visionis auctorem et scriptorem Daniel se fuisse diserte testatur. Quid clarius dici potuit, quam 7,1. 2 « *Daniel... somnium scripsit...* atque incipiens narravit : *Ego* vidi » etc.? Quid clarius, quam si in secunda et quarta *Daniel, qui viderat* (8,1. 2; 10,2), visionem *signare* iubetur (8,26; 12,4)?

Porro duplex lingua, qua scriptus est liber, auctorem ea aetate vixisse demonstrat, qua utraque in communi usu fuit; atqui ante exsilium sola adhibebatur hebraica, licet doctioribus aramaica non esset incognita; tempore exsilii aramaica inter Iudaeos ita coepit praevalere, ut Nehemiae aetate iam multi hebraicam plane ignorarent (2 *Esdr.* 13,24); machabaico autem tempore aramaica facta erat communis et vulgaris, praeter quam graeca adhiberi coepta est, dum hebraica solis rabbinis inserviebat. Quapropter liber noster, qui fatentibus adversariis *populo* consolando et exhortando destinatus erat, solo exsilii tempore vel brevi post exsilium hebraice et aramaice scribi potuit.

Deinde narrationum visionumque ratio auctorem ornatum fuisse ostendit scientia vere eximia rerum babylonicarum, quae, nisi eum tempore regni babylonici atque in ipsa aula regum vixisse dicamus, non explicatur. Antequam inscriptiones cuneiformes detectae et explicatae fuerunt, hac de re dubitari potuit, at omnia accurate esse relata hodie constat. Nomen Baltassaris (Belschazzar), regis Babyloniae, a solo libro Daniel conservatum monumento superstite hodie est confirmatum; post expugnationem Babyloniae Cyrum regnum illud non immediate administrasse, quod solus testabatur liber Daniel, hodie inscriptiones confirmant; illa, quae de Nabuchodonosoris palatio traduntur, veritati consona esse, iterum monumenta docent etc. etc. Iam vero unde Iudaeus quidam medio saec. 2. in Palaestina degens tam accuratam rerum babylonicarum scientiam hausit?

Accedit, quod narrationes et visiones tempore Danielis populo ex exsilio revertenti quam maxime erant adaptatae, quum ei magnitudinem veri Dei, quem colere debebat, tam clare manifestarent simulque ostenderent, qua ratione priorum prophetarum promissiones essent intelligendae (§ 17. 3). At illarum fingendarum saeculo 2. nulla aderat ratio. Utique rationalistae putant, « pium fraudatorem », ut populum ab Epiphane oppressum consolaretur, persecutiones illas finxisse, quas Daniel a regibus babylonicis persicisque perpessus esset sed a Deo adiutus superasset. At inepta est haec suppositio; etenim *a.*) in toto libro protocanonico duae tantum narrationes (cpp. 3. et 6.) de periculis miraculose superatis loquuntur; reliqua igitur hac hypothesi non explicantur; *b.*) nullus ex regibus, qui in libro Danielis nominantur, cum Epiphane, hoste acerrimo Iudaeorum, comparari potest; omnes enim Danielis amici erant; *c.*) nullo tempore magis, quam machabaico, pii Iudaei cultum et societatem ethnicorum aversabantur; inepte igitur illis Daniel, literis Chaldaeorum instructus et amicus regum ethnicorum, velut exemplar esset propositus. Multo minus autem Iudaeis tantopere omni ex parte impugnatis consolationi esse potuissent visiones, quae secundum res, quas ipsi suo tempore geri oculis suis spectabant, conflictae supponuntur.

3. — Alterum argumentum praebet traditio, quae in eiusmodi quae-

stionibus maximae est auctoritatis. Dominus N. ipse librum nostrum a Daniele exortum esse testatur; Apostoli eum velut divinum adhibent, id quod eis non licuisset, si eum non Danieli prophetae saeculi 6., sed fraudatori saeculi 2. attribuissent; tota demum synagoga antiqua danielicam eius originem velut rem certam admisit.

Locupletissimus authentiae testis est *Christus Dominus*, qui de « abominatione desolationis stante in loco sancto » loquitur, quae praedicta sit a « Daniele propheta » *librumque* eius perpendendum esse monet (« *qui legit*, intelligat » *Matth.* 24,15); num Dominus hac ratione de libro fraudatoris saec. 2. locutus esset? Unicus hic est locus Novi Test., in quo Danielis *nomen* ponitur; sed omnibus iis locis libri authentia supponitur, ubi ad illum, velut ad divinum, alluditur. Huc pertinent omnes illi textus, in quibus Dominus se « *filium hominis* » appellans visionem danielicam in memoriam revocat (cfr *Matth.* 26,64 et *Marc.* 14,62 cum *Dan.* 7,13); huc *S. Petri* allusio ad prophetas, qui in tempus rerum praedictarum inquirentes edocti sint, illa futuris generationibus esse destinata (1 *Petr.* 1,10 sq. cfr *Dan.* 12,6-12); huc *S. Pauli* descriptio Antichristi (2 *Thess.* 2 cfr *Dan.* 11,36 sq.) atque *S. Ioannis* innumerae fere allusiones[1].

Synagogam authentiam libri agnovisse, haec argumenta docent : *a.*) *Fl. Iosephus* (Antiqu. XI. 8,5) narrat, Alexandro M. Ierosolyma ingresso *Danielis librum* ostensum fuisse, in quo fore praedicebatur, ut Graecus quidam persicum imperium destrueret; qua de re laetatum regem Iudaeis multa privilegia concessisse; ergo saec. 4. a. Chr. iam exstitit liber et Danieli attribuebatur. *b.*) Mathathias moriens filiis suis inter alia fortitudinis exempla ex Vet. Test. libris desumta etiam proponit « Ananiam et Azariam et Misael, qui credentes liberati sint de flamma, Danielem, qui in sua simplicitate liberatus sit de ore leonum » (1 *Mach.* 2,59 sq.); ergo saec. 2. medio, sed ante a. 167., liber noster iam velut divinus agnoscebatur. *c.*) Liber Danielis in canonem a Iudaeis est receptus; atqui ex Fl. Iosephi (c. App. I. 8) testimonio constat, inter protocanonicos libros nullum esse, qui Artaxerxe I. sit recentior; ergo ante Artaxerxem iuxta Iudaeorum traditionem scriptus est liber. Immerito autem obiicitur, Danielem a Iudaeis in tertia canonis parte esse collocatum, ac proin Iudaeos non credidisse librum iam exsilii tempore esse conscriptum; hodiernum enim canonis iudaici ordinem esse recentis originis, saepius iam monuimus.

4. — Longe pleraque, quae contra danielicam libri originem afferuntur, praeiudiciis aut arbitrariis erroneisve textuum interpretationibus innituntur; neque maioris momenti sunt, quae sive ex libri indole sive ex eius doctrina sive ex iuniorum librorum silentio obiiciuntur.

a.) Ex *rationalisticis praeiudiciis* provenit, quod miracula nostri libri, utpote nimis extraordinaria, atque vaticinia, utpote nimis definita et accurata, credi non posse ideoque a fraudatore conficta esse asseruntur. Quae merito omittimus.

b.) *Arbitrario* modo ab adversariis explicantur verba, quibus ethnici reges potestatem dei Danielis profitentur (2,46 sqq.; 3,28 sqq.; 4,31 sqq.; 6,26 sqq.); neque enim illis indicatur, reges istos ad monotheismum sese convertisse, sed pro

(1) Ex uno solo capite Danielis exempla adscribam : *Dan.* 7,3 sqq. (*Apoc.* 13,1 sqq.); 7,7 sq. (11,7 sq.); 7,9 sqq. (20,4. 11 sq.); 7,10 (5,11); 7,13 (14,4); 7,20 sqq. (17,12); 7,27 (11,15 sqq.).

polytheistica sua sententia etiam Iudaeorum deo magnam potentiam attribuerunt eique locum insignem inter alios deos assignarunt.

c.) *Erroneae* explicationi debentur aliquae contradictiones apparentes. *Annus* 3. *Ioakim* (1,1) non est ille, quo Nabuchodonosor Ierosolyma expugnavit (*Ier.* 25,1 sqq.; 46,2), sed quo Babylone profectus est ad expeditionem contra Aegyptios et Asiam occidentalem suscipiendam. Item 2,1 (nisi, quod rectius puto, legendum sit : « anno 12. ») *annus* 2. *Nabuchodonosor* more Babyloniorum (qui annum, quo rex thronum ascendit, omittebant) a Daniele numeratur, ita ut Danieli annus 6. Ioakim sit annus 1. Nabuchodonosor; igitur nulla pugna cum 1,1. 5. 18. Titulus *satraparum* (6,1 sqq.) non strictiore, quo postea a Persis est adhibitus, sed latiore sensu de omnibus civitatum aut regionum gubernatoribus usurpatur.

d.) Ex *libri indole* hae fere obiectiones desumuntur. Nonnulla inveniuntur vocabula persica et graeca, quae a scriptore iudaico saec. 6. adhiberi non potuisse dicuntur. Sed aramaica lingua, qua scripta est prior pars, certe ante persici *regni* fundationem ex multiplici cum Persis commercio corrumpi potuit, et quatuor vocabula graeca (3,5. 7) sunt instrumentorum musicorum nomina, quae una cum instrumentis ipsis a Graecis Asiae Minoris ad Babylonios pervenerunt. Porro Daniel dicitur non potuisse se ipse tot laudibus ornare, quot in libro nostro ei attribuuntur (1,17. 19 sq.; 5,11 sq.; 6,4; 9,23; 10,11); sed 5,11 sqq.; 9,23 et 10,11 tamquam fidelis testis refert, quae alii de ipso dixerant; tria alia autem non sunt vanae gloriae documenta, sed explicant, *cur* Daniel eiusque amici ipsis ethnicis ab ethnicis regibus sint praelati et ad summa ministeria promoti. Demum Danielem de se, velut de persona prorsus aliena loqui non potuisse (6,29 וְדָנִיֵּאל דְּנָה « et *hic* Daniel ») edocemur; sed quamprimum auctori de se ipso tertiam personam adhibere licuit, illa expressio non creat difficultatem, siquidem contextu postulatur : « *hic* Daniel, i. e. ille ipse, quem inimici eius perdere voluerunt, Dei protectione *prosperatus est* (הִצְלַח; male Vulg. : *perseveravit*).

e.) Cum origine danielica pugnare asseruntur *doctrinae* de angelis (4,14; 9,21; 10,13. 21), de salute messianica (7,13 sq.; 12,1-3), de resurrectione mortuorum et de iudicio (12,2 sq.), de eleemosynis (4, 24), de abstinentia a certis cibis (1,8-16), de tribus orationis quotidianae temporibus (6,11). Neque doctrinas has in libro nostro contineri, neque aliquas ex eis vere novas, alias saltem accuratius quam antea expressas esse negamus, sed quomodo inde demonstratur, librum non saeculo 6. a Daniele, sed saeculo 2. a fraudatore esse compositum?

f.) Demum *silentium iuniorum librorum* in medium affertur; at silentium completum non est. Siracides utique Danielem non nominat (sicut etiam nomen Esdrae non habet et alios viros eximios haud paucos praetermittit, ut satis appareat, cum non completum eorum catalogum tradere voluisse), sed Ezechiel (14,14. 20; 28,3) eius pietatem et sapientiam celebrat. In Aggaei et Malachiae quidem libris nulla allusio ad Danielis visiones legitur, sed Zacharias (1,18 sqq. et forte etiam 6,1 sqq.) danielicum vaticinium de quatuor monarchiis cognitum supponit. Porro *Eccli.* 17,14 doctrinam de angelis regnorum custodibus ex nostro libro hausit; auctor *Sap.* 3,7 ad *Dan.* 12,7 respexit, uti ex verbis clare apparet. Auctoribus librorum *Machab.* Danielem cognitum fuisse, nemo negat

QUAESTIO II. — De deuterocanonicarum pericoparum authentia et auctoritate.

5. — Quominus deuterocanonicae pericopae, licet graece tantum hodie

exstent, authenticae dicantur, lingua non impedit, quia primigenium earum textum fuisse hebraicum vel chaldaicum tam validis argumentis constat, ut ipsi acatholici non pauci illud concedant.

Gravissimum est Theodotionis testimonium, qui pericopas in suam editionem non recepisset, nisi eas in suo hebraico exemplari legisset; illas enim ex alexandrina versione aliquantulum mutatas in suam versionem recepisse temere atque immerito asseritur. Nam eadem est in deuterocanonicis partibus, quae in reliquo libro, similitudo ac dissimilitudo Theodotionem inter et Alexandrinum; in protocanonicis autem Theodotion alexandrinam versionem retinuit, ubicumque cum primigenio textu consentit, eam vero, ubi dissentit, ad alterum revocavit; eadem igitur ratione eum in deuterocanonicis egisse, eo magis admitti debet, quo graviores aliquae discrepantiae (praesertim in cpp. 13. et 14) sunt[2]. Accedit hebraismorum frequentia quum in Alexandrini tum in Theodotionis versione; quin etiam Theodotion nonnullis in locis, in quibus Alexandrinus phrasin vere graecam habet, hebraicam retinuit, ita ut eius hebraismis non tantum nostra assertio demonstretur, sed etiam prius argumentum corroboretur[3].

Una dumtaxat adversariorum obiectio, quae inde a Porphyrii aetate proferri solet, speciem veritatis habet. Paranomasiae enim, quibus Daniel sententiam contra iniquos iudices tulit (13,54. 55. 58. 59 ὑπὸ σχῖνον... σχίσει σε μέσον, ὑπὸ πρῖνον ... πρίσαι σε μέσον), graecam narrationis originem prodere dicuntur. Attamen *Origenes* (ad Afric. 6 sqq.) iam monuit, ob hebraicorum monumentorum penuriam nos ignorare, quibus vocabulis hebraicis nomina σχῖνος et πρῖνος respondeant; temere igitur asseri, easdem paranomasias in textu hebraico adesse non potuisse. Alteram praeterea solutionem difficultatis proponit, quae quum eius exempla alia in Scripturae versionibus non desint, probabilior videtur, Danielem scilicet nec πρῖνον nec σχῖνον arbores nominasse, sed alias nobis ignotas, quarum nominibus hebraicis verbum aliquod secandi vel scindendi responderet, graecum vero interpretem, ut paranomasiam servaret, nomina elegisse, quibus verba πρίζειν et σχίζειν responderent[4].

(2) In historia Susannae *Alex.* tentationem (13,14-27) paucis vocabulis versuum 14. 19. 22. retentis leviter tantum innuit; omittit etiam vv. 46. 47. 49. 50; precationem Susannae (vv. 42 sq.) paucis comprehendit et iudiciali actioni (vv. 35-41) praemittit. Iam vero Theodotionis mos non est, ut ad arbitrium nonnulla addat, amplificet, etc.

(3) Hebraismorum pauca exempla adscribimus ad illos praesertim attendentes, quos Theodotion habet, Alex. evitavit. Babylonii in utraque versione dicuntur ἀποστάται (3, 32 *hebr.* מֹרְדִים, *rebelles* et *violenti*); 3,46 καίοντες τὴν κάμινον νάφθαν κτλ (duplicem accusativum evitavit *Alex.* ὑπέκαιον ὑποκάτωθεν αὐτῶν νάφθαν κτλ.); 3,40 nec *Theod.* ἐκτελέσαι ὀπισθέν nec *Alex.* ἐξιλάσαι ὀπισθέν σου intelliguntur, nisi supposito *hebr.* לְבַלְּאִי אַחֲרֶיךָ (« ut perfecte sequamur te » cfr *Num.* 14,24; 32,11 sq. etc.). — In historia Susannae attende ad continuum usum particulae καὶ (a qua solus *Theod.* apodosin inchoat 13,19), pronominum αὐτοῦ αὐτῆς αὐτῶν (13,3. 4. 30. 63, ubi *Alex.* ea plerumque praetermittit), ad formulam καθὼς χθὲς καὶ τρίτης ἡμέρας (13,15, ubi *Alex.* κατὰ τὸ εἰωθός); cfr 13,24. 61 etc. — In tertia pericope 14,13 κατασείειν a *Theod.* ponitur pro hebr. הֲנִיף (*huc illuc agitavit; sparsit*), dum *Alex.* versum perspicue expressit; ibid. *Theod.* σφραγίσαι ἐν τῷ δακτυλίῳ, ubi *Alex.* praeposit. ἐν (hebr. בְּ) omittit etc.

(4) Cfr ex. gr. *S. Hier. Gen.* 2,23 *virago* (אִשָּׁה) ut allusionem ad אִישׁ, *vir* retineret;

6. — Neque in trium pericoparum argumentis quidquam invenitur, quo illas Danieli auctori attribuere prohibeamur.

De oratione Azariae et hymno trium iuvenum (3,24-90) vix opus est verba facere, quia levissima sunt quae obiiciuntur. Si Azarias conqueritur, quod « non sit in tempore isto nec princeps aut dux, nec propheta, nec holocaustum » etc. (3,38), edocemur haec verba dicta esse brevi post templi destructionem (anno 18. Nabuch. Alexandrinus et Theodot. hanc pericopen adscribunt), quando similia alii conquerebantur (*Thren.* 2,9; *Ps.* 73,5 sqq.). Porro Azarias, si regem Nabuchodonosor, a quo tamen ad magnos honores evectus erat, vocat « iniustum et pessimum ultra omnem terram » (3,22), facile excusatur, quia brevi antea Nabuchodonosor destructione templi et regni se hostem acerrimum populi exhibuerat et tunc Iudaeos ad idololatriam cogere conabatur. Quod si demum aliquibus oratio Azariae tempori non videtur adaptata, quia generali quodam modo pro toto populo divinam misericordiam implorat (3,26-42) et brevissimam tantum precationem pro sua salute addit (3,43-45), non attendunt, tres amicos totum populum repraesentare; namque invitati erant magistratus, ut per eos « cuncti populi, tribus, linguae » idolum adorarent (3,7); timendum igitur erat, ne poena amicorum esset initium persecutionis integri populi, ideoque aptissime Azarias sui quasi oblitus precatur, ut Deus promissionum memor *populo* parcat.

Chronologiae rationem in Susannae historia habitam non esse, nonnulli putant, quia Ioakim, vir Susannae, dives fuisse dicatur, id quod supponat eum iam diu in Chaldaea exsulem vixisse, altera tamen ex parte Daniel vocetur παιδάριον νεώτερον, ita ut a prima Iudaeorum transportatione paucissimi anni effluxisse videantur. At παιδάριον (נַעַר) non est *puer;* παιδάρια vocantur Davidis socii, qui cum eo ad regem Achis fugerunt (1 *Reg.* 21,4; cfr 2 *Reg.* 18,5; 3 *Reg.* 3,7 etc.); haec appellatio igitur Danieli erat adaptata etiam si iam octo vel decem anni ab eius transportatione effluxerunt. Ad Ioakimi autem divitias quod attinet, attende exsules pristina sua bona retinuisse secumque in exsilium abstulisse (cfr *Ier.* 29.4 sqq.). — Alii difficultatem in eo inveniunt, quod exsules sibi iudices constituisse ac ius gladii habuisse dicantur et iudicium contra Susannam et duos senes tumultuario modo egerint. Priorem obiectionem iam solvit Origenes (ad Afric. 14) monens « nihil insolitum accidisse, si magnis gentibus subiectis a rege concessum fuit, ut suis legibus uterentur et iudiciis »; Nabuchodonosor Danielem praefecit Babyloniae, Iudaeum Godoliam Palaestinae vix expugnatae; quid mirum, quod Iudaeis in Chaldaeam abductis, ut secundum leges suas viverent, permiserit? In iudicio Susannae nihil fuit tumultuarii, nisi quod in fidem testium, quos summa veneratione dignos iudicabat populus, non esset inquisitum; hinc populus vituperatur a Daniele, quo praeside illud, quod omissum erat, suppletum est. De iudicio contra senes non est sermo; quamprimum falsi testimonii erant convicti, sententia ab ipsa Lege (*Deut.* 19,18 sq.) iam erat lata. — Demum obiicitur, Danielem non esse auctorem, quia de se velut persona prorsus ignota loqui non potuit (13,45); sed in versu obiecto iuxta versionem *alexandrinam* non apparet umquam persona ignota, sed de se, uti in omnibus prioris partis narrationibus, tertiam personam tantum adhibet : ἔδωκεν ἄγγελος πνεῦμα συνέσεως νεωτέρῳ ὄντι Δανιήλ.

Ier. 1,11. 12 « virgam *vigilantem* » (שָׁקֵד, *amygdala*), ut paranomasiam Domini exprimeret : « ego *vigilabo* » (שֹׁקֵד אֲנִי) etc.

Contra tertiam pericopen olim nonnulla obiiciebantur, quae hodie cognitis inscriptionibus cuneiformibus non amplius proferri possunt. Cyrum enim revera polytheistam fuisse atque Babylonios etiam serpentibus cultum exhibuisse, hodie scimus. At Daniel, inquiunt, templum Belis destruxisse refertur, Strabonis autem et Arriani testimoniis destructio Xerxi attribuitur, immo Herodotus illud post Xerxis aetatem superstes spectavit. Quibus sufficit respondisse, ob Herodoti auctoritatem a nullo hucusque Strabonis et Arriani relationes in dubium esse vocatas; cur igitur Danielis narratio reiicitur, quae eodem modo, quo aliorum relationes cum Herodoti testimonio conciliatur? Altera obiectio ex miraculo desumitur, quo propheta Habacuc ex Palaestina in Chaldaeam translatus est, ut Danieli prandium afferret. Quibus immorari superfluum est, quoniam miraculum hoc non maiorem difficultatem creat, quam alia similia (4 *Reg.* 2,11. 16; *Act.* 39,8.).

7. — Neque ex eo, quod pericopae istae in protocanonicum librum non sunt receptae, quidquam contra danielicam earum originem recte concluditur.

Satis apte enim earum omissio ex fine explicatur, quem Daniel, quum versus vitae finem librum suum ex narrationibus visionibusque antea conscriptis componeret, sibi proposuit. Omnis enim protocanonici libri narrationes et visiones eo tendunt, ut Deum magnitudinem potentiamque suam inter ethnicos manifestasse manifestaturumque esse ostendant. Iam vero huic demonstrationi nec historiam Susannae nec Azariae amicorumque eius orationem et hymnum inservire evidens est; quare facile intelligitur, cur illas duas pericopas omiserit. Aliter quidem se res habet in tertia, quae eodem modo, quo reliquae narrationes potestatem veri Dei celebrat (14,42 cfr 2,46 sq.; 3,59 sqq. etc.), attamen attendas velim, eam alteri de Daniele leonibus obiecto esse valde affinem (6,1 sqq.) ideoque forte a Daniele ipso omissam aut a iunioribus rabbinis e suo loco remotam, ut in paucis tantum codicibus velut appendix sit conservata. Secundum temporis enim rationem, quam Daniel in disponendis narrationibus et visionibus secutus est, duae illae narrationes (6,1 sqq. et 14,1 sqq.) sese excipere debebant.

8. — *Divina auctoritas* autem trium pericoparum unanimi testimonio universae Ecclesiae extra dubitationem ponitur.

Primum additamentum iam adhibitum est velut Scripturae pars a *S. Clemente Rom.* (1 Cor. 45), *S. Iustino M.* (Apolog. I. 46), *Clemente Alex.* (Ecl. ex Script. proph. 1.) iunioribusque omnibus; in omnibus codicibus omnium ecclesiarum suo loco insertum legitur, atque Azariae oratio et hymnus (omissis versibus, quibus coniunguntur), quoniam in liturgia adhibebantur, multis Psalteriis adduntur.

Historiam Susannae velut canonicam allegaverunt *S. Irenaeus* (c. Haer. IV. 26,3) et *Clemens Alex.*; eam commentariis iam illustraverunt *S. Hippolytus* (Explan. hist. Sus.) et *Origenes*, qui etiam eius authentiam et auctoritatem contra Iulium Afric. fuse defendit (Ep. ad Afric.); ad fidei dogmata demonstranda eam adhibuerunt *S. Athanasius M.* (c. Arian. or. 1,13; ad Serap. 1,6 etc.), *S. Cyrillus Ieros.* (Catech. 16,31); ex antiquioribus Latinis nominasse sufficit *Tertullianum* (de Corona 4), *S. Cyprianum* (Ep. 40,4), *S. Hilarium* (in Ps. 52,19; de Trin. IV. 8); *S. Hieronymus* autem, qui saepius et fusius Iudaeorum obiectiones contra danielica additamenta refert, non tantum illis pro auctoritate utitur (ad Innoc. ep. 1,9; c. Iovin. I. 25 etc.). sed etiam diserte asserit, se non suam sed aliorum opinionem illis in locis expressisse (c. Rufin. II. 33).

Tertiam quoque pericopen *S. Irenaeus* (c. Haer. IV. 5) sine ulla haesitatione velut divinum testimonium adhibet, eodemque modo allegant *Clemens Alex.* (Strom. I. 21), *Tertullianus* (de Idolol. 18), *S. Cyprianus* (de Orat. Dom. 21). *Origenes* eam velut exemplum affert Scripturae, quae quamvis in hebraico non legatur pro genuina sit admittenda (ad Afric. 2.); Patres saec. 4. illam in demonstrandis dogmatis adhibent, uti *S. Athanasius M.* (c. Arian. or. 3,30), *S. Cyrillus Ieros.* (Cat. 14,25) etc.

Demum omnium trium fragmentorum auctoritatem etiam antiqua monumenta christiana demonstrant; in antiquissimis enim hypogaeis conspiciuntur tres iuvenes cum angelo in fornace orantes, Daniel velut iudex in medio populo sedens, aut in lacu a propheta Habacuc cibos recipiens.

§ 19. — *De praecipuis commentariis catholicis in Danielem.*

I. INTERPRETATIO PATRISTICA. — *Patres orientales : Origenis*, qui integrum librum interpretatus est (cfr *Orig.* in Matth. 24,15), non superest nisi expositio historiae Susannae et narrationis de Bele a S. Hieronymo ex eius Stromatis excerpta et epistola, qua additamenta deuterocanonica defendit; *S. Hippolyti M.* Fragmenta et Scholia in Dan.; *Eusebii Caes.* Eclogae prophet. I. 42 sqq.; Demonstr. evang. VIII. 2; fragm. in Dan.; *S. Ephraem* Expositio in Dan. (Opp. syr. II. 203 sqq.); *S. Chrysostomi* (?) Interpretatio in Dan.; *S. Cyrilli Alex.* Fragmenta; *Theodoreti* Comm. in visiones Dan.; Ammonii Alex. Fragm.

Patres latini : S. Zenonis tractat. 69-77 de tribus pueris in fornace et de Daniele in fossa leonum; *S. Hieronymi* Comment.; S. Paterii Testimonia in Dan. ex *S. Gregorii M.* operibus excerpta; *Petri archidiac.* Quaestiones in Dan.; *Walafr. Strabonis* Glossa ordin. ex S. Hieronymi commentario excerpta est.

II. INTERPRETATIO MEDIAE AETATIS. — *Ruperti Tuit.* In Danielem proph.; *Phil. Harvengi* de Somnio Nabuchod. (Opp. ed. Nic. Chamart. Duaci 1621.); *B. Alberti M.* Expositio in Dan. (Opp. ed. Iammy VIII.); *Thomae Wall.* Expositio in Dan. (Inter opp. S. Thomae Aq. ed. Parmensis XXIII; sub genuini auctoris nomine edita Parisiis 1641.); quibus addendae Postillae *Card. Hugonis* et *Nic. Lyrani* atque Expositio *Dionysii Carthus.*

III. SAECULIS 16. 17. 18. de Daniele prodierunt *Iac. Veldii* O. S. Aug., Comment. in Dan. (Antwerpiae 1576); *Hect. Pinti*, O. S. Hier., In divinum vatem Danielem (Conimbricae 1582.); *Ioan. Maldonati* Comm. in Ierem... *Danielem* (Lugduni 1609. Opus postumum); *Ben. Pererii* S. I. Commentarii in Dan. (Romae 1587.); *Marcellini Evang.* O. Min., Expositio in Dan. (Venetiis 1588.); *C. Sanctii* S. I. Commentar. in Danielem (Lugduni 1612.); *Ludov. ab Alcasar* S. I. In eas partes V. T., quas Apocalypsis respicit, lib. IV. (in Dan. 7-12. Lugduni 1632.); *Didac. de Celada* S. I. In Susannam danielicam (Lugduni 1656.), *I. Metzger*, O. S. Ben., Cornu parvulum Danielis *Dan.* 7. (Salisburgi 1677. 82.); *Fr. Péan de la Coullardière* Commentaire sur les Prophètes (Paris 1680.), *Simeon de Magistris*, Congr. Orat., Daniel secundum LXX ex singulari cod. chisiano etc. (Romae 1752.); *Caietani Bugati* Daniel secundum LXX ex cod. ambrosiano syriace et lat. (Mediolani 1788.); *I. G. Kerhedere* De monarchia Romae paganae secundum concordiam inter Danielem et Ioannem (Lovanii 1727.); *N. Aug. Chignoli*, O. Praed., Exercitationes ad Danielem (Venetiis 1761.) etc.

IV. HOC NOSTRO SAECULO totum librum interpretati sunt *Guil. Palmer* (Com-

mentatio in l. Dan. Romae 1874.), *Aug. Rohling* (Das B. Daniel. Mainz 1876.), *Trochon* (Les Prophètes. Daniel. Paris 1882.), *I. Fabre d'Envien* (Le livre du prophète Daniel. Paris 1888. 92.), *Ios. Knabenbauer* S. I. (Comment. in Danielem, Parisiis 1891.), *Fr. S. Tiefenthal*, O. S. Ben. (Daniel explicatus. Paderbornae 1895).

Aliquas solas partes explicandas sumserunt et quidem totam alteram libri partem *G. Forti* (le Profezie di Daniele nei capi. 7.-12. interpretate. Capolago 1845.); deuterocanonicas pericopas (Susanna; Gebet des Azarias, Bel. u. der Drache) omnes *Th. Wiederholt* (Tüb. Quartalschr. 1869. 1871. 1872.), atque primam tertiamque solas *A. Delattre* S. I. (Les deux derniers chapitres de Daniel. Lyon 1878.); messianica vaticinia omnia *I. Bade* (Christologie III. 2. Münster 1852.), *L. Reinke* (Die messian. Weissagungen. IV. 1. Giessen 1862.), *G. K. Mayer* (Die messian. Weissagungen des Daniel. Wien 1866.); nonnulla tantum vaticinia messianica et quidem illud de septuaginta hebdomadis *D. Palmieri* S. I. (de veritate l. Iudith etc. Galopiae 1886. p. 61-112), *A. Hebbelynk* (de auctoritate histor. libri Dan. etc. Lovanii 1887. p. 281-384), *Fr. Fraidl* (Die Exegese der siebenzig Wochen. Gratz 1883., quo in opere centum septem sententias diversas collegit, quae iam ante saec. 16. propositae sunt); vaticinia quaedam complexus est *A. Düsterwald* (Die Weltreiche u. das Gottesreich. Freiburg 1890.). In totius libri ordinem inquisivit *B. Neteler* (Die Gliederung des B. Daniel, Münster 1870.) atque in relationem textus septuagintaviralis ad textum massorethicum *A. Bludau* (De alexandrinae interpretationis l. Daniel critica et hermeneut. indole. Monasterii 1891.; Die alexandr. Uebersetzung des B. Daniel u. ihr Verhältniss zum massor. Text. Freiburg 1897.) et *Paul Riessler* (Das B. Daniel. Text-kritische Untersuchung. Stuttgart 1899.). In defendendo libro operam suam posuerunt praeter *A. Hebbelynk* (in opere laudato) etiam *F. Speil* (Tüb. Quartalschr. 1863.), *Eug. Pilloud* (Daniel et le rationalisme biblique. Chambery 1890.), *Fl. de Moor* (La fin du nouvel empire chald. Paris 1894.; Gubaru et Darius le Mède. Ibid. 1894.; Les Juifs captifs dans l'empire chald. Louvain 1896.).

CAPUT VI.

DE DUODECIM PROPHETIS MINORIBUS.

§ 20. — *De duodecim prophetarum volumine.*

1. — Uno volumine a synagoga et ab antiqua Ecclesia comprehensi sunt libri prophetarum duodecim, qui « quia sermones eorum sunt breves in eorum comparatione, qui Maiores ideo vocantur, quia prolixa volumina condiderunt » (*S. Aug.*), *Minores* vulgo vocari solent.

Num eorum coniungendorum causa ea fuerit, quam rabbini tradiderunt, « ne, si singuli seorsim manerent, unus aut alter propter parvitatem periret », non satis liquet; certum autem est, antiquissimam esse eorum coniunctionem; neque improbabile, illam Esdrae canonis palaestinensis collectori deberi. Etenim *Siracides* (*Eccli.* 49,12) non obscure innuit, ineunte saec. 2. a. Chr. eos iam coniunctos fuisse; clarius idem indicat *S. Stephanus* (*Act.* 7,42) et *Fl. Iosephus* (c. Ap. I. 8); Patres deinde, quum illi, qui iudaicum canonem recensuerunt (*S. Melito Sard.*, *Origenes*, *SS. Hilarius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*), tum illi, qui ecclesiasticum tradiderunt (*SS. Athanasius*, *Cyrillus Ieros.*, *Gregorius Naz.*, *Augustinus*, *Concilia Carth. et Hipp.*, *Rufinus*) unum duodecim prophetarum volumen (τὸ δωδεκαπρόφητον) semper agnoverunt.

2. — In disponendis duodecim prophetis alexandrina editio discedit a massorethico ordine, quocum consentit Vulgata nostra; in utraque autem recensione praesertim temporis, quo singuli prophetae munus suum exercuerunt, ratio est habita.

Sex ultimorum prophetarum ordo idem est apud Massorethas et Alexandrinos (Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias) isque chronologicus; Nahum enim et Habacuc tempore Manasse, et Sophonias tempore Iosiae vaticinati sunt; Aggaeus primum vaticinium promulgavit mense 6. a. 2. Darii, et Zacharias mense 8. eiusdem anni, Malachias autem ad aetatem Artaxerxis I. Longimani pertinet. In sex prioribus vero dissentiunt Alexandrini et Massorethae, licet tantus non sit eorum dissensus, quantus interdum existimatur. Alexandrini primo in loco ponunt tres illos, qui regibus aetatem suam definiunt, sed eodem ordine, quo Massorethae eos recensent (Osee, Amos, Michaeas), iisque reliquos addunt iterum ordine massorethico retento (Ioel, Abdias, Ionas); unica igitur differentia in eo est, quod Massorethae Ioele inserto Oseam ab Amos, atque Abdia Ionaque insertis Amos a Michaea separant; id autem fecisse videntur, ut omnes sex ad eandem fere aetatem pertinere clarius docerent. Etenim Osee, cui omnes primum locum attribuunt, quatuor suis regibus integrum 8. saeculum complectitur (799.-696.), cuius initium solo Ozia nominato Amos, et cuius finem Michaeas Ozia omisso et tribus aliis regibus nominatis indicant; tres alios autem exeunte saec. 9. et ineunte saec. 8. vixisse arbitramur, ut Oseae quidem et Amos, sed non amplius Michaeae fuerint aequales. Nam Ionam sub Ieroboamo II. ac proinde sub

Ozia vixisse, constat ex 4 *Reg.* 14,25; Ioel autem ante Amos scripsit, quia hic illius verba iam usurpavit (cfr *Ioel.* 3,16 et *Am.* 1,2), Abdias autem ante Ioel, quia simili modo Ioel (2,32) verba Abdiae (17) velut oraculum divinum adhibet. Probabilior igitur series chronologica haec est : Abdias, Ioel, Ionas, Amos, Osee, Michaeas; sed quoniam primi quinque omnes Oziae regi fuerunt aequales, in nostro tractatu ordinem Vulgatae et Massoretharum sequemur.

§ 21. — *De Prophetia Osee.*

1. — *Osee* (הוֹשֵׁעַ, *salvatio* vel *salvator*), filius Beeri, ex regno Israel probabiliter oriundus et versus finem saeculi 9. natus, longissimo tempore sub quatuor regibus Iuda (Ozia, Ioatham, Achaz, Ezechias) munus propheticum in regno septemtrionali exercuit. Neque verbis tantum contribules suos ad Legem revocavit, sed etiam duobus suis matrimoniis ingratitudinem eorum castigare futuramque eorum sortem portendere debuit.

De Prophetarum Minorum vita praeter paucissima ab illis ipsis in suis libellis tradita vix quidquam certi nobis innotuit; utpote fide prorsus indigna merito praetermittuntur traditiones a Ps. Epiphanio et iunioribus rabbinis collectae. Itaque cum certitudine etiam definiri non potest, utrum Osee ex regno Israel an ex Iuda sit ortus; longe probabilius tamen est, eum regni Israel civem fuisse. In illo enim munus suum exercuit nec ullibi (sicut *Amos* 1,1; 7,10 sqq.) innuit se ex Iuda in Israel esse missum; regni Israel regem vocat « regem *nostrum* » (7,5), terram Israel sine ullo addito vocat הָאָרֶץ (1,2; 4,1. 3 etc. ἡ γῆ), de urbibus septemtrionalibus frequenter loquitur, ne ipsius autem Ierusalem nomen umquam adhibet. Neque obstat, quod in inscriptione quatuor reges Iuda et unum solum regem Israel nominat; nam prophetae omnes, quum tribui Iuda et domui davidicae promissiones inhaerere scirent, solos reges Iuda habebant legitimos, ideoque iuxta illos tempus definiebant; Osee autem et Amos unum israeliticum addiderunt, ut ipso titulo se in regno Israel (vel potius contra Israel) vaticinatos esse significarent.

Ad munus propheticum vocatus Osee uxorem olim fornicariam ducere iussus est, ut una cum uxore et filiis ex ea genitis portentum esset populo Israel, quem idololatriae deditum Deus sibi desponsare non abnuerat. Alteram uxorem adulteram ducere sed ab omni commercio secludere iussus est, ut iterum portentum esset Dei populum adulterum in captivitatem tradentis. Haec sola ex eius libro colligimus de eius vita. Regna quatuor regum, sub quibus vaticinatus est, integrum saeculum 8. complectuntur; at evidens est, eum non ab a. 1. Oziae usque ad ultimum Ezechiae munere suo esse functum; nihilominus quin quinquaginta vel sexaginta annis illud sustinuerit, non videtur esse dubium. Nam probabiliter ruinam populi sui eiusque captivitatem vidit (cfr 12,9; 13,10; 14,2. 5.), ita ut libellum non nisi post a. 6. Ezechiae terminaverit; vaticinatus autem est saltem decem ultimis annis Ieroboam II. ac proin circiter ab a. 772. usque 720.

2. — Turbidis ac tumultuosis temporibus vixit Osee; a summo gloriae culmine patriam suam rapido cursu in profundissimam calamitatem descendere vidit; atque *munus eius* praecipuum fuit, ut iustam esse poenam populo suo ostenderet et quomodo recipienda esset doceret.

Florentissimae erant regni septemtrionalis res, quo tempore Osee est vocatus. Ieroboam II. enim a Deo adiutus « restituerat terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis » (4 *Reg.* 14,25 sqq.); attamen externo splendori non respondit internus regni status. Namque non magis, quam praedecessores eius, Ieroboam II. populum ad Dominum reducere conatus erat, atque non tantum in Dan et Bethel, sed aliis quoque in excelsis vitulorum cultus florebat (4 *Reg.* 14,24; *Am.* 4,4; 5,5 etc.). Quapropter Ieroboami res fortiter et feliciter gestae interitum Israel impedire non potuerunt; statim ab eius morte omnia in deterius ruere coeperunt, atque turbis, factionibus, bellis intestinis plena erant omnia (cfr § 4,2 p. 374). Turbidis temporibus magna respondebat morum corruptio. Praeter vitulos etiam Baal et Astarte sua impura et crudelia sacra iterum habebant (2,8; 13,1), integra terra vitiis sceleribusque erat plena (4,1. 2). Tam inveterata autem haec erat morum perversitas, ut minoribus calamitatibus, quibus Deus populum ad se reducere conabatur, nihil efficientibus ad gravissimam exsilii poenam esset deveniendum. Ad illud igitur necessitate et iustitia poenae demonstrata animos praeparare Osee debuit, sed simul contribules suos docere, calamitatem non fore in eorum perniciem, sed in eorum salutem, si resipuerint.

3. — *Argumentum* et *partitionem* libri apte indicat Lyranus « Dei iusti tiam in peccatorum punitione et misericordiam in poenitentium susceptione explicari » dicens. Praeter introductionem igitur (1,1-3,5) duae partes distingui possunt, in quarum priore divina iustitia (4,1-9,9), in altera (9,10-14,10) misericordia quasi primum locum tenet.

INTRODUCTIO (1,1-3,5) *duobus typicis prophetae matrimoniis narratis et explicatis relationem Deum inter et populum Israel illustrat.*

1. Mulierem olim fornicariam ducere iussus filiis suis symbolica nomina imponit, quae populi poenam indicant, sed salutem non excludunt (1,2-2,1). Imaginem matrimonii retinens Deus peccata populi velut uxoris adulterae castigat, sed poenitenti instaurationem promittit (2,14-24).
2. Alterum matrimonium cum adultera (3,1-5) captivitatem viam esse docet, qua populus messianicae salutis dignus reddatur.

PRIOR PARS (4,1-9,9) *reprehendit scelera populi eorumque poenas intimat.*

1. *Prima reprehensio* (4,1-19) totius populi omnimodam perversitatem eiusque causas, defectionem a Lege et idololatriam, carpens subitum Israelis interitum fore annuntiat.
2. *Altera* (5,1-6,3) ducum scandala reprehendit, quae reddunt poenam ineluctabilem (5,1-14); resipientibus tamen salutem promittit (5,15-6,3).
3. *Tertia* (6,4-7,16) Deum omnia media frustra adhibuisse ostendit (6,4-11); aperta enim est populi iniquitas, et salutem quaerit, ubi eam invenire non potest (7,1-16).
4. *Quarta* (8,1-9,9) populo Israel poenam annuntiat ineluctabilem (8,1-14) et gravissimam pro peccatorum gravitate (9,1-9).

ALTERA PARS (9,10-14,9) *poenam comminatur,* quae *ad salutem* ducat.

1. *Primus sermo* (9,10-10,15) beneficiis olim populo praestitis praesentia eius peccata opponens *iustitiam poenae ostendit* (9,10-17; — 10,1-8), sed meliorem quoque sortem poenitentia acquirendam promittit (10,9-15).
2. *Alter* (11,1-12) beneficiis divinis peccata populi opponens *necessitatem poenae* ostendit (11,1-7), sed Deus populum non deletum iri promittit (11,8-12).

3. *Tertius* (12,1-13,15) Israelitis exemplum patriarchae Iacob ob oculos ponit, ut quantopere ab eo discedant clarius cognoscentes se poenis dignos esse videant (12,1-6. 7-14). Primis calamitatibus non eruditus graviores poenas populus nunc luet (13,1-8), sed Deus eum a morte liberabit (13,9-15).

4. *Quartus* (13,15-14,9) paucis proponit poenam imminentem (13,15; 14,1), sed conversis magnam promittit salutem (14,2-9).

Epilogus (14,10) populum ad prophetae verba attendere iubet.

4. — Ad *indolem* Prophetiae Osee quod attinet, integer liber, quamvis universum eius argumentum satis sit apertum atque continuus quidam orationis progressus non plane lateat, magna tamen laborat obscuritate, quae partim ex prophetae dicendi genere, partim ex modo, quo compositus est libellus, exoritur.

« Commaticum prophetam esse et quasi per sententias loquentem », recte iam monuit S. Hieronymus; admodum autem conciso et sententioso dicendi genere, quo utitur, nervosa quidem gravisque, sed etiam obscurior fit eius oratio. Adde, eum haud raro audacem esse in metaphoris aliisque figuris neque tantum varias imagines eadem quasi phrasi coniungere aut ab una ad aliam rapide transilire, sed etiam interdum imagine abrupta proprio sensu sermonem continuare. At altera obscuritatis causa in libelli origine sita esse recte dicitur. Summa enim argumenta concionum antea habitarum novo ordine coniunxit, temporis ad quod singulae pertinent ratione non habita, ita ut sententiae, quae diversis prorsus in temporibus sunt pronuntiatae, in libro nostro immediate sese excipere videantur; quare externo nexu deficiente internus quoque non clare perspicitur.

5. — Libri Osee *authentia* et *divina auctoritas* Scripturae et traditionis testimoniis extra disceptationem sunt positae.

Nomine prophetae expresso Prophetiam nostram allegat *S. Paulus* (*Rom.* 9,25. 26), nomine eius tacito haud pauca ex illa iuniores V. T. scriptores adhibuerunt, praesertim Ezechiel et Ieremias. Quae multis exemplis confirmare opus non est, quum ipsi rationalistae ad unum omnes (singulari integri libri indole praesertim nixi) omnia vaticinia eorumque collectionem Oseae, filio Beeri, attribuant. — Canonicitas autem libri etiam solis N. T. testimoniis iam sufficienter demonstratur. Dominus verba quaedam Osee (6,6) Pharisaeis proposuit perpendenda (*Matth.* 9,13; 12,7); S. Matthaeus (2,15) verba prophetae de Israel ex Aegypto vocato (*Os.* 11,1) typice de Christo explicavit; S. Paulus non tantum in epistola ad Romanos (9,25 sq. *Os.* 1,10) sed etiam in 1. Corinth. (15,14 cfr *Os.* 13,14) vaticinia nostra pro auctoritate adhibuit. SS. Patres omnes et authentiam et auctoritatem integri libri agnovisse, extra controversiam est.

§ 22. — *De Prophetia Ioel.*

1. — *Ioelem, filium Phatuel*, ex regno meridionali oriundum fuisse et in eodem munus propheticum exercuisse, verisimile est; de eius autem vitae ratione nihil cum probabilitate asseri potest.

Nomen *Ioel* (יוֹאֵל, cuius probabilior explicatio est יְהוָֹה אֵל, *Iahve est Deus*) satis frequens erat inter Iudaeos (1 *Par.* 5,4. 8; 6, 36 etc.; 7,3 etc.), quare inepta erat

aliquorum coniectura, qui prophetam nostrum dixerunt filium Samuelis (cfr 1 *Reg.* 8,2). Recte autem iam monuit S. *Hieronymus* (in Ioel 1,1), integram nostram prophetiam ad tribum Iuda et ad Ierusalem pertinere nec ullam omnino Israelis, i. e. decem tribuum, facere mentionem; unde non immerito concluditur, eum in regno meridionali vixisse. Quoniam frequenter de sacrificiis ritibusque sacris loquitur, nonnulli eum sacerdotem fuisse coniecerunt; alii propter modum, quo sacerdotes alloquitur, eum ex tribu Levi fuisse negant; at neutra coniectura firmo fundamento nititur. Historica testimonia, quibus aetas eius definiatur, prorsus desunt, si locum excipis, quem libellus eius inter Minores occupat; ex illo enim colligere licet, Ioelem Oseae et Amoso fere σύγχρονον fuisse (cfr *infra* 5).

2. — *Argumentum et partitio libri.* Duabus concionibus constat libellus, quarum prior in magna locustarum calamitate populum ad poenitentiam agendam exhortatur, altera poenitentibus non tantum rerum temporalium abundantiam sed etiam uberrima dona spiritualia promittit.

1. *Exhortatio ad poenitentiam agendam* (1,2-2,17). — Ut exhortationem praeparet, numquam tantam locustarum plagam auditam esse praefatus (1,2-4) luctum auget per singula gravitatem vastitatis describens (1,5-20) atque ad augendum terrorem horrores delineat diei Domini, cuius locustarum plaga sit praesagium, depictis divinae iustitiae vindicibus (2,1-11). Sequitur deinde exhortatio ipsa ad poenitentiam, quae interna sit oportet sed operibus externis manifestetur (2,12-18).
2. Populo, qui exhortationi obsecutus poenitentiam peregit (2,18. 19) *Deus bona promittit* (2,20-3,21). — Pro tempore enim praesente pollicetur, se destructo hoste omnia esse restituturum (2,20-27); pro tempore autem messianico spiritualia dona copiosa promittit singularemque in die Domini protectionem iis, qui nomen suum sint invocaturi (2,28-32). Quare haec protectio requiratur et quae sit, describitur (3,1-21).

3. — Non probanda videtur eorum sententia, qui prophetam aut *futuram* locustarum plagam aut proprio verborum sensu relicto sub locustarum figura et symbolo *futuras hostium incursiones* praedicere censent.

In argumento describendo supposuimus, prophetam a vera locustarum plaga, quae eius aetate terram meridionalem vastavit et quam in priore parte (1,2-20) describit, exhortationis suae occasionem cepisse. Maior tamen numerus interpretum unam ex duabus explicationibus mox indicatis praeferunt, atque Patres quidem metaphoricam tenent, in metaphoris ipsis autem explicandis inter se quam maxime dissentiunt. Nihilominus de vera locustarum plaga *praesente* loqui Ioelem, elucet *a.*) ex tota descriptione (1,2 sqq.), quae ita est comparata, ut calamitatem realem iam adesse clare supponat. *b.*) Dubium non est, quin 2,18. 19. historice referatur, quid Dominus populo *poenitentia iam peracta* responderit; promittit autem, se *redditurum* esse illa, quae plaga abstulerat (2,25); iam vero, si 1,2 sqq. futura plaga, quae poenitentia avertenda erat, praediceretur, promittendum erat, plagam non esse venturam. *c.*) Porro quia prophetam de suae aetatis calamitate loqui concedatur oportet, clarum quoque est, eum proprio sensu verba intellexisse neque metaphorice hostium incursionem praedixisse. Accedit autem, quod sola locustarum plaga symbolum haud satis aptum invasionis hostium esse videatur, quum nihil nisi agrorum vastationem ante oculos ponat, illud vero quod in hostili incur-

sione gravissimum est (caedes militum, servitutem mulierum et puerorum, incendia domorum, destructionem oppidorum etc.) non exprimat.

4. — Velut praecipui prophetiae huius *characteres* merito laudantur claritas, elegantia, sublimitas.

Linguae Ioelis puritas sententiarumque gravitas tantum non ab omnibus commendantur. Tam clara deinde et aperta est integri argumenti partitio atque singularum rerum inter se connexio, ut disceptationibus vix relinquat locum; summa autem elegantia et sublimitas splendet quum in locustarum descriptione, tum maxime in horrore diei Domini et hostium vindicta exaggerandis.

5. — *Sub initiis regni Oziae* incunte saec. 8. Ioelem exhortationes suas edidisse probabilior tenet sententia.

Illam enim aetatem ei assignat locus, quem libellus in prophetarum minorum serie occupat, eidemque omnes interni favent characteres, ex quibus vulgo argumenta desumuntur (linguae puritas, dictionis elegantia etc.), praeprimis vero sententiae, quas ex nostro libro mutuati sunt alii prophetae. Amos, qui Osiae et Ieroboami II. aetate vixit, vaticiniis suis velut ex abrupto sententiam praemittit, quae iisdem verbis concepta apto in contextu apud Ioelem legitur (*Am.* 1,2 et *Ioel* 3,16), atque ea terminat salutis messianicae descriptione, quae imaginibus ac phrasibus suis cum Ioelis epilogo consonat (*Am.* 9,11-15 et *Ioel* 3,18-21); neque minus, quum Dominum ad populum emendandum locustas frustra misisse conqueratur, ad calamitatem a Ioele descriptam alludere videtur (*Am.* 4,9 et *Ioel* 1,2 sqq.; vocabulum, quo Amos locustas designat גַּזָּם, non legitur nisi *Ioel* 1,4; 2,25). Alia exempla, utpote iuniora (*Ieremiae* 25,30 et *Ioel* 3,16; *Ier.* 9,20 et *Ioel* 2,9 etc.; *Sophon.* 1,14. 15 et *Ioel* 1,15 et 2,10. 11; *Is.* 13,6. 10 et *Ioel* 1,15; 2,10) nolumus urgere.

Ante Amos igitur scripsit Ioel, nulla autem ratione eum diu ante Amos ponere cogimur. Haud pauci quidem ex eo, quod Ioel nec de Syris nec de Assyriis velut hostibus loquatur, concludunt eum vaticinatum esse, antequam Assyrii et Syri Palaestinam infestare coeperint; ultimis autem Ioae regis (avi Oziae) annis Syros felicem expeditionem contra Ierusalem suscepisse ac proin Ioelem ad initia regni Ioae pertinere. Quae argumentatio in nonnullis peccat; temere enim supponit, prophetam *omnes* hostes *nominare* voluisse aut debuisse; neque attendit, Syros usque ad regis Achaz aetatem cum regno Iuda, a quo decem tribuum territorio separabantur, semper pacem habuisse, quae vix interrupta dici potest praedatoria illa expeditione Hazaeliis; ceterum ista expeditio erat iusta poena a Deo ipso regi Ioae inflicta propter caedem Zachariae prophetae (2 *Par.* 24,24), ideoque Syri inter *hostes regni Iuda* a Ioele enumerari nondum potuerunt, etsi non diu post illam expeditionem scripsit.

6. — Nec *authentia* nec *integritas* Prophetiae Ioel a quoquam est negata aut in dubium vocata; *divina eius auctoritas* autem testimoniis Novi Test clare probatur.

S. Petrus Iudaeis de missione Spiritus S. stupentibus in memoriam revocavit, « prophetam Ioelem » hanc Spiritus effusionem praedixisse (*Act.* 2,12 sqq. cfr *Ioel* 2,28 sqq.); *S. Paulus* nostri prophetae et Isaiae testimoniis Romanis demonstravit, in regno messianico Iudaeos inter et Graecos non esse distinctionem (*Rom.*

9,11 sqq. cfr *Ioel* 2.32 et *Is.* 28,16); *S. Ioannes* locustarum plagam, quae ad quintae tubae signum exorietur, ita descripsit, ut nonnullas phrases ex nostra Prophetia desumsisse videatur (*Apoc.* 9,2. 7-9).

§ 23. — *De Prophetia Amos.*

1. — Versus finem regni Ieroboam II. *Amos* (עָמוֹס *portans* vel *onus*[1]) pastor ex oppido Thecue oriundus in terram Israel a Deo missus est, « ut prophetaret ad populum Israel ». In Bethel, quem in locum populus ad vitulos colendos confluebat, munere suo functus est.

Amos se ipse « inter pastores de Thecue » fuisse testatus (1,1) patriam et tribum et vitae genus manifestavit. Thecue enim oppidum fuit tribus Iuda haud longe a Bethlehem versus meridiem situm. Opulentus gregum dominus non fuit (licet נוֹקֵד, quo vocabulo genus vitae suae designat, etiam divitem pecuarium significet 4 *Reg.* 3,4), sed armentarius (בּוֹקֵר), qui sycomoros, pauperum cibum, vellicabat et gregem pascebat (7.14. 15). Neque tamen literarum rudis fuit, siquidem eum historiam librosque sacros populi sui cognovisse integer libellus testatur. Vocationis annum accurate quidem indicat (« in diebus Oziae et Ieroboam *ante duos annos terrae motus* » 1,1), sed quando ille terrae motus acciderit, quem etiam *Zach.* 14,5 commemorat, ignoramus; unum tamen ex ultimis Ieroboami annis esse intelligendum certum est, quoniam Ieroboam iam restituerat terminos Israel ab Emath usque ad mare solitudinis (6,14; cfr 4 *Reg.* 14,25). Quanta eo tempore regni Israel fuerit interna corruptio ex hoc libro apparet. Vituli ubique fere colebantur (4,4; 5,5; 7,13 etc.), divites opprimebant et diripiebant pauperes (2,6 sqq.; 3,10 sq.; 8,4 sqq. etc.), luxuriae foedisque voluptatibus indulgebant (2,7 sq.; 6,1. 4 sqq. etc.), prophetarum monita respuebant (2,12; 7,12 sq.). Ad hos igitur missus pastor thecuensis munere suo functus est eo ipso in loco, in quo post regni scissionem Ieroboam I. cultum vitulorum stabiliverat, atque sacrificuli Amasiae minis non perterritus crimina populi castigavit. At ultra annum, si ex inscriptione deducitur legitima conclusio, munus suum non sustinuisse recte dicitur.

2. — *Argumentum* libelli comminatorium est; integer enim in castigandis Israelitarum sceleribus praedicendisque poenis versatur atque leviter tantum in fine salutem indicat. Sermonum autem suorum summa capita Amos ita disposuit, ut in priore parte exhortationes, in altera visiones colligeret, utrisque autem minas contra ethnica regna et Iuda promulgatas velut introductionem praemitteret.

Introductio (1,2-2,16), ut Israelitas sibi poenas iuste infligi clarius cognoscant, tribus externis gentibus, *Damasco*, *Philisthaeae, Tyro,* et tribus cognatis populis, *Idumaeis*, *Ammonitis*, *Moabitis*, poenas ob crimina contra Israel commissa annuntiat (1,2-2,3). Deinde poenis regni Iuda leviter indicatis (2,4.5) scelera Israel castigat gravissimam poenam comminans (2,13-16).

Pars prior (3,1-6,15) *tribus concionibus certitudinem*, *necessitatem*, *gravitatem poenae describit.*

(1) Alexandrini eodem plane modo prophetae nostri nomen (Ἀμώς) et nomen patris prophetae Isaiae (אָמוֹץ i. q. *fortis*) transcripserunt; unde factum est, ut antiquitus a *Clem. Alex.* (*Strom.* I. 21) aliisque noster propheta perperam haberetur pater Isaiae.

1. *Certitudinem* poenae demonstrat ex veritate praedictionis propheticae (3,1-8), qua hostem adventurum constat, qui terram devastet, altaria Bethel destruat (3,9-15).
2. *Necessitatem novae poenae* ostendit gravitate criminum et inutilitate praecedentium plagarum (4,1-11), quam gravior nunc sit secutura (4,12. 13).
3. *Gravitatem* poenae accuratius describit. Plenam enim populi ruinam deflens causas eius explicat (5,1.17). Vae deinde annuntiat illis, qui diem Domini bona allaturum esse sperant (5,18-27), atque sceleratis utriusque regni magnatibus (6,1-7). Quas minas Deus iuramento confirmat (6,8-15).

Altera pars (7,1-9,15) *quinque visionibus symbolicis constat.*

1. Precibus prophetae avertuntur poenae *symbolis locustarum* (7,1-3) et *ignis* (7,4-6) annuntiatae.
2. Duabus aliis visionibus interitus domus Ieroboam et regni Israel praedicitur.

   Visio de trulla caementarii (vel potius : de stannatione cessante) ostendit, Deum domum Ieroboam et regnum Israel non amplius esse protecturum (7,7-9.). Sacrificuli Amasiae minis non perterritus propheta hanc praedictionem confirmat (7,10-17).

   Visioni de uncino pomorum, quo symbolo finis regni figuratur (8,1-3), adnectitur nova criminum increpatio et poenarum praedictio (8,4-14).
3. *Ultima visio* ruinam quidem populi ostendit (9,1-7), sed etiam resuscitationem tabernaculi David (9,8-15).

3. — *Indoles* libelli nobis exhibet scriptorem « uti sensuum elatione et spiritus magnitudine summis parem, ita etiam dictionis splendore et compositionis elegantiâ vix quoquam inferiorem » (*Lowth*).

In lingua eius nonnulli moderni agrestiores quosdam loquendi modos (parum recte) invenire volunt, omnes autem styli elegantiam concinnitatemque laudant. S. Augustinus (Doctr. christ. IV. 15 sqq.) iam ex nostra Prophetia exempla depromsit, ut « canonicos nostros auctores non solum sapientes sed etiam eloquentes fuisse » demonstraret. Ioelis quidem et Isaiae sublimitatem non aequat Amos, sed eos imaginum abundantia forte superat, quas multas ex vita pastoritia desumtas esse monuerunt S. Hieronymus (In Am. 1,2) et S. Cyrillus (In Am. 1,2), sed quae omnes argumento orationis quam maxime consentaneae non minus clarum quam iucundum reddunt sermonem. Ad claritatem autem augendam confert concinna membrorum compositio, quae quum in plerisque phrasibus, tum in concionum et totius libelli structura deprehenditur.

4. — *Authenticum* esse librum Amos inter omnes convenit; *divina* autem eius *auctoritas* Veteris et Novi Testamenti testimoniis demonstratur.

Authentiae libri non obstare, quod propheta de se loquens interdum tertiam personam (1,1; 7,12. 13), interdum primam (7,1. 4. 7; 8,1. 2; 9,1) adhibeat, evidens est, siquidem eundem loquendi morem alii scriptores sacri et profani tenent.

Amosi vaticinium (8,10) diserte iam allegaverunt *Tobias* (2,6) atque auctor 1. *Mach.* (1,41); S. Stephanus coram synedrio verbis Amos (5,25 sqq.) idololatriam antiquorum Israelitarum (*Act.* 7,42 sq.) et S. Iacobus in apostolico concilio admissionem gentilium in Ecclesiam aliis eiusdem prophetae verbis (9,11 sq.) demonstravit (*Act.* 15,15 sqq.).

§ 24. — *De Prophetia Abdiae.*

1. — *Visio Abdiae* unico vaticinio contra Idumaeos constat, quibus quia populo electo infestos sese exhibuerant, completus interitus praedicitur, dum domui Iacob futura restauratio et salus promittitur.

Idumaeis divinum consilium futurae destructionis annuntiatur decretique exsecutio depingitur (1-9). De fratris sui Iuda calamitate gavisus Edom hostibus sese adiunxit; ideo fiet ei, quod aliis fecit (10-16). Itaque quando Deus iudicabit gentes, in monte Sion erit salus; Iuda et Israel uniti destruent Edom, atque milites et incolae Ierusalem ex captivitate reduces terras expugnatas possidebunt et « erit Dei regnum » (17-21).

2. — Quoniam *Abdiae* nudum nomen est traditum, aetas eius incerta est. Probabilior tamen sententia, attento ordine libelli inter Duodecim, prophetam primis tribus prophetis aequalem vel paullo antiquiorem esse tenet, ita ut hoc vaticinium ante Amasiae bellum edomiticum condiderit, sed sub Amasiae filio Ozia munus suum continuaverit.

Nomen *Abdiae* (עֹבַדְיָה vel עֹבַדְיָהוּ, *servus Domini;* Alex. : Ἀβδίας vel Ὀβδίας; Vulg. : *Abdias, Obdias, Obedias)* inter Israelitas frequentissimum (1 *Par.* 7,3; 8,38; 9,16. 44 etc.) duo celebriores viri saec. 9. gesserunt, unus in regno Iuda tempore regis Iosaphat (2 *Paral.* 17,7 sqq.), alter in regno Israel tempore regis Achab (3 *Reg.* 18,3 sqq.); alterutri vaticinium nostrum a nonnullis antiquioribus et modernis interpretibus attributum est ob solius nominis identitatem, quae in tanta nominis frequentia argumentum ne leviter quidem probabile suppeditat. Alii moderni libellum tempore exsilii aut post exsilium exortum esse statuerunt, quia urbem sanctam a Chaldaeis destructam supponat et nonnulla ex Ieremiae vaticinio contra Idumaeos transumserit. At occupatae urbis descriptio in nostro vaticinio (10 sqq. 20) ultimae calamitati a Chaldaeis illatae nequaquam convenit; neque enim de civitatis destructione nec de eversione templi nec de integri populi captivitate loquitur. Abdias autem non a Ieremia, sed Ieremias, qui maxime in vaticiniis contra gentes oracula praedecessorum suorum repetit et confirmat, ab Abdia dependet, id quod facile apparet consideranti, illa, quae communia habent, uno tenore et aptissimo contextu in nostro libello esse coniuncta, in Ieremiae autem vaticinio plane esse disiuncta (cfr *Abd.* 1-9 cum *Ier.* 49,7. 14-16. 9. 10. 7. 22. 17); mirum enim esset, si Abdias ex tam disiectis membris concinnam orationem composuisset. Abdias igitur Ieremia antiquior ante exsilium vixit, immo vaticinium suum iam ante Ioelem edidit, quippe qui illius verba « *Et in monte Sion erit salvatio* » velut promissionem iam antea a Deo datam alleget (*Ioel* 2.32 cfr *Abd.* 17).

Attamen non diu antea eum munere suo functum esse, ostendit locus, quem in serie Minorum occupat; namque si Ioele (ac proinde Amoso) multo esset antiquior, collector voluminis, qui in ceteris disponendis ad eorum aetatem attendit, ei non 4. (*Mass.*) aut 5. (*Alex.*) locum attribuisset. Rectius potius statuemus, Abdiam, etsi ante Ioelem et Amos libellum suum condiderit, cum iis tamen sub Ozia munus, quod Amasiae tempore susceperat, continuasse. Ruinam autem Idumaeae illo probabiliter tempore praedixit, quo rex Amasias illam iterum subiicere coepit aut Ozias eam debellavit (4 *Reg.* 14,6. 7.; 2 *Par.* 25,11; 26,2). Civitatis sanctae vero direptio, quam commemorat (10 sqq.), illa esse recte creditur, quae ab Arabibus

et Philisthaeis tempore regis Ioram facta est (2 *Paral.* 21,16 sq.); illam enim recentem fuisse, ut propheta ipse illam spectaverit, nullo verbo indicatur; solae eius sequelae perdurasse videntur, quando prophetia nostra condita est (v. 20).

3. — Nec *authentia* nec *integritas* libelli a quoquam addubitatur; *divinam* eius *auctoritatem* autem, licet Novi Test. allegationibus vel allusionibus demonstrari nequeat, Ioelis et Ieremiae testimonia iam allata certam reddunt et continua synagogae et Ecclesiae traditio confirmat.

§ 25. — *De Prophetia Ionae.*

1. — Argumentum libelli Ionae est historicum; duplicem enim prophetae Ionae missionem in Niniven narrat.

Priori missioni Ionas fuga se subtrahere conatur (1,1-2,11). — Ionas Ninivitis poenitentiam praedicare iussus navem ascendit, ut Tartessum fugeret; exorta autem tempestate sorte destinatus, ut in mare proiiceretur (1,1-16), a magno pisce deglutitus sed miraculose servatus est; quare Deo gratias egit, quo iubente piscis tertia die eum illaesum in terram eiecit (2,1-10).

Alterius missionis, cui obsequitur, fructus (3,1-4,11). — Iterum Niniven proficisci iussus Ninivitis interitum urbis annuntiavit; illis autem poenitentiam agentibus Deus minas suas exsecutus non est (3,1-10). Quo praedicationis exitu cognito propheta cum Deo expostulavit, ideoque a Deo leniter correptus est; postea autem de hederae, cuius umbra protegebatur, subito interitu iterum exacerbatus gravius increpatus et quanta sit divina misericordia edoctus est (4,1-11).

2. — *Ionas, filius Amathi*, propheta fuit in regno septemtrionali, ex tribu Zabulon oriundus, atque tempore Ieroboam II. vixit., cuius ultimis annis, ut videtur, in Assyriam a Deo missus est.

Quin *Ionas* (יוֹנָה, *columba;* Ἰωνᾶς), *filius Amathi,* de quo libellus noster agit, idem ille sit « *propheta Ionas, filius Amathi* », qui Ieroboamo II. praedixit, eum restituturum esse fines regni Israel (4 *Reg.* 14,25), nemini est dubium. In « Geth, quae est in Opher » (גַּת הַחֵפֶר) igitur natus est, Gethhepher autem ad tribum Zabulon pertinuit (*Ios.* 19, 13) atque teste S. Hieronymo (in Ion. Prol.) « in secundo Saphorim (Sephoris) milliario, quae hodie appellatur Diocaesarea, euntibus Tiberiadem haud grandis est viculus, ubi et sepulcrum eius ostenditur ». Ceterum de prophetae nostri vita nihil certi nobis est traditum praeter ea, quae in nostro libro leguntur. — Tempore autem Ieroboami II. (802-762.) tres reges thronum Assyriae occuparunt, Rammanarirar (810.-782.) qui fines regni late extendens etiam citeriorem Asiam tributariam fecit, Salmanasar III. vel V. (781.-772.), sub cuius regno imperium iam declinare coepit rebellionibus Armenorum, et Assurdanil (771.-754.), cuius tempore ad tantam debilitatem redactum est regnum, ut eius successori Assurnirar (753.-745.) Chaldaeus Phul thronum eripere posset. Veri simillimum est, Ionam sub uno ex duobus ultimis regibus, Assurdanil aut Assurnirar, Niniven advenisse, quo tempore non tantum perturbationibus internis imperium concutiebatur, sed gravibus quoque pestilentiis vastabatur. Quapropter si a praecipua conversionis Ninivitarum causa, i. e. a gratia divina illorum animos illustrante et movente, abstrahere liceret, non admodum foret mirandum, quod praedicatio pro-

phetae tantam commotionem excitasset; Assyrios enim superstitiosos fuisse vatumque suorum verbis fidem adhibuisse neque aliarum gentium diis potentiam negasse, eorum inscriptiones superstites docent.

3. — *Historica auctoritas libelli* Domini N. ipsius testimonio extra controversiam ponitur atque frustra a rationalistis impugnatur.

Dominus N., quum eadem in occasione et eadem ratione, qua de regina Saba ad Salomonem veniente, de Iona in ventre ceti vivente et de Ninivitis in praedicatione prophetae poenitentiam agentibus loquatur (*Matth.* 12,39 sqq.; *Luc.* 11,29 sqq.), eandem, quam libris Regum, i. e. vere historicam, auctoritatem narrationi nostrae attribuit. Cui testimonio alia addere superfluum eo magis est, quo leviora sunt, quae obiiciuntur. Unanimi quidem consensu rationalistae narrationem impugnant, at alii naturali quadam explicatione miracula narrata removere conantur, alii integram historiam in allegoriam vel mythum transmutant, recentissimi nihil nisi parabolam in libello proponi statuunt, sed cuiusnam rei sit parabola ignorant. Quibus systematis, utpote prorsus arbitrariis, praetermissis argumenta paucis indicabimus, quibus nixi historicam libri auctoritatem impugnant.

Primum et praecipuum constituunt magna miracula, quae narrantur; cui obiectioni nihil aliud opponimus, nisi quod eidem iam suo tempore opposuit *S. Augustinus* (ad Deograt. ep. 102,30 sq.) : « quod aut omnia miracula credenda non sint, aut haec cur non credantur, causa nulla sit » etc. — Porro credi posse negant adversarii missionem prophetae israelitici ad ethnicos; at non attendunt, Dominum populis plerisque ethnicis, quamprimum cum populo electo commercium quodcumque habere coeperunt, suam potentiam revelasse (Aegyptiis per Ioseph et Moysen, populis chananaeis per Iosue, Philisthaeis per arcam foederis, Phoenicibus per Eliam, Syris per Eliseum, Chaldaeis et Persis per Danielem), atque eadem ratione per Ionam Assyriis sese manifestasse, antequam Phul (Theglatphalasar), Assurniraris successor, primam incursionem in Palaestinam suscepit. — Neque credi posse aiunt subitam Ninivitarum conversionem; sed eam, etiamsi a gratia divina abstraheretur, non admodum miram esse iam innuimus. — Psalmus quoque, qui prophetae attribuitur (2,3 sqq.), adversariis parum videtur aptus; at « duo, inquit *Knabenbauer* (Comm. in Proph. Min. I. p. 375), ex ipsa re nata animum orantis commovent atque replent : periculi domiciliique horror, salutis desiderium et spes; hisce eius oratio constat, quae vivide refert animi affectus et quasi sponte sua ex occasione data nascitur ». — Quod demum a nonnullis additur, nec nominari regem assyriacum, qui eo tempore thronum occupavit, nec locum, in quo Ionas a pisce in terram eiectus sit, nec quidquam referri de reliquis prophetae rebus gestis, id refutatione nec dignum est nec indiget.

4. — Libellus Ionae, etsi historicus est, merito tamen *propheticis* est insertus, quia res narrata ipsa est vera populi exhortatio atque simul rei futurae praedictio.

Etenim « Ionas, inquit S. *Hieronymus* (ad Paulin. ep. 53,8), naufragio suo passionem Christi praefigurans mundum ad poenitentiam revocat et sub nomine Ninive salutem gentibus annuntiat ». Revera quoniam Ionae ministerio usus est Deus, ut Assyriis potestatem suam manifestans eos ad agnitionem suam praepararet, libellus noster eadem ratione, qua sex priora capita Danielis, ad propheti-

cos libros pertinet, quum universalitatem salutis messianicae innuat. Accedit, quod Ionas tribus diebus in ventre ceti servatus ab ipso Domino non semel typus futurae suae resurrectionis agnoscatur (*Matth.* 12,39 sqq.; 16,4; *Luc.* 11,29 sq.; 24,16 sqq.; 1 *Cor.* 15,4). Strictissimo igitur sensu tota narratio est praedictio; promptissima autem sollicitudo, qua Ninivitae monitis prophetae obsecuti poenitentiam egerunt, efficacissima erat Israelitarum exhortatio; atque hunc quoque missionis illius fuisse finem, diserte iterum docet Dominus (*Matth.* 12,41).

5. — *Auctor* libelli huius semper creditus est ipse Ionas propheta, nec quidquam hucusque allatum est, quo haec traditio infirmetur. Eius autem *divina auctoritas*, quum testimoniis ipsius Domini iam allatis fulciatur, ulteriore demonstratione non indiget.

Una cum historica auctoritate etiam authentiam libelli negant rationalistae, illum aut exsilii tempore aut 4. vel 3. vel 2. saec. scriptum esse asserentes. Auctorem autem esse Ionam, iam docet libelli insertio inter duodecim minores prophetas; profecto enim narratio haec, quae tota sua indole a reliquis libellis voluminis tantopere discrepat, inter eos a collectoribus canonis non esset recepta, si certa traditione de origine eius prophetica non constitisset. Ecclesiasticus (49,12) quoque de « duodecim prophetis » loquens eadem ratione Ionam libelli nomine eius inscripti auctorem esse asseruit, qua undecim reliquos pro librorum eis inscriptorum auctoribus habuit. Quibus externis testimoniis accedit ratio interna non levis. Mores prophetae non parum displicent adversariis nostris, neque negari potest, eos in nonnullis iure merito reprehendi; iam vero Ionam prophetam ipsum ingenua et humili confessione peccata sua manifestasse, procul dubio facilius intelligitur, quam ab altero scriptore humanam viri, qui tamquam genuinus propheta ab integro populo recte agnoscebatur, infirmitatem tam nude esse depictam.

Quibus argumentis adversarii nihil opponunt, nisi narrationem esse fabulosam, linguam libelli iuniorem aetatem prodere (scilicet Ionas utitur nonnullis vocabulis et formis, quae a scriptoribus regni meridionalis rarius usurpantur), Niniven tempore, quo scriptus est liber, non amplius exstitisse, id quod probant ex 3,3 (!!!); *universalisticum* auctoris consilium non convenire aetati Ionae, ac si eodem tempore Oseae et Ioeli (cfr *Rom.* 9,11 sqq. 25 sq.) atque diu antea Davidi (Ps. 2. 21. etc.) ignotum fuisset, salutem destinatam esse integro generi humano.

§ 26. — *De Prophetia Michaeae.*

1. — *Michaeas Morasthita*[1], Isaiae aequalis et Oseae Amosique suppar, in regno meridionali regibus Ioatham, Achaz et Ezechia non sine fructu munere prophetico est functus.

Propheta Michaeas , cuius libellus in volumine duodecim Minorum exstat, cognominatus est Morasthites « de Morasthi (*Morescheth Gath.* 1,14 *hebr.*), qui usque hodie iuxta Eleutheropolim urbem Palaestinae haud grandis est viculus »

(1) מִיכָה a *S. Hier.* explicatur *humilitas* (a r. מוּךְ, *afflictum esse*), sed nominis forma a *Ier.* 26,14 adhibita מִיכָיְהוּ (pro qua alibi מִיכָיָהוּ) ostendit nomen eadem ratione qua *Michael* (מִיכָאֵל) esse explicandum : « *Quis sicut Dominus* ». Alter Michaeas, filius Icmla, in regno Israel sub Achab fuit propheta (3 *Reg.* 22,8 sqq.).

(*S. Hier.* In Mich. Prol.). Ex tribu igitur Iuda fuit atque Ierosolymis praesertim munus propheticum exercuit; id quod diserte nos docet *Ieremias* (26,17) simul fructum indicans, quem conciones eius Ezechiae tempore tulerunt. Immerito autem moderni interpretes nonnulli coniecerunt, Michaeam Ezechiae quidem tempore sed non sub Ioatham et Achaz vaticinatum esse. Nam suo tempore idololatriam et cultum Baal publice exerceri innuit (5,11 sqq.; 6,16), id quod aetati regis Achaz (cfr 2 *Par.* 28,3) sed non Ezechiae regno congruit. Porro Isaiam vaticinium de monte Domini (*Is.* 2,1-4) ex nostro libello (*Mich.* 4,1-5), in quo plenius et arctiore in nexu legitur, desumsisse, omnes fere interpretes consentiunt; illa autem Isaiae concio ad actatem Ioatham pertinet, ergo etiam Ioathami aetate iam vaticinatus est Michaeas. Versus vitae suae finem autem rege Ezechia librum suum videtur conscripsisse eadem ratione, qua Osee, brevi complexus illa, quae per multos annos populum docuerat.

2. — Una cum Isaia munus propheticum sustinens eadem ratione, qua ille, in magnatum pseudoprophetarumque vitia invehitur, utriusque regni interitum et utriusque populi exsilium praedicit, sed etiam theocratiae restaurationem regnique messianici felicitatem promittit. *Argumentum* igitur libelli est comminatorium et consolatorium, sed consolatio praevalet. In tres partes apte dividitur Prophetia.

1. *Divinum iudicium utrique regno annuntiatur, sed spes restaurationis relinquitur* (1,2-2,13). — Descripto Domini iudicis adventu (1,2-5) prius Samariae, deinde Iudae propheta poenam annuntiat calamitatem per omnes civitates serpentem depingens (1,6-16) atque poenae causam indicans falsaeque fiduciae fulcra destruens (2,1-11). Quibus ex abrupto adnectitur promissio futurae salutis (2,12. 13).
2. *Gravibus poenis, quae annuntiantur, restauratio messianica opponitur* (3,1-5,14). — Propter suas iniustitias principes et pseudoprophetae punientur et destruetur regnum (3,1-12); at tempore messianico restituetur et augebitur gloria montis Sion et regni (4,1-8); via autem ad salutem erit exsilium (4,9-12). Eo tempore, quo abiectus erit Israel, exorietur novus pastor populo (5,1-8), sed antea delebuntur falsae fiduciae fulcra (5,9-14).
3. *Triplex actio iudiciaria Deum inter et populum* (6,1-7,20). — In *prima* Deus conqueritur de populi ingratitudine (6,1-8); in *altera* populo propter peccata poenae denuntiantur (6,9-7,10); in *tertia* propter futuram restaurationem promissam populus divinam misericordiam celebrat (7,11-20).

3. — Uti tempore et argumento, ita *indole* quoque libellus Michaeae affinis est prophetiae Isaiae.

Ad Isaiae sublimitatem quidem non attingit Michaeas, sed eadem est linguae puritas, similis sermonis gravitas, eadem imaginum frequentia. Paronomasias accumulare amat (cfr 1,10-15); propter orationis autem brevitatem, frequentem personarum loquentium mutationem (cfr 6. et 7.), subitumque transitum a minis ad promissiones (2,11. 12; 3,12 et 4,1; 5,1. 2) interdum obscurior est Prophetia.

4. — De *authentia* libelli, quam iam testatur Ieremias (26,17 cfr *Mich.* 3,12), nemo quidem dubitat, sed duo ultima capita nonnulli ei abiudicare frustra voluerunt ob levissimam rationem. *Divina* eius *auctoritas* testimoniis Utriusque Test. confirmatur.

Praecipua ratio, cur duo ultima capita iuniori auctori attribuantur, est earum indoles; in duabus prioribus partibus scilicet Michaeas formam concionis retinuit, in tertia dialogismum adhibuit; sed si haec ratio sufficit, librorum fere omnium integritatem negare licet. — Testes divinitatis libelli sunt Isaias, qui Michaeae vaticinium (4,2 sqq.) repetiit (*Is.* 2,1 sqq.), Ieremias, qui vaticinio nostri prophetae periculo vitae ereptum se esse testatur, totum synedrium ierosolymitanum, quod de loco nativitatis Messiae interrogatus ex nostro libello publica cum auctoritate quaestionem definivit (*Matth.* 2,4 sqq.).

§ 27. — *De Prophetia Nahum*

1. — *Nahum Elcesaeus* post destructum regnum Israel quidem, medio circiter saeculo 7., sed in regni illius territorio, ut videtur, munere prophetico est functus.

De aetate, qua vixit Nahum, hodie dubitari non amplius potest; ante destructionem enim Ninives, quam praedicit (i. e. ante a. 625. aut 608.), et post expugnationem Thebarum (No Ammon, *Vulg.* Alexandria gentium 3,8), quam commemorat (i. e. post a. 664.), vaticinatus est; quibuscum consentit antiqua traditio iudaica, Nahum et Habacuc vaticinatos esse tempore regis Manasse (696.-641.). Ceterum praeter nomen *Nahum* (נחום, *consolator* aut *misericors*) et cognomen *Elcesaei* nihil de eo nobis est traditum. Cognomen autem patriam eius nobis indicat, « *Elcesi*, inquit *S. Hieronymus* (in Nah. Prol.) usque hodie in Galilaea viculus est ». Modernorum coniectura, intelligendum esse *Alkusch*, vicum in Assyria situm, caret probabilitate. Unus igitur ex illis Israelitis fuit Nahum, qui aut transportationi fuga se subtrahere aut mox in patriam reverti potuerant.

2. — Unico vaticinio de Ninives interitu constat libellus.

Deus terribilis peccatorum vindex (1,2-6) sed iustorum amicus (1,7-10) annuntiat se Ninivem esse destructurum, et populum Iuda iterum festa sua celebrare iubet (1,11-15). Futuram deinde Ninives destructionem et depopulationem vividis coloribus et dramatice propheta describit (2,1-13), praedicitque, urbem interitum, quem ob peccata sua meretur (3,1-7), aeque parum ac Thebas (Alexandriam gentium), effugere posse (3,8-13), omnes enim defensionis conatus fore irritos (3,14-19).

3. — Pulcherrimis libris Scripturae adnumeranda est Prophetia Nahum, sive eius stylus sive eius argumentum considerantur.

« Ex omnibus minoribus prophetis, inquit *Lowth*, nemo videtur aequare sublimitatem, ardorem, audaces spiritus Nahumi; exordium magnificum est et plane augustum; apparatus ad excidium Ninivae eiusque excidii descriptio et amplificatio ardentissimis coloribus exprimitur, et admirabilem habet evidentiam et pondus ». Quibus adde, prophetam dramatico suo describendi modo omnes alios superare; quasi praesens adsit, mox Niniven alloquitur, mox Iudaeam, nunc Assyrios fugientes, nunc hostes urbem diripientes, atque nunc Dominum, nunc duces vel hostes introducit loquentes : unde in Nah. 2,1. 2 monet S. *Hieronymus :* « hinc vel maxime obscuri sunt prophetae, quod repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur ». — Vaticinium ipsum minax contra Assyrios, Iudaeis consolationis plenum erat. Illo enim tempore, quo Assyrii unum ex duobus regnis destruxerant, alterum tributarium reddiderant, Nahum potentissimos hostes iam destructos

videt contribulesque iterum festa sua peragere iubet : Dei igitur vindicis iustitiam contra hostes, misericordiam erga amicos celebrat.

4. — *Authentia* vaticinii a nullo umquam est negata; eius *divina auctoritas* disertis quidem V. vel N. T. allegationibus non probatur, at validissimo traditionis synagogae et Ecclesiae testimonio nititur.

Si libri *Tobiae* recensio, quam exhibet *Cod. Sinait.*, absolutam mereretur fidem, disertum utique testimonium haberemus (*Tob.* 14,4), at reliqui textus nomen *Nahum* non habent. Allusiones quaedam ad Nahum (sed leviores) inveniuntur in Ieremiae libris (*Nah.* 1,13 cfr *Ier.* 30,8; Nah. 3,5. 13. 17. 19 cfr *Ier.* 13,22 sq.; 50,37; *Thren.* 2,9; *Ier.* 51,27; 10,19; 51,12).

§ 28. — *De Prophetia Habacuc.*

1. — De *prophetae Habacuc* vita nihil prorsus est traditum praeter eius nomen [1] et munus propheticum; probabile autem est, eum ultimis Manasse annis libellum suum condidisse.

Integro saeculo fere differunt variae sententiae de prophetae aetate, quae ex solo nostro vaticinio cognoscitur. Quoniam futuram Chaldaeorum irruptionem in Palaestinam velut rem paene incredibilem annuntiat (1,5), a vero aberrant, qui eum aetate Ioakim aut Sedeciae vixisse statuunt; clarissime enim Ieremias iam a. 4. Ioakim imperium Chaldaeorum praedixerat. At illi quoque errant, qui eum ultimo Ezechiae tempore vixisse statuunt, neque enim descriptio iniustitiarum, a qua propheta vaticinium exorditur (1,2-4) congruit; neque magis eadem convenit ultimis Iosiae annis. Attamen primi quoque anni Iosiae atque Manasse, uti integrum regnum Amonis excludantur oportet, quia Habacuc iniustitias quidem, sed non idololatriam castigat, ita ut publicus saltem idolorum cultus eius tempore suppressus esse videatur. Itaque ad ultimos illos annos Manasse referendus est libellus, quibus rex poenitens post reditum ex Babylonia instauraverat altare Domini (2 *Par.* 33,16). Cui sententiae etiam locus, quem libellus occupat in Minorum volumine, atque traditio Iudaeorum (§ 27. 1) consonant. Hinc etiam propheta Habacuc, qui Danieli prandium afferre iussus est (*Dan.* 14,32 sqq.), a libri nostri auctore distinguendus est.

2. — Minax est libri *argumentum*, siquidem iniustis Iudaeis poenam per Chaldaeos infligendam atque praesertim Chaldaeorum interitum postea secuturum praedicit. Duabus partibus, quae oratoria sua forma plane distinguuntur, Prophetia constat.

1. *Dialogo* quodam Iudaeis peccantibus et Chaldaeis poena annuntiatur (1,2-2,20). — Prophetae de populi peccatis conquerenti (1,2-4) respondet Deus, se inauditam poenam per Chaldaeos esse missurum (1,5-11.). Quo responso perterritus interrogat propheta, quomodo per iniustiores hostes tanta strages inferri possit (1,12-2,1), atque Deus iustum in fide sua veram vitam inventurum esse praefatus etiam Chaldaeis Vae dicit (2,2-20).

(1) *Habacuc* (חבקוק a rad. חבק Pi. *amplexus est*) recte explicatur a *S. Hier.* (in Hab.) περίληψις seu *amplexatio*, quae, ut monet S. Doctor, potest esse aut hostilis luctatorum aut suavis amicorum; utraque autem significatione nomen prophetae convenit. *Alexandr.* et *It.* legunt Ἀμβακούμ, *Ambacum*, probabiliter ex librariorum errore.

2. *Carmine dithyrambico* propheta iustitiam et misericordiam Dei celebrat (3,1-19). — Maiestate Dei apparentis descripta (3,1-7) iudicium contra impios describitur, quo populo suo salutem procuraturus sit (3,8-15), animique dispositionem exprimit, qua illud exspectari debeat (3,16-19).

3. — *Dicendi genere* utitur vario, at semper apto immo pulcherrimo. Nunc suppliciter orat, nunc hostibus vehementissime comminatur, nunc divinam maiestatem ad iudicium venientem sublimi modo describit; maxime autem in carmine eius « stilus grandis est ac magnificus, audax imaginibus ex rebus gestis et rerum natura depromptis, aeque sublimitate dictionis quam conceptuum et affectuum insignis » (*Knabenb.*).

4. — Huius quoque libelli uti *unitas* a longe plerisque, ita *authentia* ab omnibus admittitur; eius autem *auctoritatem divinam* praeter constantem synagogae et Ecclesiae traditionem etiam diserta Novi Test. testimonia extra omnem dubitationem ponunt.

Perperam pauci acatholici, qui internum libelli nexum, non satis considerarunt, cap. 1. ad regnum Ioakim (propter *vv.* 12 sq.), cap. 2 ad regnum Iechoniae (propter *v.* 6 sqq.), cap. 3. ad obsidionem urbis Ierusalem tempore Sedeciae transferre voluerunt.

S. Paulus Iudaeis pisidiensibus in memoriam revocat prophetae nostri verba, quibus Deus peccantibus Israelitis poenam annuntiavit (*Act.* 13,40 sq. cfr *Hab.* 1,5), ter autem in suis epistolis necessitatem fidei verbis nostri vaticinii demonstrat (*Rom.* 1,17; *Gal.* 3.11; *Hebr.* 10,37 sq. cfr *Hab.* 2,3).

§ 29. — *De Prophetia Sophoniae.*

1. — « In diebus Iosiae, regis Iuda » Sophonias ex genere regio, ut videtur, exortus Ierosolymis munere prophetico functus est.

Sophoniam (צְפַנְיָה « *tuetur Dominus* » *eum*) « gloriosa stirpe generatum esse » SS. Hieronymus et Cyrillus ex longa, quam ipse indicat, maiorum serie haud immerito concludunt (Sophonias filius Chusi, filii Godoliae, filii Amariae, filii Ezechiae), atque moderni interpretes non pauci, quum nudo Ezechiae nomine posito prophetam suum genus ab aliis distinguere viderent, Ezechiam regem designari recte, ut videtur, coniecerunt. — Anno 13. Iosiae Ieremias quoque ad munus propheticum vocatus est, atque primae conciones Ieremiae (1.-20.) etiam ad Iosiae aetatem pertinent; unde magna earum cum Sophoniae vaticinio affinitas explicatur. Simili enim ratione ambo idololatras (*Soph.* 1,4. 5; *Ier.* 7,9. 17 sq.) atque eos castigant, qui per Dominum et per idola iurant (*Soph.* 1,5; *Ier.* 5,7; 12,16), Legem Dei pervertunt (*Soph.* 3,4; *Ier.* 8,8 sq.), monitis divinis resistunt (*Soph.* 3,2; *Ier.* 7,28 etc.); eandem quoque omnium ordinum corruptionem supponunt (*Soph.* 1,4. 8 sq.; 3,3. 5; *Ier.* 3,3; 6,15; 8,12); ideo etiam eandem poenam comminantur ab aquilone venturam (*Soph.* 1,10; *Ier.* 1,14), quae velut ignis a furore Domini procedens (*Soph.* 1,18; *Ier.* 4,4; 7,20) integram terram sit devastatura (*Soph.* 1,2. 3; *Ier.* 4,25; 9,9), omnes civitates deletura (*Soph.* 1,13. 16; *Ier.* 4,27), populos vicinos visitatura (*Soph.* 2,1 sqq.; *Ier.* 9,24. 25) immo ad omnes gentes sese extensura (*Soph.* 3,8; *Ier.* 10,25) etc. Ipsa igitur duorum librorum

affinitas confirmat testimonia inscriptionum. — Ab interpretibus modernis quaestio agitatur, utrum Sophonias circa Iosiae primordia i. e. ante inchoatam morum cultusque restaurationem, an post inchoatam sed ante terminatam, an demum post terminatam restaurationem munere suo sit functus. At otiosa videtur haec quaestio et rectius sentiunt illi, qui eum « regi opitulatum esse censent in praeparanda et exsequenda reformatione ac demum summam concionum, minarum, promissionum hoc suo libello comprehendisse » (*Knabenb.*).

2. — *Deum iustum poenas mittere, ut salvet,* propheta suo libello docet; iudicium toti mundo, Iudaeis primum et gentibus, annuntiat, at tota futurae calamitatis descriptio eo tendit, ut magnifici fructus, qui ex hoc iudicio exorientur, clarius cognoscantur. In libelli sui dispositione sequitur tres maiores prophetas antiquiores, uti ex hoc conspectu apparet.

1. *Iudaeos annuntiatis poenis ad poenitentiam invitat* (1,2-2,3). — Ex abrupto iudicium universale annuntiat, quod Iudam et Ierusalem maxime attinget (1,2-6), illudque secundum eius extensionem (1,7-13) et intensionem (1,14-18) describit; unde sua sponte fluit exhortatio (2,1-3).
2. *Gentibus iudicium annuntiat* (2,4-15) quum vicinis Philisthaeis, Moabitis, Ammonitis (2,4-11) tum longinquis Aethiopibus et Assyriis (2,12-15).
3. *Praesenti civitatis statui, quo ira divina provocatur, futuram salutem messianicam opponit* (3,1-20). — Iudicium contra Ierusalem propter eius contumaciam necessarium est (3,1-8), sed finis iudicii erit salus messianica; omnes enim gentes Deum agnoscent, Iuda velut populus pauper in Deo suo spem ponet, et Deus erit populi sui protector (3,9-20).

3. — Unitate et apta partium dispositione sese commendat Sophoniae libellus; dicendi autem genere multis est inferior, quamvis vividus et vere poeticus sit eius sermo.

Languidum ac frigidum, omni vi poetica destitutum, haud raro obscurum esse Sophoniam, nonnulli moderni interpretes parum recte dixerunt; illud autem iure monuerunt, eum in haud paucis ab antiquioribus prophetis dependere. At hac in re similis est aequali suo Ieremiae, et eadem ratione, qua ille, praedecessorum suorum expressiones ita adhibuit, ut illas amplificaret ac vere novas faceret.

4. — Libelli authentia et integritas iterum ab omnibus conceditur; eius auctoritas divina sola synagogae et Ecclesiae testimonio demonstratur, quae eum semper in canone habuerunt.

§ 30. — *De Prophetia Aggaei.*

1. — Inter prophetas, quos finito exsilio difficillimis restaurationis initiis Deus populo suo suscitavit, tempore primus est *Aggaeus*, qui a. 2. Darii Zorobabelem, ducem populi, et Iosuam, summum sacerdotem, permovit, ut intermissam templi aedificationem continuarent.

Non admodum magnus erat reducum numerus (1 *Esdr.* 2,64 sq.), multae autem et magnae difficultates, quas Ierosolyma reversi invenerunt. Vix enim templum reaedificare coeperant, quum ab hostibus opus inchoatum continuare impe-

diti sunt « omnibus diebus Cyri et usque ad regnum Darii » (1 *Esdr.* 4,4. 5). Hinc primus reducum ardor refrixit, quum putarent poenarum finem nondum advenisse; neque videntur defuisse, qui quum ex iactis fundamentis novum templum ad pristini splendorem non esse venturum vidissent, de divinis promissionibus dubitare inciperent. Unde exorta est socordia quaedam in rebus religiosis, quae ne repetitis quidem divinis poenis excutiebatur, atque Dominus, ut ad novum ardorem reduces excitaret, afflictos consolaretur, peccatores ad veram poenitentiam adducerent, ultimos illos suscitavit prophetas, qui pristinarum suarum promissionum eum semper memorem esse ostenderent. Inter quos primus *Aggaeus* (חַגַּי a voce חַג festivitas) suo *festivi* et *laeti* nomine, uti innuit *S. Hieronymus*, « seminandum esse docuit in lacrymis, ut in gaudio posset meti » (ad Paulin. ep. 53,7). Quamvis etiam ab Esdra (I. 5,1) nominetur, de eius tamen vita nihil certi nobis est cognitum, praeter eius nomen, propheticam dignitatem, auxilium in restaurationis opere exhortatione sua praestitum.

2. — Libellus Aggaei quatuor complectitur sermones a. 2. Darii habitos, quorum tres priores de templi aedificatione agunt, quartus promissiones messianicas domui davidicae olim factas confirmat.

1. Die 1. m. 6. a. 2. Darii propheta populo intermissam templi aedificationem exprobrans atque sterilitatem terrae poenam socordiae illius esse docens opus recipere eos iubet (1,1-11). Quibus verbis obsecutus populus aedificare incipit die 24. eiusdem mensis (1,12-2,1 a.).
2. Die 21. m. 7. eum ob viliorem novi aedificii conditionem consolatur promisso divino auxilio (2,1 b.-6) et maiore novi templi splendore (2,7-10).
3. Die 24. m. 9. ostendit, quomodo Deus populum ob neglectam templi aedificationem punire debuerit (2,11-18), sed nunc ob reassumtum opus ei benedicturus sit (2,19. 20).
4. Eodem die Zorobabeli, uni ex Davidis posteris, magnam gloriam praedicit (2,21-24).

3. — Libello, quamvis duo argumenta prorsus diversa (templi aedificationem et Zorobabelis futuram gloriam) tractare videatur, perfecta tamen unitas non deest, quatenus ad priora vaticinia respiciens plenam theocratiae restaurationem promittit. Ceterum in externa sua forma nihil praeclari habet.

Foederis sui, quod Deus cum eis pepigerat, Israelitae duo possidebant symbola et pignora, *templum*, in quo Deus speciali modo velut supremus populi Dominus residebat, et *domum davidicam*, cui thronus aeternus promissus erat. At brevi ante excidium urbis Ezechiel Dominum spectaverat e templo egredientem et urbem relinquentem (*Ezech.* 11), atque Ieremias Iechoniam, ultimum salomonicae stirpis surculum a Deo plane reiici audierat (*Ier.* 21,24 sqq.). Quomodo Deus duo haec pignora populo post exsilium restituerit, docet Aggaeus; etenim ad novum templum, quod tempore messianico Verbum caro factum gloria sua sit impleturum, aedificandum exhortatur, et illum ex Davidis posteris designat, qui pro Iechonia reiecto continuaturus sit promissiones domui davidicae factas.

4. — De libelli *authentia* et *integritate* inter omnes constat; eius *divina auctoritas* in Vetere et Novo Test. testimonia certa habet.

Esdras ad nostrum librum alludens dicit « Aggaeum *prophetam* et Zachariam ad Iudaeos in Iuda et Ierusalem *in nomine Dei Israel prophetasse* » (1 *Esdr.* 5,1 cfr 6,14); *Siracides* celebrat Zorobabelem verbis nostri prophetae usus tamquam *annulum in manu dextera* (*Eccli.* 49,13 cfr *Agg.* 2,24), et *S. Paulus* verbis prophetae explicatis adhortationem suam ad Hebraeos confirmat (*Hebr.* 12, 26 sq.; *Agg.* 2,7).

§ 31. — *De Prophetia Zachariae.*

1. — Duobus mensibus post Aggaeum propheta surrexit *Zacharias*, filius Barachiae filii Addo, « ex sacro sanguine i. e. ex tribu Levi » (*S. Cyr.*) probabiliter exortus; ultimum annum, quem uni ex orationibus suis adscripsit, est annus 4. Darii (7,1). De reliqua eius vita aut de morte eius ne probabilia quidem statui possunt.

Inter sacerdotum principes, qui a. 1. Cyri cum Zorobabele ex Chaldaea sunt reversi, nominatur *Addo* quidam, cuius filius vel nepos *Zacharias*[1] paucis annis postea tempore summi sacerdotis Ioakim inter principes sacerdotum recensetur (2 *Esdr.* 12,1. 4. 12. 16). Quoniam nomina igitur non minus, quam aetas, congruunt, veri simillima est coniectura, Zachariam prophetam, etsi sacerdotalem suam dignitatem taceat, e sacerdotali genere esse oriundum; neque enim obstat, quod patris eius Barachiae nomen omittatur (1 *Esdr.* 5,1; 6,14), quum ex Hebraeorum more in genealogiis parentibus proximis omissis haud raro soli maiores celebriores nominentur. — Non desunt inter antiquiores et modernos interpretes, qui nostrum prophetam, sicut antiquiorem prophetam Zachariam filium Ioiadae (2 *Par.* 24,20 sqq.), in templo a Iudaeis interfectum esse et eius occisionem a Domino Iudaeis obiici (*Matth.* 23,35; *Luc.* 11,51) opinentur; sed Iudaei vix ex exsilio reversi, quos prophetis obedivisse constat (*Agg.* 1, 12 sqq.; *Zach.* 6,7), tanti criminis, cuius in nullo iuniore libro fit mentio, non sunt accusandi.

2. — Eodem tempore, quo Aggaeus, munere prophetico functus eosdemque auditores allocutus haud dissimile argumentum in concionibus suis tractavit; universus enim liber eius de theocratiae restitutione et de futuro regno messianico agit, sed multo accuratius ac sublimius tractat hoc thema. Neque enim directe et proxime, uti ille, ierosolymitanum templum restituendum, sed potius regnum messianicum, cuius symbolum erat templum, continuo ante oculos habet; quare diligentius quoque viam ostendit, qua reduces Iudaei sublimiorum illarum promissionem sese capaces reddere debeant. Tres autem libelli partes recte cum plerisque interpretibus distinguimus.

Prooemium (1,1-6) exhortatione mense 8. a. 2. Darii habita munus prophetae librique scopum innuit.

Pars prima (1,7-6,15) *septem visionibus et una actione symbolica funda-*

(1) Nomen *Zachariae* (זכריה, Ζαχαρίας) S. Hieronymus recte ad rad. זכר retulit; ab eo explicatur : *memor Domini sui;* a modernis rectius : *is cuius memor est Dominus*, aut etiam *is qui memor est Domini* aut *gloriosus est Dominus* etc.

tionem regni messianici eiusque gloriam praedicit. Omnes hae visiones exhibitae sunt prophetae die 24. m. 11. a. 2. Darii (1,7).

1. Tres primae sunt de regni messianici fundatione (1,8-2,13). — *Prima* (de equitibus inter myrteta) punitionem gentium templique restitutionem annuntiat (1,8-17); *altera* (de quatuor cornibus et quatuor fabris) poenas gentium explicat (1,18-21); *tertia* (de funiculo mensorio) fundationem civitatis (messianicae) illustrat (2,1-13).
2. Duae sequentes indolem sacerdotalis et regiae potestatis messianicae adumbrant (3,1-4.14). — *Quarta* (de Iosue sacerdote mundis vestibus induto) sanctitatem novi sacerdotii annuntiat (3,1-10); *quinta* (de candelabro aureo) indolem regiae potestatis significat (4,1-14).
3. Duae ultimae rationem fundationis innuunt (5,1-6,8). — *Sexta* (de volumine volante) malum antea esse auferendum monet (5,1-11); *septima* (de quatuor quadrigis) iudicium in toto mundo antea exercitum iri docet (6,1-8).
4. Actione symbolica propheta summo sacerdoti coronas aureas imponens unionem sacerdotalis et regiae potestatis in persona Messiae innuit (6,9-15).

Pars altera (7,1-8,23) *concione die 4. m. 9. a. 4. Darii habita de praeparatione populi ad recipienda promissa agit.*

1. Interroganti populo de certi cuiusdam ieiunii obligatione Deus respondet, mandata sua praeprimis esse observanda (7,1-14);
2. ut eos ad hanc observationem adducat, renovat promissionem de novo foedere eamque auget (8,1-23).

Pars tertia (9,1-14,21) *duabus orationibus iudicia et bona temporis messianici explicat.*

1. *Onus verbi Dei in Hadrach* (9,1-11,17) iudicium annuntiat Syriae, Phoeniciae, Philisthaeae (9,1-7), sed Israelitis divinam protectionem regemque salvatorem et pacificum promittit (9,8-17) praecipitque, ut precibus haec felicia tempora accelerent (10,1-12). Contumacibus tamen Israelitis poena indicitur symbolica actione boni pastoris, qui, quum gregem suum corrigere nequeat, eum velut malus pastor destruere cogitur (11,1-17).
2. *Onus verbi Dei super Israel* (12,1-14,21) annuntiat hostium impetus, qui tamen ipsis interitui, Israelitis saluti sint futuri (12,1-14). Victoriae enim fructus erit fons, quo abluetur idololatria (13,1-6); reliquiae salvabuntur (13,7-14,5) et tribulationi magna succedet prosperitas (14,6-21).

3. — *Libri unitas* ex conspectu proposito satis elucet; fata enim regni messianici, quae visionibus obscurius indicantur, in tertia parte clarius explicantur, et concio intermedia ostendit, qua ratione populus ad promissiones recipiendas sese praeparare debeat. Prosaico dicendi genere utitur propheta in visionibus narrandis, oratorio in secunda parte, poetico in tertia. Obscurioribus liber adnumerari solet maxime propter visionum et actionum symbolicarum frequentiam atque argumentum, quod totum regnum messianicum complectitur.

Plerique, maxime vero iudaici, interpretes de Prophetiae Zachariae obscuritate conqueruntur, quae tamen non exoritur ex eius dicendi genere, sed potissimum ex eius argumento, quod ab illis intelligi nequit, qui Messiam humilem et pacificum (9,9), a populo suo reiectum (11,4 sqq.) immo crucifixum (12,10 sqq.), agnoscere nolunt. Attamen probe quoque observandum est, vaticinia Zachariae, quum

ultima regni messianici tempora complectantur, non omnia iam esse impleta ideoque etiam hodie plane intelligi non posse. Cui ultimae rationi si addis symbolorum frequentiam, facile intelliges, quomodo etiam S. Hieronymus « obscurissimum » vocare potuerit librum nostrum.

4. — *Authentia* priorum octo capitum ab omnibus agnoscitur, sex ultima vero hodie a multis acatholicis Zachariae denegantur et in alteram aetatem transferuntur. Integri tamen libri authentia synagogae et Ecclesiae testimonio demonstratur eiusque indole confirmatur.

Controversiae de sex ultimorum capitum origine ansam dedit interpres quidam anglicanus, qui, quum a S. Matthaeo (27,9) vaticinium, quod in Zachariae libro legi putabat, sub Ieremiae nomine allegari videret, collectores canonis quam evangelistam erroris accusare maluit ideoque cpp. 9.-11. Ieremiae attribuit. Quem alii secuti, ne tria capita e medio libro evellerent, integram ultimam partem Ieremiae dederunt. Interea exortus rationalismus hanc sententiam eatenus acceptavit, ut Zachariae quidem illa capita negaret sed per totam fere historiam israeliticam ab ineunte saec. 8. usque ad initium 1. saec. circumvagatus auctorem vel auctores conquisivit, cui vel quibus integram partem vel eius particulam aliquam tribueret.

Quorum systematum examine praetermisso ad *integri* libri authentiam vindicandam praeprimis ad universalem traditionem provocamus, cuius testimonium spernere non licet, quia canon collectus est brevi post Zachariae aetatem, quando antiquiora vaticinia recenti et fere aequali prophetae per errorem attribui non potuerunt, praesertim quum constet, vaticinia anonyma, utpote auctoritate carentia, numquam a Iudaeis in honore esse habita.

Deinde ad utriusque partis affinitatem, quum in argumento tum in dicendi genere, provocamus. Ad argumentum quod attinet, cfr poenas hostibus Iudaeorum praedictas (1,14 sq.; 6,8; — 9,1 sqq.), Messiam regem et sacerdotem (3,8; 6,12 sq.; — 9,9-17), conversionem gentium (2,11; 6,15; 8.22 sqq.; — 14,16. 17), reditum Israel ex captivitate (8,7. 8; — 9,11 sq. 16; 10,8 sqq.), novi regni sanctitatem (3,1 sqq.; 5,1 sqq.; — 13,1 sqq.), prosperitatem (1,17; 3,10; 8,3 sq. 11-16; — 14,7 sqq.) etc. Stylus quidem in utraque parte est diversus, poeticus in altera, prosaicus in priore parte, at lingua prorsus est eadem, ita ut ne adversarii quidem, qui semper ex linguae diversitate argumenta sua desumunt, de ea in nostra quaestione loquantur; expressiones quoque nonnullae, quae raro in aliis libris inveniuntur, utrique parti sunt communes iidemque modi dicendi adhibentur, immo aliqui versus aut versuum partes fere repetuntur[2]. Porro in altera parte inveniuntur allusiones ad prophetas ultimae periodi regni Iuda, quibus auctor noster igitur est recentior[3].

Demum conditio populi, quae fuit post exsilium, in ultimis vaticiniis supponitur:

(2) Expressiones rarae מֵעֹבֵר וּמִשָּׁב (7,14 et 9,8), הֶעְבִּיר (*removit* 3,4; 13,2), *oculus Dei* (providentia Dei 3,9; 1,10; — 9,1); populus vocatur *domus Iuda et domus Israel; Iuda, Israel, Ierusalem; Iuda et Ephraim* vel *Ioseph* (1,12. 19; 8,15 etc.; — 9,13; 10,6; 11,14 etc.); repetitur idem versus (2,10 et 9,9) aut eadem versus particula (2,6 et 9,12. 13; — 7,14 et 9,8; — 8,14 et 14,5).

(3) Cfr ex. gr. *Zach.* 9,2. 3 et *Ezech.* 28,3. 4; *Zach.* 9,5. 6 et Soph. 2,4; *Zach.* 9, 12 et *Is.* 40,2 (quem textum tempori exsilii adscribunt adversarii nostri); *Zach.* 10,3 et *Ezech.* 34,17; *Zach.* 11,3 et *Ier.* 25,36; *Zach.* 11,4 et *Ezech.* 34,4; *Zach.* 11,5 et *Ierem.* 50,7; *Zach.* 11,7. 11 et *Ier.* 49,20 et 50.45 etc., etc.

exsules ad reditum invitantur (9,11. 12 cfr 2,6. 7); populi dispersio et captivitas est res iam praeterita (10,2. 6); Ephraimitae nondum, sed Iudaeorum pars reverterant (10,8); rex illo tempore non fuit, sed soli duces nominantur (9,7; 12,5. 6); domui davidicae praesens non est gloria, sed futura (12,7 sq.; 13,1), Graecia iam velut hostis describitur (9,13).

Contra authentiam maxime urgent adversarii, quod regnum Israel velut exsistens et potens supponatur (9,10. 13; 10,6. 7; 11,14), non animadvertentes illis in locis de *futura* conditione sermonem fieri atque nomina *Israel*, *Ephraim*, *Ioseph* eadem ratione usurpari a Ieremia (30,3. 4; 31,27. 31 etc.), Ezechiele (37,17 sqq.) et Zacharia (8,13). — Neque rectius idololatriae et pseudoprophetarum commemorationem (10,2; 13,2 sqq.) urgent, quia propheta ibi nec de suae aetatis nec de reducum conditione loquitur. Similes sed leviores sunt aliae eorum obiectiones. Quam parum vero eiusmodi textibus aetas vaticiniorum definiatur, maximus rationalistarum dissensus docet, quum eadem verba alii ad Oziae, alii ad Achaz, alii ad Machabaeorum aut Aristobuli tempus referant.

4. — *Divina auctoritas* libri Zachariae solis allegationibus Novi Test. iam abunde demonstratur.

Sollemnem sed pacificum ingressum Domini in Ierusalem *Matth.* 21,5 et *Ioan.* 12,15 a *Zach.* 9,9 praedictum viderunt; vile pretium, quo venditus est Dominus, secundum *Matth.* 27,9 etiam praedixit *Zach.* 11,12; item Domini crucifixionem secundum *Ioan.* 19,37 (*Zach.* 12,10); dispersionem discipulorum Dominus ipse (*Matth.* 26,31) annuntiavit verbis nostri libri (*Zach.* 13,7).

§ 32. — *De Prophetia Malachiae.*

1. — De *persona auctoris* libelli, qui inscribitur Prophetia Malachiae, tam pauca nobis sunt tradita, ut ne id quidem constet, num propheta, cui *nomen proprium* fuit Malachias, exstiterit. Certum tamen est, vaticinia haec ad Esdrae Nehemiaeque aetatem pertinere.

Malachias (מַלְאָכִי) vi etymologiae suae aut est « *angelus meus* » aut (pro מַלְאָכְיָה) « *angelus Domini* »; utraque autem significatio nomini *appellativo* potius quam *proprio* a parentibus indito videtur convenire. In libris Esdrae quoque et a Fl. Iosepho, qui Aggaeum et Zachariam nominant, prophetae, cui nomen proprium fuit Malachias, nulla fit mentio, qua tamen, utpote « sigillum prophetarum » (חותם הנביאים) dignus videbatur; alexandrini interpretes et paraphrastes chaldaicus nomen velut appellativum transtulerunt, atque chaldaicus addit « angelus meus, *cuius nomen est Esdras scriba* ». Hanc sententiam, Esdram sub nomine Malachiae latere, non tantum iuniores interpretes iudaici adoptaverunt, sed etiam S. *Hieronymus* (in Mal. Prol.), quem secuti sunt *Remigius*, *Rupertus Tuit.* aliique; eandemque moderni nonnulli tenent simul monentes, hac ratione apte explicari; cur a Siracida in catalogo virorum gloriosorum Esdras sit omissus, quippe qui inter duodecim prophetas iam sit commemoratus. Quidquid de hac sententia est, ad aetatem Esdrae et Nehemiae certe pertinet libellus noster. Id enim non tantum traditio constans et unanimis docet, sed libellus ipse quoque eam rerum conditionem supponit, quam tempore Esdrae et Nehemiae adfuisse ex eorum relationibus discimus. Accuratius inquirere solent moderni, num

primis an ultimis an intermediis annis illius temporis (ab a. 7. Artaxerxis usque ad a. 1. Darii Nothi i. e. 468.-423.) promulgata sint vaticinia nostra; at argumenta probabilia, quibus haec quaestio definiatur, deficiunt.

2. — Pro aetatis illius necessitatibus propheta noster contribulium suorum de Deo querelas redarguit, peccata, quibus novas calamitates sibi attraxerunt, increpat, Dei beneficia antea iam collata et in posterum conferenda in memoriam revocat, atque tamquam « sigillum prophetarum » praecursorem Messiae ad iudicium advenientis quasi digito intento monstrans praecedentia vaticinia certa quadam ratione confirmat.

Non admodum laetam fuisse conditionem reducum, Esdrae libri atque Aggaei Zachariaeque vaticinia docent. Cum reditu suo adventum Messiae coniunctum iri atque novam suam rempublicam splendorem antiqui regni davidici superaturam, speraverant reduces, at hac spe frustrati sub Persarum dominatione satis duram vitam agebant (2 Esdr. 9,36. 37). Hinc continuae populi querelae, ac si Deus promissionum suarum esset immemor; sed hinc etiam satis magna socordia in observandis divinis praeceptis, quam vanis excusationibus tegere conabantur. Esdras igitur et Nehemias haud pauca invenerunt, quae reformatione indigebant, atque nostra vaticinia eum in finem sunt promulgata, ut eorum conatus adiuvarent.

3. — Libellus, cuius forma fere est dialogica, lingua autem pura e sermo simplex, duabus partibus constat, quarum prior sacerdotes, altera integrum populum ob varios abusus increpat.

Exordium (1,2-5) Iud eorum et Idumaeorum sorte comparata singularem Dei providentiam erga Israel docet.

1. *Sacerdotes ob cultum divinum neglectum corripiuntur* (1,6-2,9). — Victimas offerunt, quas Dominus respuere debet, qui ideo sibi oblationem mundam ubique terrarum offerendam praeparabit (1,6-11); contemtui habent altare Dei (1,12-14), ideo ad poenitentiam invitantur poenis propositis et antiquo foedere in memoriam revocato (2,1-9).
2. *Populus propter varia peccata increpatur* (2,10-4,3) : ob uxores alienigenas ductas et uxores legitimas ex libidine repudiatas (2,10-16); — ob iniustas querelas, quum Deus foederis et iudicii adventurus quidem sit, sed populus ad eum recipiendum nondum sit paratus (2,17-3,6); — ob iniustam eorum expostulationem de divini servitii duritie (3,13-4,3).

Epilogus (4,4-6) ad Legem omnes revocans promittit Eliam esse venturum, ut populum convertat.

4. — Ad *divinam auctoritatem* Prophetiae Malachiae demonstrandam sola iterum Novi Test. testimonia abunde sufficiunt.

S. Paulus (*Rom.* 9,13) exordium Malachiae (1,2) velut Scripturam allegat, *Dominus* ipse (*Matth.* 11,10) verba prophetae (3,1) de Ioanne B. explicat, et ab iisdem *S. Marcus* (1,2) Evangelium suum exorditur; epilogi demum verba (4,5. 6) non tantum ab angelo Gabriel (*Luc.* 1,17), sed ab ipso Domino quoque (*Matth.* 11,14; 17,10 sqq.; *Marc.* 9.10 sqq.) S. Ioanni B. applicantur.

§ 33. — *De praecipuis commentariis catholicis in Prophetas Minores.*

I. Interpretatio patristica. — Antiquorum Graecorum, Origenis, S. Hippolyti, Appollinaris Laod. etc. commentarii interierunt, ita ut inter *Patres orientales* primus nominandus sit *S. Ephraem* (in Os., Ioel, Am., Abd., Mich., Zach., Mal. Opp. syr. II. p. 234 sqq., in reliquos I Th. Lamy S. Ephr. Hymni et sermones. II. p. 229); quem deinde tempore sequuntur *Theodorus Mopsuest.*, *S. Cyrillus Alex.*, *Theodoretus*. Antiquorum graecorum catenam collegit *Theophylactus* (in Os., Hab., Ion., Nah., Mich.); complementi gratia addimus *Barhebraei* Scholia in Proph. Min. (ed. Moritz. Lipsiae 1882.).

Inter *latinos Patres* longe eminet *S. Hieronymus*, praeter quem nominandi sunt *Ps. Rufini* Comm. in Os., Ioel, Amos, *S. Iuliani Tolet.* Comm. in Nahum, *Ven. Bedae* Alleg. expositio in Cant. Hab., *Haymonis Halberst.* Comm., quocum fere consentit *Strabonis* Glossa ordin., quae aeque ac Haymonis opus ex S. Hieronymi Comm. excerpta est.

II. Interpretatio mediae aetatis. — *Ruperti Tuit.* Comment.; *Guiberti Abb.* Tropologiae in Osee et Amos; *Hugonis a S. Vict.* Adnot. in Ioel; explanatio moral. in Abd.; *Richardi a S. Vict.* in Cant. Habacuc; *B. Alberti M.* Commentarii (Opp. ed Iammy VIII.); praeterea Postillae *Card. Hugonis* et *Nic. Lyrani* atque Enarrationes *Dionysii Carth.*

III. Interpretatio recentior. — *Saeculis* 16. 17. 18. omnes duodecim prophetas interpretati sunt *Franc. Ribera* S. I. (Commentarii Antwerpiae 1571. et saepe), *Arias Montanus* (Comment. Antwerpiae 1571. 1582.), *Paulus de Palacio* (Comment. Villaeviridi 1587. Coloniae 1588.), *Mich. de Palacio* (Explanationes. Salmanticae 1593.), *Fr. a Messana*, O. Min. (Paraphrasis. Antwerpiae 1597.), *Petrus a Figueiro* (Opp. Lugduni 1615.), *Caspar Sanctius* S. I. (Comment. Lugduni 1621.), *I. B. Chassignet* (Paraphrase. Besançon 1601.), *Christ. a Castro* S. I. (Commentarii Lugduni 1615. et saepius), *H. L. Castanaeus* (Comment. Parisiis 1630.), *Thomas de Calano*, O. Cap. (Comment. moralis Panormi 1644.), *P. Maucorps* S.I. (Paraph. Paris 1614.), *Fr. de la Coullardière* (Comm. Paris 1680.).

Unum alterumve dumtaxat explicaverunt *Hier. Box Guadelup.*, O. S. Hier. (Comm. in Osee. Caesar Augustae 1581.), *Hier. Osorius Sen.* (Comm. in Os. et Zach. Opp. IV. Romae 1592.), *Leo de Castro* (Comm. in Osee. Salmanticae 1586.), *Ioan. Phelipaeus* S. I. (Oseas illustratus. Parisiis 1636.), *Fr. de Franchis*, O. Cap. (Oseas enucl. Panormi 1643.), *Fr. Vavassor* S. I. (Comm. in Oseam. Amstelodami 1709.), Y. *P. Pezron*, O. Cist. (Comment. sur Osée, Ioel, Amos, Abdias. Paris 1693.); — *G. Genebrardus* (Ioel cum comm. Iarchi, Aben Esrae, Kimchi latine. Parisiis 1563.), *Ioan. Quinquarboreus* (Targum in Oseam, Ioel, Amos latine. Parisiis 1687.), *Math. Quarré*, O. Min. (Expositio in Ioel, Amos, Malach. Parisiis 1575. 1585.); — *Mart. de Castillo*, O. Min. (in Abdiam. Antwerpiae 1556.), *Arn. Pontacus* (Abdias, Ionas, Sophon. cum comment. Iarchi, Aben Esrae, Kimchi latine. Parisiis 1566.), *Lud. Legionensis*, O. S. Aug. (in Abdiam. Salmanticae 1589.); — *Seb. Tuscanus*, O. S. Aug. (in Ionam. Venetiis 1573.), *Fr. Feuardentius*, O. Min. (in Ionam. Coloniae 1594.), *Ioan. Treminius* (in Ionam. Oriolae 1623.), *Fr. a Vitrio*, O. Cap. (In Ionam. Panormi 1645.), *Fr. de Salinas* S. I. (in Ionam. Lugduni 1652.-1655.); — *Casp. Graxar*

(in Michaeam. Salmanticae 1570.); — *Cypr. de la Huerga*, O. Cist. (in Nahum. Lugduni 1558.), *Hect. Pintus* O. S. Hier. (in Dan., Nahum etc. Coloniae 1582.), *Aug. de Quiros* (in Nahum et Malach. Hispali 1622.); — *Ant. Guevara* (in Habacuc. Madriti 1585.), *Ant. Agellius* (in Habac. Antwerpiae 1597.), *Alph. de Padillo*, O. Cap. (in Hab. Matriti. 1657.), *Corn. Iansenius Iprens.* (in Habacuc et Sophon. Lovanii 1644.), *Lud. de Poix*, O. Cap. (les Prophéties d'Habac. Paris 1775.); — *Georg. Wallius* (in Agg. Moguntiae 1541.), *Georg. Wicelius* (in Agg. Moguntiae 1541.), *Ioan. Eckius* (super Aggaeo. Salingiaci 1538.), *Thom. Nelus* (Annot. in Kimchii Comm. in Agg., Zach., Malach. Parisiis 1757.); — *Did. de Stunica* (Zach. Salmant. 1577.), *I. de Reyrolles* O. Min. (Zach. Paris 1631.).

IV. Hac nostra aetate demum *omnes minores prophetas* illustrarunt *Ant. Barcellona*, Congr. Or. (Parafrasi dei Profeti. Venezia 1827.), *Four. Ackermann*, Can. Regul. Later. (Prophetae minores illustrati. Viennae 1830.), *I. M. A. Scholz* (Die Zwölf kleineren Proph. Aus dem Hebr. übers. u. erkl. Frankfurt 1833.), *Petr. Schegg* (Die kl. Proph. übers. u. erkl. Regensburg 1854. Ed. 2.1862.), *Trochon* (Les petits Prophètes. Paris 1883.), *I. Knabenbauer* S. I. (Comment. in prophetas minores. Parisiis 1886. 2 voll.). — In omnium ordinem inquisivit *B. Neteler* (Gliederung des B. der Zwölf Proph. Münster 1871.); de omnium historia egerunt *Petr. Schegg* (Geschichte der lezten Proph. Regensburg 1852. 54. 2 voll.), Emin. *G. Meignan* (Les Prophètes d'Israël, Paris 1892.); omnium vaticinia messianica interpretati sunt *I. Bade* (Christologie des A. T. III. Münster 1852); *L. Reinke* (Mess. Weissagungen. III. IV. Giessen 1861.62.).

Alii *unum alterumve libellum* interpretari maluerunt : *Oseam* commentariis auxerunt *F. W. Goldwitzer* (D. Proph. Hoschea. Landshut 1828.), *Ant. Scholz* (Comm. zum B. des Hoseas. Würzburg 1882.); *Ioelem* quoque explicavit *Ant. Scholz* (Würzburg 1885.) et in huius prophetae aetatem *W. Gerber* (Tüb. Quartalschr. 1889.) inquisivit; — *Amos* recentissime interpretem nactus est *K. Hartung* (D. Proph. Amos nach dem Grundtext. Freiburg 1898.); — *Abdiam* commentati sunt *Ad. Iohannes* (Komment. zum Proph. Obadja. Würzburg 1886.) et *Norb. Peters* (Die Prophetie Obadja's untersucht u. erkl. Paderborn 1892.); — *Ionam* egregie explicavit *Fr. Kaulen* (Libri Ionae prophetae expos. Mainz 1812.); de illius interpretandi ratione disseruit *G. Laberenz* (De vera l. Ionae interpr. Fuldae 1836.); — *Michaeae* prophetia a *Laur. Reinke* explicata est (Der Proph. Micha. Einl., Grundtext etc. Münster 1874.); — de *Nahum* tractavit *Mich. Breiteneicher* (Ninive u. Nahum mit Beiziehg der neuesten Entdeck. München 1861.) et in antiquas libelli versiones *Laur. Reinke iun.* inquisivit (Zur Kritik der ältern Versionen Nahum's. Münster 1867.); — quinque demum ultimos libellos, *Habacuc*, *Sophoniam*, *Aggaeum*, *Zachariam*, *Malachiam* iterum satis amplis commentariis *Laur. Reinke* (sen.) instruxit (Habacuc. Einl. etc. Brixen 1870.; Zephania. Münster 1868.; Haggai. Münster 1868.; Die Echtheit des Proph. Sacharja u. Komment. Münster 1864.; Malachi. Giessen 1856.). De duorum ultimorum (Zachariae et Malachiae) messian. vaticiniis scripsit *Fr. X. Patrizi* S. I. (Romae 1852.).

PARS III.

INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

SINGULOS NOVI TESTAMENTI LIBROS.

DISSERTATIO VII.

DE NOVI TESTAMENTI LIBRIS HISTORICIS.

CAPUT I.

DE EVANGELIIS SYNOPTICIS SINGULIS.

§ 1. — *Praenotanda de Evangeliis in universum.*

1. — Novi Testamenti quatuor primi libri, qui secundum *S. Augustini* descriptionem « originem, facta, dicta, passiones D. N. Iesu Christi narrant » *Evangeliorum nomine* aptissime insigniuntur.

Namque *Evangelium* (εὐαγγέλιον) vi etymologiae suae *bonum laetumque nuntium* significat, ideoque alexandrini interpretes propheticam salutis nostrae annuntiationem hoc nomine iam designarunt (*Is.* 40,9; 61,1 etc.), Novi autem Test. scriptores eodem designant aut mysterium reconciliationis nostrae cum Deo per Christum factae, aut promissiones a Christo D. nobis allatas, aut integram eius doctrinam, prout ab Apostolis praedicabatur. Hinc transiit nomen ad omnes illos libros designandos, quibus Apostoli hanc suam doctrinam tradiderant (cfr S. *Clem. Rom.* 1 Cor. 47; *Orig.* in Ioan. tom. I. 6; *S. Thom.* in 1 Cor. 1,1 etc.); inter illos autem eminent quatuor, qui, quum Domini N. in hac terra commorantis res gestas et sermones referant et magis singulari et pleniore sensu « verba Dei » contineant, *Evangelii* i. e. boni laetique nuntii nomine ab aliis apostolicis scriptis merito discernuntur (cfr *Orig.* l. c.; *S. Chrys.* In Matth. hom. 1,2).

Quoniam autem ob argumentum suum hoc titulo decorantur, etiam « de quatuor libris unius Evangelii » rectius quam de quatuor Evangeliis cum *S. Augustino* loquemur; « quod enim, inquit *Origenes*, per quatuor scriptum est, unum est Evangelium » (*S. Aug.* in Ioan. tract. 36,1 etc.; *Orig.* in Ioan. tom. V.), atque hinc evenisse nonnulli putant, ut Evangelia ipsa non S. Matthaei, S. Marci etc. sed Evangelium *secundum* Matthaeum etc. sint inscripta. Porro illud iam hoc loco liceat adnotare, quod in tota hac Introductione ostendemus, Evangelia, etsi de

vita Domini N. agunt, *mere* historicis libris non esse adnumeranda; neque enim tam historicum quam dogmaticum finem omnes Evangelistae sibi proposuerunt; eatenus igitur sunt opera historica, quatenus argumenta sua ex historia desumunt; si autem tota eorum indoles spectatur, dogmaticis libris adnumerentur oportet. Itaque errant, qui iuxta solam rationem historicam de Evangeliis iudicantes Evangelistas aut ignorantiae incusant, quia multa facta omiserunt, aut violati ordinis, quia ad chronologiam non semper attenderunt.

2. — *Quatuor esse Evangelii libros genuinos*, nec plures nec pauciores, tota retro agnovit antiquitas; licet enim multo plures sint conscripti, ob auctoritatis tamen divinae defectum plures ab Ecclesia non sunt recepti.

Quod assertum innumeris fere Patrum testimoniis demonstratur; quoniam vero res in comperto est, pauca ex antiquissimis praecipuarum ecclesiarum attulisse sufficiet. *In alexandrina Clemens Alex.* testimonium, « quod in nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus » repudiavit (Strom. III. 13) et « traditionem quamdam a vetustioribus presbyteris acceptam » retulit de ordine temporis, quo quatuor illa in lucem prodiissent (*Euseb.* H. E. VI. 14); Clementis autem discipulus *Origenes* nobis asserit, « ex traditione se accepisse de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia citra controversiam admittuntur » (in Matth. tom. I. cfr in Luc. hom. 1; in Ios. hom. 7,1). Eodem tempore *in ecclesia africana Tertullianus* contra Marcionem, qui unum Evangelium Lucae mutilatum admisit, quaternarium Evangeliorum numerum fuse adstruxit (c. Marc. IV. 2. 5). Antiquius est *ecclesiae romanae* testimonium, quod exstat in *fragmento Muratoriano;* eius enim auctor quatuor ita enumerat, ut alia non esse agnita certum sit (cfr *Append.* 1.). Gravissimus testis quum *gallicanae* tum *asiaticae* fidei nobis est *S. Irenaeus*, cui tam persuasum est, quatuor, « neque plura, neque pauciora », esse Evangelia, ut hunc numerum quasi a priore demonstrare voluisse videatur, et « vanos, indoctos insuper audaces » appellet eos, « qui frustrantur speciem Evangelii et vel plures, quam dictae sunt, vel rursus pauciores inferunt personas (i. e. formas) Evangelii » (c. Haer. III. 11.). Exeunte igitur saec. 2., i. e. octoginta circiter annis post S. Ioannis mortem, quaternarius numerus in tota Ecclesia velut traditus admittebatur; neque desunt antiquiora testimonia. Novi Testamenti enim versiones syriaca latinaque, ac probabiliter coptica, iam saec. 2. sunt adornatae; in illis autem quatuor nostra Evangelia sola exstabant. Circa medium saec. 2. *S. Theophilus Ant.* teste S. Hieronymo (ad Algas. ep. 121,6; de Vir. ill. 25) « quatuor Evangelistarum in unum opus dicta » compegit et eodem tempore *Tatianus*, S. Iustini discipulus, in suo Diatessaro primam Evangeliorum harmoniam composuit. *S. Iustinum* ipsum autem, etsi quaternarii numeri disertam mentionem non faciat, quatuor tamen agnovisse, iure concludimus, quia commentarios commemorat, « quae Evangelia vocantur », « ab Apostolis eorumque discipulis » conscriptos (Apol. I. 66; c. Tryph. 103). Illa igitur aetate, qua immediati Apostolorum discipuli superstites erant, quaternarius Evangeliorum numerus iam ubique erat receptus.

Cur ex multis, quae primis temporibus conscripta sunt (cfr *Luc.* 1,1), evangeliis quatuor tantum ab Ecclesia in canonem sint recepta, alia ratio dari non potest, nisi quatuor haec sola dictante Spiritu S. esse exarata eorumque solorum inspirationem certis testimoniis Ecclesiae innotuisse.

SS. Patres, ut numerum illum explicent et quasi a priore stabiliant, undique rationes conquirunt, quibus, quamvis ingeniose sint excogitatae, quaestio ipsa parum illustratur. Pervulgatam tamen illam sententiam praetermittere nolumus, quae inde a S. Irenaei tempore quatuor nostra Evangelia praefigurata docet quatuor animantibus, quae *Ezechiel* (1,5 sqq.) et *S. Ioannes* (*Apoc.* 4,6 sqq.) in suis visionibus spectarunt. Attamen licet multi Patres, maxime occidentales, visionem illam de quatuor Evangelistis exposuerint, variis tamen modis animantia ad singula Evangelia accommodant. Hodie plerumque cum *SS. Ambrosio* et *Hieronymo* per hominem S. Matthaeus, per leonem S. Marcus, per vitulum S. Lucas, per aquilam S. Ioannes significari dicuntur; *S. Irenaeus* autem aquilam Marco et leonem Ioanni, *S. Augustinus* leonem Matthaeo, hominem Marco, *Ps. Athanasius* vitulum Marco, leonem Lucae accommodaverunt etc.

3. — *Evangeliorum ordo* hodiernus (Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes), uti testatissimus, ita antiquissimus est atque ex temporis ratione, qua singula composita esse (recte) credebantur, est explicandus.

Graeci codices versionesque antiquae fere omnes eum exhibent eumque iam sequuntur *fragm. Murator.*, *S. Irenaeus*, *Origenes;* eundem ordini temporis, quo singula Evangelia conscripta sunt, correspondere, elucebit ex infra dicendis. Praeter quem alter satis frequens fuit, quo dignitatis auctorum ratione habita Matthaei et Ioannis (rarius : Ioannis et Matthaei) opera libris discipulorum apostolicorum, Marci et Lucae (aut : Lucae et Marci), praeponuntur; in antiquioribus nonnullis Italae codicibus, uno graeco-latino, et gothico argenteo invenitur et a Patribus Concilii Ephesini in allegandis testimoniis tenetur.

4. — Hodierni *Evangeliorum tituli* ipsis quidem Evangelistis non debentur, ad apostolicam autem aetatem ascendere iure dicuntur, ita ut demonstrandae Evangeliorum authentiae idoneum praebeant argumentum.

Evangelistas libros suos suis nominibus non inscripsisse, recte iam monet *S. Chrysostomus* (in Rom. hom. 1,1; in Matth. hom. 1,2), quia antiquorum mos non fuit, ut operibus, quae ad historicum genus magis minusve pertinent, nomina praefigerent. Attamen *Tertullianus* (c. Mar. IV. 2) Evangelia nostra suo tempore non fuisse anonyma, diserte dicit, et ante eum iam hodierni tituli cogniti erant Romae auctori *fragm. Murator.*, in Gallia *S. Irenaeo* (c. Haer. III. 11), Alexandriae *Clementi Alex.* (Strom. I. 21); ergo eos multo antiquiores esse, iure concludimus.

Porro inscriptionem Εὐαγγέλιον κατὰ Μαθθαῖον (Evangelium *secundum* Matthaeum) per se nondum demonstrare, Matthaeum esse libri auctorem, fatemur, quia apte praefigi potuit, etsi liber secundum Matthaei praedicationem ab altero erat compositus; nihilominus eam ad auctorem designandum esse appositam, pro certo asserimus. Etenim Hellenistis hic praepositionis κατὰ usus omnino erat frequens (2 Mach. 2,13 οἱ ὑπομνηματισμοὶ οἱ κατὰ Νεεμίαν, apud Patres ἡ παλαιὰ διαθήκη ἡ κατὰ τοὺς ὁ, ἡ κατὰ Μωυσέα πεντάτευχος etc.), atque aptius in nostris libris adhibebatur, qui non sunt nisi eiusdem Evangelii variae formae. Hinc intelligitur, cur ab omnibus antiquis scriptoribus, nullo excepto, tituli nostri de Evangeliorum auctoribus sint explicati. Itaque Hellenistarum loquendi usu et unanimi Patrum interpretatione omne prudens dubium de titulorum sensu excluditur.

5. — Tria priora Evangelia maiore inter se similitudine coniuncta iam antiquitus quarto sub certa quadam ratione opponebantur, et hodie *synopticorum* nomine recte ab eo distinguuntur.

Quatuor Evangelia in eo conveniunt, quod ex sola fere vita publica Domini selectas quasdam res gestas et orationes referunt; sed tria priora eum in Galilaea docentem potissimum sequuntur, quartum vero ad eius ministerium Ierosolymis et in Iudaea magis respicit. In rebus autem galilaicis referendis tria ita consonant, ut eorum narrationes quasi uno conspectu (σύνοψις) facile proponantur; quapropter *synopticorum Evangeliorum* nomen tres priores sortiti sunt libri. Iidem autem, uti recte iam monuerunt Patres (*Clem. Alex.* apud *Eus.* II. E. VI. 14; *S. Aug.* de Cons. Evang. I. 4. 5) de humanitate Domini, quartus de eius divinitate magis agunt. Ideo nos quoque in hac dissertatione eos arctius coniungemus atque primum de Evangeliis synopticis singulis, deinde de eorum inter se affinitate atque demum de quarto eiusque ad priora relatione dicemus.

§ 2. — *De Evangelio secundum Matthaeum.*

Quaestio I. — De S. Matthaei vita.

1. — Matthaeus, qui alio nomine Levi filius Alphaei appellabatur, Capharnaumi munere publicani fungebatur, antequam a Domino ut ipsum sequeretur est invitatus. Vocationi obsequens telonio statim relicto inter Apostolos adnumeratus est. De reliqua eius vita certi nihil in Scripturis est traditum praeter ea, quae de omnibus Apostolis in Evangeliis vel Actibus narrantur; atque illa quoque, quae a Patribus referuntur, magis minusve incerta sunt, praeterquam quod primi Evangelii est auctor.

Quin eadem sit persona, cuius vocatio a *Matth.* 9,9 atque a *Marc.* 2,14 et *Luc.* 5,27 narratur, dubium non est utramque relationem comparanti, licet in priore Matthaeus, in altera Levi nominetur; binomines enim multi Iudaei fuerunt. Utrum autem publicanus iam ante vocationem suam utrumque nomen gesserit, an in vocationis memoriam nomen Matthaei (Ματθαῖος vel Ματθαΐος = מַתַּי = מַתַּנְיָה, *donum Domini* i. q. Θεοδῶρος, *Adeodatus*) a Domino acceperit vel ipse assumserit, incertum est. Quoniam publicani ob suas exactiones Iudaeis ita erant odiosi, ut peccatoribus et ethnicis aequipararentur, recte monuerunt Patres, Marcum et Lucam « propter verecundiam et honorem Matthaei » eum nomine vulgato appellare noluisse, sed eum nomine minus cognito Levi appellasse, Matthaeum ipsum autem ob humilitatem et Matthaeum et publicanum sese dixisse (*Eus.* Dem. evang. III. 5; *S. Hier.* In Matth. 9,9 etc.); ob eandem quoque humilitatem sibi in Apostolorum catalogo octavum locum attribuit (*Matth.* 10,3), dum reliqui eum septimo in loco ante Thomam ponunt (*Marc.* 3,18; *Luc.* 6,15; cfr *Eus.* l. c.). S. Marcus Matthaeum (Levi) filium scribit Alphaei; unde cum S. Chrysostomo (in Matth. hom. 32,3) nonnulli eum S. Iacobi Min. fratrem fuisse arbitrati sunt; argumentum autem leve est. Etenim Alphaei nomen inter Iudaeos tam rarum non fuit, ut illo solo quidquam demonstretur; accedit autem, quod Iacobus Alphaei ex illis sit, qui titulo « fratrum Domini » insigniuntur (cfr Diss. VIII. § 19), Matthaeus autem nusquam inter illos recenseatur.

Quae post vocationem suam ad apostolatum S. Matthaeus egit, singula in Evangeliis et Actibus non referuntur, immo eius nomen postea in solis Apostolorum catalogis reperitur; quapropter illa tantum, quae de omnibus Apostolis narrantur, de eo pro certis asserere possumus. Eadem igitur ratione, qua reliqui, cum Domino est versatus atque post resurrectionem Domini cum reliquis fundamenta ecclesiae ierosolymitanae iecit. S. Pauli et Actuum silentio videtur constare, Evangelistam a. 37., quando Paulus post suam conversionem prima vice Ierosolyma venit, saltem in civitate non adfuisse (*Act.* 9,26. 27; cfr *Gal.* 1,18. 19) neque a. 51. concilio, quod dicitur Apostolorum, interfuisse (*Act.* 15,1 sqq.; cfr *Gal.* 2,1 sqq.). Palaestinam autem tam cito eum reliquisse, non arbitramur; *Clemens Alex.*, qui eum severam vitam egisse tradit « seminibus, baccis et oleribus absque carnibus usum », auctor est, eum per quindecim annos Iudaeis in Palaestina praedicasse, atque deinde (i. e. versus a. 44.) ad alias gentes convertendas profectum esse (Paedag. II. 1; cfr *Eus.* H. E. III. 24). Ubi autem terrarum apostolico munere inter ethnicos sit functus, num in Aethiopia (*Rufin.*, *S. Gregor. M.* etc.), an in Persia vel inter Parthos (SS. *Ambros.*, *Paulin. Nol.* etc.), an in Syria (*Sim. Metaphr.*), an in Macedonia (*S. Isid. Hisp.*), plane incertum est, nec certius, ubi et quo mortis genere vitam finierit; longe plures tamen Patres tradunt, eum martyrii coronam obtinuisse.

Quaestio II. — De primi Evangelii authentia et integritate.

2. — S. Matthaeum Apostolum primi Evangelii auctorem esse, olim negaverunt pauci haeretici et hodie negant plerique acatholici interpretes, velut sententiam certissimam autem asserunt omnes, qui quaestiones historicas historicis testimoniis demonstrandas esse recte censent.

Faustum Manichaeum, qui S. Matthaeo Evangelium abiudicandum esse putavit, quia Evangelista de se ipse loquens tertiam personam adhibere non potuisset, iam refutavit S. Augustinus (c. Faust. XVII. 1 sqq.). Postea Anabaptistae, quia Evangelium nostrum graece esset scriptum, Matthaeo Hebraeo Hebraeis scribenti attribui non posse asseruerunt, quaestiones de auctore libri et de primigenia libri lingua perverse confundentes (cfr *infra* Quaest. III.). Hoc nostro demum saeculo rationalistae omnes et multi ex iis, qui se « orthodoxis » adnumerant, ex S. Papiae testimonio quodam, quod male interpretantur, deducunt, Matthaeum sermones dumtaxat dominicos aliquos collegisse atque ex hac collectione sermonum additis narrationibus ab uno vel pluribus iunioribus scriptoribus primum Evangelium esse compositum. Varia systemata, quae ad hanc sententiam stabiliendam excogitarunt, referre opus non est; sua enim sponte omnia ruunt, quamprimum authentia certis argumentis demonstratur.

3. — Inde ab exeunte saec. 2. omnes Patres et scriptores ecclesiasticos S. Matthaeo auctori integrum primum Evangelium attribuisse, nemo adhuc negavit; iunioribus autem his testibus, quorum auctoritas sola iam magni momenti est, accedunt gravissimi illi, qui ad ipsam usque apostolicam aetatem ascendunt. Inter quos primo loco nominandi sunt *SS. Papias* et *Pantaenus*, quippe qui disertis verbis Matthaeum Evangelii auctorem dicant.

S. Papiae, Hierapoleos episcopi, testimonium nobis conservavit Eusebius (H. E. III. 39) his verbis : Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια (sc. κυριακὰ) συνεγράψατο· ἡρμήνευσε δ'αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος, « Matthaeus igitur hebraica lingua sermones (dominicos) conscripsit; eos autem interpretatus est unusquisque, prout potuit ». Iam vero *a.*) S. Papias, teste Irenaeo (c. Haer. V. 33) « Ioannis (Apostoli) auditor et Polycarpi amicus, vir antiquus », primis apostolicae successionis temporibus floruit immediatisque Domini discipulis familiariter est usus (*Eus.* H. E. III. 39); quare eius auctoritas in hac quaestione summa est. *b.*) S. Papias, si Matthaeum τὰ λόγια (κυριακά, sermones vel oracula Domini) scripsisse asserit, primum nostrum Evangelium designare voluit; ita saltem eius verba intellexit Eusebius, qui quia integrum Papiae opus, in quo haec verba legebantur, prae oculis habuit, melius quam nos, de eorum genuino sensu iudicare potuit. Contra quae obiiciunt adversarii, Papiam de solis sermonibus Domini a Matthaeo conscriptis loqui, primum autem Evangelium etiam plurimas continere narrationes. Sed vocabulum λογίων latiorem sensum admittit, ut librum designet, qui et narrationes et sermones complectitur. Eodem enim in loco S. Papiae de origine secundi Evangelii loquenti τὰ κυριακὰ λόγια idem sunt, quod τὰ ὑπὸ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα; S. Paulo τὰ λόγια τοῦ θεοῦ sunt totum Vetus Test. (*Rom.* 3,2.), atque etiam *Fl. Iosepho* (Bell. iud. VI. 5,4) τὰ λόγια idem sunt, quod immediate postea τὰ ἱερὰ γράμματα. Ergo dubium non est, quin vocabulo λογίων S. Papias primum Evangelium designare *potuerit*, etsi plurimas narrationes complectatur. At latiore illo sensu vocabulum in Papiae testimonio explicetur *necesse est.* Nam articulo addito τὰ λόγια a Matthaeo conscripta velut opus designantur omnibus notissimum; atqui quodnam est illud Matthaei Apostoli opus omnibus ineunte vel medio saec. 2. cognitum praeter Evangelium primum? ubi vel levissimum vestigium operis alicuius apostolici, quod solos sermones Domini continuerit? num cogitari potest, opus ineunte saec. 2. pro apostolico agnitum tantae oblivioni esse traditum, ut post medium saec. 2. nemo illius meminerit? Remanet igitur S. Papias gravissimus testis apostolicae originis primi Evangelii integri.

Alter testis paullo iunior est *S. Pantaenus*, quem exeunte saec. 2. apud Indos Evangelium Matthaei hebraice conscriptum a S. Bartholomaeo Apostolo eam in terram allatum reperisse, testantur *Eusebius* (H. E. V. 10) et *S. Hieronymus* (de Vir. ill. 6.). Evangelium autem illud, quod iam saec. 1. ad Indos pervenit, si a Pantaeno Matthaeo auctori attribuitur, a nostro primo non dissensisse nec solos dominicos sermones continuisse, evidens est.

4. — Vix minoris auctoritatis in hac quaestione sunt Apologetarum saec. 2., praesertim *SS. Athenagorae, Theophili Antioch., Iustini M.*, atque *Patrum apostolicorum* testimonia. Qui, licet Matthaeum non nominent, ex Evangelio *scripto* verba dominica allegant; unde elucet, illud iam in Scripturarum numero fuisse ac proin apostolicae originis esse; indirecte igitur iuniorum Patrum, qui primum Evangelium Apostolo Matthaeo auctori attribuunt, traditio confirmatur.

Quamprimum demonstratur, Evangelium nostrum tempore apostolico esse exortum, adversariis omnis ratio eripitur, ob quam Matthaeum eius auctorem agnoscere nolunt. Neque effugere possunt rationalistae auctoritatem testimoniorum illorum patristicorum dictitantes, a Patribus illis sola *verba* dominica allegari ac proin eorum allegationibus nihil demonstrari, nisi collectionem *sermonum* Do-

mini apostolico tempore esse exortam; nam aliqui etiam res gestas allegant, atque ille, qui collectionem sermonum medio saec. 2. ab Athenagora, Theophilo, Iustino pro auctoritate adhibitam esse concedit, explicet oportet, quomodo iam paucissimis annis postea tam complete disparuerit, ut nec Irenaeus, nec Clemens Alex., nec ullus eiusdem aetatis scriptor ullam eius memoriam habuerint.

Quibus praemissis testimonia innuemus. *S. Athenagoras* caritatem « praeceptis non humanis sed a Deo pronuntiatis et traditis » commendatam Christianis esse demonstrat allegatis *Matth.* 5,44-46 (Legatio pro Christ. 11. 12), atque simili modo castitatem commendatam dicit citato *Matth.* 5.28 (Leg. 32). S. Hieronymus, qui certe inter Evangelium S. Matthaei et inter collectionem sermonum Domini distinguere potuit, sese S. *Theophili Ant.* commentarios in primum Evangelium testatur legisse (in Matth. Prol.; cfr ad Algas. ep. 121,6); S. Theophilus ipse autem introducit « *evangelicam* vocem » pronuntiantem *Matth.* 5,28. 32, « Evangelium » docens amorem inimicorum verbis *Matth.* 5,44, vetans vanae gloriae studium verbis *Matth.* 6,3 (ad Autol. III. 13. 14). *S. Iustinus M.* primum Evangelium frequentissime adhibuit; in sua Apol. I. 15-17 plus viginti versus ex sermone montano affert (*Matth.* 5-7); ne quis autem dicat, eum sermonum collectionem dumtaxat habuisse, vetant illa, quae de nativitate Domini, de magorum adventu etc. refert (c. Tryph. 78. 99.). Maximi demum momenti est, quod in vaticiniis messianicis allegatis haud raro contra versionem alexandrinam et contra textum hebraicum ita cum S. Matthaeo consentiat, ut illum haec testimonia ex primo Evangelio transcripsisse omnes fateri cogantur (cfr *Is.* 7,14 apud *Matth.* 1,23 et in Apol. I. 33; *Mich.* 5,2 apud *Matth.* 2,6 et in Apol. I. 34; *Ier.* 31,15 apud *Matth.* 2,18 et c. Tryph. 78; *Zach.* 9,9 apud *Matth.* 21.5 et in Apol. I. 35 etc.).

Patrum apostolicorum pauca testimonia attulisse sufficiet : *S. Barnabas* (ep. 4) solemni formula ὡς γέγραπται allegat *Matth.* 20,16. S. *Clemens Rom.* in 1 Cor. 46. affert *Matth.* 26,24 una cum *Luc.* 17,2; in 2 Cor. 2. autem formula « *alia* quoque *Scriptura* dicit » verbis Isaiae (54,1) adnectit *Matth.* 8,13; in epist. de Virg. sedecim textus ex nostro Evangelio, plerosque ad literam, citat. Quibus addi possunt *S. Ign. M.* ad Polyc. 2 (*Matth.* 10,16), ad Ephes. 14 (*Matth.* 12,33), et *S. Polyc.* ad Philipp. 6 (*Matth.* 26,41). Multo autem plura et certiora sunt testimonia in *Doctrina duodecim Apost.*, cuius opusculi sine ullo dubio saeculo 1. conscripti magna pars dictis dominicis est contexta, quae ex Evangelio scripto et quidem ex primo desumta esse clarissime elucet ex Doctr. 8. 15., quibus in locis « Evangelium », « Evangelium Domini », velut fons nominatur.

Cum orthodoxis Patribus in primo Evangelio agnoscendo consenserunt *haeretici*, qui immediate post Apostolorum aetatem Ecclesiam impugnarunt, *Cerinthus, Carpocrates, Ebionaei, Valentinus, Basilidiani* etc.

Ab omnibus istis haereticis Evangelium Matthaei esse adhibitum sed pro variis eorum haeresibus vario modo truncatum et mutatum, diserte tradit S. Epiphanius (haer. 24,5; 28,5; 30,14. 26; 31, 14 sq.), idemque de Valentino testatur S. Irenaeus (c. haer. I. 1,3) et de Basilidianis auctor Philosophum. (VII. 27; V. 7. 8. 21). *Celsus* quoque, vel potius Iudaeus, quem loquentem introducit, ex libris Christianorum se hausisse dicit illa, quae affert; affert autem non pauca, quae in solo primo Evangelio leguntur de adventu Magorum, de caede bethlehemitica, fuga in Aegyptum etc. (*Orig.* c. Cels. II. 47; I. 58. 66 etc.). Demum addere licet

Evangelia apocrypha quaedam, quae exeunte 2. saec. latissime propagata Evangelium Matthaei cognitum supponunt, uti Protevangelium Iacobi et Evangelium secundum Hebraeos.

5. — Quibus multis validissimisque primorum Patrum de huius Evangelii authentia testimoniis antiquae quoque inscriptionis versionumque iam medio saec. 2. adornatarum auctoritas iure merito additur; neque desunt internae rationes, quibus historica argumenta confirmantur. At optimum authentiae argumentum nobis praebent ipsae adversariorum obiectiones, quippe quae partim nihil nisi praeiudicia rationalistica, partim autem tam levia sint, ut vix intelligatur, quomodo adversarii eas proferre audeant.

De inscriptione cfr. § 1,4 p. 453; de versionum latinae et syriacae origine *Diss.* II. § 12 p. 91 sq. et § 14. p. 102 sq. — Ad internas rationes quod attinet, modum, quo nostrum Evangelium de Matthaeo loquitur, aptius explicari, si Apostolus ipse est eius auctor, iam innuunt Patres (cfr p. 454); quomodo eidem auctori lingua primitiva, destinatio, finis operis conveniat, ex dicendis apparebit. Quibus interim omissis obiectiones adversariorum praecipuas paucis explicabimus, quas ex duobus recentissimis operibus desumimus (*H. A. W. Meyer* Exeget. Handbuch I. Ed. 7. cur. *B. Weiss.* Gottingen 1883. p. 3 sqq. et *H. J. Holtzmann* Einl. in das N. T. Freiburg 1885. p. 346 sq. 365 sq.).

Ex obiectionum numero autem excludimus praeiudicia rationalistica, quibus nixi multa miracula aut miraculosa (de stella magorum, tentationibus Domini, resurrectione multorum sanctorum cum Christo etc.) ab Apostolo narrari potuisse negant adversarii. At praeprimis monent, res illas, quibus Matthaeus testis ocularis adfuit, parum dilucide, immo languide, narrari, locum tempusque et reliqua rerum gestarum adiuncta, uti etiam occasiones historicas sermonum Domini, aut vago modo indicari, aut plane omitti, verba, quae a Domino diversis temporibus et diversis in occasionibus dicta sint, in primo Evangelio immediate coniungi etc. Qua in obiectione adversarii erronee supponunt, auctorem primi Evangelii partes historici agere nobisque biographiam Domini tradere voluisse; eius autem finem dogmaticum et apologeticum fuisse, iam diximus et infra ostendemus. Ex hoc autem eius fine etiam satis explicatur, cur auctor chronologicum ordinem non tenuerit, sed ordinem rerum praetulerit; quod si vero adversarii aptissimum ordinem, quem in nostro Evangelio inveniri fatentur, velut argumentum contra apostolicam libri originem urgent (*Holtzm.* l. c.), videntur supponere, aut Apostolos tam rudes fuisse, ut argumenta sua apte disponere non potuerint, aut eis nescio ob quam rationem in illis disponendis arte uti non licuisse.

Porro monent, in primum Evangelium recepta esse, quae ad evangelicam praedicationem non pertineant mythumque redoleant, uti historiam infantiae Christi. Quae obiectio a Fausto Manich. iam prolata et a S. Augustino refutata (c. Faust. II. 1 sqq.), vere ridicula est; numquid, quia Marcus Evangelium suum a praedicatione Ioannis B. inchoavit, omnia, quae praedicationem illam praecesserunt, bonam annuntiationem esse negabimus? — Tot tantaeque demum differentiae, immo contradictiones primum inter et quartum Evangelium adesse dicuntur, ut utrumque testi oculari adscribi non possit. De hac obiectione infra (§ 8) disseremus; interea autem adnotamus, per octodecim saecula viros eruditissimos et perspicacissimos contradictiones in Evangeliis non invenisse ideoque difficultatum,

quae hodie inveniuntur, rationem nec in ipsis Evangeliis nec in modernorum interpretum maiore sagacitate, sed in rationalistarum incredulitate et preiudiciis esse quaerendam.

6. — Non plane defuerunt, qui, etsi Evangelium in genere Matthaeo auctori attribuerent, historiam tamen infantiae Domini ei abiudicarent; attamen tam levibus et futilibus argumentis utebantur, ut eorum sententia hodie sit obsoleta.

Exeunte saeculo 18. Anglus quidam historiam infantiae a Matthaeo conscriptam esse negavit, quem mox secuti sunt aliqui Germani, qui etiam narrationes de Pilati uxore (27,19), de sanctorum resurrectione (27,52 sq.) et de custodibus sepulcri (27,62 sqq.; 28,4. 11 sqq.) in dubium vocarunt. Nimis incredibilia enim haec eis videbantur, neque prima duo capita cum S. Lucae narratione conciliare poterant; monebant quoque, historiam infantiae in Evangelio Ebionitarum et in Tatiani Diatessaro defuisse atque in nonnullis codicibus graecis superstitibus desiderari. Quam leves hae dubitandi rationes sint, agendi modus hodiernorum rationalistarum demonstrat, qui narrationes illas inter fabulas quidem relegant, sed a reliquo Evangelio separare non audent, quia idem sit in toto primo Evangelio stylus, idem narrandi modus, idem finis. Ceterum Matthaei et Lucae narrationes facillime conciliantur (§ 6,4 p. 496), Ebionaei ob errores suos illa capita reiecerunt, Tatianus autem ea habuit, et codices in auxilium vocati tam pauci sunt numero et tam parvae auctoritatis, ut eorum solo testimonio nihil effici, ipsi adversarii fateantur.

Quaestio III. — De primi Evangelii lingua primitiva.

7. — *S. Matthaeum Evangelium suum scripsisse hebraice*, i. e. aramaica illa dialecto, quae Christi aetate inter Iudaeos palaestinenses vulgaris fuit et interdum syrochaldaica nominatur, unanimi consensu tradunt SS. Patres, quorum testimonium haud gravibus nonnullorum modernorum scriptorum obiectionibus non infirmatur.

Praeter *SS. Papiam* et *Pantaenum*, quorum testimonia supra iam attulimus, hebraicam primi Evangelii originem asserunt *S. Irenaeus* (c. Haer. III. 1.), *Origenes* in Matth. tom. I.), *Eusebius* (H. E. III. 23; Quaest. evang. 2,1), *S. Cyrillus Ier.* (Cat. XIV. 15), *S. Ephraem* (Evang. concord. expos. ed. Moesinger p. 286), *S. Epiphanius* (Haer. 30,3; 51,5), *S. Chrysostomus* (in Matth. hom. 1,2), *S. Hieronymus* (in Matth. Prol. et saepius), *S. Augustinus* (de Cons. Evang. I. 2), *Ps. Athanasius* (Synops. S. S. 76) et iuniores omnes.

Erasmus (in Matth. 8,17) et *Caietanus* (in Matth. Prol.) primi hanc traditionem impugnarunt et sequaces habuerunt omnes fere antiquos Protestantes, quibus persuasum erat, primigenium libri inspirati textum non posse interire. Hodie tamen cum catholicis interpretibus tantum non omnibus etiam multi acatholici hebraicam, vel potius aramaicam aut syrochaldaicam[1], fuisse linguam primige-

(1) *Petr. Schegg* (Evangelium nach Matth. übersetzt u. erklärt. München 1863. I. p. 13 sqq.) solus fere Matthaeum antiqua lingua hebraica librum suum scripsisse censet, quia illa aetate liber de religione tractans, in quo Vetus Test. frequenter allegetur, a Iudaeo et pro Iudaeis non nisi antiqua lingua sancta conscribi potuerit. At licet non negemus, rabbinos ea aetate (aut saltem paullo post) in suis libris theologicis antiquam

niam Evangelii defendunt. Immerito enim adversarii omnia Patrum testimonia a solo Papia dependere asserunt, quem virum « admodum parvi ingenii fuisse » testetur Eusebius (H. E. III. 39); nam nec Pantaenus, qui hebraicum textum in India invenit, nec S. Hieronymus, qui se hebraico textu usum esse asserit, nec Origenes, qui suam scientiam ex eadem traditione derivat, ex qua certitudinem suam de quaternario Evangeliorum numero hausit, ullo modo a S. Papia dependent, nec alios ab eo dependere argumentis demonstratur. Ceterum magna ingenii vis non requiritur, ut aliquis hebraicum librum a graeco discernat, et Eusebii iudicio de parvo Papiae ingenio auctoritas Irenaei recte opponitur, qui S. Papiam viderat magnaque cum veneratione de eo loquitur (c. Haer. V. 33).

At S. Matthaeus, inquiunt adversarii, non ignoravit, graecum Evangelium multo utilius fore, quam hebraicum vel aramaicum; ergo graece, non hebraice, scripsit. Eodem argumento, ni fallor, aliquis demonstrare poterit, S. Paulum non solis Romanis aut Corinthiis etc. suas epistolas scripsisse, sed omnibus fidelibus, neque graecam tantum earum editionem fecisse, sed eas in omnes linguas transferendas curasse. S. Matthaeus, uti statim videbimus, Evangelium suum Iudaeis palaestinensibus proxime destinavit ideoque eam linguam adhibuit, quae in Palaestina eo tempore vulgaris erat.

Porro graecum Evangelii textum indole versionis carere, multis argumentis ostendere conantur. Aliquibus enim hebraicis expressionibus additam esse interpretationem monent; sed idem in versionibus obtinet (cfr ex. gr. 1 *Reg.* 7,12 in *Alex.*, et *Gen.* 35,18 aut *Apoc.* 9,11 in *Vulg.* etc.). Stylum primi Evangelii similem esse stylo secundi addunt; ac si interpres primi Evangelii stylum secundi imitari non potuisset (ceterum cfr infra § 5). Paranomasias graecas in primo Evangelio legi clamant atque tribus exemplis (6,7. 16; 21,41) confirmant, ex quibus prima et tertia etiam in Vulgata adsunt. Quibus aliisque similibus argumentis praetermissis illud unum consideratione videtur dignum, quod ex allegationibus desumitur; etenim verba Veteris Test. partim iuxta hebraicum textum, partim iuxta alexandrinam versionem allegari dicunt; Matthaeum autem, si hebraice scripsisset, graecum textum adhibere non potuisse. At ne hoc quidem argumento res definitur; neque enim si omnes allegationes ex hebraeo essent desumtae, hebraica origo Evangelii demonstraretur, nec graeca, si omnes cum alexandrina versione consonarent; eodem enim modo, quo auctor, interpres alterutro textu uti potuit, quia uterque etiam inter palaestinenses Iudaeos erat cognitus. Multo minore autem cum iure afferuntur, quia non idem allegandi modus observatur. In genere verba illa, quae in sermonibus relatis occurrunt, propius ad alexandrinum textum accedunt, illa autem, quae ab Evangelista ipso afferuntur, magis cum primitivo concordant; unde coniicere licet, graecum interpretem sermones relatos velut documenta publica tractasse ideoque verba Veteris Test. in iis allegata secundum authenticum Ecclesiae textum, i. e. versionem alexandrinam, reddidisse, reliqua vero ab Evangelista ipso allata ex exemplari aramaico, quod prae manibus habuit, fidelius reddidisse.

Ultimo in loco obiiciunt adversarii, neminem umquam hebraicum Evangelii

linguam adhibuisse, monemus tamen, illam solis doctioribus ea aetate cognitam fuisse, populum autem illam ignorasse; porro S. Matthaeum nec ipsum doctum rabbinum fuisse nec doctis rabbinis librum suum destinasse; illam igitur linguam adhibuisse rectius asseritur, quae tum temporis in Palaestina vulgaris fuit et qua utebantur ipsi interpretes, qui in synagogis lectionem Legis hebraicam populo interpretabantur.

textum vidisse, nullam ecclesiam illo esse usam; attamen haec erronee asseruntur. Tantum enim abest, ut nullum eius vestigium in antiquitate inveniatur, ut textus hebraicus usque ad saec. 5. in eorum Christianorum, qui hebraico libro uti potuerunt, usu continuo fuerit. Namque Ebionitarum et Nazaraeorum sectae, quae post Ierosolymorum destructionem ex antiqua ecclesia iudaeochristiana exortae sunt, Evangelium S. Matthaei hebraicum, quod eousque Ierosolymis adhibitum erat, retinuerunt, sed pro haereticorum more mutilaverunt. Id evidenter elucet ex *S. Irenaei* (c. Haer. I. 26), *Eusebii* (H. E. III. 27), *S. Epiphanii* (Haer. 30,3. 13; 29,9), *S. Hieronymi* (de Vir. ill. 2. 3; in Matth. 12,13; c. Pelag. III. 2) testimoniis; immo S. Epiphanius Ebionaeorum librum in manibus habuit et S. Hieronymus Nazaraeorum Evangelium graece et latine vertit. Quod vero archetypon hebraicum non sit conservatum, id non plus admirationis habet, quam quod aliorum librorum sacrorum (Ecclesiastici, Tobiae, Iudith etc.) archetypa perierint; nisi Iudaei nobis eas conservassent, probabiliter omnes hebraicae Scripturae iam dudum deperditae essent.

8. — A quo primigenium Evangelium S. Matthaei graece sit translatum, ignoratur; certum autem est, graecam eius versionem iam apostolica aetate esse adornatam et publica cum auctoritate adhibitam, ita ut authentica merito habeatur.

De interprete antiqui Patres nihil tradunt; iuniores dumtaxat aut *Iacobum* fratrem Domini (*Ps. Athan.*, cum nonnullis codd. graec.) aut *Ioannem* Apostolum (*Theophyl.* cum aliis codd. gr.) nominant, moderni aliqui ipsum *Matthaeum* Evangelium suum non tam graece vertisse quam retractasse coniiciunt. Verum cum S. Hieronymo (de Vir. ill. 3) fatentes « non satis certum esse, quis illud in graecum transtulerit », pro certo asserimus, versionem apostolica aetate esse factam; id enim clare docent textus ab apostolicis Patribus, Clemente Rom., Ignatio, Polycarpo, auctore Doctrinae Apost. adhibiti, qui textum nostrum graecum supponunt; id quoque elucet ex S. Papiae testimonio allato, qui dicens : « *transtulit* (ἡρμήνευσε) illa unusquisque, prout potuit », ostendit, suo tempore non amplius unumquemque sibi ipsum versionem adornasse, ergo unam adfuisse, quae ab omnibus recepta pro authentica habebatur. Cuius authenticitatis ratio in eo videtur quaerenda, quod versio illa a persona publica sit facta; improbabile igitur non est, Apostolum aliquem fuisse interpretem, atque hac ratione facilius explicatur, cur Christiani minorem primigenii textus curam habentes illum interire siverint.

Quaestio IV. — De destinatione et fine primi Evangelii.

9. — Quod SS. Patres tradunt, S. Matthaeum « Evangelium *in Iudaea* hebraeo sermone edidisse *ob eorum vel maxime causam, qui in Iesum crediderant ex Iudaeis* » (*S. Hier.*), id tota libri indole plane confirmatur.

Eodem modo, quo *S. Hieronymus* (in Matth. Prol.; de Vir. ill. 3), Iudaeis palaestinensibus ad fidem conversis primum Evangelium proxime destinatum esse, tradunt *Origenes* (in Matth. tom. I.), *Eusebius* (H. E. III. 24), *S. Chrysostomus* (in Matth. hom. 1,3), *S. Gregorius Naz.* (Carm. I. 12). A quibus specie potius, quam re, dissentit *S. Irenaeus* (Fragm. 29), si innuere videtur, Iudaeorum nondum conversorum gratia primum Evangelium conscriptum esse. Nomine Iudaeo-

rum enim, quo utitur S. Irenaeus, vel Hebraeorum, haud raro Patres designant Iudaeochristianos, et altera ex parte nullus, opinor, Pater contradiceret, si « omni domui Israel » Evangelium nostrum destinatum esse assereretur, i. e. Iudaeis conversis, ut in fide confirmarentur, Iudaeisque nondum conversis illis, qui praedicationem evangelicam non respuerant ideoque veris Israelitis adnumerari merebantur, ut ad fidem adducerentur.

Revera S. Matthaeum contribules suos prae oculis habuisse, ex eo iam elucet, quod illud integrum Veteri Test. superstruxerit; plus *septuagies* enim veteres Scripturas adhibet et quadraginta textus accurate iuxta lectionem sive hebraicam sive alexandrinam allegat, reliqui vero tres Evangelistae simul sumti *quadraginta novem* dumtaxat textus allegant, nec umquam hebraica lectione utuntur; Marcus et Lucas quoque in solis fere sermonibus relatis textus Veteris Test. afferunt nec usquam ipsi ex iis argumentantur. Accedit quod Matthaeus mores consuetudinesque Palaestinensium et topographiam Palaestinae lectoribus suis cognita supponit, id quod clarius apparet, si primum cum duobus aliis synopticis Evangeliis comparatur. Ex. gr. S. Marcus frequentes Iudaeorum lotiones fusius describit et quid sit Corban vel Corbona, Parasceve etc. explicat (*Marc.* 7,2-6. 11; 15,42), Matthaeus autem explicationes omittit (*Matth.* 15,1 sqq.; 27,6. 62). Simili modo Lucas notas geographicas de Nazareth, Bethlehem, terra Gerasenorum, Arimathaea, Emmaus inserit, quas iterum Matthaeus velut superfluas omittit (*Luc.* 1,26; 2,4; 8,26; 24,13; 25,15; contra quae cfr *Matth.* 2,16. 18; 3,1; 4,12 sqq.; 8,28; 27,57); sed Matthaeus solus Ierosolyma vocat « sanctam civitatem » (4,5; 27,53). Porro in sermone montano (5,22 sqq.; 34 sqq.; 6,2. 5. 16), in parabolis (22,11 sqq.; 25,1 sqq. etc.), in narrationibus (9,23 [cfr *Marc.* 5,38 et *Luc.* 8,52]; 27,16 [*Marc.* 15,7; *Luc.* 23,19]; 24,2 [*Marc.* 13,1; *Luc.* 21,5] etc.) quam plurima occurrunt, quae nisi Palaestinensium consuetudines et temporis illius historia cognitae fuissent, intelligi non potuissent.

10. — Recte autem moderni interpretes cum antiquioribus censent, S. Matthaeum finem dogmaticum sibi in Evangelio proposuisse atque demonstrare voluisse, *Iesum esse Messiam in Lege promissum.*

SS. Patres quidem (excepto S. *Irenaeo* fragm. 29) de fine S. Matthaei vix loquuntur; inde autem a saec. 16. omnes interpretes cum S. Irenaeo consentiunt, Evangelistam Iudaeis Iesu messianitatem demonstrare voluisse. Re enim vera continuo ad vetera vaticinia provocat, ut illa in Iesu vita ostendat esse adimpleta; plus *viginti* diserte allegat, multorum aliorum, quae utpote omnibus nota non allegat, adimpletionem insinuat; ex. gr. genealogiam Iesu per Davidem ad Abraham reducens simul promissiones messianicas patriarchis et Davidi datas in memoriam revocat. Ne quis vero obiiciat, alios quoque Evangelistas vaticiniis uti, adnotamus, in secundo *quinque* tantum et in tertio *octo* legi, in utroque autem omnia *uno* excepto (*Marc.* 1,2; *Luc.* 3.4) non ab Evangelistis ipsis, sed a Domino in sermonibus relatis adhiberi; cur S. Ioannes in historia passionis plura afferat, cfr § 7,8. 9. p. 506.

11. — Neque tamen dogmaticus tantum fuit Evangelistae finis, sed etiam apologeticus et polemicus, qui toto Evangelio considerato hac ratione describi potest : « *Imagine vera et genuina Messiae regnique messianici delineata demonstratur, Iesum quidem esse verum Messiam Ecclesiamque ab eo fundatam regnum esse messianicum per prophetas Iudaeis*

olim promissum; neque tamen esse mirandum, quod hic Messias a principibus populi sui magnaque Iudaeorum parte non sit agnitus, quoniam suis ipsi praeiudiciis et peccatis a salute messianica sese excluserint ».

Iudaei ad fidem in Iesum tamquam in Messiam sibi promissum adduci non potuerunt, nisi eorum de Messia regnoque messianico ideae corrigebantur. Scripturas carnaliter interpretati Messiam sibi finxerant e davidica stirpe oriundum, qui davidico throno restabilito omnes gentes esset subiecturus populoque suo summam prosperitatem temporalem allaturus. Pharisaeorum secta, quae tunc temporis praevalebat, de sanguine suo abrahamitico et de Lege, quam placitis suis paene everterat, superbiens omnes ethnicos a salute messianica excludebat. Attamen paucis iam post Domini resurrectionem annis neminem amplius latebat, maiorem Iudaeorum partem Evangelium respuere, gentiles autem magna cum aviditate illud recipere et, quamquam Legem non observabant, in Ecclesiam admitti. Quae omnia non tantum Iudaeos infideles ab Evangelio avertebant, sed partim etiam fidelibus tentationi esse poterant; ad haec igitur Apostolis, si inter contribules suos Evangelium propagare et Iudaeos conversos in fide confirmare volebant, attendendum erat, atque ad eadem attendere debuit S. Matthaeus, si « domui Iacob » Evangelium conscribere voluit. Eum autem ad haec attendisse et finem supra descriptum in suo libro prae oculis habuisse, attenta eius lectio docet. Namque

a.) multis vaticiniis messianicis in Iesu impletis eum Messiam esse demonstrans simul perversam Iudaeorum ideam messianicam corrigit, siquidem semper paupertatem et passionem Iesu insinuat; at ne « scandalo crucis » Iudaeos absterreat, in ipso paupere et patiente Messia ostendit eius gloriam. Ex ignota virgine nascitur, sed stella magos ex Oriente ad eum adducit; in Aegyptum fugere cogitur, sed Deus per angelum eius iter dirigit; adultus baptismum poenitentiae recipit, sed Pater eum Filium suum declarat; a diabolo tentatur, sed angeli ei ministrant etc. Non offensis igitur Iudaeorum eorum, qui bonae voluntatis erant, animis in paupere et despecto et patiente Iesu vaticinia impleta esse demonstrat.

b.) Simili ratione de regno per Iesum fundato agit S. Matthaeus pro regno temporali, quod exspectabant, eis spirituale ita ostendens, ut « scandalum crucis » semper molliat. Ipsum scilicet nomen, quo solus inter omnes scriptores sacros utitur, animos eorum elevat; « *regnum coelorum* » enim a Iesu in hac terra fundatum eis exhibet plus *tricies* hoc nomen usurpans. Pro terrena felicitate eos in hoc regno inventuros esse remissionem peccatorum docet statim a principio (1,21); primis verbis sermonis montani discunt neophyti, se in hoc regno a calamitatibus quidem terrenis non liberatum iri, sed ad felicitatem aeternam perventuros esse. In toto deinde libro indolem novi regni, hierarchicam eius dispositionem, bona quae afferet etc. ita describit, ut animos lectorum ad illud attrahat.

c.) Universalitatem quoque regni messianici ita docet, ut Iudaeorum animos non offendat, quum eadem ratione, qua S. Paulus (cfr *Act.* 13,46; *Rom.* 15,8 sq. etc.), Iudaeis primum ius ad regnum messianicum concedat. Procul dubio multa affert, quibus Legem ritualem per Christum abolitam esse insinuat et particularismum iudaicum impugnat; attamen Dominum quoque nomen suum Iesu accepisse refert, quia venit, « ut salvum faceret *populum suum* a peccatis eorum », eum ipsum asserere, se missum esse « ad solas oves, quae perierant *Domus Israel* » (15,24), eum Apostolos in prima eorum missione retinuisse, ne in viam gentium abirent, nec in civitates Samaritanorum intrarent, sed potius irent ad oves, quae perierunt domus Israel (10,5. 6) etc

d.) Attamen hisce integer Evangelistae finis contineri non potest. Etenim si Iudaeos conversos in fide confirmare, alios contribules, qui bonae erant voluntatis, ad Ecclesiam adducere voluit, necessario solvenda erat illa obiectio, quae ex Ecclesiae initiis sua sponte exoriebatur : quomodo fit, ut Iesus, si est verus Messias, a legitima populi auctoritate et maiore Iudaeorum parte non agnoscatur? cur in regnum messianicum, ad quod Iudaeis primum ius competit, pauci Iudaei et plurimi gentiles intrant? Revera hanc obiectionem S. Matthaeus continuo prae oculis habet eamque solvit per totum librum ostendens, Iudaeos et maxime eorum duces praeiudiciis et peccatis suis sibi ipsos viam salutis praeclusisse, gentiles maiore cum promptitudine ad eam se praeparasse. Piis illis pastoribus, quos primos ad Domini praesepe venisse refert S. Lucas, praetermissis S. Matthaeus Magis ex extremo Oriente accurrentibus opponit « principes et sacerdotes », qui Magis viam quidem ostendunt, sed ipsi socordes in vicina Ierusalem remanent. Vixdum Petrum caput Ecclesiae suae instituerat, Dominus se multa pati oportere praedixit « a senioribus et scribis et principibus sacerdotum », quam praedictionem repetiit ante ultimum suum iter ierosolymitanum (16,21; 20,18 sq.). Praedictioni autem eventum respondisse ostendit Matthaeus, quum in tota passionis narratione « seniores et principes sacerdotes » primas partes egisse et post mortem et resurrectionem Domini etiam discipulos eius calumniis persecutos esse referat. Attamen si ducum culpam multis refert, populi ipsius horrendum peccatum non prorsus tacet (27,25). Profecto Iudaei conversi, qui haec legebant, non poterant non admirari iusta Dei iudicia : « quia auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius » (21,28-31. 43), praesertim si ad fidem attenderunt, quam Dominus apud ethnicos inveniebat (8,5; 15,31; 27,54 cfr 11,21 sqq. etc.). — Cui ducum culpae addenda est perversa Pharisaeorum doctrina, ad quam utpote ad maximum Evangelii impedimentum primus Evangelista semper attendit. Pharisaicum spiritum, qui sanguine abrahamitico et externa Legis observatione confisus poenitentiam renuit, iam a S. Ioanne Bapt. impugnatum refert (3,7 sqq.); deinde Dominum ostendit pharisaicam iustitiam reiicientem (5,20 sqq.) continuoque cum Pharisaeis colluctantem, usque dum paucis ante passionem diebus vehementissimam illam orationem contra eosdem habuit, « qui claudunt regnum coelorum ante homines neque ipsi intrant nec alios sinunt intrare » (23,1-39). Qui ad haec omnia attenderit, facile concedet, Matthaeum etiam explicare voluisse, cur filii domus sint eiecti in eorumque loco extranei recepti.

Quaestio V. — De primi Evangelii ordine.

12. — Fini suo dogmatico et apologetico intentus S. Matthaeus in magna libri sui parte (4,12-14,12) temporum ratione seposita res gestas sermonesque Domini ex variis publicae vitae periodis colligit, ut Iesum esse Messiam demonstret; postquam vero thesin suam demonstravit et illustravit, ad chronologicum ordinem revertitur, quem in historia infantiae secutus erat.

Quicumque tria synoptica Evangelia inter se comparaverit, statim deprehendet, easdem res gestas eosdemque sermones Domini plane diverso nexu frequenter referri, ut evidens sit, non omnes chronologico ordine eas retulisse. Cum S. Augustino autem, quoniam S. Matthaeus eorum, quae narrat, testis immediatus fuit, multi olim in primo Evangelio ordinem chronologicum quaesiverunt; verum hodie

plerique eum ex tertio potius, quocum secundum fere consentit, esse desumendum, rectius censent. Etenim profecto nec omnia ea miracula, quae Matth. 8. et 9. narrantur, iisdem diebus esse patrata, nec omnes parabolas, quae Matth. 13, coniunguntur, eodem die esse pronuntiatas, satis clarum, opinor, est. Haud rarae quidem in primo Evangelio sunt particulae et formulae, quibus temporis ratio indicatur, at pleraeque vagae sunt (« tunc », « in illis diebus », « in illo die » etc.), atque ex hebraico loquendi modo potius ab uno argumento ad alterum orationem traducunt, quam tempus definiunt (cfr ex. gr. 3,1 « in *illis* diebus venit Ioannes B. praedicans » cum immediate praecedentibus, aut 11,25 « in illo die » etc. cum eadem narratione apud S. Luc. 10,21 etc.). Tam parum S. Matthaeus rerum gestarum tempora definit, ut ex eius solo Evangelio non appareat, num publica vita Domini uno anno sit terminata an secus. Itaque iure merito statuimus eum ante omnia, ut Iesum Messiam esse demonstraret, novum regnum describeret, Pharisaeorum oppositionem explicaret, ex tota vita publica argumenta collegisse, tum vero ad ordinem chronologicum ita revertisse, ut in seligendis saltem narrationibus semper finem suum prae oculis teneret.

13. — Evangelistae igitur fine et argumento spectatis Evangelium primum in quatuor partes apte distribuitur.

Pars prima (1,1-4,11) *illis, quae publicam Domini vitam praecesserunt et praeparaverunt, narratis animos disponit, ut Iesum esse Messiam agnoscentes doctrinam eius amplectantur.* Itaque

1. vaticiniis, quae partim refert partim supponit (2 *Reg.* 7,12 sqq. etc.; *Gen.* 12,13 etc.; *Is.* 7,14; *Mich.* 5,2; *Num.* 24,17; *Os.* 11,1; *Ier.* 31,15; *Is.* 11,1), in puero Iesu impletis eum Messiam esse docet (1,1-2,23),
2. atque praedicatione Ioannis Bapt. (cfr *Is.* 40,3) et Iesu baptismo, ieiunio, tentationibus vitam publicam praeparatam esse ostendit (3,1-4,11).

Pars altera (4,12-14,12) *ex vita publica Iesu argumenta colligit, quibus Iesus esse Messias demonstratur, Pharisaeorum oppositio explicatur, indoles regni messianici illustratur.*

1. Pro huius partis introductione Evangelista vaticinio (Is. 9,1) impleto obiectionem, Messiam ex Galilaea non esse venturum, praeoccupat atque huius partis summarium indicat (4,12-25).
2. Deinde sermone montano relato docet Iesum fuisse doctorem et legislatorem (cfr *Deut.* 18,15), qui ad antiquam Legem perficiendam advenerit, sed simul innuit oppositionem, quae inter Iesu discipulos et inter antiquae Legis corruptores futura sit (5,1-7,29).
3. A divina doctrina ad divina eius opera transiens Iesum ostendit fuisse miraculorum patratorem. Miraculis autem multis collectis vaticinia (Is. 53,4) in Iesu impleta demonstrantur (8,1-17), animi ad potentissimum et benignissimum Dominum alliciuntur (8,18-9,8), Pharisaeorum perversitas panditur, qui magna eius signa daemoni adscribere audeant (9,9-34).
4. Novi regni fundatorem Iesum demonstrat apostolici muneris institutione et Apostolorum, quos Iesus novos duces populo dedit, praeparatione ad primam missionem narratis (9,35-10,42), adumbratis difficultatibus, quas novum regnum quum in cordis duritie Iudaeorum opera messianica ab Is. 35,5 sqq. praedicta non agnoscentium tum in crescente Pharisaeorum, qui se in peccato contra Spiritum S. constitutos exhibuerunt, oppositione invenit (11,1-12,50), descripta demum novi regni indole septem parabolis (13,1-52).

5. Pro huius partis conclusione duo facta refert, quibus elucet, nec Domini sapientiam cognitam nec eius miracula agnita sufficere, ut aliquis in eius regnum intret (13,53-14,12).

PARS TERTIA (14,13-20,28) *maxime agit de novo regno fundando et de Apostolorum, qui futurae Ecclesiae praesides erant destinati, ad munus hoc obeundum praeparatione.*

1. Ut novo muneri aptos eos reddat, Iesus Apostolos duobus magnis miraculis adducit, ut divinam suam naturam clarius cognoscant et aperte profiteantur (14,13-34), eosque deinde ab omni Pharisaeorum societate et prava doctrina arcet (15,1-16,12).
2. Qua ratione praeparatos ad divinae suae naturae professionem provocat, et postquam Petro futurae Ecclesiae primatum promisit, eis passionem suam apertius praedicit, atque eorum fidem, ne scandalizentur, sua transfiguratione et novis miraculis confirmat (16,13-17,27).
3. Demum quum in Galilaea tum in itinere ad ultimum pascha eos edocet, quomodo tamquam Ecclesiae praesides sese gerere debeant (18,1-20,28).

PARS QUARTA (20,29-28,20) *antiquae synagogae, quae Messiam suum non tantum non agnovit, sed ignominiosae morti tradidit, completam reiectionem et novae Ecclesiae fundationem narrat.*

1. Partem hanc, quae de passione maxime agit, Evangelista incipit a tribus narrationibus, quarum duae primae (de sanatione caecorum in Iericho et de sollemni ingressu in templum) « scandalum crucis » removent (20,29-21,17) et tertia (de maledictione ficus sterilis) reiectionem synagogae praefigurat (21,18-22).
2. Sequuntur Domini disputationes cum Pharisaeis et Scribis, quae sollemni eorum condemnatione terminantur (21,23-23,39).
3. Populus cum ducibus suis Messiam respuerat, ideo Dominus ad illos sermonem non amplius convertit, sed Apostolos de iudicio, quo Ierusalem punietur, et de ultimo iudicio edocet, ut sciant, quomodo in priore se gerere et ad alterum se praeparare debeant (24,1-25,46).
4. Passionem demum et resurrectionem Domini ita narrat Evangelista, ut vaticinia (*Ps.* 40,10; *Zach.* 13,7; *Is.* 53,10; *Thren.* 4,20; *Zach.* 11,12 sqq. et *Ier.* 18.32. sq.; *Ps.* 21.) impleta demonstret et culpam voluntariamque caecitatem principum clarius manifestet, qui ipsa resurrectione, quam negare non potuerunt, ad resipiscentiam non sunt adducti (26,1-28,15).
5. Itaque iis neglectis Dominus Apostolos mittit, ut omnes gentes in Ecclesiam recipiant (28,16-20).

QUAESTIO VI. — Quo loco et tempore S. Matthaeus Evangelium scripserit.

14. — Cum Patribus consentiunt interpretes recentiores, primum Evangelium in Iudaea ac probabiliter Ierosolymis esse conscriptum. Quo autem tempore sit exaratum, nec Patrum testimonia nec internae rationes extra dubitationem ponunt; probabilior tamen sententia ultimos annos quintae decadis aer. christ. (44.-50.) indicat.

Unanimi consensu tradunt Patres, S. Matthaeum Iudaeochristianis palaestinensibus suum Evangelium destinasse, quam traditionem indoles libri confirmat; quapropter etiam de loco, quo scriptus est, non potest dubitari, neque opus est,

diserta Patrum testimonia afferre, quibus Iudaeam tamquam editionis locum nominant. De tempore editionis autem duo Patrum consensu extra dubium poni videntur : Matthaeum ante reliquos Evangelistas scripsisse eumque librum suum edidisse, antequam Palaestinam relinqueret, ut inter gentiles praedicaret. At de anno scriptionis nihil ex dissentientibus antiquorum et modernorum testimoniis desumi potest; quibus igitur relictis, videndum est, annon ex libro ipso tempus originis eius definiatur.

Iam vero certum est, saltem *aliquot* annos a resurrectione Domini usque ad libri originem effluxisse; « usque ad hodiernum diem » enim agrum « pretio sanguinis » emtum Haceldama vocari et calumniam de corpore Domini a discipulis ablato inter Iudaeos spargi asseritur (27,8; 28,15). Gravius est, quod Evangelista per totum librum explicare studet, undenam factum sit, ut Iudaei, quibus proxime Messias erat promissus, a regno messianico videantur exclusi, gentiles autem plurimi intraverint. Quae explicatio, quamdiu inter solos Iudaeos Evangelium praedicabatur, necessaria non fuit; requirebatur vero, quando primum Antiochiae, deinde in Asia Minore Barnabas et Paulus plurimos ethnicos converterant; atqui conversiones illae intra annos 40. et 49. factae sunt (*infra* § 13,3 p. 523 sq.), atque primum iter apostolicum in Asiam Min. S. Paulus ante a. 44. immo 46. non suscepit. Hinc etiam primum Evangelium antea scriptum non esse videtur. — Inter modernos interpretes aliqui ob *S. Irenaei* auctoritatem (c. Haer. III. 1) S. Matthaeum librum suum eo tempore scripsisse tenent, quo SS. Petrus et Paulus Romae simul degebant, i. e. intra an 60. et 67.; attamen verba S. Irenaei, si recte explicantur, cum communi Patrum sententia plane consonant.

§ 3. — *De Evangelio secundum Marcum*

Quaestio I. — De S. Marci Evangelistae vita.

1. — Ioannes « qui cognominatus est *Marcus* », filius Mariae, mulieris cuiusdam ierosolymitanae (*Act.* 12,12), et consobrinus Barnabae (*Col.* 4,10) ac proin ex levitico genere ortus (cfr *Act.* 4,36), socium sese adiunxit Paulo et Barnabae in primo eorum itinere apostolico, sed eos mox reliquit Ierosolyma revertens (*Act.* 12,25-13,13). Quapropter Paulus eum in secundo itinere socium adhibere noluit et Marcus cum Barnaba profectus est in Cyprum (*Act.* 15,36 sqq.). Postea Petro, a quo, ut videtur, baptizatus erat (cfr 1 *Petr.* 5,13), socium sese adiunxit, quocum (Babylonem i. e.) Romam venit, ubi etiam S. Paulo utile ministerium praestitit (*Col.* 4,10; *Philem.* 24; 2 *Tim.* 4,11).

A modernis scriptoribus disputatum est, utrum in Scriptura de uno dumtaxat Marco sermo sit, an duo potius sint distinguendi : *Ioannes Marcus*, Mariae ierosolymitanae filius, Barnabae consobrinus Paulique socius, atque *Marcus*, socius Petri et auctor Evangelii. Cum sententia communiore rectius tenetur, eundem Marcum Petri et Pauli socium fuisse. Quae enim in Scripturis de Marco aut Ioanne Marco dicuntur, de eadem persona optime explicantur; inter Patres vero aliqui (*S. Hieron.* in Philem. 24; *Vict. Ant.* in Marc. Praef.; *Alex. Mon.* Laudatio Barnabae 22) eundem Marcum Petri et Pauli socium fuisse clare tradunt, sed « nullus scriptor antiquus probae notae pro contraria sententia recte est allegatus » (*Stilting* Acta Sanct. Sept. VII. 356)

2. — Praeter haec, quae ex Scripturis sunt hausta, nihil certi de S. Marco est traditum, nisi eum secundi Evangelii esse auctorem.

Ex septuaginta discipulis S. Marcum fuisse, Ps. Epiphanius scribit, reliquis Patribus contradicentibus, qui cum S. *Papia* (*Eus.* H. E. III. 39) eum numquam Dominum audisse aut sectatum esse asserunt; revera iuvenis videtur fuisse, quando quindecim circiter annis post Domini resurrectionem Barnabae et Paulo socium se adiunxit. Quamdiu S. Petri socius fuerit, difficile est dictu, quia chronologia temporis apostolici incertissima est; « iam dudum » eum cum Principe Apostolorum esse versatum, antequam Evangelium scripsit, tradit *Clemens Alex.* (*Eus.* H. E. VI. 14) et insinuant reliqui tantum non omnes, qui de origine secundi Evangelii loquuntur. Probabiliter ex secundo suo itinere cum Barnaba in Cyprum suscepto Ierosolyma redux socius factus est S. Petri, qui a. 51. concilio apostolico praefuerat, et cum eo versatus est ab a. 52. usque ad S. Pauli primum in Urbem adventum (a. 61.). Ministerio eius ad novas ecclesias fundandas usus esse S. Petrus fertur; alexandrinam ab eo fundatam esse tradunt multi veteres, quamvis de anno fundationis inter se valde dissentiant. Neque maior est antiquorum testium consensus de anno mortis vel martyrii eius; S. Hieronymus iam a. 8. Neronis (a. 62.), alii a. 14. Neronis (a. 68.), alii Traiani tempore (intra a. 98.-117) eum vitam martyrio finivisse scribunt.

QUAESTIO II. — De secundi Evangelii authentia et integritate.

3. — Secundum Evangelium scriptum esse a S. Marco iuxta S. Petri praedicationem inde ab apostolica aetate consensu unanimi tradunt Patres, inter quos *S. Papias* antiquitate et auctoritate eminet.

S. Papiae verba, quae Eusebius (H. E. III. 39) nobis conservavit, integra afferre non inutile est: « Presbyter ille (sc. Ioannes Apostolus), inquit, dixit etiam haec: Marcus, Petri interpres, Christi dicta et facta accurate quidem conscripsit, non tamen ordine. Neque enim Dominum audiverat neque secutus erat, sed postea, ut dixi, Petrum, qui pro (audientium) necessitate doctrinas tradidit, minime vero ut sermonum Domini seriem completam contexeret. Quare nullo modo peccavit Marcus, *nonnulla* ita scribens (οὕτως ἔνια γράψας), prout eorum recordatus est. Ad id unum enim attente invigilavit, ne quid eorum, quae audierat, praetermitteret neve in iis falleret ». Quamvis Eusebius verba haec afferat, ut secundi Evangelii originem explicet, moderni tamen « critici » illa de eo intelligi posse negant et de primitivo quodam scripto, quod nostri libri sit fundamentum, intelligenda esse contendunt, quia in nostro Evangelio ordo, quem in altero illo defuisse asserat Papias, minime desideretur, multa vero desint, quae S. Petrus procul dubio narravit, siquidem ipsius personam et auctoritatem spectant; insuper Evangelium nostrum a primo et tertio dependere, ergo ex praedicationibus Petri non esse haustum monent. Attamen *a.*) non omnem ordinem negat S. Papias, sed « *nonnulla* » a Marco ita esse scripta dicit, prout eorum recordatus est, in *nonnullis* igitur debitum ordinem non esse servatum; id quod verissimum est, si chronologicus ordo (σύνταξις) intelligitur, uti ex infra dicendis apparebit (*Quaest.* IV.). *b.*) Ea ipsa, quae de Petri persona et auctoritate in secundo Evangelio deesse monent « critici », nobis argumento sunt, illud ex Petri praedicationibus esse exortum; ob modestiam enim Petrum illa praetermisisse, clarum est. *c.*) Eodem modo,

quo aliqui secundum Evangelium a primo et tertio dependere asserunt, alii primum et tertium a secundo dependere dicunt; quaenam autem relatio inter Synopticos intercedat, infra (§ 5.) inquiremus.

Cum S. Papia plane consentiunt exeunte saec. 2. S. *Irenaeus* (c. Haer. III. 1 « Marcus, discipulus et interpres Petri, illa quae a Petro annuntiata erant, literis tradidit »), *Clemens Alex.* (H. E. VI. 14 fusius eadem explicans), *Origenes* (in Matth. tom. I. « Marcus, prout Petrus ipsi exposuerat, in literas retulit »), *Tertullianus* (c. Marc. IV. 5 « Evangelium quod Marcus edidit, Petri affirmatur, cuius interpres Marcus »), atque eodem modo loquuntur iuniores Patres omnes. Quibus testimoniis adiuti, etiam medio saec. 2. Evangelium nostrum adhibitum esse, facile demonstramus. Etenim filios Zebedaei a Domino cognominatos esse filios tonitrui, S. *Iustinus M.* legit in « commentariis Petri » (c. Tryph. 106); atqui nomine « commentariorum Apostolorum » a S. Iustino Evangelia designari, inter omnes constat, rem autem ab eo commemoratam solus Marcus (3,17) retulit; eius igitur Evangelium sub titulo commentariorum Petri allegavit S. Martyr; ceterum ei integrum Evangelium nostrum cognitum fuisse, iure etiam ex eo colligimus, quod eius discipulus *Tatianus* illud integrum suo Diatessaro inseruit.

Inter Patres apostolicos autem, praeter S. Papiam, nullus reperitur, qui nostro Evangelio certum testimonium ferat; neque id admodum mirum, quoniam res a S. Marco relatae tantum non omnes etiam in primo aut tertio aut utroque Evangelio leguntur, et Patres apostolici libero plerumque modo Evangelia citant ad sensum potius, quam ad verba attendentes. Magis minusve probabilia tamen testimonia leguntur in S. *Clementis Rom.* 2 Virg. 15 et *S. Hermae* Pastore (Vis. 3,7; Sim. 9,25), uti etiam in fragmentis haereticorum saec. 2., *Docetarum*, *Naassenorum* etc. (Philosoph. V. 8; VIII. 8); sed his non indigemus quum tam praeclarum S. Papiae testimonium possideamus.

4. — Originem, quam Patres secundo Evangelio assignant, tota libri indoles egregie confirmat, quatenus nimirum *Petro narrante* illiusque discipulo scribente eum compositum esse demonstrat.

Contra rationalistas *apostolica* maxime Evangeliorum origo vindicanda est, atque Marcum fuisse scriptorem sine ulla difficultate concedent, si apostolico tempore iuxta Petri praedicationem librum compositum esse fateri cogantur. Iam vero apostolicam et maxime petrinam Evangelii originem confirmat eius indoles. Praeprimis enim inter Evangelia nullum minutas loci, temporis, personarum circumstantias nostro accuratius refert aut descriptionibus suis ad vivum quasi expressis testem ocularem clarius manifestat. Ex. gr. legatur 1,29 sqq. et cfr. *Matth.* 8,14-17 et *Luc.* 4,38-44 (« venerunt in domum Simonis *et Andreae cum Iacobo et Ioanne;* decumbebat autem socrus Simonis febricitans *et statim dicunt ei de illa;* et accedens elevavit eam *apprehensa manu eius*... Vespere autem facto, *quum occidisset sol*, afferebant ad eum omnes male habentes... *et erat omnis civitas congregata ad ianuam... Et diluculo valde* [πρωὶ ἔννυχα λίαν] surgens egressus abiit... *Et prosecutus est eum Simon et qui cum illo erant;* et quum invenissent eum, dixerunt ei : *Omnes quaerunt te* » etc.).

Porro uti in hoc loco, ita per totum Evangelium accuratior est narratio, si res referuntur, quae Petrum ipsum attingunt; licet autem plurima eiusmodi narrentur, illa tamen silentio praetermittuntur, quae Petro maiori laudi erant, alia vero, quae ei vituperio erant, diligentius indicantur. Post primam panum multiplicationem Dominum supra mare ambulasse, narrat Marcus, sed Petrum a Domino in-

vitatum supra aquas ad eum accessisse tacet (6,49 sqq. cfr *Matth.* 14,26 sqq.); Petri fidei professionem narrat nec gravissimam increpationem omittit, in quam brevi postea incurrit, sed primatus promissionem, quam inter duo illa facta inserit Matthaeus, transilit (8,29-33 cfr *Matth.* 16,16-22); trinae negationis praedictionem accurate affert, sed mandatum confirmandi fratres, quod immediate antea acceperat Petrus, omittit (14,26-32 cfr *Luc.* 22,31-34). Petrum inter Apostolos primum locum tenuisse, ex tota quidem narratione apparet, at dum reliqui omnes Evangelistae aut promissionem aut collationem primatus diserte tradunt, eius explicita mentio non fit in secundo Evangelio, quod vicissim trinam negationem fusius et accuratius, quam reliqua, narrat (14,66-72). Rectissime autem *Eusebius* (Dem. evang. III. 5), *S. Chrysostomus* (in Matth. hom. 58,2; hom. 85,1) aliique omissionem eorum, quae Petro maiori laudi erant, et accuratiorem narrationem aliorum, quae ei erant vituperio, Apostolo ipsi attribuunt eiusque humilitatem admirantur.

Demum nostrum Evangelium omnino formae rationique praedicationis evangelicae respondet, qualis a Petro describitur. Nam suum librum Marcus immediate a praedicatione Ioannis B. incipit narrationemque usque ad ascensionem Domini perducit; totus autem in eo est, ut Iesu divinitatem supremumque eius dominium maxime in daemones, demonstret. Atqui hi limites et hoc argumentum apostolicae inter gentes praedicationi a Petro assignantur (*Act.* 1,21 sq.; 10,36-43).

5. — Evangelii clausula (*Marc.* 16,9-20) a modernis criticis plerisque spuria declaratur, quia in nonnullis codicibus desit, ab aliquibus Patribus addubitetur, stylo suo a reliquo libro differat. At non tantum externorum testium auctoritas sed internae quoque rationes eam in dubium revocari vetant; quapropter Concilium Tridentinum iure merito eam velut genuinam Evangelii partem canonicam esse pronuntiavit.

Ex Concilii Trid. historia constat, Patres in suo decreto « de canonicis Scripturis » enumerationi librorum verba « *integros cum omnibus suis partibus* » cum in finem addidisse, ut praeter alias Evangeliorum particulas etiam clausulam Marci tuerentur; ipsa autem verba (« cum omnibus *suis* partibus ») docent, illo clausulam pro genuina et authentica parte Evangelii habuisse atque ita etiam implicite eius authentiam ipsam vindicasse; quare catholico interpreti non licet, eam auctori integri Evangelii abiudicare. Neque rationes criticae id permittunt.

Etenim *a.*) duobus (B. ℵ) magnae utique auctoritatis codicibus exceptis omnes graeci libri eam continent et cum eis consentiunt omnes latini (uno excepto) syriaci, coptici etc. — Quibus *b.*) accedunt vetustissimi Patres; *S. Papias* (apud Eus. II. E. III. 39) ad eam iam alludere videtur; medio saec. 2. certe ad eam alludunt *S. Hermas* (Pastor Sim. 9,25) et *S. Iustinus M.* (Apol. I. 45), cuius discipulus *Tatianus* eam integram in Diatessaro exhibet (cfr *Aug. Ciasca* Tatiani harmonia arabice 53.-55.); exeunte saec. 2. et ineunte 3. eam diserte allegant *S. Irenaeus* (c. Haer. III. 10), *S. Hippolytus* (de Charism. 1.), auctor *Const. Apost.* (VI. 15; VIII. 1); *Origenes* autem (c. Cels. II. 45) eam iam ineunte saec. 2. a Celso adhibitam esse testatur. Quae testimonia omnibus codicibus antiquiora confirmantur a iunioribus Patribus; inter Latinos solus eam addubitavit S. Hieronymus, inter Graecos Eusebius, S. Gregorius Nyss., Victor Antioch., de quibus statim dicemus. — *c.*) Externis testimoniis consentiunt internae rationes. Neque enim dubium est, quin S. Marcus versu 9. (« et nemini quidquam dixerunt

timebant enim »?) librum suum terminare non potuerit; ergo dicendum est, Evangelistam aut opus suum imperfectum reliquisse, aut genuinam eius peroratiouem mox periisse, aut nostram esse genuinam; atqui duo priora temere asseruntur; nulla enim ratio excogitari potest, cur auctor librum suum non terminaverit, nec ullo modo explicatur, quomodo genuina peroratio medio saec. 1. conscripta statim perierit et eius in locum iam medio saec. 2. alia spuria in *tota* Ecclesia orientali et occidentali sit recepta. Porro etiam rationalistae plerique characterem petrinum secundi Evangelii admittunt; iure ergo concludimus, Marcum suae narrationi eosdem limites, quos Petrus, apostolicae praedicationi assignasse, i. e. a baptismo ad ascensionem, ab 1,1-16,20. Deinde, uti videbimus, Marcus Domini potentiam et dominium in daemones maxime exaltat; idem obtinet in nostra clausula (vv. 16-18). Demum inter apparitionem angeli (vv. 5-8) et tres Domini apparitiones (vv. 9-14) intimus est nexus aptissimaque gradatio, qua ostenditur, non temere aut leviter Apostolos resurrectionem Domini admisisse.

Ad adversariorum argumenta quod attinet, haec sunt notanda. *a.*) B. et ℵ pericopen quidem omittunt, sed Vaticanus in fine Evangelii spatium vacuum fragmento recipiendo sufficiens relinquit, licet inter reliquos libros nullum usquam spatium habeat, atque ita indicat, textum non esse completum; simile aliquid obtinet in Sinaitico, cuius folium, in quo finis Evangelii secundi habetur, ab eodem librario, a quo Vaticanus, conscriptum est; itaque non sunt duo testes, sed unus, isque incertus. *Codex L.*, qui in scholio adnotat, in nonnullis codicibus aliam clausulam legi, a Vaticano omnibus fatentibus plane dependet. — *b.*) S. *Hieronymus* (ad Hedib. ep. 120,3) clausulam « in raris ferri Evangeliis, omnibus Graeciae libris paene hoc capitulum non habentibus » asserens sibi ipse (c. Pelag. II. 15) contradicit, quum eadem verba « maxime in graecis codicibus » legi testetur, atque priora verba ex Eusebio transumsit; idoneus igitur testis non est. Neque idonei testes sunt S. *Gregorius Nyss.* et *Victor Antioch.*, qui eandem dubitationem ex Eusebio hauserunt; nam prior dubio illo spreto in eadem homilia versum ex eadem clausula sine ulla haesitatione desumit (de Resurr. 2.), et alter in plerisque perorationem deesse, sed « in accuratioribus » eam legi asserit. — *c.*) *Eusebius* (Quaest. ad Marin. 1.) utique diserte testatur « in cunctis fere exemplaribus » Evangelium verbis ἐφοβοῦντο γάρ terminari et clausulam « in aliquibus exemplaribus » dumtaxat inveniri; at eius testimonium non tantum antiquissimis multisque testibus, quos citavimus, contradicit, sed etiam minoris ponderis est, quatenus clausulam multo magis ob exegeticas, quam ob criticas, rationes in dubium vocavit; quae enim Marcus de tempore apparitionum dominicarum tradit, cum reliquorum narrationibus pugnare ei videbantur. Ceterum non negamus, Eusebii aetate in nonnullis codicibus (atque forte etiam in satis multis) pericopen defuisse; scilicet propter difficultates, quas eius initium creare censebatur, in ecclesiis nonnullis a lectione publica videtur esse exclusa ideoque in lectionariis aliisque codicibus lectioni publicae destinatis omissa. — *d.*) De internis adversariorum rationibus vix opus est dicere. De stylo enim pro suo quisque gustatu atque haud raro critici pro suis praeiudiciis iudicant. Procul dubio tres Domini apparitiones a Marco (16,9-14) summatim potius indicantur, quam narrantur, sed eodem prorsus modo indicat tantum tentationes Domini (1,13), primam Apostolorum missionem (6,7-13 cfr Matth. 10,54-3); inde a v. 15. autem consuetum narrandi modum tenet. Reliquae obiectiones levissimae sunt nec refutatione videntur indigere.

Quaestio III. — De Evangelii secundi destinatione et scopo.

6. — SS. Patres eadem cum unanimitate, qua iuxta Petri praedicationem Marcum Evangelium scripsisse dicunt, etiam eum Romae et Romanis illud scripsisse tradunt; ac revera non Iudaeis sed ethnicis conversis librum proxime esse destinatum, clare apparet, si cum Matthaei Evangelio comparatur.

Consentientem Patrum traditionem ad Clementem Alex. et Papiam provocans *S. Hieronymus* his verbis complectitur (de Vir. ill. 8) : « Marcus, discipulus et interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, Romae *rogatus a fratribus* breve scripsit Evangelium, quod quum Petrus audisset, probavit et ecclesiis legendum sua auctoritate dedit »[1]. Romanam autem libri originem nonnulli moderni charactere linguae, qua scriptus est, confirmari censent; plura enim, quam alii scriptores sacri, vocabula latina Marcus adhibuit explicatione non addita (12,42; 5,9; 6,27; 7,4. 8 etc.); nonnulla cognita supponit, quae Romanis potius quam aliis nota erant (*Marc.* 10,12 solus respicit legem romanam cfr *Matth.* 19.9 et Luc. 16,18; cfr etiam *Marc.* 15,1 cum Matth. 27,2 et *Luc.* 3,1; *Marc.* 15,21 cum *Rom.* 16,13). — Quibus rebus particularibus praetermissis, ad totum libri characterem attentionem convertamus. Primitivam ecclesiam romanam, saltem postquam imperator Claudius a. 51. Iudaeos ex Urbe expulit, multo plures numerasse, qui ex ethnicismo quam qui ex Iudaismo crediderant, immo integram fere ethnicochristianam fuisse, S. Literae satis docent (*Act.* 28,12; *Rom.* 1,5. 13 etc. cfr Diss. VIII. § 8,1); atqui talem ecclesiam auctor secundi Evangelii prae oculis habet. Etenim S. Matthaei quidem liber, se Iudaeis conversis esse destinatum, continuis Veteris Test. allegationibus ostentat; at eiusmodi testimonia a S. Marco paucissima in solis fere sermonibus afferuntur. Titulus « filii David », quo in primo Evangelio haud raro Messias designatur, a secundo fere exsulat; quae sit Veterem inter et Novam Legem relatio, in primo quidem fuse explicatur, Marcus autem doctrinam Iesu velut novam potius repraesentat (1,27 etc.). Porro consuetudines Iudaeorum lectoribus suis explicandas ducit (7,2; 14,12 etc.). parabolas autem, quae Iudaeorum consuetudinibus innituntur (*Matth.* 22,2 sqq.; 25,1 sqq. etc.), praetermittit; eadem ratione silentio premit aut leviter tangit ea, quae in Iudaeis ac maxime in Pharisaeis Dominus aut Ioannes B. reprehendunt (cfr *Marc.* 1,4 sqq. cum *Matth.* 3,7 sqq.; plane omittuntur *Matth.* 5,20; 7,15; 8,11 sq.; 12,38 sqq.; 21,28 sqq.; 23,1 sqq. etc.). Quae omnia cum iis, quae statim afferemus, non Iudaeis, sed ethnicis conversis Marcum scripsisse docent.

(1) Solus dissentit *S. Chrysostomus*, qui secundum Evangelium in Aegypto scriptum esse asserit (in Matth. hom. 1,3); sed quum rem obiter tantum attingat quaestionemque non magni momenti esse ibidem asserat, assertum eius lapsui memoriae attribuere possumus. — Altera quaestio a *Baronio* (Annal. ad a. 45. n. 39 sq.) aliisque mota est, annon secundi Evangelii, si Romae scriptum sit, lingua primitiva fuerit latina. Id revera asserit *S. Ephraem* (Exposit. concord. Evang. p. 286), quocum consentiunt aliquorum codicum subscriptiones; immo Venetiis et Pragae autographum Marci latinum conservari dicitur. In ultimo argumento autem praeteritum ponatur oportet; olim *dicebatur* autographum ibi conservari; exploratum autem est, folia illa non esse nisi fragmentum Codicis Foroiuliensis saec. 5. vel 6., qui hieronymianam correctionem Novi Test. sequitur. Ceterum praecipui latini Patres, *S. Augustinus* (de Cons. Evang. I. 2) et *S. Hieronymus*

7. — Id autem sibi proposuit S. Marcus, ut *adumbrata publica Domini vita et praecipue miraculis eius narratis eum esse Filium Dei demonstraret, cuius supremo dominio omnia atque ipsa daemonia sint subiecta cuiusque divina doctrina omnibus sit fide recipienda et retinenda.*

S. Augustinus (de Cons. Evang. I. 2) S. Marcum « pedissequum et abbreviatorem Matthaei » appellans innuere videtur, secundum Evangelium primi compendium quoddam esse. Sed si haec S. Doctoris fuisset mens, non tantum reliquis Patribus contradixisset, qui Synopticorum mutuam dependentiam negant, sed etiam ipso libro erroris convinceretur. Etenim diversus est utriusque libri ordo, diversa argumenti tractandi ratio; licet in secundo multa, quae in primo leguntur, desint et alia compendiosius narrentur, secundum tamen etiam aliquas res gestas addit atque in plerisque narrationibus, quas communes habent, primo fusius res narrat. Neque rectius alii Marcum dixerunt primum Evangelium complevisse aut supplevisse; neque enim appendicis aut complementi vel supplementi formam noster liber habet.

Finis igitur Evangelistae alia via definiendus est, quam nobis monstrant Patres asserentes, Marcum praedicationem Petri literis mandasse, eundem igitur finem in secundo Evangelio inveniri, qui in romana Petri praedicatione fuit. Porro quoniam magistri auditoribus suis sese accommodent necesse est, patet, Petrum Romae coram ethnicis aut proselytis iudaicis eandem docendi methodum non tenuisse, quam Apostoli Ierosolymis coram Iudaeis praedicantes tenuerant. Nec de Messia iis loqui potuit, qui Messiae aut nullam aut vagam et obscuram ideam habebant, nec Scripturarum testimoniis uti coram iis, qui Scripturas aut ignorabant aut pro divinis non habebant. Ut ethnicos auditores ad Dominum adduceret, divinam Iesu naturam supremumque dominium, cui ipsi daemones, ethnicorum dii, essent subiecti, demonstrare debuit. Hoc igitur S. Petrum sibi in suis romanis praedicationibus proposuisse iure admittimus, atque haec quoque est thesis S. Marci : « Initium Evangelii Iesu Christi, *Filii Dei* » (1,1).

Divinam autem Iesu naturam S. Petrus, uti ex nostro Evangelio apparet, Romanis demonstravit argumento, quod intellectu facillimum animisque ethnicorum abripiendis efficacissimum erat, *miraculis scilicet dominicis, quorum Apostoli testes immediati fuerant.* Omnibus fere, quae publicam Domini vitam praecesserant quorumque Petrus testis non fuerat, praetermissis S. Marcus thesin suam in inscriptione (1,1) et in adumbratione baptismatis Iesu (1,11) proponit, « testes a Deo praeordinatos » citat (1,14-20), ac statim medias in res nos abripit narratis Iesu miraculis (1,21-2,12; 3,1-12 etc.). Evangelium nostrum, quamvis primo longe sit brevius, non tantum omnia illius miracula (quatuor exceptis) continet nonnullaque nova addit, sed etiam in illis referendis aut nomina eorum, qui sanati sunt, aut alias loci temporisque rationes adnotat; ut maiorem autem attentionem ad miracula attrahat, turbarum quoque admirationem illis excitatam frequenter commemorat (1,27. 33. 45; 2,12; 4,10 etc.). In fine Evangelii iterum miraculis primum locum attribuit, atque enumeratione signorum, quae eos, qui

(ad Dam. Praef. in Evang.) *graecam* secundi Evangelii originem diserte testantur, atque praecipuum adversariorum argumentum (Romae Romanis non nisi latinum Evangelium scribi potuisse) erroneo nititur supposito; romanae enim Ecclesiae initia fuisse graeca et usque ad saec. 3. linguam liturgicam Romae non fuisse latinam sed graecam, alibi iam monuimus (*Diss.* II. § 12,2 p. 91).

crediderint, secutura sint (16,17. 18), id effecit, ut miracula, quae Romani ipsi a Petro patrari viderunt, divinae potestati Domini demonstrandae inservirent.

Alter quoque Evangelii character probe consideretur oportet; magna enim cum diligentia S. Marcus ostendit, *Iesum supremum dominium in daemones exercuisse,* quos velut deos ethnici colebant. Primum miraculum, quod narrat, est eiectio daemonis, qui Filio Dei testimonium reddere cogitur (1,23 sqq.), eodemque modo alia daemonia divinam Iesu naturam agnovisse refert (1,34; 3,11. 12; 5,7). Multo frequentius, quam reliqui Evangelistae, de daemonibus eiectis loquitur, quos plerumque πνεύματα ἀκάθαρτα appellat; atque tantopere hoc Domini dominium in daemones inculcare voluit, ut praedicatione et daemonum eiectione quasi totum Domini ministerium contineri insinuet (1,39 cfr *Matth.* 4,23), totamque quoque potestatem, quam Apostoli in prima sua missione acceperunt, eadem ratione describat (6,7 cfr *Matth.* 10,7. 8, et *Luc.* 9,1. 2), et in altera eorum missione inter signa facienda eiectionem daemonum in primo loco ponat (16,17). Quo clarius autem appareat, quantum sit hoc Domini dominium, S. Marcus (9,37) illos quoque, qui ex discipulorum numero non erant, sola virtute nominis Iesu daemones expulisse refert.

Procul igitur dubio S. Marcus potestate et dominio supremo Iesu demonstratis ostendere voluit, eum esse verum Filium Dei; ad conclusionem autem confirmandam *tertius Evangelii character inservit.* Romanis, ut miraculis a Petro narratis plenam fidem haberent, certo, uti patet, de testis ipsius scientia et auctoritate constare debuit; neque enim primo cuique, sed « testibus a Deo praeordinatis » munus incubuit, ut ea, quae Dominus dixerat et egerat, omni creaturae annuntiarent (*Act.* 10,41). Quinam vero testes illi sint et quaenam eorum auctoritas, sollerter docet S. Marcus. Una enim ex parte saepius refert, Dominum testimonium daemonum respuisse atque etiam vetuisse, ne illi, quos sanaverat, beneficia accepta promulgarent (1,24. 34; 3,12; — 1,43 sq.; 5,43; 7,36; 8,26); altera ex parte Apostolorum vocationem, institutionem, missionem accurate narrat Dominumque, etiam quando a turbis se retrahebat, a discipulis circumdatum ostendit (1,35 sq.; 3,7. 13 sqq.; 4,10 sqq.; 35 sqq.; 6,1 etc.). Neque est omittendum, Marcum saepius, quam reliquos, de Apostolorum incredulitate a Domino reprehensa loqui (4,10; 6,52; 8,17 sqq.; 9, 18; 16,14), ac si docere voluerit, non levibus argumentis permotos eos illa admisisse, quorum testes esse debuerunt. Sollicitudo vero, qua praeparationem Apostolorum ad praedicationis munus commemorat, alium finem vix habuit, quam ut testium auctoritatem testimoniique, quod de Iesu divina natura, potestate, dominatione tulerunt, fidem augeret.

Quaestio IV. — De secundi Evangelii ordine.

8. — Quemadmodum S. Papias iam adnotavit, S. Marcus in genere ordinem chronologicum sequitur; in nonnullis tamen referendis a temporis serie deviavit, ut finem suum melius attingeret.

De *chronologico* ordine, a quo Marcus aliquoties recesserit, in testimonio supra (Qu. II. p. 468) allato sermonem esse, clare docet contextus. Iuxta Papiae enim argumentationem Petrus, utpote rerum gestarum testis immediatus, earum seriem chronologicam tradere quidem potuit, sed noluit, quia eas pro audientium necessitate eligendas et disponendas duxit; Marcus vero hunc chronologicum ordinem restituere non potuit, quia rebus gestis non interfuerat; atque ita factum est, ut

non omnia quidem, sed *nonnulla* (ἔνια) non recte disposuerit, si quis temporis, quo singula gesta sunt, rationem spectat.

Cui descriptioni respondet Evangelium. Eodem enim ordine pleraque refert, quo tertium, in quo secundum temporis rationem omnia disposita esse, infra ostendemus (§ 4. Qu. IV.); sed in paucis ab eo deflectit. Iuxta temporis seriem post ieiunium tentationesque Domini (1,13) narrari debuerunt eius iter in Nazareth (6,1-6), miracula in Capharnaum facta (1,21-45) ac demum vocatio quatuor primorum discipulorum (1,16-20); illum enim ordinem tenet S. Lucas (4,14-5,12). Cur autem eundem in his referendis Marcus non secutus sit, finis eius satis explicat. Etenim propter incredulitatem Nazarethanorum Iesus in patria sua virtutem suam divinam monstrare non potuerat (6,5); ideoque Marcus illud iter, utpote ad thesin de divina Iesu potentia demonstranda parum aptum, primo in loco ponere noluit, sed aliis miraculis antea narratis animos praeparavit ad illud intelligendum. Vocationem autem primorum discipulorum primis miraculis videtur praemisisse, ut Apostolos ceu eorum testes oculares produceret; revera enim coram Petro eiusque sociis miracula illa in Capharnaum erant facta, etsi tunc temporis nondum essent ad continuam sequelam Christi vocati. Ob similes rationes narrationes, quae leguntur 3,22-30 (cfr *Luc.* 11,14 sqq.) et 3,31-35 (cfr *Luc.* 8, 19-21), a Petro « pro audientium necessitate », sed non iuxta temporis rationem sunt dispositae. Praecipuae hae sunt ordinis inversiones, nam quod 6,14-16 ante 6,17-29 et 14,1-2 ante 14,3-9 sint posita, non est contra chronologicum ordinem, quia duae illae narrationes explicationis gratia parenthetico modo inseruntur.

Non obstante autem chronologico ordine, quem sequitur, Marcus vel potius Petrus magna cum arte res, quibus Iesu divinitas demonstratur, selegit disposuitque. Sine dubio Filius Dei ad ignominiosam mortem condemnatus et crucifixus ethnicis « stultitia » erat; a principio autem Evangelii animi praeparantur, ut hanc mortem divinitati Christi non repugnare intelligant. Ideo post prima miracula narrata statim indicatur, ob quas levissimas causas exortum sit Pharisaeorum odium, quod Dominum ad crucem adduxit (2,15-28); quomodo paullatim creverit, ostenditur (3,20 sqq.; 7,1 sqq. etc.); ubicumque autem de illo sermo est, admiratio populorum ei opponitur, atque difficultas, quam odium illud in animis relinquere potuit, novis miraculis narratis removetur. Ita tandem passio, quam Dominus ipse praedixerat, nude cum omnibus suis circumstantiis narrari potest atque admirationem Domini auget et in amorem convertit.

9. — Tres in partes Evangelium fine et argumento spectatis recte distribuitur.

Prooemium (1,1-20) thesin demonstrandam innuit, attentionem lectorum excitat relatis Ioannis B. Deique Patris ipsius de Iesu testimoniis, fidem narrationi conciliat exhibitis testibus rerum narrandarum.

Pars prima (1,21-9,28) *narrat, quomodo in galilaico ministerio Dominus se Dei Filium esse demonstraverit.*

1. Quem in finem miracula in Capharnaum eiusque vicinia a Iesu patrata praeprimis proponuntur (1,21-2,12),
2. voriique effectus, quos pro varia animorum dispositione produxerunt (2,13-3,12); pro quibus diversis dispositionibus diverso modo agit Dominus eligens Apostolos, damnans Pharisaeos, quinam ad ipsum pertineant declarans (3,13-35).
3. Electos Apostolos edocet, novis miraculis in fide confirmat, exemplo suo ad

tribulationes praeparat (4,1-6,6), atque dein ad primam missionem dimittit sua ipsius potestate instructos (6,7-32).

4. Ultimis galilaici ministerii mensibus divinam suam potestatem novis miraculis manifestat (6,33-56), Pharisaeos argumentatione et aliis miraculis confutat (7,1-8,26), discipulos, quibus passionem praedicere coepit, in fide confirmat transfiguratione sua et daemone eiecto, quem ipsi eiicere non potuerant (8,27-9,28).

PARS SECUNDA (9,29-13,37), quum in priore divinitas Domini iam satis demonstrata sit, *in tradenda doctrina magis versatur, qua Dominus discipulos ad munus apostolicum praeparavit.*

1. Primum igitur proponit Evangelista ea, quae Dominus in ultimo itinere ierosolymitano docuit et egit (9,29-10,52), quomodo nimirum virtutes muneri apostolico maxime necessarias commendaverit atque in Iudaeam ingressus ultima vice ante sollemnem suam in Ierusalem ingressum potestatem suam manifestaverit.
2. Sequitur deinde narratio eorum, quae ultimis diebus inde a sollemni ingressu Ierosolymis egit (11,1-13,37), qua in parte plenus fere cum primo Evangelio consensus adest, sed ea omittuntur, quae Iudaeochristianos palaestinenses maxime spectabant; accuratius vero narratur maledictio fici sterilis.

PARS TERTIA (14,1-16,20) *de Christi passione et glorificatione agit.*

1. Passio Domini ita narratur, ut appareat, Dominum liberrime omnia in se suscepisse atque divinitatem eius vel in ipsa eius morte ita apparuisse, ut centurio ethnicus crucifixum Iesum esse Filium Dei agnoverit (14,1-15,39). Ceterum narratio paucissimis exceptis, quum in rebus tum in ordine cum primo Evangelio consonat.
2. Cum honore sepultus (15,40-47) tertia die gloriosus resurrexit, id quod variae testantur eius apparitiones et miracula, quae ab Apostolis in mundum universum missis post eius ascensionem patrantur (16,1-20).

QUAESTIO V. — Quo tempore secundum Evangelium sit scriptum.

10. — Certi quidem nihil de tempore, quo S. Marcus Evangelium scripserit, est traditum; veri autem simillimum est, eum post a. 52. et ante a. 62. illud edidisse.

Plane certum est, S. Marcum satis diu post Domini resurrectionem Evangelium edidisse; ultima enim eius verba (16,20 « illi autem profecti praedicaverunt *ubique* ») apte scribi non potuerunt nisi post primam saltem S. Pauli expeditionem apostolicam terminatam (46.-49.?) aut forte post secundam (51.-54.), quibus Evangelium Asiae Min., Macedoniae, Graeciae illatum est. Quare errare censemus eos, qui a. 42. vel paullo post primum Petri in Urbem adventum Evangelium nostrum editum dicunt; rectius c. a. 54. scriptum dicitur. Satis certa enim est traditio, iuxta temporis, quo scripta sunt, rationem Evangelia in canone esse disposita, Marcum igitur ante Lucam scripsisse, qui ipse ante a. 64. Evangelium suum terminavit (§ 4,12). Traditum autem quoque est, Romanis rogantibus, ut praedicationem Petri facilius tenerent, eam a Marco literis esse mandatam; haud diu igitur post suum in Urbem adventum (a. 52. vel 53.) operi huic manum admovit. Cui sententiae si S. Irenaei testimonium (c. Haer. III. 1) opponitur, illud non

contradicere, iam respondimus, siquidem eius verba aliam explicationem permittunt et postulant.

§ 4. — *De Evangelio secundum Lucam.*

Quaestio I. — De S. Lucae Evangelistae vita.

1. — Lucas, domo Antiochenus, arte medicus, inter illos gentiles videtur fuisse, qui brevi post S. Stephani mortem Antiochiae in Ecclesiam sunt recepti; ibi quoque S. Pauli discipulus factus est, cui secundum iter apostolicum ingresso Troade se socium adiunxit. Philippis in Macedonia autem ab Apostolo relictus, probabiliter ut novis ecclesiis invigilaret, septem fere annis postea Paulum Philippos reversum iterum secutus est atque ab illo tempore individuus eius socius fuit usque ad eius mortem. Quaenam post S. Pauli mortem egerit, certis aut probabilibus testimoniis definiri non potest.

Gente Iudaeum non fuisse S. Lucam, certo constat *S. Pauli* testimonio, qui « Lucam, medicum carissimum » ab aliis suis sociis « ex circumcisione » diserte distinguit (cfr *Col.* 4,10-14 cum *Philem.* 24); Antiochenum genere eum fuisse tradunt *Eusebius* (H. E. III. 4) et *S. Hieronymus* (de Vir. ill. 7). *Ps. Origenes* (de Vera Fide 1.) et *S. Epiphanius* (Haer. 51,11) eum ex septuaginta Domini discipulis fuisse scribunt, immo *S. Gregorius M.* (Moral. Praef. 1,3) aliique coniecerunt, eum unum ex duobus discipulis fuisse, quibus ad castellum Emmaus euntibus Dominus sese manifestavit (*Luc.* 24,13 sqq.); attamen S. Lucas in prooemio Evangelii sese ipse ab illis distinguit, « qui ab initio ipsi viderant et ministri fuerant sermonis, » atque auctor *fragm. Muratoriani* recte iam monuit, Lucam « Dominum in carne non vidisse ». Inter primos tamen neophytos, qui Antiochiae ex ethnicis ad Ecclesiam accesserunt, iure merito numeratur; Antiochiae quoque Paulum cognovit, cuius socius fuit in secundi itineris apostolici parte. Etenim in Actibus hoc iter narrans a principio quidem *tertia* persona plurali utitur (15,40-16,9), Troade autem *primam* personam plur. adhibere incipit eamque retinet, usque dum Paulus cum sociis suis Philippos pervenit (16,10-40), sed deinde iterum *tertia* persona utitur (17,1-20,4); *primam* autem resumit, quando secunda vice Paulus Philippis profectus est, eamque usque ad finem libri retinet (20,5-28,31). Ex epistolis ad Col. (4,14) et Philemonem (v. 24) eum in priore captivitate Paulo adstitisse apparet, atque in altera quoque eum non reliquisse magistrum suum, docet 2 *Tim.* 4,9-11. Haec igitur certa sunt, sed num post S. Pauli mortem in Italia, Gallia, Dalmatia et Macedonia (*S. Epiph.*), an in Aegypto superiore (*Const. Apost.; Metaphr.; Niceph.*) Evangelium praedicaverit, aeque parum constat atque quo mortis genere vitam finierit; inde tamen a saec. 4. in Oriente a *S. Gregorio Naz.* (c. Iulian. or. 4,69) et in Occidente a *S. Gaudentio Brix.* (Serm. 17.) et *S. Paulino Nol.* (ep. 32,17) martyribus adnumeratur.

Quaestio II. — De tertii Evangelii authentia et integritate.

2. — Exeunte saec. 1. et toto saec. 2. tertium Evangelium pro divina Scriptura adhibitum esse multis testimoniis Patrum apostolicorum,

primorum apologetarum, ipsorum quoque eiusdem aetatis haereticorum invicte demonstratur; Apostolorum igitur tempore est conscriptum.

Num *Doctrinae duodecim Apostolorum* (1. cfr *Luc.* 6,29 sq.; 16. cfr *Luc.* 12,35) auctor tertium Evangelium iam cognoverit, plane certum non est, quia verba illa ex traditione orali hauriri potuerunt; certum autem est, S. *Clementem Rom.* quum in 1 Cor. 46. tum praesertim in 2. Cor. 8 (« Dicit Dominus *in Evangelio :* Si parvum non servatis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis : qui fidelis est in minimo, et in maiore fidelis est » *Luc.* 16,10; cfr etiam 2 Cor. 13 et *Luc.* 6,32-35; 2 Virg. 8 et *Luc.* 12,35) illud adhibuisse, immo allegasse. Minus certum iterum est testimonium S. *Ignatii M.* (ad Smyrn. 3. cfr *Luc.* 34, 39), certum autem testimonium S. *Polycarpi M.* (ad Philipp. 2 cfr *Luc.* 6,36-38).

S. Polycarpo aequalis fuit *S. Iustinus M.*, cuius pauca tantum ex multis, quae habet, testimonia allegamus. Historiam annuntiationis refert, « quemadmodum docuerunt, qui omnia ad Salvatorem nostrum pertinentia literis mandarunt » (Apol. I. 33; c. Tryph. 100), atque de nativitate Domini quoque nonnulla narrat, quae in solo tertio Evangelio conservata sunt (c. Tryph. 78 et Apol. I. 34). De SS. Eucharistiae institutione loquens haec habet : « Apostoli in commentariis suis, quae *Evangelia* vocantur, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt : eum scilicet accepto pane, quum gratias egisset, dixisse : *Hoc facite in meam commemorationem* » etc. (Apol. I. 66 cfr *Luc.* 22,19); item « in commentariis, quos ab Apostolis *eorumque discipulis* compositos dixit » legit historiam sanguinei sudoris, quam iterum solus Lucas habet (c. Tryph. 103 cfr *Luc.* 22,44), atque « ex Apostolorum commentariis » ultima verba Domini didicit in cruce morientis, prout in tertio Evangelio referuntur (c. Tryph. 105; *Luc.* 23,46). Eadem aetate teste S. Hieronymo (ad Algas. ep. 121,6) S. *Theophilus Antioch.* saltem nonnullas parabolas a S. Luca relatas in suis commentariis explicavit, atque idem in alio opere Evangelium nostrum pro auctoritate adhibuit (ad Autol. II. 13; *Luc.* 18, 27); *Ecclesia lugdun.* autem textum Evangelii uni ex suis martyribus accommodavit (*Eus.* H. E. V. 1 cfr *Luc.* 1,6).

Ex haereticis primo in loco ponimus S. Iustini discipulum *Tatianum*, quem in suum diatessaron nostrum librum recepisse constat; eo autem longe antiquior *Basilides* verbis angeli ad B. Virginem, quae refert Lucas (1,35. Philosoph. VII. 26) abusus est; *Valentinum* tertium Evangelium adhibuisse testantur Tertullianus (de Praescr. 38) et S. Irenaeus (c. Haer. III. 14; cfr I. 8 et Philosoph. VI. 35), de eiusque discipulis *Theodoto* et *Heracleone* idem testatur Clemens Alex. (Excerpta ex scriptis Theod. 1. 9. 16 etc.; Strom. IV. 9). Celeberrimus autem testis haereticus est *Marcion*, quem omnes Patres Evangelium tertium adhibuisse et corrupisse tradunt (S. *Iren.* c. haer. I. 27; III. 11. 12; *Tert.* c. Marc. IV. 2 etc.; S. *Epiph.* haer. 41,9 etc.). *Celsum* quoque testem citare possumus, qui saltem genealogiam Domini a S. Luca relatam cognovit (*Orig.* c. Cels. II. 32).

3. — Porro inde ab exeunte saec. 2. idem Evangelium in omnibus ecclesiis S. Lucae, socio et adiutori S. Pauli, auctori adscribitur; qui ecclesiarum consensus non explicatur, nisi Patres ex apostolica traditione suam persuasionem de tertii Evangelii auctore hausisse concedatur.

Ecclesiae romanae testis nobis est auctor *fragm. Muratoriani* integrum Evangelium (« a nativitate Ioannis incipit dicere ») Lucae medico attribuens; africanae ecclesiae persuasionem paullo post nobis exhibet *Tertullianus* contra Marcionem,

ut integrum « Evangelium Lucae » defendat, ad apostolicarum ecclesiarum auctoritatem provocans (c. Marc. IV. 5); asiaticarum simul et lugdunensis fidem profitetur *S. Irenàeus* « Lucam, sectatorem Pauli » Evangelii conditorem nominans (c. Haer. III. 1); alexandrinae demum ecclesiae testes sunt *Clemens A.* (Strom. I. 21) et *Origenes* (in Matth. tom. I.).

Quae testimonia recentiora esse et S. Papiam, qui duorum primorum Evangeliorum auctores nominavit, de tertii auctore nihil tradidisse, temere et frustra obiicitur. Nam de S. Papiae silentio vel ideo nihil statui potest, quia pauca tantum eius fragmenta ad nos pervenerunt, atque testimonia eius de Matthaeo et Marco Eusebius non eum in finem nobis conservavit, ut Matthaeum et Marcum demonstraret librorum illorum auctores esse (qua de re nemo eius aetate dubitavit), sed ut certiores nos redderet de primitiva lingua primi Evangelii et de causa turbati in secundo ordinis; ex Eusebii igitur silentio ad Papiae silentium concludere non licet. Neque rectius obiicitur recens testimoniorum nostrorum aetas. Etenim si exeunte saec. 2. in omnibus ecclesiis sine ulla haesitatione Lucas tertii Evangelii auctor asseritur, haec unanimitas arguit traditionem apostolicam. S. Lucae nomen ter tantum in toto Novo Test. nominatur (*Col.* 4,14; *Philem.* 24; 2 *Tim.* 4,11); inter celebriores igitur Pauli discipulos numerari non potuisset, nisi fideles ex traditione scivissent, eum Evangelii et Actuum auctorem esse.

4. — Quoniam S. Lucae auctori Patres Evangelium ita attribuunt, ut simul eadem fere ratione, qua secundum ad Petrum, tertium ad Paulum referant, iuxta cuius praedicationem Lucas illud scripserit, internis quoque libri characteribus authentia eius confirmatur.

Muratoriani fragm. (« ex opinione » sc. Pauli = κατὰ τὴν Παύλου δόξαν = iuxta Pauli traditionem) testimonio, utpote incerto, praetermisso certos occidentales testes habemus *S. Irenaeum* (l. c. « Lucas, sectator Pauli, *quod ab illo praedicabatur Evangelium*, in libro condidit » cfr etiam c. haer. III. 14) et *Tertullianum*, qui Paulum vocat « illuminatorem Lucae » asseritque, « apostolicas ecclesias Lucae digestum Paulo adscribere solere » (c. Marc. IV. 2. 5). Quibuscum consentiunt *Origenes* (l. c.), si « tertium iuxta Lucam Evangelium a Paulo laudatum » (i. e. approbatum) dicit, *Eusebius* (H. E. III. 4) aliique (cfr *S. Hier.* de Vir. ill. 7), qui Paulum in suis epistolis ad tertium Evangelium velut ad suum provocare (utique parum recte) innuunt, *S. Chrysostomus* (in Act. hom. 1,1) eos non errare censens, qui Lucae Evangelium ipsi Paulo attribuant. — Neque ullo modo haec sententia cum prooemio tertii Evangelii pugnat. Nihil aliud enim eius verba docent, nisi Lucam, quia non « ab initio ipse viderat », ab aliis suam de Christi vita scientiam hausisse; testibus autem, qui ipsi viderant, etiam S. Paulus iure adnumeratur (cfr *Gal.* 1,11 sq.; 1 *Cor.* 9,1; 11,23; *Act.* 26,16), quamquam diverso plane modo, quam reliqui Apostoli, res evangelicas spectaverat. Nihilominus fatemur, Lucam etiam alios discipulos Domini de iisdem rebus interrogasse; S. Paulus enim « illuminator Lucae » recte vocatur et « digestum Lucae » Paulo iure attribuitur, licet Evangelista etiam ab aliis omnia diligenter exquisiverit.

Quibus praemissis internas rationes indicare possumus, quae tertium Evangelium a Luca Pauli discipulo conscriptum esse confirmant. Graecum genere fuisse eius auctorem sermo eius graecus docet, qui, etsi hebraismis non omnino careat, longe purior tamen est, quam in reliquis Novi Test. libris (sola ep. ad Hebr. excepta); id iam *Eusebius* (Quaest. ad Marin. 4) et *S. Hieronymus* (in Is. 6,7; ad

Dam. ep. 20,4) monuerunt consentiuntque omnes moderni, inter quos aliqui etiam vestigia medicae artis auctoris in tertio Evangelio et in Actibus inveniri censent (6,40; 5,31; 9,11; 7,10; 4,38; *Act.* 13,11). Attamen non levis similitudo inter Lucae et Pauli graecum sermonem deprehenditur; satis multa enim (in primo Evangelii capite saltem decem) vocabula soli Lucas et Paulus adhibent; aliis non paucioribus apud illos usitatissimis rarissime utuntur reliqui Novi Test. scriptores; expressiones phrasiumque partes in Evangelio et Actibus adhibitae etiam reperiuntur in paulinis epistolis. Maioris momenti est, quod in rebus quoque consentiant; a S. Paulo diserte allegatur dictum Domini ex tertio Evangelio (1 *Tim.* 5, 18; *Luc.* 10,7); similis est apparitionum dominicarum ordo in 1 *Cor.* 15,5 et *Luc.* 24,34-36; gravissimum autem est, quod in verbis institutionis SS. Eucharistiae consentiant (1 *Cor.* 11,24. 25 et *Luc.* 22,19. 20) a Matthaeo et Marco dissentientes. Quibus auctorem libri fuisse discipulum Pauli clare iam patet, et clarius idem elucebit ex destinatione et fine Evangelii (Qu. III.).

5. — Vetustissimorum Patrum testimoniis spretis atque ipsa codicum auctoritate relicta olim nonnulli duo priora capita auctori Evangelii abiudicarunt et hodie nonnulli narrationem de sudore sanguineo Domini (*Luc.* 22,43. 44) ex Evangelio expungunt. Quae immerito fieri, clarum est.

Etenim duo priora capita non tantum in omnibus codicibus et versionibus velut genuina pars Evangelii habentur, sed etiam saec. 2. ab auctore *fragm. Muratoriani* (« ideo a nativitate Ioannis incipit dicere »), *S. Iustino* (Apol. I. 33. 34; c. Tryph. 78. 100), *S. Irenaeo* (c. Haer. III. 10), *ecclesia lugdunensi* (*Eus.* H. E. V. 1) iam agnoscuntur. Marcionis, qui illa ex suo Evangelio eiecerat, auctoritas profecto non sufficit, ut illa spuria declaremus. Neque hebraismorum maior in duobus illis capitibus frequentia urgeri potest, siquidem in hymnis praecipue invenitur, qui, quum ex hebraico vel aramaico sint translati, hebraismis carere vix potuerunt.

Duo alii versus, qui hodie a nonnullis criticis addubitantur (*Laehmann*) aut reiiciuntur (*Westcott Hort*), desunt in B. A. R. T., in aliis codicibus nonnullis graecis et syriacis obelo vel asterisco notantur; *S. Hilarius* (de Trin. IV. 1) et *S. Hieronymus* (c. Pelag. II. 16) eos non in omnibus codicibus legi monent, *S. Ambrosius* et *S. Cyrillus Alex.* eos in suis commentariis praetermittunt. Quae argumenta non sufficiunt, ut eos critice dubios dicamus; nam *a.*) saeculo 2. *S. Iustinus M.* (c. Tryph. 103), *S. Irenaeus* (c. Haer. III. 22), *S. Hippolytus* (c. Noet.) eos iam contra haereticos allegant et *Tatianus* eos in suo Diatessaro habet (cp. 48). *b.*) Ex graecis iunioribus Patribus sine ulla haesitatione iis utuntur *S. Dionysius Alex.*, *S. Caesarius*, *S. Epiphanius*, *S. Chrysostomus*, *Theodoretus*, et ex haereticis *Arius* et *Theodorus Mopsuest.*; ex Syris *S. Ephraem*, ex Latinis *SS. Augustinus*, *Hilarius*, *Hieronymus*, quamvis duo ultimi eos in nonnullis codicibus deesse scirent. *c.*) Exceptis quatuor illis graecis uncialibus paucisque aliarum versionum codicibus reliqui omnes eos agnoscunt. Critica igitur auctoritas tanta est, ut non nisi temere eam aliquis spernere possit. Rationem autem, cur in nonnullis codicibus versus sint omissi, nobis innuit *S. Epiphanius* (Ancor. 31) de simili loco disputans, in quo Dominus super Ierusalem *flevisse* narratur : « Orthodoxi dictum illud abstulerunt, *quia timebant* neque finem eius vimque maximam intelligebant ». Iure merito igitur Tridentinum (Sess. IV. de Canon.) versus hos canonicos et authenticos declaravit.

QUAESTIO III. — De destinatione et fine tertii Evangelii.

6. — Tertium Evangelium eodem modo, quo Actus, Theophilo inscriptum ecclesiis a S. Paulo fundatis, quae ex Iudaeis et ethnicis conversis ita coaluerant, ut ethnicochristiani in iis praevalerent, proxime destinatum est.

Quisnam *Theophilus* ille fuerit, cui S. Lucas libros suos inscripsit, tam parum compertum erat Patribus, ut dubii haererent, utrum certa aliqua persona, an potius omnis homo qui a Deo diligitur (*Orig.* in Luc. hom. 1.) vel qui diligit Deum (*S. Epiph.* Haer. 21,7) intelligatur oporteat. Amicum vero vel discipulum designari, recte tenent plerique, quoniam loquendi figura, qua sub nomine ficto ad integram aliquam hominum classem sermo dirigitur, antiquis non erat usitata. Frustra autem ex libris ipsis definire moderni quidam interpretes conati sunt, quis fuerit; ne id quidem cum certitudine cognoscitur, Iudaeusne an ethnicus conversus fuerit. At inquisitio haec etiam superflua esse videtur; eodem enim modo S. Lucas egit, quo antiqui profani scriptores, qui illos quoque libros, quos publici iuris esse volebant, amico cuidam inscripserunt. Pro certo igitur statui potest, eum utpote Apostoli gentium discipulum et socium libros suos proxime ecclesiis a magistro suo fundatis destinasse; neque enim magis, quam magister eius, « super alienum fundamentum » aedificare et in alienam messem falcem mittere voluit. Ecclesiae autem a Paulo fundatae, id quod ex Actibus et paulinis epistolis elucet, nec solis Iudaeis nec solis ethnicis conversis constabant, sed ex utrisque ita coaluerant, ut Iudaeochristiani minorem earum partem constituerent; ubique enim Iudaeos Evangelio restitisse Paulumque et eius socios persecutos esse, historia itinerum apostolicorum docet.

7. — Revera S. Lucam in suo Evangelio nec solos Iudaeos conversos nec solos Ethnicochristianos prae oculis habuisse, sed utrisque illud destinasse, ex libro ipso elucet. Una enim ex parte omnia evitat, quae ethnicos offendere possunt, eaque congerit, quae ethnicis quoque salutem a Domino allatam esse ostendunt, altera vero ex parte quam plurima quoque affert, quae Iudaeorum privilegia agnoscunt, singularem amorem, quo Dominus populum suum prosecutus est, ostendunt, Iudaeochristianorum igitur fidei confimandae inserviunt.

S. Lucam *a.*) ethnicis conversis suum librum destinasse, tam clarum est, ut cum *Origene* (in Matth. tom. I.) et *S. Hieronymo* (ad Dam. ep. 20) etiam moderni aliqui interpretes eum de illis solis cogitasse arbitrentur. Profecto omnia ea, quae S. Matthaeus, qui Iudaeochristianis scripsit, contra gentes vel de gentibus a Domino acerbius dicta narrat, S. Lucas aut omittit aut mitigat. Apostolos in prima sua missione « in viam gentium » abire non debuisse refert Matthaeus (10,5), praetermittit Lucas (9,3); historiam mulieris chananaeae integram narrat Matthaeus (15,21-28), mitigat Marcus (7,24-30 omissis verbis « Non sum missus, nisi ad oves, quae perierant domus Israel »), prorsus omittit Lucas; ubi Dominus interrogat : « nonne et *ethnici* hoc faciunt » (*Matth.* 5,47), Lucas habet « et *peccatores* hoc faciunt » (6,33); pro verbis « haec omnia *gentes* inquirunt » (*Matth.* 6,32) Lucas scribit « haec *gentes mundi* inquirunt »; pro « eritis odio *omnibus*

gentibus propter nomen meum » (24,9) iterum mitigans ponit « eritis odio *omnibus* propter nomen meum » (21,17) etc. Porro Dominum ethnicis quoque venisse, S. Lucas docet iam genealogia sua, quam ad Adamum usque perducit (Luc. 3,23-38; cfr *S. Iren.* c. Haer. III. 22; *S. Chrys.* in Matth. hom. 1,3); Christus prima vice in templum ingressus a Simeone sene salutatur « salutare, quod paravit Deus ante faciem *omnium populorum*, lumen ad revelationem *gentium* » (*Luc.* 2,31); in synagoga nazarethana prima vice docens Dominus ipse ostendit, quantam ethnicorum quoque curam Deus semper habuerit (4,25-27; cfr *S. Cyr. Alex.* et *Ven. Beda* i. h. l.). S. Lucas solus praeter duodecim Apostolos Dominum etiam septuaginta duos discipulos elegisse refert (10,1; cfr *S. Cyr. Al.*); sicut priores enim repraesentant duodecim tribus Israel, ita septuaginta duae nationes, quae in tabula genealogica (*Gen.* 10) enumerantur, per posteriores figurantur (*Ven. Beda* in Luc. 10,1); solus quoque inter Synopticos refert, quomodo Dominus Samaritanorum sit misertus (9,52-56; 10,30-37; 17,11-19), solus parabolas nonnullas conservavit, quae gentium vocationem praenuntiant (15,3-32 etc.); sed eiusmodi exempla, quoniam obvia sunt, plura afferre opus non est.

b.) Potius ostendendum est, etiam Iudaeochristianis tertium Evangelium ab auctore esse destinatum. Iam vero qui duo priora capita attente perlegerit, dubitare non poterit, quin in iis Evangelista Iudaeochristianos multo magis quam ethnicos conversos respexerit; tota enim infantiae dominicae historia plena est allusionibus ad Vetus Test., Iudaeorumque legem ritualem cognitam supponit; tota quoque in privilegiis Iudaeorum celebrandis versatur, ut quasi commentarius sit verborum, quibus S. Paulus eadem enumerat (*Rom.* 9,4. 5). Deum Israel sibi in peculium elegisse, et B. Virgo (1,54) et Zacharias (1,68) et Simeon (2,32) in suis hymnis innuunt; Dominum peculiari modo populo Israel venisse atque ita promissiones Patribus datas implevisse, innumeris vicibus duobus istis capitibus repetitur (1,16 sq. 30 sqq. 54 sq. 68 sqq.; 2,10 sq. 27 sqq.); vix non minus frequenter inculcatur, eum ex filiis David esse ac proin secundum carnem ad populum Israel pertinere (1,27; 2,3. 11; 1,69 etc.). In reliquo Evangelio pauciora quidem eiusmodi vestigia inveniuntur, sed minime desunt. Multo frequentius, quam Marcus, Lucas de Iudaeorum sectis earumque doctrinis perversis loquitur; una cum Matthaeo (5,18) continuam obligationem Legis docet (16,17), « Moysen et prophetas » audiendos esse refert, ne quis in tormentorum locum veniat (16, 29), originem abrahamiticam ius quoddam singulare dare indicat ad beneficia a Domino accipienda (13,16 cfr 19,9); in historia passionis integro quidem populo magis, quam Scribis et principibus, culpam videtur attribuere, attamen etiam populo iudaico viam salutis a Domino monstratam, tempus poenitentiae concessum, spem redemtionis assequendae relictam esse non semel innuit (13,3. 6-8; 21,4 cfr *Rom.* 11,25); immo solus refert, Dominum tantopere populum suum amasse, ut de futuro eius excidio flevcrit (19,41) et in cruce pendens pro eo precatus sit (23,34).

c.) Quibus multisque similibus exemplis patet, nec solis Iudaeis conversis nec solis Ethnicochristianis Lucam librum suum destinasse; unum addamus, quo clarius magistri et discipuli consonantia apparet. Dum Matthaeus (28,19) et Marcus (16,15) Dominum Apostolos dumtaxat in universum mundum misisse referunt, S. Lucas diserte addit, eos debuisse « praedicare remissionem peccatorum in omnes gentes *incipientes ab Ierosolyma* » (24,47 cfr *Act.* 1,8 et *Ven. Beda* in Luca 24). Eadem autem ratione S. Paulus « Evangelium virtutem Dei esse in salutem omni credenti, *Iudaeo primum* et Graeco » (*Rom.* 1,16) docet, atque in

omnibus suis itineribus, antequam gentilibus praedicaret, Iudaeis obtulit Evangelium (*Act.* 13,14.46; 14,1; 16,13; 17,2 etc.).

8. — Porro simili ratione, qua S. Paulus universalitatem salutis messianicae semper asseruit, S. Lucas in Evangelio suo id sibi proposuit ut doceret, *Iesum esse « salutare, quod paravit Deus ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis suae Israel »; quodsi maior Iudaeorum pars gloriam gentis suae non agnosceret, id illis solis esse attribuendum, quoniam praeiudiciis suis occaecati effecissent, ut sibi iam non esset in resurrectionem sed in ruinam.*

In prooemio quidem Evangelii S. Lucas asserit, se rerum evangelicarum historiam tradere, ut lectores « cognoscerent (vel potius : accurate cognoscerent) doctrinarum, quas orali institutione acceperant, certitudinem »; illa igitur dumtaxat in memoriam revocare et testimonio suo, quod diligenti et sollerti innitebatur investigationi, confirmare voluit, quae neophyti iam didicerant; illos enim libros, qui eousque in eundem finem conscripti erant, ad eum assequendum minus idoneos habuit (1,1-4). At hic potius est externus scriptoris finis; internus vero libri idem ille est, quem S. Paulus, cuius praedicationem literis mandasse tradunt Patres, in catechesibus suis prosecutus est; Actibus Apost. autem et epistolis paulinis constat, Apostolo gentium semper fuisse laborandum, ut iudaizantium doctorum « transfigurantium se in Apostolos Christi » conatus et doctrinas refelleret, qui pharisaico spiritu ducti solis Iudaeis a Christo salutem esse allatam docebant, ethnicis vero eius partem negabant, nisi per Iudaismum ad Christum accederent et cum nova doctrina christiana antiquam Legem iudaicam in se susciperent. Quam ob causam S. Paulus toties in epistolis universalitatem salutis messianicae asserere debuit, atque procul dubio etiam in catechesibus continuo illam thesin inculcavit, quae praecipuum argumentum constituit epistolae ad Rom. : « Evangelium virtus est omni credenti, Iudaeo primum et Graeco ». S. Lucas vero, si ecclesias paulinas in ea fide, quam orali institutione acceperant, confirmare voluit, eandem thesin in suo Evangelio demonstrare debuit.

Quem in finem thesin Matthaei, Iesum esse Messiam in Lege promissum, eum thesi Marci, Iesum esse Filium Dei, quasi coniunxit et utramque simul demonstravit ostendens Christum pacem annuntiasse iis, qui longe fuerunt, et iis, qui prope, atque per ipsum omnes in uno Spiritu accessum habere ad Patrem (*Eph.* 2,17 sq.). Id luculentissime ex iis iam elucet, quae de Evangelii destinatione diximus. Etsi tot vaticinia, quot S. Matthaeus, non afferat, ex duobus primis capitibus tamen. Iudaei in Iesu, filio Davidis, e virgine in civitate Davidis nato, a senibus Simeone et Anna agnito, Messiam suum promissum cognoscere potuerunt et debuerunt; atque ethnici ex iisdem capitibus in eodem Iesu, tot miraculis, quae in illius ipsius et in eius praecursoris annuntiatione ac nativitate facta sunt, glorificato, Filium Altissimi cognoscere potuerunt et debuerunt. Porro ubi Iesus prima vice docens exhibetur (4,16-30), Iudaei « Unctum » Spiritu S. ab Isaia (61,1) praedictum cognoscebant, qui missus esset evangelizare pauperibus et liberare captivos, ethnici vero se quoque inter illos pauperes et captivos esse edocebantur, quorum causa venerat Dominus. Revera in hac narratione summum quasi argumentum totius Evangelii proponitur, quod totum in eo est, ut infinitam misericordiam ostendat, qua Dominus omnes omnino homines amplectitur. Solus S. Lucas nobis narrat, quomodo Dominus misertus sit peccatricis (7,37 sqq.), Zachaei publicani (19,1

sqq.), latronis crucifixi (23,39 sqq.), Samaritanorum, qui ipsum recipere noluerant (9,55 sq.); solus Lucas parabolas de Pharisaeo et publicano, de muliere, quae drachmam unam perdidit, de filio prodigo, de iudice iniquo etc. nobis conservavit; solus verba Domini in cruce pro persecutoribus orantis nobis tradidit, solus nobis eundem ostendit etiam ad Pharisaeos, adversarios suos implacabiles, devertentem, ut illos quoque, si fieri possit, ad poenitentiam adducat. Procul igitur dubio ostendere voluit, Iesum esse « salutare, quod paravit Deus ante faciem omnium populorum ».

Quaestio IV. — De tertii Evangelii ordine et auctoritate historica.

9. — Quemadmodum in prooemio promisit, iuxta ordinem chronologicum S. Lucas res evangelicas ita narravit, ut vix semel ab eo deviaverit.

Plerique olim rerum potius quam temporis ordinem a S. Luca observatum esse opinati sunt, at recte iam monuit S. *Ambrosius* (in Luc. Prooem. 4. 7) « Lucam velut quemdam ordinem historicum tenuisse » suumque librum « historico stylo digessisse ». Revera in prooemio (1,3) ordinem chronologicum promittit Evangelista, siquidem sibi visum esse παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς γράψαι dicit; nam καθεξῆς, quod in Novo Test. a solo Luca adhibetur, semper apud eum sensum temporalem habet (8,1; *Act.* 3,24; 11,4; 18,23 in quo ultimo loco cum temporali coniungitur localis significatio); iuxta seriem temporalem igitur omnia narrare vult. Inquisitionem quoque, quae ad temporalem rerum nexum attendit, alia verba indicant : παρηκολουθηκὼς ἄνωθεν πᾶσιν i. e. ad literam : « postquam a principio omnia comitatus sum », seu « postquam a prima re incipiens et ad alteram, tertiam... transiens in omnes diligenter inquisivi, secundum seriem, qua gestae sunt, eas tibi scribere constitui ».

Cui proposito inhaerens S. Lucas chronologiae indicandae singularem curam impendit; tempus annuntiationis Ioannis B. quidem satis vage indicat (1,5), accuratius autem tempus nativitatis Domini (2,1) et accuratissime tempus praedicationis Ioannis B. (3,1). Singula facta quoque temporis nexu definit : a conceptione Ioannis ad conceptionem Domini sex menses (1,36), tribus mensibus mansit B. Virgo apud Elisabeth (1,56); item in circumcisione (2,21), praesentatione (2,22), prima pueri Iesu peregrinatione ad templum (2,42) temporis ratio indicatur et in reliquo Evangelio similes indicationes accuratae inveniuntur (6,1. 6. 12; 7,1. 11; 8,1; 9,28. 37 etc.). Satis multas quidem narrationes etiam vagis formulis inchoari non negamus (« et factum est », « in una dierum » etc.), sed hae ipsae, quum determinatis intermixtae sint, hisce quoad chronologicam rationem determinantur. Praeterea S. Lucas solus inter Synopticos varia itinera, quae Dominus Ioanne teste in Ierusalem suscepit, ita innuit, ut tertium Evangelium cum quarto hac in re consentire facile demonstretur (cfr infra § 9). Illa sola, quae 9,57-62 leguntur, e loco suo chronologico remota esse videntur; a S. Matthaeo (8,19) enim ita cum itinere in terram Gerasenorum coniunguntur, ut illa alio tempore accidisse dicere non ausim; forte S. Lucas, qui inde a 10,1 magis de praeceptis et doctrinis dominicis loquitur, haec facta, quasi summam eorum, quae dicturus erat, parti isti praemittere voluit.

10. — Quoniam S. Lucas se in omnia, quae narraturus sit, accurate inquisivisse asserit, neque ei testes fide digni defuerunt, a quibus omnia

cum certitudine cognoscere potuit, summa etiam in rebus profanis, quas attingit, ei competit auctoritas historica, etiamsi quis ab eius inspiratione abstrahere voluerit. Immerito igitur rationalistae nonnulla, quae ab eo sed non a profanis scriptoribus diserte traduntur, velut arbitrarias fictiones aut errores historicos reiiciunt.

Per multos annos S. Lucas familiarissime vixit cum S. Paulo, procul dubio Romae S. Petrum cognovit, S. Iacobum vidit Ierosolymis (*Act.* 21,18), S. Philippum diaconum Caesareae (*Act.* 21,8), S. Barnabam Antiochiae, forte alios quoque Apostolos atque ipsam B. Virginem in Palaestina; ab illis igitur, « qui ab initio ipsi viderant, » singula exquirendi ei non defuit occasio. Quanta autem diligentia usus sit in suis inquisitionibus, quam plurima illa docent, in quibus narratio eius profanorum scriptorum operibus aut superstitibus monumentis confirmatur. Quae in Evangelio de Herode (Antipa) tetrarcha Galilaeae, de Philippo tetrarcha Ituraeae, de Anna et Caipha, qui a. 15. Tiberii auctoritate potiti sint, refert, aut quae in Actibus habet de tribus regibus ex familia Herodis (Antipa, Agrippa I. et II.), de duobus procuratoribus romanis Felice et Festo, de Drusilla Felicis uxore et de Berenice concubina Agrippae II, de Sergio Paulo *proconsule* Cypri et de Gallione proconsule Achaiae, de Publio τῷ πρώτῳ insulae Melitae, de πολιτάρχαις (non πολιάρχοις) thessalonicensibus etc., ea omnia ad fidem historiae accurate esse relata, omnes fatentur. Iam vero scriptor, qui in omnibus, quae cum aliis fontibus comparari possunt, fidelis testis invenitur, non minorem fidem meretur, si quid refert, quod ob aliorum fontium sive defectum sive silentium aliis testimoniis confirmari non potest.

At hoc negant rationalistae tribus in medium allatis rebus, quas Lucam aut finxisse aut erronee retulisse censent; provocant scilicet ad descriptionem Palaestinae tempore Herodis M. per Cyrinum (Quirinium) factam (2,1), ad Lysaniam, qui nominatur tetrarcha Abilenae a. 15. Tiberii (3,1), ad seditionem Theudae, quam commemorat Gamaliel (*Act.* 5,36), atque haec cum profanorum scriptorum testimoniis non consentire monent. Sed duae ultimae obiectiones refutatione vix indigent. Nullam enim rationem esse, cur a. 15. Tiberii Lysanias tetrarcha Abilenae fuisse negetur, licet ab aliis scriptoribus non nominetur, hodie fatentur tantum non omnes rationalistae. Unica porro ratio, cur illa Theudae seditio in dubium vocetur, silentium est Fl. Iosephi, qui multa alia graviora silentio praetermisit[1].

Sola igitur remanet descriptio imperii per Augustum praescripta et in Palaestina ante mortem Herodis M. per Quirinium facta, de qua haec pauca adnotasse sufficit. Bis a S. Luca « *descriptio* » commemoratur : in Evangelio « haec erat prima descriptio praeside Syriae Quirinio » (2,1), et in Actibus « post hunc exstitit Iudas Galilaeus in diebus descriptionis » (ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς *Act.* 5,37), quae altera ob Iudae Galilaei seditionem tam celebris fuit, ut ἡ ἀπογραφή per eminentiam nominaretur. Eam quoque factam esse Quirinio praeside Syriae circa a.

(1) *Fl. Iosephus* (Antiqu. XX. 5,1) quoque seditionem Theudae cuiusdam narrat, quae facta est Fado Iudaeam procurante i. e. *post* a. 44. p. Chr.; sed ab illa prorsus diversa est seditio a Gamaliele commemorata, quippe quam dicit fuisse ante Iudae Galilaei seditionem i. e. *ante* a. 6. p. Chr.; Lucas autem, etiamsi orationem Gamalielis confinxisse temere diceretur, non potuit hominem, qui eius tempore seditionem movit, iam quadraginta annis antea occisum dicere. Quamplurimae autem fuerunt Iudaeorum seditiones; nihil ergo mirum, quod Iosephus unam alteramve omiserit.

760. U. C. *Fl. Iosephus* testatur (Antiq. XVIII. 1,2) et *Lucas* innuit, quum priorem illam, quae tempore nativitatis Domini circa a. 749. U. C. facta est, « *primam* Quirinio praeside » appellet. Hinc duo sunt nobis ostendenda *a.*) circa tempus nativitatis Domini Quirinium fuisse praesidem Syriae, atque *b.*) circa idem tempus Augusti edictum exiisse vel in Palaestina promulgatum esse de imperio describendo. Atqui prius hodie vix addubitatur, sc. P. Sulpitium Quirinium non tantum Syriae praefuisse ab a. 760.-764. U. C., sed etiam iam antea ab a. 750.-753. Augustum autem descriptionem imperii edixisse colligitur ex *Suetonii* (Octav. 28. 101) et *Taciti* (Annal. I. 11) testimoniis, qui imperatorem sua manu tabulas confecisse referunt, in quibus totum imperium recensebatur nec sola Italia aut solae provinciae, sed regna quoque socia eorumque omnium opes, exercitus, tributa etc. comprehendebantur; eiusmodi autem tabulas absque integri imperii descriptione confici non potuisse patet. Porro indirectum Suetonii et Taciti testimonium directis testimoniis *Cassiodori* (Variar. III. 52) et *Suidae* (Lexic. s. v. ἀπογραφή) confirmatur, quos a Luca non dependere eorum verba demonstrant. Quibus accedit *Tertullianus* (c. Marc. IV. 19), qui, quum descriptionem per Sentium Saturninum factam dicat, etiam a Luca non dependet. Sed neque Lucae contradicit Tertullianus, dummodo statuamus, descriptionem inchoatam esse, quando Sentius Saturninus praeses Syriae fuit (746.-748.), continuatam sub eius successore P. Quinctilio Varo (748.-750.), terminatam a P. Sulpitio Quirinio (750.-753.), ita ut descriptio Saturnini vel Quirinii appellari potuerit, quamvis eo anno, quo Christus natus est (a. 748. vel 749.) Varus Syriam administraret. Reliqua, quae contra descriptionem obiiciuntur, nullius sunt momenti : Fl. Iosephus ea, quae Iudaeis odiosa erant, praetermittere solet, quare eius silentium immerito obiicitur; Herodes, qui isto tempore tamquam « rex restitutus » soli benevolentiae imperatoris regnum suum debebat, impedire non potuit, quominus per magistratus romanos descriptio Palaestinae fieret; magistratus autem romani, quantum fieri potuit, semper sese populis subiectis accommodabant ideoque etiam descriptionem Palaestinae secundum morem Iudaeorum fecerunt, ex quo singuli in loco originis censebantur, ita ut S. Iosepho descriptio esset causa itineris bethlehemitici. — Etiamsi quis igitur ab Evangelistae inspiratione abstrahere velit, omnia quae de descriptione Augusti et de aliis rebus profanis tertium Evangelium tradit, facile admittet, dummodo ne praeiudiciis sit occaecatus

11. — S. Lucas in magna quidem Evangelii parte eadem fere, quae duo alii Synoptici, tradit sed multa quoque iis addit et alia omittit, ita ut nequaquam ab illis dependeat; ad finem suum peculiarem potius attentus illas res gestas doctrinasque Domini elegit, quas aptas esse iudicavit illasque chronologice ita disposuit, ut earum narratione lectoribus plenam eorum, quae orali institutione didicerant, daret certitudinem.

Quae S. Lucas reliquis synopticis Evangeliis addidit, iam enumeravit S. Irenaeus (c. Haer. III. 14); quo praeter integram *eius* relationem de infantia Domini (1,5-2,52) longa narratio de itineribus ierosolymitanis maxime spectat (9,51-18, 31). Narrationem solus iam incipit ab annunciatione conceptionis Ioannis B. eamque usque ad ascensionem Domini cum S. Marco perducit. At multa quoque a Matthaeo et Marco tradita praetermittit, neque tantum pleraque, quae Dominus apud Matthaeum contra Pharisaeos disputat, sed magnam quoque partem ministerii galilaici (*Marc.* 6,45-8,26; *Matth.* 11 22-16,12).

In S. Lucae Evangelio iuxta chronologiae rationem disposito quatuor vitae dominicae periodos licet distinguere, quarum prima (1,5-4,13) usque ad ministerii galilaici initium decurrit, quarta (19,29-24,35) passione et glorificatione vitam publicam terminat; duae intermediae vitam publicam complectuntur, atque secunda (4,14-9,50) quidem ministerium galilaicum, tertia (9,51-19,28) autem varia itinera, quae ministerio illo finito Dominus maxime in Peraea et Iudaea instituit.

Prooemio (1,1-4) praemisso PRIMA PARS (1,5-4,13) *de iis agit, quae publicam Domini vitam praecesserunt.*

1. Infantiae Domini historia (1,5-2,52) ita narratur, ut in Iesu Nazarethano Iudaei conversi Messiam suum, Ethnicochristiani Filium Dei agnoscere possint ac debeant.
2. Proximam praeparationem Domini ad publicam vitam (3,1-4,13) eius baptisma (qua occasione eius genealogia usque ad Adam reducitur) eiusque ieiunium et victoria de diabolo reportata constituunt.

ALTERA PARS (4,14-9,50) *Domini ministerium galilaicum complectitur.*

1. In cuius principio sese Messiam revelat, qui apud ethnicos fidem sit inventurus (4,14-30).
2. Multis miraculis populi admirationem excitat (4,31-5,26), sed amore suo erga peccatores et traditionum pharisaicarum reiectione odium Pharisaeorum sibi contrahit (5,27-39).
3. Secundo ministerii galilaici anno Iesus, postquam alias Pharisaeorum calumnias refutavit (6,1-11), fundamenta regni sui ponit electis Apostolis et legibus promulgatis regni sui, ad quod omnes invitat (6,12-49).
4. Misericordia eius erga omnes hominum classes neminem ab hoc regno excludi ostendit (7,1-50).
5. Cum Apostolis Galilaeam peragrans eos ad primam missionem praeparat quum doctrinis eos erudiens (8,1-21) tum miraculis eorum fidem excitans (8,22-56).
6. Ex prima missione reduces novis miraculis in fide confirmat et ad passionem suam praeparare incipit (9,1-50).

TERTIA PARS (9,51-19,27) *ea tradit, quae Dominus in ultimis suis itineribus (tertio ministerii sui anno) Apostolos et discipulos docuit.*

1. In itinere ad festum tabernaculorum (9,51-11,51) discipulos ad vitam perfectiorem instituere incipit, exemplo et verbis docens mansuetudinem, paupertatem, occasione missionis septuaginta discipulorum humilitatem, amorem universalem etc.
2. Quam institutionem continuat in itineribus a scenopegia usque ad encaenia susceptis (12,1-13,9).
3. In peregrinationibus post encaenia per Peraeam factis contra Pharisaeos plerumque disputans eorum reiectionem et gentium vocationem clarius annuntiat; de eadem vocatione etiam pleraeque parabolae agunt isto tempore propositae de grano sinapis, de ingressu per angustam portam etc. (13,10-17,10).
4. In ultimo suo itinere ierosolymitano etiam gentium vocationem quidem docet, sed praecipue discipulos suos ad vigilantiam, continuam orationem, humilitatem, voluntariam paupertatem exhortatur, atque demum sanatione caeci eum velut Messiam invocantis et conversione Zachaei publicani se ad omnes salvandos venisse ostendit (17,11-19,27).

Quarta pars (19,28-24,53), *de passione et glorificatione Iesu, iterum docet eum esse Messiam et omnium Salvatorem.*

1. Praeparatio ad passionem (19,28-22,38). Dominum civitatem sollemniter ingressum Pharisaei verbis capere frustra conantur, Iesus autem discipulis interitum civitatis et iudicium praedicit (19,28-21,36). Dum populus eum admiratur et Pharisaei pactum cum eius traditore ineunt, Iesus in perennem passionis memoriam Eucharistiam instituit (21,37-22,38).
2. Passio Domini ita narratur, ut integri populi culpa pateſiat, Domini autem innocentia et infinita misericordia erga peccatores illucescat (22,39-23.56).
3. *Glorificatio Christi* (24,1-53). Evangelista postquam variis apparitionibus resurrectionem Domini probavit (24,1-43), eum Apostolis missionem contulisse refert, ut incipientes a Ierusalem poenitentiam gentibus omnibus praedicarent, atque brevi relatione ascensionis Evangelium terminat (24,44-53).

Quaestio V. — Quo loco et tempore tertium Evangelium sit scriptum.

12. — S. Lucam Evangelium ante Actus scripsisse certum est; Actus autem versus finem prioris captivitatis romanae S. Pauli, i. e. exeunte a. 63. vel ineunte a. 64., Romae terminati esse iure dicuntur; recte igitur illi sentire videntur, qui etiam Evangelium c. a. 63. Romae terminatum esse asserunt.

Quoniam certi nihil antiquitas christiana nobis de loco et tempore originis tertii Evangelii tradit, quaestionem coniecturis tantum solvere possumus. Iam vero in Actuum prooemio (1,1) S. Lucas de terminato Evangelio loquitur; ex eorum epilogo (28,30. 31) autem iam collegit S. *Hieronymus* (de Vir. ill. 7.) eos versus finem biennii, quod S. Paulus Romae captivus peregit, esse terminatos. « Apostolorum historia, inquit, usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, i. e. usque ad 4. (rectius : usque ad 10.) Neronis annum; ex quo intelligitur, in eadem urbe librum esse compositum ». Quae S. Doctoris conclusio illegitima esset, nisi cum loco etiam tempus originis indicare voluisset. Uti autem infra ostendemus (§ 14), biennium illud a verno tempore a. 62. usque ad primos menses a. 64. decurrit; quare de tempore et loco originis Actuum satis constat. Porro Evangelium non diu antea esse terminatum ex eo iam apparet, quod S. Lucas Actus velut secundam partem Evangelii sui consideret. Praeterea Evangelium etiam auctorem iam diu cum Paulo coniunctissime vixisse aliosque immediatos testes vitae dominicae vidisse supponit. Ergo septem illis annis scribi non potuit, quos Lucas in Macedonia peregit; illo enim tempore paucis tantum mensibus cum Paulo fuerat nec quemquam reliquorum discipulorum praeter Barnabam cognoverat. Sed postquam verno tempore a. 59. cum Paulo Palaestinam visitaverat cum eoque Caesareae et Romae diu vixerat, librum scripsisse rectius dicitur.

CAPUT II.

DE EVANGELIORUM SYNOPTICORUM MUTUA RELATIONE.

§ 5. — *De Evangeliorum synopticorum affinitate eiusque ratione.*

1. — Singulorum Evangeliorum synopticorum authentia et integritate stabilitis de eorum inter se relatione dicendum est, ut difficultates quaedam, quae ex ea desumuntur, facilius solvantur.

Vix alia est quaestio, quae interpretum Novi Test. ingenia hodie magis vexet, quam affinitas illa, quae inter synoptica Evangelia deprehenditur. Multa ad eam explicandam excogitata sunt systemata, sed longe pleraque tantum abest ut quaestionem solvant, ut ad auctoritatem Synopticorum labefactandam aut destruendam asseclas suos adducant. Prae oculis enim plerique interpretes non tenent, quaestionem hanc, quum de Evangeliorum origine agatur, esse historicam, quae maxime historicis argumentis definiatur oportet; neque enim ideo systema qualecumque iam sufficit, quia eius ope relatio illa quoquo modo explicatur; sed fundamentum historicum habeat oportet iisque, quae de singulorum Evangeliorum origine tradiderunt Patres, consonare debet. Ut ordine procedamus, primo in loco accurate, quantum eius fieri potest, statum quaestionis exponemus, ut quid explicandum sit, clare innotescat; deinde illa systemata, quae aut certe erronea sunt aut Patrum traditionibus minus consonant, allatis rationibus refutabimus, ac demum illud systema, quod praeferendum ducimus, explicabimus.

I. Status quaestionis.

2. — Evangelia synoptica *in rebus narratis* magnam exhibent inter se similitudinem, siquidem in maiore sua parte non tantum de Domini N. ministerio galilaico agunt, sed ex iis quoque, quae Dominus in Galilaea egit et docuit, eadem fere facta et dicta referunt. At simul non parva est inter Synopticos in rebus narratis differentia, quum sua quisque referat propria atque illa quoque, quae communia habent, ita interdum referant, ut inter se pugnare videantur.

Argumenti tractati similitudo clare apparet, si Synoptici cum Ioanne comparantur, a quo discimus, Dominum multa praeclarissima etiam in Iudaea egisse et docuisse, quae omnia praetermittuntur a prioribus; at Ioannes nonnulla etiam in Galilaea ipsa a Domino gesta et dicta refert (primum et secundum miraculum in Cana Galilaeae Ioan. 2,1-11; 4,46-54; sermonem de Eucharistia in Capharnaum habitum 6,22-72), quae Synoptici non attingunt. Omnes diserte docent, Dominum quam plurima miracula fecisse, nihilominus fere eadem omnes fusius narrant, quibus deinde singuli pauca alia addunt. Illa, quae singulis propria sunt, accurate describere difficile est, quia praesertim Marcus frequentissime minutas circumstantias loci, temporis etc. ab aliis omissas addit, neque semper cum certi-

tudine definiri potest, num eadem an similia facta ab omnibus tribus referantur.

Eusebius (cfr eius ep. ad Carp.; *S. Hier.* ad Dam. Praef. in Evang.), ut Evangeliorum concordiam ostenderet, synoptica in 562 sectiones distribuit, ex quibus *omnes tres* 184 habent communes (inter quas 73 apud *Ioan.* quoque leguntur); *Matthaeus et Marcus* in 73 (inter quas apud *Ioan.* 23), *Matthaeus et Lucas* in 104 (inter quas apud Ioan. 22), *Marcus et Lucas* in 14 consonant; proprias habent *Matthaeus* 74 (inter quas apud *Ioan.* 12), *Marcus* 20, *Lucas* 93 (inter quas apud Ioan. 21). Integrum igitur fere Marci Evangelium duobus aliis continetur, atque vix *decima quinta* libri pars ei est propria, dum Matthaeus circiter *sextam* et Lucas quartam proprias habent. Sed alii alio modo sectiones distribuunt, neque Eusebius, ut videtur, textus vere parallelos ab iis, qui similia tantum facta vel dicta continent, satis accurate distinxit. Evangelia synoptica hodie in 2901 versus distribuuntur, qui tamen in omnibus non eiusdem sunt longitudinis (*Matth.* 1072, *Marc.* 677, *Luc.* 1152); iam vero *omnibus* communes sunt 330-370, *Matth.* et *Marc.* 170-180, *Matth.* et *Luc.* 230-240, *Marc.* et *Luc.* 50; proprii sunt *Matth.* 330, *Marc.* 68, *Luc.* 541. — Quibus enumerationibus, licet plane accuratae non sint, certo constat, magnam esse argumenti similitudinem inter omnes tres, saepius quoque Matthaeum cum alterutro ex reliquis, quam illos duos inter se convenire, sua demum cuique propria esse, pauca tantum, si a minoribus incisis abstrahitur, Marco, plurima Lucae (de Antiphaniis cfr § 6).

3. — Etiam in *ordine*, quo res disponuntur, atque *in ipso narrationis modo et sermone* satis magna deprehenditur consonantia; praecipue in sermonibus relatis iidem saepe reperiuntur loquendi modi, interdum etiam rariores, qui secus non adhibentur. Attamen perfecta congruentia vix umquam invenitur; antequam enim integra phrasis absolvatur, subito uno alterove vocabulo mutato discrepare incipiunt.

Ordinis maior minorve conformitas difficultatem non creat, quoniam magnam partem ab observata chronologia dependet; hinc etiam Marcus usque ad 6,44 cum Luca, deinde fere cum Matthaeo consentit, qui iude a 14,13 chronologiam tenet, dum Lucas illam partem omittit; hinc etiam in ultima vitae dominicae hebdomade narranda omnes tres consonant.

Difficilior explicatu est *narrationis ipsius conformitas*, siquidem omnes tres aut saltem bini haud raro easdem res iisdem fere vocabulis referunt (cfr ex. gr. textum graecum *Matth.* 9,5. 6 cum *Marc.* 2,9. 10 et *Luc.* 5,23,24; — *Matth.* 9,15 cum *Marc.* 2,19 et *Luc.* 5,34; — *Matth.* 12,4 cum *Marc.* 2,26 et Luc. 6,4 etc.; — aut *Matth.* 26,55 cum *Marc.* 14,48; — aut *Matth.* 6,29 cum *Luc.* 12,26; — aut *Marc.* 14,15 cum *Luc.* 22,12 etc.). Attamen non tantum in illis phrasibus, in quibus consonant, leviores deprehenduntur discrepantiae (cfr ex. gr. *Matth.* 11,25-27 et *Luc.* 10,21. 22), sed illis in rebus, in quibus plenam concordiam exspectaveris, maiorem invenies dissonantiam, ex. gr. in institutione Eucharistiae (*Matth.* 26,26-28; *Marc.* 14,22-24; *Luc.* 22,19.20), in titulo crucis (*Matth.* 27,37; *Marc.* 15,26; *Luc.* 23,38) etc. — In genere sexta fere pars Matthaei, item sexta Marci, decima Lucae versibus constare dicuntur, in quibus iisdem loquendi modis usi sunt; longe maior vero similitudinum numerus in sermonibus relatis deprehenditur[1]. Adnotandum autem est, etiam in iis, in quibus idem argumentum tra-

(1) Ceterum animadverte, hanc sermonum similitudinem non posse ex eo solo derivari, quod Evangelistae verba Domini accurate referre voluerint; Dominus enim aramaice

ctant, interdum aut omnes tres modo loquendi dissentire aut unum saltem a reliquis recedere.

Quaestio igitur solvenda est, *undenam sive in argumento tractato, sive in ordine observato, sive in narrationis dictionisque modo exorta sit synopticorum similitudo et dissimilitudo.*

II. Systemata Evangelii primitivi et mutuae dependentiae.

4. — Tria systematum genera ad Synopticorum mutuam relationem explicandam proposita sunt; alii enim omnes tres Evangelistas ex communi fonte quodam scripto illa, quae tradunt, hausisse censent; alii vero eos ita inter se dependere putant, ut secundus primi et tertius secundi et primi libris sit usus; alii demum ex sola orali traditione consonantiam exortam esse tenent.

Iam vero *systema Evangelii primitivi,* quacumque forma propositum est, merito reiicitur non tantum, quia omni fundamento historico caret atque cum ipsa historia pugnat, sed etiam quia scriptore inspirato omnes formae propositae plane indignae sunt.

Duabus praecipue formis hypothesis Evangelii primitivi est proposita. Alii enim iam primis Ecclesiae annis ante S. Stephani mortem brevem aliquam relationem aramaicam de rebus evangelicis conscriptam esse statuunt, qua Apostoli in suis catechesibus usi sint; huius primitivi Evangelii factas esse varias recensiones aramaicas et graecas; atque nonnullas ex istis variis recensionibus adhibitas esse ab auctoribus Evangeliorum nostrorum; de numero autem et indole variarum istarum recensionum magnus est vel potius fuit dissensus inter istius systematis patronos. Alterius formae propugnatores pro uno protevangelio eiusque recensionibus admittunt magnum fragmentorum aramaicorum et graecorum numerum, in quibus singulis aut sermones quidam Domini, aut miracula, aut parabolae etc. fuerint consignatae atque ex istis fragmentis nostra Evangelia consuta dicunt.

Mirum non est, quod haec systemata, prout ab initio erant proposita, hodie plane sint derelicta. Tot quidem protevangelii alicuius varias recensiones, retractationes, versiones aut etiam tot fragmentorum collectiones posse fingi, ut ex earum combinatione similitudo et dissimilitudo Evangeliorum synopticorum quomodocumque explicentur, negare nolumus. At ubinam in tota antiquitate christiana vel levissimum istius Protevangelii ab Apostolis adhibiti aut fragmentorum istorum invenitur vestigium? Quomodo factum est, ut Evangelii istius, quod, quia ab Apostolis adhibebatur, publica auctoritate in Ecclesia insignitum et tot recensionibus propagatum erat, memoria prorsus interiret? Quo cum iure sibi quisque novam illius Protevangelii formam adornavit? Hodie quidem scriptores novas operum suorum editiones emendatas, retractatas, auctas in lucem emittunt; at eodem modo antiquos scriptores non egisse inter omnes constat, nec Apostolis profecto eorumque sociis et neophytis otium fuit, ut libros suos continuo retractarent.

locutus est, Evangelistae autem graece sermones eius reddunt; iam vero tres interpretes etiam diligentissimi, si eadem verba lingua aliena reddunt, rarissime eadem omnino vocabula adhibebunt nec umquam videtur fieri posse, ut eodem in loco reddendo omnes iisdem vocabulis rarioribus, formis irregularibus etc. utantur eandemque prorsus verborum seriem teneant.

Demum finge tibi Evangelistas inspiratos coram quatuor vel quinque voluminibus sedentes, nunc unum, nunc alterum, interdum tertium vel quartum inspicientes et ex eo sua Evangelia coagulantes; aut etiam cogita Evangelistas varia fragmenta, quae invenerunt, ita copulantes et consuentes, ut hodie adhuc eorum suturae a « criticis » interpretibus detegantur!

5. — Variis quoque formis proponitur *systema mutuae dependentiae*, at omnes gravibus laborant difficultatibus, ut ne illa quidem forma, quae multis catholicis interpretibus arridet, defendi posse videatur. Omnes enim cum illis, quae Patres antiquissimi de Evangeliorum synopticorum origine tradiderunt, satis aperte pugnant, neque tamen id, ad quod explicandum assumuntur, explicant; immo etiam hoc systema, saltem sicut ab initio propositum est, dignitati Evangelistarum non consulit.

Systematis huius tot propositae sunt formae, quot excogitari possunt; alii enim Matthaeum, alii Marcum, alii Lucam primum scripsisse statuunt, nec deinde in aliorum duorum ordine consentiunt : praeterea moderni rationalistae cum hoc systemate coniungunt alterum de protevangelio, atque λόγια Matthaei, Protomarcum quemdam, fragmenta quae in Lucae prooemio commemorata vident, in auxilium vocant. Inter catholicos haud parum propagata est illa forma, quam nonnulli a S. Augustino iam adumbratam esse immerito censent; Marcum scilicet usum esse Matthaei libro et Lucam adhibuisse duo priora Evangelia; aliqui deinde addunt Marcum adhibuisse aramaicum Matthaeum et graecum Matthaei interpretem usum esse Marco, aut etiam Lucam statuunt praeter priora Evangelia hausisse ex aliis fontibus scriptis etc. Pauci catholici Matthaeum quidem primum statuunt, sed secundum Lucam et a duobus istis dependere Marcum. Inter acatholicos multi Marcum primum faciunt, ab eo dependere (Ps.) Matthaeum aramaicum et Lucam, graecum Matthaei interpretem praeter aramaicum textum etiam adhibuisse Marcum et Lucam. Sed omnes formas earumque multiplices varietates enumerare nec vacat nec iuvat.

Contra omnes formas *a.*) adnotamus, nullum Patrem, ne ipso quidem S. Augustino excepto, cuius testimonium (de Cons. Evang. I. 2) immerito affertur, quidquam de mutua dependentia Evangelistarum tradidisse; immo antiquissimi omnes consentiunt, Marcum scripsisse praedicationem Petri, Lucam praedicationem Pauli. Itaque non tantum fundamento historico caret, sed etiam historicis testimoniis repugnat hoc systema. — *b.*) Porro si unus Evangelista libro alterius usus esse statuitur, optime quidem eorum similitudo intelligitur, sed eorum discrepantiae non explicantur; utique secundus nonnulla pro fine suo addere potuit, alia omittere, alia diverso ordine proponere; at ubi semel praedecessoris verba transcribere coepit, cur sententiarum verborumque ordinem subito mutavit? cur synonyma pro praedecessoris verbis adhibuit? cur ea, quae clare dicta erant, obscurius reddidit? cur in rebus, in quibus maior consensus exspectatur, dissentire voluit? Haec et alia multa, quae explicari debent, systematis huius asseclae explicare non possunt. Hinc apud eos maxima illa formarum diversitas, ut vix duos invenias, qui prorsus eadem ratione systema hoc tenent. — *c.*) Inspiratio minime quidem impedit quominus scriptor inspiratus fontibus scriptis utatur; sed aliud est librum pro fonte adhibere, aliud illum ea ratione adhibere, quae necessario admittenda est, ut similitudo et dissimilitudo simul explicentur. Lucas ex. gr. nunc a Matthaeo, nunc a Marco aliqua verba desumsisse esset dicendus, nunc utrum-

que reiecisse, ut suis verbis uteretur, nunc vocabulum mutasse, transposuisse, nunc folia volvisse et revolvisse, ut ad posteriora transiret aut ad priora revérteretur. Certe hac ratione dependentiam non explicant catholici propugnatores systematis, sed nescio an illud admittere non cogantur, si revera dependentiam illam explicare volunt.

III. Systema traditionis oralis.

6. — Si S. Lucae Patrumque de Evangeliorum origine testimonia, uti decet, perpenduntur, traditio oralis vel potius catechesis apostolica praecipuus fons, ex quo Synoptici operum suorum argumentum, ordinem ipsamque sub certo respectu formam hauserint, recte statui videtur. Triplici enim, qua pro ecclesiarum diversitate uti cogebantur Apostoli, catecheseos forma satis explicantur Evangeliorum priorum similitudines, et dissimilitudines, nec quidquam in hoc systemate supponitur, quod primitivarum ecclesiarum conditioni non plane congruat.

S. Lucas in suo prooemio de sola orali traditione veluti fonte omnium eorum loquitur, qui rerum evangelicarum narrationem conscripserint (καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου). Neque alium fontem a Patribus nominari, quotiescumque de Evangeliorum origine disseruerunt, supra iam eorum testimoniis allatis ostendimus. Quae historica testimonia, quum de historica quaestione agatur, summi esse momenti patet; itaque restat, ut systemate hoc difficultatem propositam sufficienter solvi ostendamus.

Iam vero *a*.) Apostolos non solis exhortationibus populum ad fidem adduxisse, sed neophytos continua catechesi in fide instituisse, demonstratione non indiget (cfr *Act.* 19,9; 18,26 etc.). Cuius catecheseos praecipuum argumentum fuisse narrationem vitae dominicae, testis est ipse *S. Lucas*, qui, ut Theophilus illas res, quas in catechesi audierat, accurate cognosceret (ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν ἐκατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν), Evangelium se scripsisse asserens simul clare docet, Theophilum illas res in catechesi iam audivisse. Neque minus clare idem ex *S. Papiae* verbis supra de Evangelio Marci relatis (§ 3,3 p. 468) atque ex simili testimonio *S. Irenaei* (apud Eus. H. E. V. 20) elucet. Per se autem clarum est, non qualescumque sermones dominicos neophytis in catechesi potuisse proponi, sed facilliores dumtaxat. A difficilioribus igitur disputationibus, quas Dominus Ierosolymis et in Iudaea cum Pharisaeis sustinuerat, referendis procul dubio abstinuerunt Apostoli facilioraque illa proposuerunt, quae Dominus in Galilaea coram agricolis piscatoribusque exposuerat. Hinc apte explicatur, cur *Synoptici ministerium galilaicum maxime narrent.*

b.) Porro catechesis ubique eadem esse non potuit; alia erat Ierosolymis, ubi soli Iudaei conversi instituendi erant, alia Romae coram solis neophytis ethnicis, alia Antiochiae, cuius ecclesia ex Iudaeis et ethnicis coaluerat (*Gal.* 2,12); Iudaeis Iesum esse Messiam promissum, demonstrabatur, ethnicis ostendi debuit divinitas Iesu, ecclesiis mixtis universalitas salutis ab eo allatae inculcanda erat; sua igitur sponte exortae sunt *tres catecheseos formae, quae tribus prioribus Evangeliis consonant.*

c.) Ante suam dispersionem autem Apostoli multis annis intime coniuncti Ierosolymis populum docuerant; unde merito coniicimus, tacito quodam consensu res,

quae neophytis tradebantur, esse selectas atque certam quoque earum tradendarum methodum certumque earum ordinem paullatim esse exortum. In hac ergo schola ierosolymitana instituti Apostoli post suam dispersionem in suis catechesibus coram ethnicis illa omittere potuerunt et debuerunt, quae de messianitate Domini et de Iudaeorum traditionibus agebant, alia autem addere, quae Iesu divinitatem, aut, si in ecclesiis mixtis docebant, universalitatem salutis clarius demonstrabant. Solus S. Paulus in schola ierosolymitana non erat institutus, attamen diu cum S. Barnaba aliisque discipulis, qui Ierosolymis venerant, Antiochiae versatus eorum docendi rationem cognovit et procul dubio ex parte adoptavit. Hinc factum esse videtur, ut in sua catechesi, quam scripsit Lucas, magnam quidem partem cum aliis communem habeat, sed plura addat, quam S. Petrus, cuius romanam catechesin scripsit Marcus; ceterum ipse quoque specialis finis, quem S. Paulus prosequebatur, additiones multas reddidit necessarias. Ex tribus igitur catecheseos formis, quae omnes ex una ierosolymitana exortae sunt, apte explicatur *Synopticorum similitudo et dissimilitudo in rerum narratarum delectu et ordine.*

d.) Teste *S. Irenaeo* (apud *Eus.* H. E. V. 20) S. Polycarpus miracula et dicta Domini, prout ea a testibus ocularibus audierat, referre solebat « Scripturis consona » (σύμφωνα ταῖς Γραφαῖς); facile scilicet admittitur, primos Christianos illa, quae Apostoli de vita Domini docuerunt, tam alte memoriae infixisse, ut eorum quoque locutiones retinerent; multo magis autem Apostoli ipsi verba Domini fideli memoria retinebant. Absit quidem, ut eos iisdem prorsus verbis semper eadem miracula et effata dominica in catechesibus repetiisse asseramus; at fieri solet, ut homines, qui saepe easdem res narrant, certo quodam et stabili narrandi typo utantur, easdem locutiones characteristicas adhibeant, eodem modo narrationes disponant. Qui typus eo facilius exoritur, quo minus aliquis linguam, qua uti debet, callet minoreque verborum copia utitur. Hinc factum est, ut Marcus et Lucas et graecus Matthaei interpres, quum sive a Petro et Paulo sive ab aliis Apostolis easdem locutiones rariores in certis narrationibus frequentius audirent, illas una cum rebus memoriae infigerent atque postea, ubi scribere coeperunt, sua quasi sponte repeterent. Ex catechesi igitur apostolica etiam *forma stylique similitudo quaedam exoriri potuit.*

e.) De dissimilitudinibus demum fusius dicere opus non est; nec enim Apostolos nec eorum discipulos catecheses illas memoriae mandasse, clarum est; neque Patres, si Marcum aut Lucam Petri aut Pauli praedicationes scripsisse asserunt, illos censent librarios dumtaxat fuisse aut notarios; sed omnes tres Evangelistae suorum operum veri sunt auctores; quare etiam nihil obstat, quominus aliquis admittat, singulos Evangelistas nonnulla, quae in catechesi ab Apostolis tradi non solebant, suis libris inseruisse.

§ 6. — *De Synopticorum contradictionibus apparentibus.*

1. — Synoptici, magna eorum consonantia non obstante, interdum inter se ita differunt, ut inter se pugnare videantur; at veras inter eos contradictiones non inveniri unanimi consensu iam docuerunt Patres contra antiquos incredulos Evangeliorum harmonia asserta.

« Qui fideliter et integre, inquit *Origenes* (Comm. in Rom. III. 7), sacrorum voluminum colligit sensum, debet ostendere, quomodo ea, quae videntur esse

contraria, non sunt vere contraria ». Quod praeceptum secuti Patres iam saec. 2. « omnium Evangeliorum dicta in unum opus compingere » coeperunt (*S. Hier.* ad Algas. ep. 121,6), atque difficultates ab incredulis haereticisque obiectas sedulo enodarunt. Interpretis est, plenam et perfectam evangelicarum narrationum concordiam ostendere; nos hoc loco duos tantum canones proponemus, qui plerisque synopticorum de vita publica enantiophaniis explicandis sufficiunt; deinde praecipuas difficultates explicabimus, quae de duplici Domini genealogia et de duplici infantiae dominicae narratione moventur; de passione et resurrectione autem infra agemus, ubi de synopticorum et Ioannis concordia erit agendum (§ 8,4. p. 511).

2. — Praeprimis igitur caveat interpres, ne sibi velut textus parallelos obtrudi sinat illos, qui de similibus quidem, sed non de iisdem rebus agunt.

Quod praeceptum *S. Chrysostomus* saepius iam inculcavit (Hom. in paral. 3. 4; in Matth. hom. 4,5 etc.). Domini vita publica illa, quam Synoptici narrant, similis semper et fere eadem erat magnaque varietate carebat; Galilaeam peragrans eiusdem fere ubique conditionis auditores eiusdemque generis adversarios habebat, eosdem morbos sive corporales sive spirituales ubique inveniebat; quapropter eosdem fere aut similes sermones saepius repetebat, easdem obiectiones eodem modo refutabat, similibus miraculis similes morbos curabat. Dominum bis ventum sedasse (*Matth.* 8,26; 14,32; *Marc.* 4,39; 6,51), bis panes multiplicasse (*Matth.* 14,14 sqq.; 15,29 sqq.; *Marc.* 6,32 sqq.; 8,1 sqq.), saepius a Pharisaeis calumniatum esse, quod in Beelzebub daemonia eiiceret (*Matth.* 9,34; 12,24) etc. scimus quia in iisdem Evangeliis ea bis relata legimus; quare si a diversis Evangelistis similia facta vel dicta referuntur, eadem referri non statim concludi potest. Unctio pedum Domini apud *Luc.* 7,36 sqq. alia est atque illa apud *Matth.* 26,6 sqq. et *Marc.* 14,3 sqq.; templi purificatio a Synopticis relata (*Matth.* 21,12 et parall.) diversa est ab illa, quae narratur *Ioan.* 2,13 sqq.; caecus, de quo loquitur *Luc.* 18,35 non videtur esse Bartimaeus, quem Marc. 10,46 nominat etc. Multis in locis etiam catholici interpretes dubii haerent, utrum de similibus an de iisdem rebus sit sermo, ex. gr. *Matth.* 5,1 sqq. et *Luc.* 6,17 sqq.; — *Matth.* 4,18 sqq. (cfr *Marc.* 1,16 sqq.) et *Luc.* 5,1 sqq. etc. Accurate igitur attendatur oportet ad omnia adiuncta, antequam de iisdem rebus agi concedatur.

3. — At altera ex parte caveat quoque interpres, ne illa, quae revera identica sunt, diversa esse proclamet, quia unus Evangelista adiuncta quaedam tacuit, quae alter addidit, aut quia idem sensus non iisdem prorsus verbis ab utroque est expressus. Praeprimis autem attendat oportet, S. Matthaeum pro apologetico et dogmatico suo fine res potius indicare, quam narrare.

Hoc quoque praeceptum iam tradiderunt Patres (*S. Aug.* de Cons. Ev. II. 12. 28 etc.; S. *Chrys.* hom. de Paral. 3. etc.). Evangelistae in rebus gestis sermonibusque Domini referendis munere fidelium testium sunt functi, qui res ita produnt, prout eas memoria tenent; Spiritus S. autem illos impulit, ut has praecise res literis mandarent invigilavitque, ne quid falsi admiscerent et ut sermones Domini, licet aliis verbis uterentur, iuxta eorum sensum accurate redderent. — Prior regulae pars frequenter est adhibenda, ut Matthaeus cum aliis Synopticis concilietur; « compendio » enim saepius dixisse Matthaeum ea, quae fusius et accuratius re-

tulerunt alii, recte monet *S. Augustinus* (de Cons. Evang. II. 20); cfr ex. gr. *Matth.* 9,2 cum *Marc.* 2,3 et *Luc.* 5,18, aut Matth. 8,5 cum *Luc.* 7,2 sqq., aut *Matth.* 9,18 sqq., cum *Marc.* 5,32 sqq., et *Luc.* 8,41 sqq. etc. Qui ad hunc primi Evangelistae modum dicendi attenderit, etiam admittere poterit, sanationem caeci (*Luc.* 18,35) sanationemque Bartimaei (*Marc.* 10,46) per *Matth.* 20,29 sqq. coniunctim narrari. — Altera regulae pars sermonibus conciliandis inservit; idem humilitatis sensus exprimitur, licet verba differant, apud *Matth.* 3,11, *Marc.* 1,7, *Luc.* 3,16; eadem quoque ab omnibus rebus superfluis abstinentia inculcatur, licet verba inter se pugnare videantur, a *Matth.* 10,10, *Luc.* 9,3, *Marc.* 6,8, idem prorsus vituperium *Matth.* 8, 26, *Marc.* 4,40, *Luc.* 8,25 etc.

4. — SS. Matthaeus et Lucas, licet in Domini genealogiis differant neque eadem facta in suis de infantia Domini narrationibus referant, immeritissimo tamen inter se pugnare dicuntur. Genealogias enim ideo differre, quia S. Matthaeus naturales, S. Lucas legales maiores Domini referre voluerint, Patres solido fundamento historico nixi tradiderunt; narrationibus de infantia autem alter Evangelista alterum complet.

a.) Genealogiae (*Matth.* 1,1-17 et *Luc.* 3,23-38) eatenus discrepant, quatenus ex Davidis posteris usque ad Salathielem Matthaeus *quindecim*, Lucas *viginti* eosque diversos enumeret atque iterum a Salathielis filio Zorobabel usque ad S. Ioseph Matthaeus *novem* ponat, Lucas *duodeviginti* diversos. Reliquis difficultatis solutionibus, de quibus agunt interpretes, omissis sufficit adnotasse, antiquos Patres omnes, ut eam solverent, ad matrimonium leviratus (*Deut.* 25,5. 6) recurrisse, quo fit, ut aliquis duos habeat patres, *naturalem*, a quo gignitur, *legalem*, in cuius nomen et iura succedit. Ineunte enim iam saec. 3. *Iulius Afric.* ab ipsis « Domini secundum carnem consanguineis », qui « sive gloriantes (ob generis nobilitatem) sive simpliciter narrantes, certissime autem verum dicentes » (εἴτε φανηττιῶντες εἴθ' ἁπλῶς ἐκδιδάσκοντες, πάντως δὲ ἀληθεύοντες) haec retulerint, sese audivisse asserit : Heli, quem Lucas vocat patrem Iosephi, et Iacobum, quem nominat Matthaeus, fuisse fratres uterinos, utrumque ex stirpe davidica, priorem per Nathan, alterum per Salomonem genus ducentem; Heli sine filiis demortui uxorem nupsisse iuxta leviratus legem Iacobo, a quo concepisset et filium peperisset, qui in prioris mariti nomen et haereditatem intrasset (cfr *Eus.* Quaest. evang. 7; H. E. I. 7). Qua Patrum sententia aptissime explicatur genealogiae differentia inter Ioseph et Zorobabel; alterum autem leviratus matrimonium admitti debet, ut differentia inter Salathiel et David explicetur. Iechonias enim non sibi, quem Dominus sterilem scripserat (*Ier.* 22,30), sed parenti suo Neri genuit Salathielem, qui igitur pro patribus legalibus habuit Neri eiusque maiores usque ad Nathan, filium David, et pro naturalibus Iechoniam eiusque maiores usque ad Salomonem et Davidem. Hanc naturalem genealogiam tradit Matthaeus, ut ostendat Iesum secundum vaticinia esse *ex semine* David, legalem autem recenset Lucas simul innuens, « non qui filii carnis, hos esse filios Dei, sed eos, qui sint filii promissionis, aestimari in semine » (*Rom.* 9,8). Accuratiora de hac quaestione tradunt interpretes.

b.) Mirum profecto est, quod nonnulli in Matthaei et Lucae relationibus de infantia Christi conciliandis difficultatem inveniant, quum tam accurate consonent. Evidens enim est, *Matth.* 1,18 consonare cum *Luc.* 1,26-38, ac deinde *Luc.* 1,39 56 narrationem continuari; post reditum Virginis (*Luc.* 1,56) ponendam esse hae-

sitationem Ioseph (*Matth.* 1,19-24), quam ex ordine sequuntur nativitas Ioannis B. (*Luc.* 1,57-80), iter bethlehemicum (*Luc.* 2,1-5), nativitas Domini (*Matth.* 1,25 et *Luc.* 2,6. 7), adoratio pastorum (*Luc.* 2,8-20), circumcisio (*Matth.* 1,25; *Luc.* 2,21). Deinde pone purificationem Virginis (*Luc.* 2,22-38); e templo autem Ioseph et Maria cum filiolo Nazareth proficiscuntur (*Luc.* 2,39.), ut rebus suis illic compositis in Bethlehem revertantur ibique sedem suam figant. Bethlehemum reversos inveniunt Magi (*Matth.* 2,1-12), post quorum discessum monitus ab angelo Ioseph cum puero et matre eius fugit in Aegyptum (*Matth.* 2,13-18); post mortem Herodis in Palaestinam reversi secedunt in Nazareth (*Matth.* 2,19-23), unde demum Iesus duodecim annos natus cum parentibus ad templum ascendit (*Luc.* 2,40 sqq.). Illi soli in his narrationibus inveniunt difficultatem, qui aut Magos statim post nativitatem Domini advenisse censent, aut in *Luc.* 2,39. 40 ad Evangelistae modum narrandi non attendunt. Magos autem uno circiter anno post Domini nativitatem venisse, communior fuit antiquae Ecclesiae traditio, quae confirmatur tempore apparitionis stellae (*Matth.* 2,7. 16). Porro is est S. Lucae modus narrandi, ut ab uno facto ad alterum interdum transeat temporis intervallo, quo disiuncta sunt, non indicato. Qui ad hunc modum non attenderit, Dominum putabit ex coenaculo in coelum ascendisse (*Act.* 1,4-9), aut eum ipso resurrectionis die in coelum esse elevatum (*Luc.* 24,36-53), aut contradictionem inter *Act.* 9,19-23 et *Gal.* 1,15-18 statuet, quamvis sit plena consonantia, quum etiam Lucas duplicem commorationem damascenam distinguat (*Act.* 9,19 « paucos dies » 9,23 « dies multos »); eadem igitur ratione, qua inter *Act.* 9,21 et 22 inserendum est iter Pauli arabicum (*Gal.* 1,17), inter *Luc.* 2,39 et 40 inserenda sunt, quae tradit *Matth.* 2,1-23.

CAPUT III.

DE QUARTO EVANGELIO SEORSIM SPECTATO.

§ 7. — *De Evangelio secundum Ioannem.*

QUAESTIO I. — De S. Ioannis Apostoli et Evangelistae vita.

1. — S. Ioannes, filius Zebedaei et Salomes, una cum Andrea, Petri fratre, Ioannis B. discipulus fuisse videtur, antequam cum fratre suo Iacobo Mai. Domino sese discipulum adiunxit. Inter Apostolos adoptatus prae reliquis omnibus a Domino diligebatur et dignus est habitus, cui matrem suam Dominus moriens commendaret. Post Spiritus S. adventum S. Ioannes cum Petro primas partes in fundanda Ecclesia habuit, ita ut cum Petro et Iacobo Min., fratre Domini, inter « *columnas Ecclesiae* » sit numeratus (*Gal.* 2,9).

Zebedaeus piscator satis dives fuisse videtur (*Marc.* 1,20 « cum mercenariis »); Salome autem una ex piis mulieribus fuit, quae Dominum in eius peregrinationibus secutae cum B. Virgine iuxta crucem steterunt et postea primum resurrectionis nuntium ab angelo receperunt (*Marc.* 15,40 sq.; 16,1). S. Ioannem unum ex duobus Ioannis Bapt. discipulis fuisse, qui a magistro suo edocti primi Dominum secuti sunt (*Ioan.* 1,35 sqq.), cum *SS. Chrysostomo* (in Ioan. hom. 18,3), *Epiphanio* (Haer. 51,14) aliisque plerique moderni interpretes recte tenent. Neque tamen statim cum Domino mansit, sed post Petrum et Andream simul cum fratre suo Iacobo ad eius discipulatum vocatus est; in Apostolorum catalogis vel secundum (*Act.* 1,13) vel tertium (*Marc.* 3,17) vel quartum (*Matth.* 10, 3) locum occupat; a Domino cum fratre suo nomine novo appellatus (*Marc.* 3,17) cum eodem et Petro reliquis est praelatus (*Marc.* 5,37; 9,1; 14,33), immo solus in ultima coena, utpote « discipulus, quem diligebat Iesus », « in sinu eius » recubuit, ὁ ἐπιστήθιος ideo a Patribus cognominatus. Dominum resurrexisse statim « credidit », quamprimum sepulcrum vacuum invenit (*Ioan.* 20.8), atque ad lacum Genesareth primus Dominum cognovit (*Ioan.* 21,7). Quam magnam partem in fundanda ecclesia palaestinensi habuerit et quem locum in universa Ecclesia tenuerit, elucet ex *Act.* 3,1 sqq.; 4,3; 8,14; *Gal.* 2,9.

2. — Quamdiu in Palaestina remanserit, cum certitudine definiri non potest; certa autem traditione constat, eum ultimos annos in Asia Min. degisse Ephesique residentem ecclesias asiaticas rexisse; ab imperatore Domitiano « propter verbum Dei et testimonium Iesu » in insulam Patmum relegatum mysteria illa vidisse, quae in Apocalypsi Ecclesiae tradidit; ex exsilio Ephesum reversum ecclesiarum asiaticarum gubernatione iterum suscepta Evangelium scripsisse atque Ephesi senem fere centenarium sub Traiano (98.-117.) vitam sanctam sancta morte terminasse.

Quae omnia, quum a modernis hypercriticis in dubium vocentur, testimoniis Patrum sunt confirmanda. De asiatico S. Ioannis ministerio frequenter loquitur *S. Irenaeus*, qui, quum per S. Polycarpum mediatus sit Apostoli ipsius discipulus, fidem hac in quaestione summam meretur; diserte enim tamquam testes invocat presbyteros « qui in Asia cum Ioanne discipulo Domini convixerunt » (c. Haer. II. 22), nudis verbis asserit « Ioannem discipulum Domini, qui et supra pectus eius recumbebat, Ephesi Asiae commorantem edidisse Evangelium » (c. Haer. III. 1), ecclesiam ephesinam vocat verum apostolicae traditionis testem « Ioanne permanente apud eos usque ad Traiani tempora » (c. Haer. III. 3) etc. Circa idem tempus eodem modo de Ioanne Apostolo ecclesiarum asiaticarum rectore loquuntur *S. Polycrates*, Ephesi episcopus (apud *Eus.* H. E. V. 24) et *Apollonius*, Montanistarum in Asia adversarius strenuus (*Eus.* H. E. V. 18). Quibus accedunt omnes illi, qui Apocalypsin a Ioanne Apostolo scriptam esse tradunt, i. e. paucissimis exceptis integer Patrum chorus inde a S. Iustini M. aetate (cfr *Diss.* IX. § 1); epistolae enim ad septem Asiae ecclesias (*Apoc.* 1,4-3,22) evidenter supponunt, auctorem earum gubernacula tenuisse.

Cui testium nubi praeter nugas de praematura Ioannis morte (quam *Apoc.* 18, 20; 21,14 indicatam vident) adversarii nihil opponunt nisi silentium *SS. Ignatii M.* (ad Eph. 12; ad Trall. 5), *Polycarpi* (ad Philipp. 11), *Papiae*, *Hegesippi*. At duo priores iis in locis, quos adversarii indicant, Ioannis mentionem facere non potuerunt; tantum autem abest, ut S. Papias taceat, ut se, dummodo eius verba iuxta grammaticae regulas explicentur (*Eus.* II. E. III. 39), Ioannis Apostoli in Asia commorantis discipulum fuisse asserat, id quod etiam S. Irenaeus (c. Haer. V. 33), S. Hieron. (de vir. illustr. 18) aliique testantur. Hegesippi autem, cuius paucissima tantum fragmenta supersunt, silentium urgeri profecto nequit.

A quo imperatore S. Ioannes in insulam Patmum sit relegatus, omnimoda quidem cum certitudine non constat; summa autem cum verisimilitudine illam relegationem ad Domitiani (81.-96) persecutionem referimus. Nam illam indicat claris verbis *S. Irenaeus* « non ante longum temporis spatium, sed fere sub suo saeculo ad finem imperii Domitiani » Apocalypsin visam esse asserens; quocum consentiunt *S. Victorinus Petav.* (in Apoc. 10,11; 17,10), *Eusebius* (Chron. ad Domit. a. 14), *S. Hieronymus* (c. Iovin. I. 26; de Vir. ill. 9.); neque dissentire dicendi sunt *Clemens Alex.* (Quis dives salv. 42) et *Origenes* (in Matth. t. XVI. 6), qui nomen imperatoris tacent, aut *Tertullianus* (de Praescr. 36), qui etiam nomine imperatoris non expresso simul refert, ante relegationem Ioannem Romae in oleum igneum immersum sed nihil laesum esse. Solus dissentit *S. Epiphanius* (Haer. 51,12. 33) lapsu memoriae, ut videtur, exsilium Apostoli tempori Claudii (41.-54.) assignans; *Theophylactus* vero vel ideo inter testes recenseri nequit, quia satis recens et sibi non constans semel sub Nerone (Prol. in Ioan.), semel sub Traiano (in Matth. 20,23) Apocalypsin scriptam esse dicit.

Domitiani successor Nerva praedecessoris sui decreta rescidit, ita ut S. Ioannes Ephesum reverti atque denuo ecclesias asiaticas regere potuerit; quanto cum zelo ibi Cerintho haeretico restiterit, *S. Irenaeus* refert (c. Haer. III. 3), et quanto cum ardore peccatores ad poenitentiam adducere senex studuerit, pulcherrimo exemplo allato *Clemens Alex.* docet (Quis dives salv. 42). Usque ad Traiani imperium eum vitam protraxisse, post S. Irenaeum plerique tradunt Patres; licet autem morte naturali vitam finierit, « non impar meritum in Petro, qui passus est, et in Ioanne, qui passus non est », nam virtutem patientiae, quam Petrus in opere exhibuit, Ioannes in habitu habebat (*S. Aug.* De bono coni. 21.).

QUAESTIO II. — De quarti Evangelii authentia et integritate.

3. — Maximo cum ardore quam plurimi rationalistae apostolicam quarti Evangelii originem impugnant antiquos Alogos secuti.

Usque ad nostrum fere saeculum omnes Christiani quartum Evangelium S. Ioanni Apostolo auctori adscripserunt paucis illis exceptis haereticis, quibus quia τὸν Λόγον (*Verbum*) a Ioanne praedicatum respuerunt *S. Epiphanius* (Haer. 51,3) Irrationabilium (Ἀλόγων) nomen per derisionem imposuit. Exeunte autem saeculo praecedente Anglicanus quidam, *Ed. Evanson,* primus quarti Evangelii cum synopticis et cum Apocalypsi pugnam aliquam deprehendere sibi visus est, atque ab eo tempore plerique illi, qui rationalistae vocari solent, ad Irrationabilium partes transierunt. In Germania *E. F. Vogel* Evangelii auctorem Iudaeochristianum alexandrinum fuisse suspicatus est, *C. G. Bretschneider* autem eum Ethnicochristianum fuisse asseruit. At nondum satis erant praeparati animi, ut novas has sententias admitterent; itaque *Lützelberger* primum demonstrare conatus est, Ioannem Apostolum numquam in Asia Min. fuisse, quartum Evangelium autem ab omnibus antiquis scriptoribus in Asia Min. scriptum asseri, atque *I. D. Strauss* integram historiam evangelicam mythis constare definiens authentiam omnium Evangeliorum a priore impugnavit. Tum demum *Neotubingiani* et « *critici* » in campum prosilierunt; eorum parens *F. Chr. Baur* Evangelium circa a. 170. in Asia Min. vel Alexandriae compositum esse docuit, ut iudaizantes Petrini et Paulini universalistae altiore quadam et sublimiore doctrina ad unionem adducerentur; similes sententias tradiderunt eius discipuli et sequaces, licet nec de fine nec de origine Evangelii inter se conveniant. *Volkmar* illud c. a. 160. aut 150. exortum dixit, *Schwegler* et *Davidson* c. a. 150, *Scholten* c. a. 140., *Hilgenfeld* inter a. 130. et 140., *Keim* inter a. 110. et 117. aut a. 130. etc.

Contra quos omnes Ioannem Apostolum revera auctorem quarti Evangelii esse demonstraturi pro more in primo loco historica testimonia afferemus, deinde quid Evangelium de suo auctore testetur inquiremus, demum difficultates contra apostolicam originem allatas examini subiiciemus.

4. — I. *Testimonia historica de Ioanne Evangelii quarti auctore.* — Exeunte saeculo 2. Evangelium quartum in universa Ecclesia propagatum atque pro genuino Apostoli Ioannis opere agnitum esse, nemo negat; atqui fieri non potuit, ut liber, qui a falsario quodam intra a. 130. et 170. compositus est, in fine eiusdem saeculi in tota Ecclesia sit receptus, ac multo minus ceu apostolicus ab omnibus sit agnitus.

Quanta huius argumenti sit vis, clarius apparet, si testium apostolicae originis auctoritas perpenditur. Etenim primus testis est S. *Irenaeus* (c. Haer. III. 1), qui Ioannem, ultimum inter Evangelistas, Ephesi in Asia Evangelium hoc edidisse asserens, quum tempus et locum accurate definiat, haec a magistro suo Polycarpo, S. Ioannis ipsius discipulo, sese didicisse satis clare indicat. Ante S. Irenaeum autem circa a. 170. auctor *fragm. Muratoriani* nudis verbis iam dixit, « quarti Evangelii auctorem esse Ioannem ex discipulis »; quocum paullo recentior testis occidentalis consentit *Tertullianus* « nobis, inquiens, fidem ex Apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Marcus et Lucas instaurant » (c. Marc. IV. 2. 5; cfr de Carne Christi 7.). Circa idem tempus in Oriente *Clemens Alex.*

tamquam παράδοσιν τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων refert, « Ioannem omnium Evangelistarum postremum, quum videret in aliorum Evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, divino Spiritu afflatum spirituale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsisse » (apud *Eus.* H. E. VI. 14). Antiochiae demum *S. Theophilus*, qui inde ab a. 169. illam ecclesiam rexit, prima Evangelii verba expresso Ioannis nomine pro divina auctoritate allegat (ad Autol. II. 22.). Quibus testimoniis disertissimis versiones syriacam et latinam saltem medio saec. 2. exortas addamus, et adversarios rogemus, ut nobis explicent, quomodo liber circa medium saec. 2. a falsario nescio quo et ubi et cur et quomodo confictus iam c. a. 170. uti Antiochiae et Alexandriae, ita Romae, Carthagine, Lugduni, in toto Oriente et in toto Occidente, Apostolo Ioanni auctori attributus sit.

Antiquiora testimonia *diserta* quidem, quibus Ioannes auctor nomina tur, desunt; certum vero est, Evangelium ipsum apologetis saec. 2., maxime *S. Iustino M.*, atque immediatis Apostolorum discipulis *S. Ignatio M.* et auctori *ep. ad Diognetum* fuisse cognitum et ab iis eadem ratione, qua reliqua, adhibitum, a *SS. Papia* autem et *Polycarpo* adhiberi primam epistolam S. Ioannis, quae Evangelii non immerito dicitur praefatio illudque supponit.

S. Iustino M. quartum Evangelium cognitum fuisse, satis iam ex eo patet, quod necessitatem baptismi his verbis demonstret : « Dixit enim Christus, nisi renati fueritis, non intrabitis in regnum coelorum. Fieri autem non posse, ut semel nati in uterum matris regrediantur, omnibus manifestum est » (Apol. I. 51 cfr *Ioan.* 3,3. 4). Porro si dicit : « Unigenitum illum Patris universorum esse, proprie Verbum et virtutem ex eo genitum atque postea hominem factum ex Virgine, uti ex commentariis discimus, iam antea demonstravi » (c. Tryph. 105), iterum ostendit, se quartum Evangelium, in quo solo Christus « Unigenitus Patris » et « Verbum » vocatur, inter commentarios « quae vocantur Evangelia » numerasse. Saepissime autem S. Iustinus de Verbo loquitur, illudque in principio apud Deum fuisse, per illud omnia facta esse etc. docet (Apol. II. 6; cfr c. Tryph. 100); diserte allegat Ioan. 1,20. 23 (c. Tryph. 88) et verba *Zachariae* 12,10 ita affert (Apol. I. 52), sicut apud *Ioan.* 19,37 leguntur. Ceterum eius discipulus *Tatianus* integrum Evangelium quartum in suum Diatessaron recepit. S. Iustino aequalis fuit *S. Claudius Apollinaris*, ex cuius libro de paschate duo tantum fragmenta supersunt, sed utroque demonstratur, eum nostrum Evangelium cognovisse et reliquis aequiparasse (Migne Patrol. gr. 5,1297).

Ex Patribus apostolicis *S. Ignatius M.*, se quartum Evangelium agnovisse, certe ostendit, si de Spiritu loquitur, « qui scit unde veniat et quo vadat » (ad Philad. 7; cfr *Ioan.* 3,8), de *pane* Dei, qui est *caro Iesu Christi*, de *potu*, qui est *sanguis* eius (ad Rom. 7; cfr *Ioan.* 6,35. 51), de « principe huius saeculi » (ad Ephes. 17; *Ioan.* 16,11), de « vivente in se et loquente aqua » (ad Rom. 7; *Ioan.* 7,38) etc. Non minus certum est testimonium auctoris *ep. ad Diognetum* (7. 10. cfr *Ioan.* 1,1; 3,16. 17), quae sine ullo dubio ineunte saec. 2. scripta est. *S. Papiam* « testimoniis ex prima Ioannis epistola » usum esse testatur Eusebius (H. E. III. 39), atque eadem epistola usum esse *S. Polycarpum* opusculum eius superstes demonstrat (ad Philipp. 7; cfr 1. *Ioan.* 4,2. 3); iam vero Evangelium quartum et primam Ioannis epistolam tam arcte cohaerere, ut haec sine illo admitti non possit, inter omnes fere constat (cfr Diss. VIII. § 22,2).

Catholicorum doctorum saec. 2. auctoritati testimonium incredulorum et haereticorum eiusdem aetatis plane consonat; quin *Celsus* enim atque Gnostici, *Basilides*, *Valentinus* eorumque discipuli, quartum Evangelium habuerint, non est dubium.

Namque *Celsus* Christianis obiicit, quod Filium Dei dicant eius ipsum Verbum (Αὐτόλογον) et pro illo Verbo (Λόγῳ) exhibeant hominem in crucem actum (*Orig.* c. Cels. II. 31); porro « de sanguine, qui de corpore in crucem sublato fluxerit » ridet (l. c. 36), Dominum vituperat, quod « *in templo* provocatus » signum non fecerit (l. c. 59) etc. *Basilides*, qui ante medium saec. 2. vixit, quarti Evangelii verbis abutitur illa « in Evangeliis » legi asserens (Philosoph. VII. 22. 27.). Eius aequalem *Valentinum* et eos « qui a Valentino sunt, Evangelio secundum Ioannem plenissime uti » testatur S. Irenaeus (c. Haer. III. 11; cfr Philosoph. VI. 34. 35); Valentini discipulus *Heracleon* in quartum Evangelium iam commentarium conscripsit, quo non semel usus est Origenes (in Ioan. VI. 8. 12. 23 etc.). *Naasseni* quoque qui ex antiquissimis gnosticis sunt, magnum numerum testimoniorum ex nostro Evangelio desumserunt (Philosoph. V. 7. 8. 9).

5. — II. *Argumenta interna.* Historicis igitur testimoniis constat, Evangelium illud, quod exeunte saec. 2. in tota Ecclesia S. Ioanni Apostolo auctori adscribebatur, per totum saec. 2. ab orthodoxis Patribus et haereticis velut opus apostolicum esse adhibitum. Ioannem autem revera eius auctorem esse, ex ipso quoque libro colligitur; neque enim obscure auctor se ipse plus semel prodit. Atque Evangelii testimonio accedit auctoritas primae epistolae, quam omnes Patres Ioanni attribuunt.

a.) « Discipulus, quem Iesus diligebat » haec, i. e. quartum Evangelium, scripsit (*Ioan.* 21,24); atqui isto titulo Ioannem designari, communis est sententia, quae ipso Evangelio nititur; nam nec Petrum ita nominari, quum ab illo discipulo discernatur (*Ioan.* 13,23; 21,7, 20), nec Iacobum Mai., quum diu ante Evangelii originem iam occisus sit, est clarum; Petrum autem, Iacobum Mai. et Ioannem a Domino reliquis praelatos esse docent Synoptici. *b.*) Porro ne semel quidem in toto Evangelio nec Ioannis nec fratris eius Iacobi nomina ponuntur, id quod explicari nequit, nisi Ioannes ipse est auctor libri. *c.*) Ioannes Baptista in aliis Evangeliis semper epitheto quodam a Ioanne Apostolo distinguitur; in nostro Evangelio, licet alii discipuli homonymi distinguantur (14,22), Baptista semper vocatur Ioannes sine ullo addito. *d.*) Auctor nostri Evangelii se Iudaeum palaestinensem fuisse prodit quum stylo suo, tum accurata topographiae palaestinensis morumque et consuetudinum Iudaeorum scientia. *e.*) Testem immediatum se fuisse diserte affirmat (1,14; 19,35) et multis temporis, loci, personarum adiunctis ostentat, quae narrationi inserit (cfr 1,29. 35. 41; 2,1 etc.); attendatur quoque, qua ratione statim a principio colloquium Domini cum Andrea eiusque socio (1,35 sqq.), primum miraculum in Cana (2,1 sqq), Domini colloquium cum Nicodemo (3,1 sqq) etc. referat. *f.*) In priore epistola (1,1-3; cfr 2,12-14 *gr.*) S. Ioannes Ap. de aliquo opere suo iam terminato loquitur, quod earum rerum, quibus testis immediatus interfuerat, narrationem contineat; atqui inter omnes libros, qui Ioanni adscribuntur, praeter nostrum Evangelium alius non est, cui descriptio illa conveniat; ergo in prima quoque sua epistola authentiae libri nostri ipse est testis.

6. — III. *Adversariorum obiectiones*, quae ex ipso Evangelio desumun-

tur, omnes erroneis interpretationibus innituntur et pleraeque refutatione indignae sunt.

Duplex est obiectionum classis : aliae ex quarti Evangelii cum reliquis comparatione exoriuntur, atque de his in sequente paragrapho agemus; aliae ex solo nostro desumuntur, et has paucis absolvemus. Iure merito enim illas praetermittimus, quae calumniis quam obiectionibus similiores sunt, ex. gr. quod Veteri Test. Evangelium repugnet, siquidem omnes res per Verbum ex materia praeexsistente productas dicat, aut aeternam vitam in hoc mundo peragendam atque solum iudicium in hac terra subeundum cognoscat etc.; huc quoque spectat, quod Petri auctoritatem eum in finem diminuere dicatur, ut iudaizantem eius doctrinam facilius impugnet, aut quod gnosticum quemdam dualismum, philonianam doctrinam de Verbo, docetismum et nescio quas alias haereses doceat.

Vix maioris momenti est, quod auctor ignorasse dicitur, pontifices iudaicos singulis annis non mutari (11,49), Bethaniam prope Ierosolyma sitam fuisse (1,28) aut si oppida finxisse asseritur, quae numquam exstiterunt : Sichar (4,5), Aenon prope Salim (3,23). Nam S. Ioannes, si Caipham anni *illius* pontificem fuisse refert, singulis annis pontifices mutatos esse nequaquam asserit, sed id solum praedicat, quis anno *illo* ob Iesu mortem tam insigni pontificatum tenuerit, neque curat, num antea et postea eandem dignitatem habuerit. Praeterea melius, quam rationalistici eius interpretes, duas Bethanias distinguit (1,28 et 10,40; — 11,1. 18); quod si vero omnes antiquos scriptores ignorantiae accusabimus, qui oppidorum nobis hodie incognitorum nomina afferunt, tantum non omnibus fidem negare debebimus; ceterum de istis oppidis agunt interpretes.

Una sola obiectio difficultatis speciem habet; auctor sc. ita semper de « Iudaeis » loquitur, ac si ipse iudaicae originis non fuerit seseque plane ab iis secernere velit (2,6 « secundum purificationem *Iudaeorum* », 3,1 Nicodemus, princeps Iudaeorum, 5,1 dies festus Iudaeorum, 6,4; 7,2 etc.). Ad quam difficultatem solvendam adnota, vario modo a Ioanne nomen Iudaeorum adhiberi; interdum omnes Israelitas significat (4,9 etc.), interdum incolas Iudaeae, quatenus distinguuntur a Galilaeis (7,1. 11), interdum demum specialiore sensu eos, qui Legem antiquam etiam post eius abrogationem retinentes novam aliquam sectam religiosam constituebant. Evangelium enim nostrum scriptum est, quando Ierosolymis destructis, templo deleto, populo integro disperso non amplius natio iudaica exstitit; maior autem populi pars, quum Messiam suum respuisset, a patrum suorum religione defecerat neque pro legitima continuatione populi illius haberi potuit, cui promissiones erant datae. Huius igitur novae sectae religiosae asseclas eorumque antecessores pharisaicos, qui Domino praedicanti restiterant, S. Ioannes « Iudaeos » vocat in oppositione ad « veros Israelitas » (1,44) et ab his « Iudaeis » sese discernit. Ob similem rationem de « Lege » interdum loquitur, ac si ad se nec pertineret nec pertinuisset (8,17; 10,34; 15,25); eo enim sensu, quo « Iudaei » isti « Legem » iactabant, Lex ad eum nec pertinuit nec pertinuerat.

7. — Ad INTEGRITATEM QUARTI EVANGELII quod attinet, praeter 5,4 et 21,1-25 maxime historia adulterae (7,53-8,11) in dubium vocatur; at argumenta, quae contra duas priores pericopas afferuntur, infirmissima sunt; historia adulterae autem, licet in multis bonisque codicibus desideretur, non tantum propter decretum Tridentinum pro genuina Evangelii

parte habenda est, sed criticis quoque argumentis sufficientibus genuina demonstratur.

Procul dubio 5,4 (de angelo in piscinam Bethesda descendente) in B. ℵ. C. aliisque paucis graecis atque satis multis copticis et armeniacis codicibus desideratur, a versione syriaca Curet. exsulat, et in nonnullis manuscriptis obelo notatur. Sed longe maior numerus codicum graecorum, inter quos non pauci eximii (A. E. F. G. H. I. K. etc.), versionesque eum exhibent; *Tatianus* saec. 2. eum iam habuit in suo Diatessaro[1]; ineunte saec. 3. *Tertullianus* eum allegat (de Bapt. 5.); medio saec. 4. et deinceps eum agnoscunt *Didymus Alex.* (de Trin. II. 14), *S. Chrysostomus* (in Ioan. hom. 36,1), *S. Ambrosius, S. Cyrillus Alex.* etc.; ad contextum quoque restituendum necessarius est, quia illo omisso nec nomen piscinae (Bethesda, בית חסדא, *domus gratiarum*) explicatur nec aegroti responsio (4,7) intelligitur.

De authentia 21,1-25 dubitari non licet, quia omnes omnino critici testes illud caput integrum tuentur; id forte concedi potest, Ioannem ultimum hoc caput (21,1-23) velut appendicem terminato Evangelio adiecisse atque presbyteros ephesinos duobus ultimis adiectis versibus (21,24. 25) veritatem narrationis suo testimonio corroborare voluisse. At ne haec quidem sententia solido nititur fundamento. Nam duobus ultimis versibus demtis Evangelium apta clausula privatur; narratio ipsa autem est complementum quasi necessarium relationis de negatione Petri, quam S. Ioannes, quia a Synopticis iam fuse et accurate tradita erat, sine ullo dubio pro more omisisset (cfr Quaest. III. 10), nisi triplici Petri negationi triplicem fidei et amoris professionem eius opponere voluisset.

Restat *adulterae historia*, quam Patres Tridentini verbis « cum omnibus suis partibus » decreto de canone additis pro genuina Evangelii parte declararunt (cfr *Theiner* Acta authentica Conc. Trid. I. p. 72.). Verum est, hanc pericopen in octo codd. graecis uncialibus (B. ℵ. A. C. L. T. X. Δ), in nonnullis minusculis et plerisque Lectionariis desiderari, in aliis obelo notari, eam ab Italae quoque antiquioribus et a plerisque syriacis, copticis, armeniacis codicibus exsulare, nec ab Origene, S. Chrysostomo, S. Cyrillo Alex. explicatam legi. Nihilominus sufficientibus testimoniis criticis authentia pericopae munitur. Octo codicibus graecis uncialibus multo plures unciales, qui eam exhibent, et lectionariis plus trecentos minusculos graecos codices, in quibus reperitur, opponimus; accedit quod *S. Hieronymus* (c. Pelag. II, 17) eam « in *multis* graecis et latinis exemplaribus » legi asserat et quod subscriptiones nonnullorum codicum eam ἐν ταῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις adesse testentur. Nonnullarum versionum codicibus alia earumdem exemplaria contradicunt, quibus accedunt *omnes* codices Vulgati, aethiopici, arabici, slavici. Patribus graecis (quorum testimonium certum non est, quia Origenis commentarii in Ioan. 5,1-8,19 perierunt et S. Chrysostomus alias quoque Ioannis pericopas praetermittit) opponere licet latinos Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Sedulium, Leonem M., Chrysologum, Cassiodorum, Prosperum, Gregorium M. Porro cur narratio, si genuina non est, illo praecise in loco sit inserta, explicari non potest; cur vero in multis codicibus et maxime in lectionariis sit omissa, facile explicatur, siquidem nonnullis parum apta videbatur, quae

(1) Id quod iure asserimus, quia invenitur quum in arabica Diatessari editione (*Ciasca* Tatiani Evangeliorum harmonia arabice. c. 22), tum in latina (Cod. Fuld. ed. Ranke p. 82), tum in syriaca (S. Ephr. Evangelii concord. expos. ed Moesinger p. 146).

publice legeretur; nam « si quis eam auribus otiosis accipiat, erroris incentivum incurrere potest » (*S. Ambr.* Apol. Dav. II. 1; cfr *S. Aug.* de Coni. adult. II. 7; *S. Nicon.* De impia Armen. relig. 2). Obiicientibus, narrationem stylo suo a reliquo Evangelio differre, respondemus tantam esse in hac pericopa variarum lectionum silvam, ut quis eius sit primitivus textus difficillime definiatur, certum igitur iudicium de stylo ferri non posse, praesertim quum S. Ioannes in omnibus fere pericopis singularitates quasdam styli habeat; atque demum monemus, narrationis authentia admissa concinniorem fieri contextum, id quod ipsi rationalistae nonnulli concedunt.

Quaestio III. — De quarti Evangelii fine et destinatione.

8. — S. Ioannem Evangelio suo praeprimis Iesu messianitatem et divinitatem demonstrare et fidem in Iesum tamquam in Christum et Dei Filium necessariam praedicare voluisse, ex tota eius narratione tam manifeste apparet, ut hunc eius finem primarium fuisse Patres iam unanimes innuant.

Plerique interpretes Evangelii integri finem illis verbis non immerito vident expressum, quibus Evangelista narrationem secundae apparitionis Domini resuscitati terminat : « Haec scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus (Messias), filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius » (20,31). Thesin suam a principio iam proponit : « vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre » (1,14) eamque statim demonstrare aggreditur testimoniis Ioannis Bapt. (1,34) primorumque discipulorum (1,41. 45. 49), quibus adiungit primum miraculum, quo Iesus « manifestavit gloriam suam » (2,11). In « domo Patris sui » eiectis vendentibus provocatus, ut signo suam divinam missionem probaret, futuram suam resurrectionem tamquam maximum signum iam praedicit (2,16. 18. 22). Coram Nicodemo seipsum declarat Filium Dei a Patre missum, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat (3,16 sqq.), quam declarationem Evangelista altero Baptistae testimonio confirmat (3,31). Nulla in toto libro maior est pericope, in qua aut a Iesu ipso aut ab aliis messianitas et divinitas eius non asseratur fidesque in eum necessaria non praedicetur. In passionis historia antiquis vaticiniis mortem Domini respondere ostendit (12,15. 38. 40; 13,18; 19,24. 28. 36. 37), atque Iesum mortem liberrime subiisse demonstrat (18,4 sqq.; 32 sqq.; 19,10 sq.; 28 sqq.).

Hunc peculiarem Evangelii characterem et finem etiam omnes asserunt Patres. « Nullus, inquit *Origenes* (in Ioan I. 6), Evangelistarum adeo pure manifestavit Iesu divinitatem, ut Ioannes »; ei tamquam digniori reservatum fuisse, ut a divinitate Iesu caperet initium, censet *Eusebius* (H. E. III. 24); eum « de divinitate Salvatoris altius scribere et ad ipsum Verbum non tam audaci, quam felici temeritate prorumpere », monet S. *Hieronymus* (in Matth. Prol.), atque *S. Augustinus,* « tres priores Evangelistas tamquam cum homine Domino in terra deambulasse et de divinitate pauca dixisse, Ioannem autem non solum super terram sese erexisse, sed etiam super omnem exercitum Angelorum et ad eum pervenisse, per quem facta sint omnia » (in Ioan. tract. 36; de Cons. Evang. I. 4). Quibuscum consentientes *Clemens Alex.* (Eus. H. E. VI. 14), *S. Ephraem* (Evang. concord. expos. p. 286), *S. Epiphanius* (Haer. 51,19) eum prioribus Evangeliis, quae humanam magis naturam Christi spectant, « spirituale Evangelium » addidisse docent.

9. — Evangelium autem suum S. Ioannes non neophytis recenter in Ecclesiam receptis, sed ecclesiis iam adultis Asiae Min. destinavit, ut eas contra Cerinthi aliorumque haereticorum errores tum temporis pullulantes praemuniret. Hoc enim tradunt Patres et confirmat libri indoles.

Si quartum Evangelium cum duobus primis, quorum unum messianitatem, alterum divinitatem Iesu demonstrare voluit, accurate comparamus, latere nos non potest, alios omnino lectores a Matthaeo aut Marco, alios a Ioanne prae oculis haberi; omnino aliam enim demonstrandi methodum tenent. Matthaeus neophytos Iudaeos in fide confirmaturus impletione vaticiniorum Iesum vere esse Messiam in Lege promissum ostendit, atque Marcus, ut neophytos ethnicos in fide confirmet, miraculis congestis Iesu divinam potestatem divinumque dominium demonstrat. At Ioannes rarissime (si passionis historia excipitur) vaticinia impleta ostendit et pauciora, quam ullus alius Evangelista, miracula affert; sed Domini ipsius de sua divina natura testimonia professionesque fidei, quibus Ioannes B., Apostoli, integer populus eius messianitatem asserunt, in medium producit. Lectoribus igitur scripsit, quibus verba Domini, Ioannis B., Apostolorum maioris erant auctoritatis, quam miraculorum narratio, i. e. Christianis in fide adultis, qui contra haereses erant praemuniendi. Quorum errorum auctores erant perversi Christiani, « qui ex nobis prodierunt, inquit S. Ioannes, sed non erant ex nobis », qui « negantes quod Iesus est Christus » « negant Patrem et Filium » (1 Ioan. 2,19).

Nomina istorum haereticorum Patres afferunt (*S. Hier.* de Vir. ill. 9; *S. Epiph.* Haer. 51,12; 69,23; *S. Iren.* c. Haer. III. 11 etc.), quibus testibus Cerinthiani, Ebionitae, Nicolaitae in eo consenserint, quod Iesum inter et Christum Filiumque Dei distinguentes (« qui solvunt Iesum » 1 *Ioan.* 4,3) Iesum dicerent merum hominem fuisse, Verbum autem esse incarnatum Filiumque Dei in carne venisse negarent. Iuxta Cerinthum Christus cum Iesu sese in baptismo coniunxit, sed ante passionem ab eo avolavit, ut Iesus solus sit passus; iuxta Ebionitas, qui per antiquam Legem iustificari voluerunt, Iesus Legis observatione factus est Christus etc. (cfr Philosoph. VII. 33. 34; *S. Iren.* c. Haer. I. 26; *S. Epiph.* Haer. 28,1 etc.). Gnosticorum errorum initia in tempore apostolico quaerenda esse, omnes recentiores epistolae Apostolorum ostendunt, et ex Apocalypsi (2,2. 6. 9. 14 etc.) apparet, quam late haereses in Asia Min. fuerint sparsae.

Itaque S. Ioannes suum librum scripsit, non eum quidem in finem, ut directe eos refutaret, sed ut Christianos contra eos praemuniret. Hinc in magnifico prologo Verbum carnem factum esse docet, et contra Cerinthum ostendit, iam ante baptismum, in quo ille Iesum et Christum unitos esse asseruit, Iesum Filium Dei esse agnitum (1,15. 29-34). Hinc argumenta sua, quae Christianis iam in fide confirmatis destinavit, ex ipsius Christi verbis Apostolorumque fidei professionibus desumsit. Hinc de sola fere Christi persona agit, neque aliud officium debitum praeter fidem inculcat in Iesum Christum Filium Dei, « ut credentes vitam habeant in nomine eius ». Hinc contra Cerinthianos in patiente et moriente Iesu illa vaticinia impleta esse docet, quae de Christo praedicta erant, et ut Ebionitarum errorem praecaveat, cum aliquo despectu de « Lege » loquitur, quatenus ab illis necessaria credebatur. Hinc etiam illud explicatur, cur apud S. Ioannem « Christus » et « Filius Dei » unum idemque sonent atque nomina haec inter se permutentur; messianitatem enim eo sensu, quo eam Matthaeus demonstraverat, Ioannes demonstrare noluit, sed praecipuus eius finis fuit, ut ostenderet, Iesum esse verum et proprium Dei Filium, qui caro factus habitavit in nobis.

10. — Certa quoque est Patrum traditio, quae libri indole confirmatur, S. Ioannem Evangelia synoptica lectoribus suis cognita supposuisse eaque suo libro addito complere voluisse.

Mirum forsitan nonnemini videatur, quod S. Ioannes, si divinitatem Iesu demonstrare et contra haereticos vindicare voluerit, tot praeclara divinitatis testimonia a Synopticis allata plane praetermiserit; attamen mirari cessabit, si attenderit, iuxta unanimem traditionem Patrum Evangelistam praedecessorum suorum libros cognovisse atque a discipulis rogatum eos suo Evangelio complevisse. « Ioannes, inquit *Clemens Alex.*, quum videret in aliorum Evangeliis ea, quae ad corpus pertinent, tradita esse, a familiaribus rogatus afflatus Spiritu S. spirituale Evangelium conscripsit » (Eus. II. E. VI. 14); similia referunt *Eusebius* (H. E. III. 24), *S. Ephraem* (Evang. concord. expos. p. 286), *S. Epiphanius* (Haer. 51,12), *S. Hieronymus* (de Vir. ill. 9) aliique. Ac profecto saepissime S. Ioannes ita loquitur, ut plane non intelligatur, nisi reliqua Evangelia sint cognita. Iesus a Philippo et a Iudaeis vocatur *filius Ioseph* eiusque mater velut cognita introducitur (1,46; 6,42; 2,1), neque tamen ullibi Ioannes de parentibus Iesu diserte loquitur. Ut explicet, quis sit Lazarus, eum de castello Mariae et Marthae sororis eius fuisse dicit (11,1), sed quaenam fuerint illae sorores, lectores ex Lucae Evangelio scire debent. De « *duodecim* » sine ullo addito loquitur (6,67 sqq.; 20,24); quinam illi fuerint, ex aliis Evangeliis cognitum supponit. Miracula duo in Cana patrata (2,11; 4,54) *initium* signorum et *secundum* signum fuisse dicit; indicat igitur, lectores antea putasse aut putare potuisse, Dominum ab aliis miraculis ministerium galilaicum inchoasse, ab iis sc., quae Synoptici narrant. Baptistam « nondum in carcerem missum fuisse » dicit (3,24), at nullibi de hac captivitate loquitur, quam Synoptici iam retulerant etc. Quia igitur priora Evangelia cognita supponit, ideo multa illa miracula aliaque divinitatis testimonia ab aliis allata omittere voluit, ut novis et altioribus argumentis suam thesin confirmaret.

Quaestio IV. — De quarti Evangelii ordine.

11. — Tam accurate S. Ioannes chronologicum ordinem in sua narratione sequitur, ut veram vitae publicae Domini chronotaxin exhibeat Dominumque a baptismo usque ad suam mortem tribus annis et aliquot mensibus docuisse ostendat.

Singulorum fere, quae narrat, accurate tempus indicat Ioannes. Post prooemium statim singula facta secundum dies, quibus acciderunt, ita distribuit, ut per integram hebdomadam usque ad nuptias in Cana Dominum sequamur (1,29. 35. 43; 2.1). A Cana descendit Dominus in Capharnaum, ubi « non multis diebus » mansit (2,12); ab hoc deinde momento Evangelista omnia iuxta Iudaeorum festa disponit : 2,13 (*pascha*) 5,1 (dies festus Iudaeorum), 6,4 (*pascha*), 7,2. 14 (scenopegia), 10,22 (encaenia), 11,53 et 12,1 (*pascha*). In hac serie solus « dies festus Iudaeorum », qui 5,1 commemoratur, nomine suo caret; quare inde iam a Patrum tempore magnus interpretum in eo definiendo dissensus; rectius tamen illos sentire arbitramur, qui *pascha* intelligentes publicam vitam Domini quatuor paschatis determinari atque ultra tres annos durasse censent.

Huic enim sententiae favet *a.*) probabilior loci lectio (ἡ ἑορτή ℵ. C. E. F. H. L. M. Π cum multis minusculis; Copt. utraque; reliquae versiones, quum articulo ca-

reant, saltem non contradicunt), nam « festum « κατ' ἐξοχήν Iudaeorum est *pascha*, quod immediate antea (4,45) bis vocatur ἡ ἑορτή. *b.*) Eidem *S. Irenaei* favet auctoritas (c. Haer. II. 22), qui eam velut certam contra gnosticos affert; atque eidem illi Patres favere dicendi sunt, qui plus quam tres annos publico ministerio Domini tribuunt, uti *Eusebius* (H. E. I. 10), *S. Hieronymus* (Chronic. ad a. 18. Tib.) etc. *c.*) Nullum quoque festum omnibus perpensis aptius intelligitur. Neque enim potest esse *Purim*, id quod modernis multis placet; nam Purim festum erat civile potius quam religiosum, quare ἑορτή (חג vel מועד) non vocabatur, nec ad illud celebrandum Ierosolyma Israelitae ascendebant. Nec intelligi potest festum *Pentecoste*, id quod voluerunt iam *SS. Cyrillus Alex.*, *Chrysostomus*, *Thomas Aq.* consentientibus haud paucis modernis; etenim illam pentecosten intelligunt, quae primum pascha Christi (2,13 sqq.) immediate secuta est; atqui *octavo* illius anni mense (i. e. Decembri) et quidem *ante* festum, de quo agitur, Dominus per Samariam Galilaeam petiit (4,35). Eodem argumento excluditur *scenopegia*, quae mense septimo celebrabatur; de *encaeniis* autem, quae mense nono peragebantur, vel ideo sermo esse non potest, quia maioribus festis non adnumerabantur nec ἡ ἑορτή appellari potuerunt. *d.*) Unica difficultas contra hanc sententiam in eo est, quod 6,4 iterum de paschate sit sermo, ut integri anni historia sit praetermissa; at haec difficultas magni non est momenti, siquidem Evangelista inter 6,72 et 7,1 sex menses et inter 10,21 et 10,22 duos menses transilit; integer ille annus ministerium galilaicum a Synopticis narratum complectitur ideoque a S. Ioanne aptissime praetermissus est.

Cum ordine autem chronologico Evangelista rerum quoque ordinem ita coniunxit, ut ex singulis vitae dominicae periodis facta eligeret, quibus Dominum *in vita* et *in morte* divinam suam gloriam manifestasse apparet. Unde duae exoriuntur libri partes, quae iterum in trinas sectiones sibi quodam modo correspondentes apte distribuuntur, uti ex hoc conspectu elucet.

Prologus (1,1-18) *dogmaticum Evangelii fundamentum est.* Verbum aeternum, quamvis per creationem et revelationem sese manifestasset, ab hominibus peccato obnoxiis non cognoscebatur, atque ne tunc quidem, quum in sua venisset, a suis recipiebatur, licet illis, a quibus recipiebatur, summam tribueret dignitatem et caro factum gloriam suam distributione gratiae et veritatis manifestaret.

Pars prior (1,19-12,50). *Manifestatio gloriae divinae in Iesu Christi vita publica.*

1. Ab illis, qui bonae sunt voluntatis, fide recipitur sed non ab omnibus fide sufficiente (1,19-4,54).

Perfecta fide recipitur a Ioanne B. gloriam hanc publice profitente (1, 19-34) et a primis discipulis, qui eam professi primo miraculo in fide confirmantur (1,35-2,12);

fide imperfecta a Ierosolymitanis *in primo paschate* (2,13-25), a Nicodemo (3,1-21) et Iudaeae incolis discipulisque Baptistae, qui novo magistri testimonio de divinitate Domini indigent (3,22-26);

iterum vero fide perfecta a Samaritana (4,1-26), reliquis Samaritanis (4,27-42), Galilaeis et regulo capharnaumitano (4,43-54).

2. Manifestatio gloriae Christi ardentius semper impugnatur a Pharisaeis, donec eum occidendum decernant (5,1-11,56).

In *secundo paschate* Ierosolymis post magnum miraculum a Iesu patra-

tum prorumpit infidelitas Iudaeorum (5,1-18), quibus Dominus frustra exponit, quo cum iure aequalem se Deo dicat (5,19-47).

In *tertio paschate* in Galilaea duobus magnis miraculis non obstantibus (6,1-21) etiam inter galilaicos discipulos infidelitas sese manifestat, quum maiora signa postulent; at maius signum, quod eis promittitur, propter carnalem sensum non intelligunt nec credunt (6,22-72).

In *scenopegia eiusdem anni,* ad quae Dominus Ierosolyma ascendit (7,1-13), Pharisaei infideles eum iam capere volunt (7,14-53). Postquam adulterae accusatores confudit et sese lumen mundi proclamavit (8,1-20), secuta est vehemens disputatio, ita ut Pharisaei eum lapidare vellent (8, 21-59). Insequente autem sabbatho, quum caeci sanatione magis irritati essent Pharisaei (9,1-41), Dominus malis illis pastoribus sese bonum pastorem opponit (10,1-21).

In *encaeniis* demum Dominus insidiis Iudaeorum sese subtraxit in Peraeam secedens (10,22-42); unde a sororibus Lazari arcessitus quatriduanum mortuum resuscitat (11,1-45), sed occaecati Pharisaei eum occidere statuunt (11,46-56).

3. Antequam hoc consilium exsequi potuerunt, manifestatio gloriae Christi triumphum agit de adversariis, incompletum quidem sed praesagium completae victoriae mox futurae (12,1-36).

Sex diebus ante *ultimum pascha* Maria pedes Domini ungit et multi Iudaei credunt in eum (12,1-11); triumphans acclamante populo in civitatem suam ingreditur (12,12-19); etiam gentiles eum videre volunt, et Deus eum glorificat voce delapsa de coelo (12,20-36).

4. In huius partis *epilogo* (12,37-50) Evangelista exponit, cur non omnes ad eum fide accedere voluerint.

Pars altera (13,1-21,23). *Manifestatio gloriae divinae in Iesu Christi morte.*

1. Manifestatio haec in ultima coena fide recipitur a discipulis (13,1-17,26).

Dominus, postquam pedes discipulorum lavit, ex eorum medio traditorem eiecit, Petri negationem praedixit (13,1-38), eos consolatur fidem eorum confirmans et Spiritum S. eis promittens (14,1-31), intimam secum unionem eis commendat (15,1-16,4), spem eorum erigit fructibus sui discessus indicatis (16,5-33), ac demum sollemni oratione a Patre sibi glorificationem, discipulis perseverantiam, omnibus veram unionem rogat (17,1-26).

2. Manifestatio gloriae Christi patientis et morientis ab eius inimicis respuitur (18,1-19,37).

In passionis et mortis historia narranda Evangelista id maxime spectat, ut Dominum in horto (18,6 sqq.), et coram summo sacerdote (18,20 sqq.), et coram Pilato (18,36 sqq.; 19,9 sqq.), et in morte (19,30), et post mortem (19,33 sqq.) gloriam suam manifestasse ostendat atque vaticinia in eo impleta esse doceat.

3. Manifestatio gloriae Christi mortui et resuscitati plenum triumphum agit de adversariis (19,38-21,23).

Ioseph Arimath. et Nicodemus aperte se eius discipulos professi corpus eius honorifice sepeliunt (19,38-42); ipse tertia die resuscitatus apparitionibus suis fidem discipulorum confirmat (20,1-31), ad lacum Tiberiadis apparens Petrum pastorem supremum Ecclesiae constituit (21.1-23).

Epilogus (21,24. 25) veram sed incompletam esse narrationem testatur.

QUAESTIO V. — Quo tempore et loco quartum Evangelium sit scriptum.

12. — Versus finem saec. 1. Evangelium quartum, si eius indoles et finis considerantur, scriptum esse, Patres recte asseruerunt; utrum vero in insula Patmo an Ephesi scriptum sit, non constat.

Post reliquos Ioannem suum Evangelium scripsisse, demonstrant testimonia Patrum et libri indoles (10 p. 506); post S. Petri martyrium eum scripsisse, merito colligitur ex eius explicatione verborum Domini de morte Petri (21,18.19); ante eventum enim scriptores sacri vaticinia relata explicare non solent. Etiam non nisi post destructionem Ierosolymorum eum scripsisse, docere videtur modus, quo de rebus ierosolymitanis velut non amplius superstitibus loquitur (11,18; 18,1; 19,41; contra 5,2 cfr 5,3. 4). — Porro plerique Patres ultimo decennio saec. 1. originem Evangelii attribuunt, atque cum hac traditione finis indolesque eius consonant, siquidem contra Cerinthum et Ebionitas illud editum esse vidimus; Cerinthum autem versus finem saec. 1. ex Aegypto Ephesum venisse historicis documentis constat, neque ante idem tempus secta Ebionitarum post a. 63. in Palaestina exorta alias ecclesias invasit. Tota quoque argumentandi ratio Evangelistae ostendit, eius lectores iam satis diu in fide evangelica vixisse atque pro lacte cibo solido iudiguisse. — Utrum vero S. Ioannes exsul in Patmo insula degens an ex exsilio Ephesum reversus librum ediderit, dissentientibus inter se Patribus definiri non potest; alteram tamen sententiam ob gravissimum S. Irenaei testimonium praeferendam ducimus.

CAPUT IV.

DE QUATUOR EVANGELIORUM CONVENIENTIA.

§ 8. — *De Evangelio quarto cum synopticis comparato.*

1. — Satis magnam differentiam quartum inter et tria priora Evangelia intercedere, Patres iam monuerunt; immerito autem moderni « critici » de oppositione quadam et pugna, quae inter illa inveniatur, loquuntur.

Patres, quum S. Ioannem *spirituale* Evangelium tribus prioribus addidisse dicant (*Clem. Alex.* apud Eus. H. E. VI. 14; *S. August.* de Cons. Evang. I. 5; etc.), argumentum ab Evangelistis tractatum maxime spectant; moderni autem etiam in docendi modo, quem Dominus iuxta Synopticos et iuxta S. Ioannem tenuerit, magnam differentiam recte inveniunt, immerito autem concludunt, aut Synopticorum aut Ioannis narrationem esse reiiciendam. Paucis igitur exponamus oportet, undenam quum in rebus narratis tum in docendi methodo, quae Domino attribuitur, differentia sit exorta. Quam si adesse concedimus, omnem tamen oppositionem et pugnam inter Evangelistas temere statui ostendemus.

2. — Qui ad duplicem S. Ioannis finem attenderit, praeprimis non mirabitur, quod *in rerum narratarum selectione* a praedecessoribus suis discesserit. Etenim ut eorum narrationem compleret, alia facta dictaque referre debuit, quibus manifestatio gloriae divinae Unigeniti clarius innotesceret.

Pauca tantum cum Synopticis Ioannes communia habet, duo sc. miracula, quae repetit, ut occasionem praeclari sermonis de S. Eucharistia explicet (6,1-21), atque historiam passionis, cui multas minutas res ab aliis praetermissas addit. *Eusebius* (H. E. III. 24) et *S. Hieronymus* (de Vir. ill. 9.) ea in quarto Evangelio suppleta putant, quae Dominus ante Ioannis Bapt. captivitatem egerat; at haec minimam libri partem constituunt (1,19-4,45); reliqua pars de eodem tempore, de quo synoptica, agit. Rectius Synoptici de iis, quae Dominus in Galilaea agit, scripsisse dicuntur, atque Ioannes ea addidisse, quae ante passionis hebdomadam Ierosolymis et in Iudaea a Domino gesta et dicta sunt; de eius ministerio galilaico enim in quarto Evangelio pauca traduntur (1,43-2,12; 4,43-54; 6,1-7,13).

Cur autem S. Ioannes hanc partem vitae dominicae supplere voluerit, ex primario eius fine apte explicatur. Namque ut lectoribus suis magis magisque persuadeat, « quia Iesus sit Christus Filius Dei, in quem credentes habituri sint vitam », Dominum illis in locis illisque in occasionibus sequitur, in quibus gloriam suam clarius manifestavit et divinitatem suam apertius asseruit, id quod in diebus festis maxime fecit, quando ad domum Patris sui ascendit. Procul dubio etiam in Galilaea multis miraculis potentiam suam divinam pulcherrimisque sermonibus infinitam suam sapientiam manifestaverat; at S. Ioannes, ut gnosticos de abscondita sua γνῶσι stulte superbientes confunderet, Dominum coram principibus et doctoribus Israel divinitatem suam magnis miraculis et sublimibus sermonibus asseren-

tem ostendere maluit. Duplici igitur fine, quem sibi proposuit, satis explicatur, cur in rebus narratis cum praedecessoribus suis discrepet.

3. — Eadem autem ratione etiam *diversa docendi methodus Domini* apud Synopticos et S. Ioannem, vel potius diversus character sermonum dominicorum ab iis relatorum explicatur. Etenim a prioribus Domini sermones coram simplicibus auditoribus de rebus maxime moralibus habiti referuntur; quartus autem sublimiores illos addit, quibus coram doctoribus populi de altissimis fidei mysteriis disseruit.

Sermones Domini apud Synopticos praecepta fere vitae resque fidei intellectu faciliores stylo simplici et vulgi captui accommodato exponunt; in sermonibus suis autem apud Ioannem « nihil humanum dicit, sed quidquid loquitur ex spiritualibus abyssis haustum est » (*S. Chrys.* in Ioan. hom. 1,2); cui argumenti sublimitati stylus respondet haud raro abstractus, ideoque obscurior, saepe etiam magnificus et augustus; parabolae quoque et similitudines non tantum rariores sunt, sed sublimiores quoque dogmatis potius illustrandis, quam vitae praeceptis tradendis adaptatae. Quae diversitas velut oppositio et pugna immerito venditatur. Alio modo Dominum coram populo, alio coram discipulis locutum esse, ipsi asserunt Synoptici (*Matth.* 13,10 sqq. et parall.); alio modo eum pauperibus piscatoribus adventum regni coelorum persuasisse, alio modo eum Pharisaeorum superbiam confudisse et Scribarum captiosas quaestiones refutasse, per se evidens est; alio modo Nicodemo (*Ioan.* 3,1 sqq.), alio Samaritanae (4,5 sqq.) loquitur. Diversa igitur auditorum indole *forma* diversa sermonum sufficienter explicatur, maxime quum etiam sublimius argumentum, quod in quarti Evangelii sermonibus tractatur, sublimius dicendi genus postulet.

At S. Ioannem in reliquo Evangelio, in quo ipse loquitur, et in prima epistola eodem fere stylo uti, monent nonnulli rationalistae, ut sermones Evangelii ab Apostolo confictos demonstrent. Quibus respondemus, discipulo vituperio non esse, si magistri sui dictionem imitatur, atque Ioannem sermonum a Domino aramaice habitorum *sensum* fideli memoria retinuisse Spirituque S. assistente fideliter reddidisse, sed externam *formam* (graecas constructiones, dictiones etc.) eis addidisse. Ceterum quam accurate etiam *verba* magistri retinuerit, saepius ostendit (2,19 sqq.; 4,32 sqq.; 7,33 sqq.; 11,11 sqq.; etc.).

4. — Dissimilitudine indicata plenam quatuor Evangeliorum concordiam non turbari, manifestum est; neque alia sive in publicae vitae sive in passionis ac resurrectionis narratione reperitur differentia, quae ullo modo contradictionibus adnumerari possit, dummodo evangelici textus sine praeiudicatis opinionibus examinentur.

Non desunt quidem acatholici interpretes, qui Ioannem synopticas narrationes corrigere voluisse contendunt, at exempla ab iis allata id unum probant, accuratiore narratione illum praecavisse, ne ab incautis lectoribus prior narratio male intelligeretur. Profecto Synopticos non corrigit, si expresse docet, quaenam primum et secundum Domini miraculum in Galilaea fuerint (2,11; 4,54); nam hac de re illi nihil asseruerant; at eorum lectores attentos reddit, ne Dominum aut a sermone montano *Matth.* 5,1 sqq.) aut a vocatione primorum discipulorum (*Marc.* 1,16 sqq.) aut a praedicatione nazarethana (*Luc.* 4,16 sqq.) galilaicum ministerium inchoasse putent. Idem valet de *Ioan.* 1,35 sqq. cfr *Matth.* 4,18 sqq. et parall.;

Ioan. 3,24 cfr *Matth.* 4,12 et *Marc.* 1,14; etc. In sola passionis et resurrectionis historia nonnullae difficultates explicatione quadam indigent.

a.) Gravissima illa esse censetur, quod ultimae coenae alium diem Synoptici, alium Ioannes assignare videantur. Iuxta priores enim « prima die Azymorum » Dominus pascha manducavit (*Matth.* 26,17; *Marc.* 14,12; *Luc.* 22,7); Ioannes vero praecedentem diem designare dicitur, ita ut prima azymorum die Dominus sit crucifixus; « ante diem festum paschae » enim coenavit Dominus (13,1), postridie Iudaei praetorium intrare noluerunt, « ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha » (18,28) et Pilatus sedit pro tribunali die illo, « qui erat parasceve paschae » (19,14). — Omnibus Patribus et antiquioribus interpretibus, quos haec difficultas non fugerat, persuasissimum erat, hac in quaestione veram contradictionem adesse non posse; profecto si concedendum esset, Evangelia non nisi medio saec. 2. esse conscripta, nondum concedi posset, eo tempore Christianos non amplius scivisse, utrum Dominus in ipso paschatis die, quem omnes Iudaei celeberrimum habebant, an in alio communi die crucifixus esset. Quare antiquitus iam variae propositae sunt difficultatis solutiones, inter quas haec est probabilior. Omnino admittimus, Dominum cum discipulis veram et propriam paschalem coenam secundum Legem die legitimo (i. e. vespere diei 14. Nisan) manducasse; id enim clare dicunt Synoptici (*Matth.* 26,17; *Marc.* 14,12; *Luc.* 22,7. 15); neque minus concedimus, Iudaeos eo die, quo Christus mortuus est, nondum agnum paschalem manducasse; id enim clare dicit Ioan. 18,28 et elucet ex tota narratione; nam dies, qui esum paschatis sequebatur, Iudaeis erat velut sabbathum, in quo ab omni opere servili erat abstinendum. At iuxta traditiones suas, uti *Rupertus Tuit* iam monuit (in Matth. X. 13) et *Paulus Burg.* testimoniis rabbinicis confirmavit (Additam. ad Lyran. Post. in Matth. 26), Iudaei diem primum paschatis, si in feriam 6. incidit, in sabbathum sequentem transtulerunt, ne duobus integris diebus ab omni opere servili abstinere deberent, id quod satis difficile et incommodum erat. Dominus autem hac traditione neglecta secundum Legem vespere die 14. Nisan, quae illo anno erat feria 5., agnum paschalem comedit; Iudaei autem, ne duo sabbatha continuare cogerentur, iuxta traditiones suas coenam paschalem in vesperam diei 15. Nisan, quae erat feria 6., transtulerunt; atque ita factum est, ut illud sacrificium cruentum, cuius typus erat agnus paschalis, circa eandem horam in Golgotha sit consummatum, qua Iudaei in atrio templi suos agnos occidebant. Translationem hanc revera illo anno factam esse, innuunt Lucas et Marcus, ubi dicunt, Dominum eo die manducasse pascha, « quo *debuit* occidi pascha » (ἡ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. *Luc.* 22,7), « quo occidere *solebant* pascha » (ὅτε ἔθυον τὸ πάσχα. *Marc.* 14,12); fundamento igitur scripturistico haec difficultatis solutio non caret.

b.) Multae difficultates in narrationibus de triplici Petri negatione inveniuntur, quum Synoptici nec inter se nec cum Ioanne consonare videantur sive in tempore praedictionis (*Luc.* 22,34 et *Ioan.* 13,38 *ante*, sed *Matth.* 26,33 sq. et *Marc.* 14,29 sq. *post* egressum e coenaculo), sive in modo praedictionis (solus *Marc.* de duplici galli cantu loquitur), sive in loco triplicis negationis (*Ioan.* 18,12-14 Annae, Synoptici Caiphae atrium designare videntur), sive in personis negationem provocantibus, quippe quae saltem in secunda negatione diversae sint apud omnes. — Sed duae priores difficultates nullius sunt momenti, quum nihil obstet, quominus Dominus, quia Petrus priore praedictione non satis erat admonitus, illam repetiisse dicatur, et Marcus tempus gallicinii (cfr *Marc.* 13,35) accuratius definivisse statuatur; tertia enim noctis vigilia (« gallicantus ») circa mediam

noctem inchoatur, quando gallus prima vice cantat, et terminatur versus auroram, quando iterum cantat; initium igitur et finem tertiae vigiliae Dominus apud Marcum clare definit. Ad locum negationis quod attinet, dissensus immerito asseritur adesse; nam Ioannes quoque Petrum in atrium *pontificis* intrasse dicit (18,15); pontifex autem non potest esse alius, quam ille, qui solus hoc nomine immediate antea (v. 13) est appellatus, i. e. Caiphas. Quomodo autem 18,24 sit explicandus, alia est quaestio, quae cum hac difficultate non cohaeret. Demum in personis negationem provocantibus difficultatem non inveniet, qui attenderit, haec coram magna turba esse gesta; in turba autem unum hominem impugnante eodem tempore a variis variae proferuntur criminationes, ita ut variae relationes, licet varias personas nominent, omnino veritati consonent.

c.) Iuxta *Marc.* 15,25. 33. 34 (cfr *Matth.* 27,45. 46) hora *tertia* Dominus in crucem est actus, hora *sexta* tenebrae factae sunt, hora *nona* exspiravit Iesus; iuxta *Ioan.* 19,14 Pilatus « hora *quasi sexta* » Iesum Iudaeis tradidit crucifigendum. Probabilem solutionem difficultatis innuerunt *Eusebius* et *Ammonius*, auctor *Chron. Pasch.*, *Theophylactus*, qui suspicati sunt errore librariorum Γ (= 3) et F (= 6) in Ioannis textu esse permutata et legendum esse : « hora *quasi tertia* » Pilatus Iesum Iudaeis tradidit. Alia probabilis solutio desumi potest ex diversis horarum numerandarum modis, qui exponuntur ab interpretibus.

d.) Nullius momenti sunt reliquae discrepantiae in historia passionis. Titulus crucis tribus linguis erat scriptus; brevissimam latinam conservavit *Marc.* 15,26, graecam *Luc.* 23,38 et *Matth.* 27,37, hebraicam *Ioan.* 19,19. — De vestibus Domini sortes esse missas dicunt *Matth.* 27,35 et *Marc.* 15,24; sed accuratiore sua narratione *Ioan.* 19,23 praecavet, ne de omnibus vestibus sortes esse missas erronee putemus.

e.) Discrepantiae demum, quae in Domini resuscitati apparitionibus deprehenduntur, facile conciliantur, si ad duo attenderis. Non sunt eaedem mulieres, quas *Luc.* 23,56 sq. *ante* sabbathum aromata parasse dicit, atque illae, quas *Marc.* 16,1 finito sabbatho aromata emisse refert; quare etiam in apparitionibus duae turmae mulierum sunt distinguendae. Praeterea, animadvertatur oportet, varias illas apparitiones non immediate sese excepisse, aut omnia illa unius vel duarum horarum spatio esse peracta; etenim duo discipuli, quando satis diu post meridiem in Emmaus abierunt, nondum quidquam de apparitione Domini audierant (*Luc.* 22,22-24).

§ 9. — *De chronologica ratione evangelicae narrationis.*

1. — Ut perfecta Evangeliorum concordia clarius perspiciatur, ab antiquissimis temporibus multi iam narrationes eorum in unum quasi corpus coniungere conati sunt.

Tatianus, S. Iustini M. discipulus, primus « collectionem aliquam et catenam quatuor Evangeliorum composuit, quam *Diatessaron* vocavit » (Eus. H. E. IV. 29.). Olim vulgatissimum hodie nobis iterum innotuit quum latine versum (in cod. Fuld. ed. a Ranke. Marburg 1868.), tum armeniace (in S. Ephraem. expositione Evangelii concordantis, quae armeniace tantum superest; ed. a Moesinger. Venetiis 1876.), tum arabice (ed. *A. Ciasca*. Romae 1888.). Tatianus S. Matthaeum ducem potissimum sequitur, et ab eo dependent fere omnes harmoniae, quae media aetate prodierunt. Novam tamen viam eamque meliorem nonnulli inde a saec. 16. inierunt,

quam plerique illi quoque tenent qui nostro saeculo Evangeliorum synopses vel harmonias ediderunt. Ex eorum numero hosce enumeramus : *Ant. Martini* Istoria e concordia evangelica spiegata al popolo (Firenze 1814., latine Mediolani 1829.), *Ad. Waibel* O. Min. Das Eine Evangelium u. die vier Evang. in geschichtl. Zusammenhang. (Augsburg 1827.), *I. A. Rotermundt* Synopsis Evangel. gr.-lat. (Passavii 1835.), *Vinc. Reichel* Evangelia harmonice chronol. disposita (Pragae 1840.), *I. Rauchenbichler* Vita I. Chr. secundum quatuor Evang. Landshuti 1841.), *I. H. Friedlieb* Evangelia in harmoniam redacta (graece. Wratislaviae 1840.; Ed. 2. Ratisbonae 1869.), *Fr. Xav. Patritii* S. I. De Evangeliis tom. 2. (gr. et lat. Friburgi 1852.), *R. Ch. Theophil* Das Evang. I. Chr. in wortgenauer Zusammenstellg aus saemmtlichen Angaben der vier Evangelisten (Paderborn 1860.), *P. A. Feldbausch* Das Leben Iesu mit den Worten der hll. Evangelisten nach der Zeitfolge (Speyer 1866.), *H. I. Coleridge* S. I. Vita vitae nostrae (Londini 1869.; anglice 1876.), *Car. Rambaud* Nova Evangeliorum harmonia et synopsis (Agen 1875.), *I. Cl. Fillion* Synopsis evangelica (Paris 1882.), *P. Labatut* La vie de I. Chr. ou la concordance des quatre Evangiles (lat. et gall. Paris 1882.), *I. B. Lohmann* S. I. Das Leben I. Chr. (Paderbornae 1885; latine per V. Cathrein S. I. 1887; italice per *F. Canger* S. I. Napoli 1890.), *L. Méchineau* S. I. Vita I. Chr. e textibus quatuor Evang. distinctis composita (Parisiis 1895.), *H. Beauclerc* S. I. Iesus; his life in the very words of the four gospels; a diatessaron (London 1896.). Brevissimam synopsin habes in meo opusculo : Synopses omnium libr. sacr. Utriusque Testam. (Paris 1899.).

2. — Quoniam S. Ioannes festis iudaicis, quae Dominum celebrasse tradit, chronotaxin aliquam vitae dominicae exhibet, eius narratio semper fundamentum sit oportet omnis harmoniae evangelicae. In synopticis deinde Evangeliis, atque maxime in tertio, in quo chronologicus ordo strictius observatur, indicia quaedam sunt quaerenda, quibus eorum narrationes cum quarta relatione connectantur. Hac ratione saltem extrema lineamenta vitae publicae Domini iuxta temporis ordinem satis magna cum verisimilitudine definiuntur.

Quatuor paschatis vitam publicam Domini comprehendi supra diximus (§ 7,11); de quarto, in quo passus est Iesus, omnes Evangelistae loquuntur, atque tertium, in quo panes eum multiplicasse et institutionem SS. Eucharistiae promisisse refert *Ioan.* 6,1 sqq., etiam reliqui commemorant, quatenus eandem panum multiplicationem narrant; secundi quoque indirectum indicium invenimus apud omnes Synopticos. Itinera vero, quae ultimo anno Dominus ad festa tabernaculorum et encaeniorum suscepit, Lucam insinuare censemus. Quibus indicationibus adiuti narrationes evangelicas ita fere in singulos vitae publicae annos distribuimus.

1. Primum pascha (*Ioan.* 2,12) Synoptici silentio praetereunt; sed perspicuum est, ante illud accidisse omnia, quae ipsi de Ioannis B. praedicatione et de Domini baptismo, ieiunio, tentatione narrant (*Matth.* 3,1-4,11; *Marc.* 1,2-13; *Luc.* 3,1-4,13), Ioannes vero omittit, qui sua ex parte praedecessorum narrationem completurus illa addit, quae post Domini reditum e deserto usque ad primum pascha gesta sunt (*Ioan.* 1,19-2,12).

2. A primo paschate usque ad secundum. Quae Dominus in *primo paschate* Ierosolymis et immediate postea usque ad Decembrem circiter illius ann. (*Ioan.* 4,35 « adhuc quatuor menses sunt et messis venit ») in Iudaea, Samariai

Galilaea egerit, iterum legimus apud *Ioan.* 2,13-4,54, qui statim (5,1) ad *secundum* pascha transit. Sed res gestas quatuor ultimorum mensium complent Synoptici, qui indirecto modo pascha illud indicant; loquuntur enim de spicis per discipulos avulsis; spicas autem avellere aut de frugibus manducare nemini licuit, antequam secundo paschatis die primitiae in templo essent oblatae; accuratius dicit Lucas discipulos spicas collegisse « in sabbatho secundo primo », i. e. in sabbatho secundo post pascha. Itaque ea, quae *Luc.* 4,14-5,39 habet, atque parallela duorum aliorum (maxime *Marc.* 1,14-2,22) inter *Ioan.* 4,54 et 5,1 inserenda sunt.

3. A SECUNDO PASCHATE USQUE AD TERTIUM. Res in *secundo paschate* Ierosolymis gestas denuo supplet *Ioan.* 5,1-47, qui praetermisso iterum integro anno inde a 6,1 sqq. de *tertio* paschate loquitur, in quo panes prima vice multiplicati sunt; sed eandem panum multiplicationem narrant *Luc.* 9,11 sqq., *Marc.* 6, 32 sqq., *Matth.* 14,14 sqq.; ergo inter *Ioan.* 5,47 et 6,1 inserantur oportet *Luc.* 6,1-9,10, *Marc.* 2,23-6,30 et parallela Matthaei.

4. A TERTIO PASCHATE USQUE AD QUARTUM. Ad tertium pascha Dominus non ascendit Ierosolyma; quae circa illud tempus trans lacum Genesareth et in Capharnaum egit, habemus apud *Ioan.* 6,1-72, *Luc.* 9,11-17, *Marc.* 6,31-52, *Matth.* 14,13-34. Sed ultimo illo anno Dominus ter Ierosolyma ascendit ad scenopegiam (exeunte Sept. vel ineunte Oct.), ad encaenia mense Decembre, atque demum ad quartum pascha ipsum. Hinc habemus tres sectiones.

a.) *A tertio paschate usque ad scenopegiam.* Ioannes 7,1 sqq. statim transit ad scenopegiam, sed *Luc.* 9,51 nobis iter illud indicat; itaque a tertio paschate usque ad scenopegiam gesta sunt, quae *Luc.* 9,18-50 leguntur; admodum pauca illa sunt, attamen quum *Marc.* 9,35 sqq. et *Matth.* 18,1 sqq. eadem narrent, quae *Luc.* 9,46-50 refert, eius narrationem ex duobus prioribus Synopticis complere possumus et debemus; inter *Ioan.* 6,72 et 7,1 igitur inserantur oportet *Luc.* 9,18-50, *Marc.* 7,1-9,49 et *Matth.* 14,35-18,35.

b.) *A scenopegia usque ad encaenia. Iter ad scenopegiam* paucis absolvit *Ioan.* 7,1-13, fusius illud narrat *Luc.* 9,51-10,42, nam ea, qua 10,38-42 habet, gesta sunt in Bethania prope Ierusalem. Quae *tempore scenopegiae* egit Dominus, ea referunt *Ioan.* 7,14-10,21 atque *Luc.* 11,1-54. A scenopegia *Ioan.* 10,22 statim transilit ad encaenia; sed *intermedii temporis* res gestas legimus apud *Luc.* 12,1-13,21; etenim 13,22 aliud iter ierosolymitanum Domini nobis indicat.

c.) *Ab encaeniis usque ad hebdomadam passionis.* De *encaeniorum festo* ipso refert *Ioan.* 10,22-39; eo terminato Dominum in Peraeam secessisse addit consentiente *Luc.* 13,31, qui eum in ditione Herodis, i. e. in Peraea, commorantem ostendit. At idem 17,11 de novo itinere « per Samariam et Galilaeam » in Ierusalem suscepto loquitur, quae descriptio indicat, itineris initium fuisse in ipsa Iudaea. Revera illa, quae *Luc.* 13,22-17,10 tradit, in Peraea sunt gesta post encaenia; inde autem a sororibus Lazari advocatus Dominus venit Bethaniam et deinde sese recepit in Ephrem, quae iudaica civitas finitima est Samariae; haec refert *Ioan.* 11,1-34. Ex hac autem civitate longo circuitu per Samariam, Galilaeam, Peraeam Dominus, ut omnibus illis regionibus, quas triennio publicae suae vitae iterum iterumque peragraverat, ultima vice Evangelium offerret, ultimum iter suscepit, quod describit *Luc.* 17,11-19,27 et de quo nonnulla etiam tradunt *Marc.* 10,1-52 et *Matth.* 19,1-20,34.

5. Sexto die ante ULTIMUM PASCHA Dominus venit Bethaniam; quae ab illo die

usque ad ascensionem Domini gesta sunt, omnes ita narrant, ut alius alios compleat : *Ioan.* 12,1 sqq., *Luc.* 19,28 sqq.; *Marc.* 11,1 sqq.; *Matth.* 21,1 sqq.

In extremis his lineamentis definiendis consentiunt plerique, qui Ioannem et Lucam velut praecipuos duces sequuntur; maior autem est dissensus, si singulae res, praesertim quas habet *Matth.* 5,1-14,12, schemati adumbrato sunt inserendae; neque id mirum est. Publica enim vita Domini in Galilaea magna varietate caruit; nam eiusdem fere generis erant auditores, quos ibi erudivit, adversarii, quibuscum ei erat disceptandum, mala, quibus divina sua virtute medebatur; quare procul dubio eadem argumenta in suis sermonibus saepius tractabat, easdem parabolas plus semel proponebat, eodem fere modo Pharisaeorum obiectiones repetitas refutabat; multis quoque caecis visum, multis surdis auditum reddebat etc. Quapropter ea, quae Matthaeus in priore sui libri parte narrat, etsi aliis a Marco et Luca narratis similia sint, eadem esse cum certitudine asserere non possumus. Sed de his interpretes accuratius agunt.

§ 10. — *De praecipuis commentariis catholicis in Evangelia.*

I. Interpretatio patristica. Inter antiquiores Patres nullus est, qui omnia Evangelia sit interpretatus; in Oriente enim ante saec. 5. et in Occidente ante saec. 8. Marcus non invenit commentatorem. Haud pauci quoque commentarii a Patribus commemorati interierunt; solos superstites recensebimus.

Inter orientales Patres primus nominandus est *Origenes*, cuius supersunt tomi in Matth. magna ex parte (graece in 13,35-22,23; latine in 16,9-27,63.), homiliae 39 in Lucam (maxime in 1,1-4,27) a S. Hieronymo latine redditae, tomi in Ioannem octo fere integri (maxime in cpp. 1. 2. 4. 8. 11. 13.). — *Eusebius Caes.* libros tres Quaestionum evangelicarum composuerat, quarum paucae supersunt; ex catenis collecta sunt fragmenta eius in Lucam; memoria quoque digna est eius epistola ad Eucarpium de Evangeliorum canonibus. — *S. Chrysostomus* integrum Matthaei Evangelium 90 homiliis et fere integrum Ioannem 88 homiliis explicavit; « *Opus imperfectum* in Matth. », quod inter Chrysostomi opera edi solet, latinum habet auctorem eumque arianum. — *S. Cyrilli Alex.* commentarius in Ioannem integer non est conservatus; desunt duo libri in 10, 18-12,48; eiusdem quoque exstant fragmenta in Matth. et Luc. — *Victoris Antioch.* nomine inscribitur primus in Marcum commentarius, qui a nonnullis S. Cyrillo Alex. attribuitur; at catena potius est dicenda ex variis collecta (Possevin. Catena gr. in Marc. Romae 1672.). — Ex iunioribus Graecis addendae sunt *Theophylacti* Enarrationes in quatuor Evangelia et *Euthymii Zigab.* Expositiones in Evangelia, quae utilissimae sunt. — *S. Ephraemi* Concordantis Evangelii expositionem (ed. Moesinger. Venetiis 1876.) supra iam laudavimus.

Ex latinis Patribus *S. Hilarius Pictav.* Matthaeum explicavit, *S. Ambrosius* Lucam, *S. Hieronymus* iterum Matthaeum; « expositio quatuor Evangeliorum de brevi proverbio edita » et « commentarius in Marcum » inter S. Hieronymi opera exstant, sed spuriis adnumerentur oportet. — Praedecessores suos latinos *S. Augustinus* superavit quum suis « de consensu Evangeliorum libris », tum suis « Tractatibus in Ioannem »; minoris momenti sunt eius « Quaestionum evangelicarum (in Matth. et Luc.) libri duo ». — Pauca sunt et mediocria, quae ex S. *Gregorii M.* operibus congesserunt in Evangelia *S. Paterius* et *Alulfus Tornac.* — *Ven. Beda* primus esse videtur, qui omnia quatuor Evangelia commentatus est; in Matthaeo S. Hieronymum, in Ioanne S. Augustinum presse

sequitur, in duobus aliis quoque explicandis « maxime quae in venerabilium Patrum exemplis invenit, hinc inde collecta ponere curavit ». — Ab antiquiorum Patrum commentariis sese dependere etiam fatentur *Alcuinus* (Comment. in Ioan.) et *Rhabanus Maurus* (Comment. in Matth.); atque suam Glossam ordinariam quoque *Walafr. Strabo* ex iisdem fontibus hausit.

II. INTERPRETATIO MEDIAE AETATIS. — Similem viam, quam Alcuinus et Rhabanus, tenuerunt *S. Paschasius Radb.* (Expositio in Matth.), *Anselmus Laudun.* (Enarrationes in Matth.), *Bruno Ast.* (Comment. in quatuor Evang.) aliique; multo minus ab antiquioribus dependent *Christ. Druthmarus* (Expositio in Matth.; Brevis expos. in Luc. etc.) et *Rupertus Tuit* (In quatuor Evang.)

Ex scholasticis theologis nominari merentur *Card. Hugo* (Postilla in Evang. Opp. tom. VI.), *B. Albertus M.* (Luculentae expositiones in Evang. Opp. ed. Jammy IX.-XI.) *S. Thomas Aq.*, cuius catena vere aurea in omnia Evangelia. ex quinquaginta quatuor Patribus et scriptoribus ecclesiasticis est excerpta et cui etiam egregii debentur commentarii in Matth. et Ioan. (Opp. ed. Parmens. t. X-XII.[1].), *S. Bonaventura* (Exposit. in Matth. 6.; Exposit. in Luc.; Postillae in Ioan. Opp. ed. Rom. II.), *Nicolaus Lyranus* (Postillae in Evang. Opp. V.), *Dionysius Carthus.* (Enarrationes in Evangelia.), *Alph. Tostatus Abulensis* (Comment. in Matth. Opp. Venetiis 1728. XVIII-XXIV.).

III. RECENTIORIS AETATIS INTERPRETES. — Tantus est interpretum numerus, qui inde ab ineunte saec. 16. Evangelia commentariis et scholiis illustrare conati sunt, ut eos omnes recensere non possimus; paucos igitur sed praecipuos ex saec. 16. 17. 18. interpretibus nominamus, praetermissis iis, qui universas Scripturas explicarunt, quamvis nonnulli ex eorum numero de Evangeliorum interpretatione optime meriti sunt, uti *Aug. Calmet* O. S. Ben. ac praesertim *Corn. a Lapide* S. I. cuius commentarios in Evangelia nuperrime *Ant. Padovani* denuo edidit multisque ac bonis notis additis hodierno scientiae statui adaptavit (Taurini 1896. sqq. 3 voll.).

Iamvero inter eos, qui illa aetate curam suam praecipuam Evangeliis impenderunt, primum omnino locum tenent *Corn. Iansenius Gand.* (Commentarii in concordiam et totam historiam evang. Lovanii 1572. et saepissime), *Ioannes Maldonatus* S. I. (Comment. in quatuor Evang. Mussiponte 1572. et saepissime; cuius operis optimam editionem recenter *I. M. Raich.* curavit Moguntiae 1874. 2 voll.), *Franc. Toletus* S. I. (Com. in Ioan. Romae 1588.; in Luc. 1.-12. 1600.). Post quos secundum locum occupare videntur *Card. Caietanus* O. Praed. (In quatuor Evangelia commentarii. Venetiis 1530. et saepissime), *Seb. Barradius* S. I. (Comm. in concordiam et historiam evangelicam. Conimbricae 1599. et saepius), *Lucas Brugensis* (In quatuor Evangelia comment. Antwerpiae 1606. Supplementum 1612. 1616.), *Alph. Salmeron* S. I. (Comment. in evangelicam historiam. Madriti 1597. et Coloniae 1612. Quod opus praedicatoribus iure merito commendatur). — Tertii ordinis demum multi sunt, sed paucos tantum adscribimus : *Ioan. Gagnaeus* (Scholia in quatuor Evangelia. Parisiis 1552., quibus adde *Ioan. Benedicti* Emendationes scholiorum Gagnaei. Parisiis 1563.), *Arias Montanus* (Elucidationes in quatuor Evangelia. Antwerpiae 1575.), *Paulus Paulutius* (Enarrationes in Evang. Matthaei. Conimbricae 1564.), *Ioan. de Sylveira*, O. Carm. (Comm. in textum

(1) In Aurea Catena adhibenda attendatur tamen oportet, S. Thomam multa testimonia ex glossis, alia ex vitiosis transiationibus, alia ex operibus suppositiis desumsisse, quum accuratae operum patristicorum editiones nondum exstarent. Cautione igitur quidem opus est, at idco Catenam negligere non licet.

evangelicum. Ulyssipone 1642.), *Bern. Lamy* (Comment. in concordiam quatuor Evang. Parisiis 1699.), *Natalis Alexander* O. Praed. (Expositio etc. Parisiis 1703.) etc.

Nostro saeculo multi de Evangeliorum interpretatione bene meriti sunt, ex quorum numero hos velut praestantiores enumeramus: Inter Italos methodo magis populari usi sunt, *Fr. Finetti* S. I. (La storia evang. esposta. Roma 1837. 4 voll.), *Gem. Mislei* S. I. (Esposizioni de' quatro Evangeli. Roma 1854. 2 voll.), *C. M. Curci* S. I. (Lezioni esegetiche sopra i quatro Evangeli. Firenze 1874. 2 voll.); vere autem interpretem egit *Fr. X. Patrizi* (De Evangeliis libri tres. Friburgi 1853. 2 voll.; Comm. in Ioan. Roma 1857.; in Marc. 1862.).

Ex Gallis Belgisque quoque alii ipsum sacrum textum accuratius explicare maluerunt, inter quos *A. I. A. Gratry* (Comm. sur l'Evang. de St Matthieu. Paris 1863. 65. 2 voll.), *Th. Dehaut* (l'Evangile expliqué, défendu etc. Bar-le-Duc. 1864. 66. Ed. 3. Paris 1875. 4 voll.), *L. C. Fillion* (Les Evangiles avec comment. theol. etc. Paris 1878.-87. 4 voll.), *I. van Steenkiste* (Evangel. S. Matthaei. Brugis 1876. Ed. 2. 1882. 4 voll.), *I. Corluy* S. I. (Comm. in Evang. S. Ioan. Ed. 2. Gandavi 1882.), *A. I. Liagre* (Comm. in ll. hist. N. T. Tornaci 1883. 3 voll.); multo plures autem liberiore stylo usi vitam Domini N. iuxta quatuor Evangelia narrantes populo potius quam theologis consuluerunt, inter quos *A. E. de Genoude* (Paris 1834. 2 voll.), *A. L. B. de Jesse* (Paris 1844.), *Brispot* (Paris 1850. 53. Ed. 6. 1869. 3 voll.), *I. I. Bourassé* (Tours 1861.), *Lud. Veuillot* (Paris 1864.), *I. E. Darras* (Paris 1864. 2 voll.), *I. H. Michon* (Bordeaux 1865.), *C. Fouard* (1880.), *E. Le Camus* (Paris 1883.), *P. Didon*, O. Praed. (Paris 1891.) etc.

Ex Anglis Hibernisque nominandos censemus *Fr. Kenrick* (The four gospels with notes. New York 1849. et saepe), *I. Mc Evilly* (Exposition of the gospels. Dublin 1876 sqq.), *I. Coleridge* S. I. (The life of our Lord. London 1876 sqq. 19 voll.; idem gallice Paris 1892 sqq.), *A. I. Maas* S. I. (The Gospel according to S. Matthew with an Commentary. St Louis, Mo. 1898; The Life of I. Chr. according to the Gospel history. Ed. 3. 1897.), *Sydney F. Smith* S. I. et *L. W. Darby* O. S. B. (Scripture Manuals. The Gospel of St Luc. etc. London 1897.).

Ex Germanis et Austriacis omnia Evangelia explicarunt *I. H. Kistemaker* (Münster 1818-25. 4 voll.), *Iord. Bucher* (Regensburg 1854-59. 3. voll.), *P. Schegg* (et *D. B. Haneberg* O. S. B. München 1856-80. 10 voll.), *A. Bisping* (Ed. 2. Münster 1866-69. 3. voll.), *Theod. Laurent* (Freiburg 1878.), *Paul Schanz* (Freiburg 1879-85. 4 voll.), *Fr. X. Poelzl* (Graz 1880-92. 5 voll.), *I. Knabenbauer* S. I. (Parisiis 1892-98. 5 voll.); quibus merito nonnulli adduntur, qui vitam Domini ita enarrarunt, ut exegeticas explicationes non negligerent: *Ios. H. Friedlieb* (Breslau 1855; ed. 3. Paderborn 1887.), *P. Schegg* (Freiburg 1874. 75. 3 voll.), *Ios. Grimm* (Regensburg 1876-98. 7 voll.; cfr *eiusdem* Die Einheit der Evang. 1858.), *M. Meschler* S. I. (Freiburg 1890; Ed. 4. 1898, 2 voll.), *I. B. Lohmann* S. I. (Paderborn 1894. 4 voll.) etc.

Solum S. Matthaei Evangelium interpretati sunt *I. Scheth de Bohislav* (Oeniponte 1847.), *M. Arnoldi* (Trier 1856.), *L. Klofutar* (Wien 1866.), *I. Kleutgen* S. I. (Münster 1882.); solum S. Marci Evangelium *F. S. Tiefenthal* O. S. B. (Paderborn 1892.); solum S. Ioannis Evangelium *H. Klee* (Mainz 1829.), *M. Wirth* (Ulm 1829), *A. Tapfer* (Kempten 1835.), *Ad. Maier* (Freiburg 1843. 45. 2 voll.), *A. Messmer* (Innsbruck 1860.), *L. Klofutar* (Wien 1866.) etc.

CAPUT V.

DE ACTIBUS APOSTOLORUM.

§ 11. — *De Actuum Apostolorum authentia.*

1. — Quintus Novi Test. liber historicus Πράξεις Ἀποστόλων (*Acta* vel *Actus Apostolorum*) appellatur et in prooemio eidem Theophilo inscribitur, cui auctor « primum tractatum de omnibus, quae Iesus coepit facere et docere usque in diem quo assumtus est », se dedicasse asserit.

Titulum ab ipso auctore operi esse praefixum, non immerito asserit S. *Chrysostomus* (In princ. Act. 1,3), quum non tantum antiquissimus sit, sed tam apte quoque libri argumento respondeat, ut auctor, qui operi suo historico titulum praefigere debuit, aptiorem sane invenire non potuerit. De Apostolorum enim rebus gestis agit, at nec de omnium nec de *cunctis* aliquorum rebus gestis; nam iuxta optimorum codicum fidem titulus genuinus non est αἱ πράξεις τῶν ἀποστόλων, sed omissis articulis πράξεις ἀποστόλων. Sicut in priore suo tractatu (Evangelio) illa sola facta et dicta Domini auctor selegit, quae fidei Theophili confirmandae idonea duxit, ita in hoc altero nonnullas nonnullorum Apostolorum res gestas eidem fini adaptatas congessit. Ex iisdem autem prooemii verbis etiam elucet, eundem esse tertii Evangelii et Actuum auctorem, id quod styli quoque narrationisque similitudo, quae in utroque libro deprehenditur, satis ostendit.

2. — Inde ab apostolica aetate Actus in Ecclesia pro libro divinitus inspirato esse receptos, *Eusebius* testatur illos inter τὰ ὁμολογούμενα recensens. Revera in superstitibus Patrum apostolicorum saeculique 2. apologetarum operibus non desunt textus, quibus Eusebii testimonium confirmatur; atque ipsi antiquissimi haeretici saltem indirecte testantur, Actus saeculo 2. in Ecclesiae canone fuisse.

Quoniam Eusebius, diligentissimus antiquitatis investigator, sine ulla haesitatione Actus primae suae classi inserit (cfr Diss. I. § 6. p. 43 sq.), omnino constat, in vetustis Ecclesiae monumentis non tantum nihil inveniri, quod de eorum authentia iustam dubitationem provocare possit, sed testimonia non deesse, quae ei faveant. In superstitibus quidem Patrum apostolicorum operibus pauciores da Actus, quam ad Evangelia, reperiuntur allusiones, sed ad Eusebii testimonium confirmandum plane sufficiunt.

S. Clemens Rom. (1 Cor. 2.) Corinthios laudans, quod « libentius darent quam acciperent », prae oculis habuit *Act.* 20,35; certae quoque sunt allusiones S. *Ignatii M.* (Smyrn. 3. Dominus post resurrectionem συνέφαγεν καὶ συνέπιεν cum Apostolis cfr *Act.* 10,41; Magn. 5 εἰς τὸν ἴδιον τόπον cfr *Act.* 1,25), et S. *Polycarpi* (ad Phil. 1 : quem Deus resuscitavit λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου cfr *Act.* 2,24; etiam Phil. 2 et *Act.* 10,42 etc.); at incertum est, num auctor *Doctr. Apost.* 4 et S. *Barnabas* (Ep. 19) ad *Act.* 4,32 alluserint. Inter apologetas saec. 2. *S. Iusti-*

nus M. quum in Apol. I. 50 (*Act.* 1,8) tum c. Tryph. 36 (*Act.* 26,22 παθητὸς ὁ Χριστός), tum in Cohort. ad Graec. 10 (Act. 7,22) Actus adhibuit.

Inter haereticos *Marcion* a Tertulliano vehementer increpatur (c. Marc. V. 2), quod ob dogmaticas rationes Actus reiecerit; in Ecclesia igitur Actus recepti erant tempore Marcionis; *Ebionitae,* qui etiam Actus nostros reiecerant, sibi, teste S. Epiphanio, alium Actuum librum haereticum confinxerant (Haer. 30,16); idem refert, Valentini discipulum *Theodotum* canonicis Actibus ad suam haeresin stabiliendam abusum esse (Haer. 54,5). Apocryphum *Testamentum Beniamini,* quod ante medium saec. 2. scriptum esse omnes concedunt, « in libris sacris » relata esse facta et dicta Pauli ex semine Beniamin oriundi diserte testatur.

3. — Immediate post S. Iustini M. aetatem testimonia abundant, quibus Actus inter libros sacros recensentur et S. Lucae auctori attribuuntur.

Circa a. 170. in ecclesia romana auctor *fragmenti Murat.* locupletissimus est testis; circa idem tempus *Viennenses* et *Lugdunenses* fideles (apud Eus. H. E. V. 2) in sua epistola Actus fere diserte allegant, Lugdunensium autem episcopus, S. *Irenaeus* (c. Haer. III. 14), ex Actibus fuse probat, Lucam fuisse Pauli socium et comitem. In africana ecclesia *Tertullianus* contra haereticos auctoritatem Actuum vindicat (de Praescr. 22) eorumque testimoniis addito Lucae nomine frequenter utitur (de Ieiun. 10; de Resurr. carn. 39 etc.); atque eodem modo in ecclesia alexandrina agunt *Clemens Alex.* (Strom. V. 12 etc.) et *Origenes* (c. Cels. VI. 11 etc.). Qui unanimis consensus, quo Lucae auctori Actus in omnibus ecclesiis exeunte saec. 2. attribuuntur, explicari non potest, nisi certa et apostolica traditione Patribus de libri authentia et inspiratione constiterit. — Testimoniis his historicis alia interna argumenta addi possunt; sed quia Actus et tertium Evangelium non sunt nisi duae unius operis partes, omnia illa sufficit in memoriam revocasse, quibus supra (§ 4,4 p. 478 sq.) tertii Evangelii authentiam demonstravimus.

4. — Quibus testimoniis non obstantibus Actus socio Pauli ab hypercriticis abiudicantur, quia nonnullae res paulinae relatae cum Apostoli epistolis pugnent aut non satis consonent, atque aliquae narrationes, utpote non historicae, iuniorem scriptorem arguant. Sed prior obiectio, auctorem Actuum integram vitam Pauli narrare voluisse, erronee supponit, altera praeiudicio dumtaxat rationalistico fulcitur.

Etenim narrationes de dono linguarum (*Act.* 2,5-11; 10,46; 19,6) ideo historicae esse negantur, quia nimis magnum videtur esse miraculum; adversarii autem non satis attendunt, S. Paulum in epistola, cuius authentiam admittunt, eadem omnino ratione de dono linguarum loqui (1 *Cor.* 14,2 sqq.).

Ad priorem obiectionem quod attinet, narrationes, quae epistolis paulinis contradicere dicuntur, tantum abest, ut pugnent, ut se mutuo compleant. Namque in *Act.* 9,19-28 non minus duplex Apostoli commoratio distinguitur (9,19 per dies *aliquot;* 9,23 dies *multi*), quam in *Gal.* 1,17-19; qui igitur ad Lucae narrandi modum (§ 6,4 p. 497) attenderit, sine ulla difficultate iter arabicum Pauli narrationi Lucae inseret. Simili ratione *Act.* 17,14 sqq. et 18,5 cum 1 *Thess.* 3,1. 2 optime conciliantur, si duae relationes coniunguntur. Paulus scilicet, qui solus Beroea Athenas advenerat, quum magnos fructus ibi se collecturum sperasset, advocavit Timotheum et Silam (*Act.* 17,14 sqq.); post eorum autem adventum de statu ecclesiarum macedonicarum certior factus Athenis solus remanere maluit

discipulosque in Macedoniam reverti iubens Timotheum Thessalonicam misit (1 *Thess.* 3,1. 2.). Ex qua missione post aliquot hebdomades redux Timotheus Paulum, qui interea Athenas reliquerat, Corinthi invenit (*Act.* 18,5); S. Lucas, quia Silas et Timotheus Apostolo Athenis adiumento non fuerant, rationem non habuit, cur intermedium illud iter commemoraret. — Nonnullas Actuum narrationes (ex. gr. 16,6; 18,22. 23; 24,24-27) tam breves esse, ut curiositati nostrae non sufficiant, libenter fatemur; sed quomodo inde deducatur, Actus a socio Pauli non esse scriptos, non videmus. Item, ab Actuum auctore multa esse omissa concedimus, quae ex paulinis epistolis supplere possumus; neque multo plura esse negamus, quae a Paulo indicantur quidem, sed chronologice, quia eorum tempus non definitur, Actibus inseri non possunt; quin etiam contendimus, plurimas Apostoli res gestas et a Paulo et ab Actuum auctore esse praetermissas; at tantum abest, ut ideo auctorem vituperare aut librum socio Pauli abiudicare liceat, ut gratissimo potius animo accipiamus, quaecumque per illum Deus nobiscum communicare voluit.

§ 12. — *De Actuum fine et historica auctoritate.*

1. — Quin S. Lucas in Actibus, quos ipse alteram Evangelii sui partem constituere dicat, eosdem, quos in priore libro, lectores prae oculis habuerit eundemque finem prosecutus sit, non est dubium. Ecclesiis igitur a Paulo fundatis ipsa Evangelii propagatione demonstrare voluit, illud esse « virtutem Dei Iudaeo primum et Graeco ».

De tertii Evangelii destinatione et fine supra (§ 4,6 sqq. p. 481) diximus; universalitatem salutis per Christum allatae in Evangelio suo factis dictisque dominicis Lucas ita demonstravit, ut primum ius ad regnum messianicum Iudaeis competere simul indicaret. Iam vero in Actibus ex primitivae Ecclesiae historia argumenta sua desumit, ut eandem veritatem adstruat: Evangelium enim salutarem suam virtutem inter Iudaeos primum manifestasse docet, quamprimum Apostoli Spiritu S. repleti Ierosolymis et in Iudaea doctrinam Domini propagare coepissent; idem vero Evangelium, postquam Petrus, princeps Apostolorum, primum ethnicum, Cornelium centurionem, baptismo in Ecclesiam recepisset atque Apostoli ecclesiam antiochenam ex ethnicis collectam missione Barnabae approbassent, per Paulum, Apostolum gentium, inter ethnicos Galatiae, Asiae, Macedoniae, Graeciae non minorem manifestasse virtutem. Quo sensu apte etiam dici potest, auctorem voluisse demonstrare veritatem ultimorum verborum Domini : « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae » (Act. 1,8); etenim verba haec summarium quoddam totius libri constituunt atque eodem ordine, quo prolata sunt, narratione demonstrantur impleta.

2. — Alium prorsus finem Actibus affingunt moderni « critici », quorum sententia, si vera esset, historicam operis auctoritatem funditus everteret. Etenim ut Petrinos iudaizantes et universalistas Paulinos inter se conciliaret et in unum corpus coniungeret, auctor, si illis fides esset habenda, integram primitivae Ecclesiae historiam ad instar scriptorum fabularum romanensium tractasset ad id unum intentus, ut magnum illum dissensum dissimularet, qui inter Petrum aliosque antiquos Apostolos et

inter Paulum adfuisse dicitur. At arbitrariis fictionibus totum hoc systema, quod « critici » multis voluminibus stabilire conati sunt, inniti, facile apparet, quamprimum eorum argumenta examini subiiciuntur.

Quoniam omnia et singula hoc loco pertractare non possumus, praecipua dumtaxat paucis expediemus. *a.*) Omnino concedimus, aliquos Iudaeochristianos ethnicos, nisi circumcisione populo Israel essent inserti, ad baptismum admittere noluisse atque admissos, ut perfecti Christiani fierent, ad Legis observantiam obligasse; id enim paulinae epistolae demonstrant neque negant Actus; at Petrum aut ullum alium Apostolum, postquam Petrus coelesti visione de admissione ethnicorum edoctus erat (*Act.* 10. 11.), in eadem persuasione fuisse, « criticorum » est commentum, quod ipsis epistolis paulinis refellitur. Namque *Gal.* 2,1 sqq. unitas fidei omnium Apostolorum clare asseritur, atque *Gal.* 2,11 sqq. eadem fidei unitas apparet, licet in practico quodam consectario Petrus et Paulus dissenserint. — *b.*) Actuum auctor, si iuxta « criticorum » sententiam Iudaeos et ethnicos conversos conciliare voluisset, procul dubio ab omnibus abstinuisset, quibus alterutrius partis animos offenderet. Atqui totus liber obstinationem Iudaeorum velut occasionem et causam praedicat, propter quam ethnicis iam tum allatum sit Evangelium, neque ullibi praeiudiciis iudaicis parcit (2,22; 3,13 sqq.; 7,51 sqq.; 13,45 sqq.; 14,2 sqq. etc.; 28,25-28). — *c.*) In Actibus primam admissionem ethnicorum in Ecclesiam Petro antiquisque Apostolis attribui, verissimum est; at hanc relationem esse confictam, adversarii asserunt quidem, sed nec demonstrant nec demonstrare possunt, nisi quis eorum praeiudicia pro argumentis recipere velit. Porro, Paulum in Actibus prorsus alium depingi, quam ex epistolis eius cognoscitur, immerito asserunt; etenim si in Actibus votum in templo solvisse (21,26), Timotheum circumcidisse (16,3), coram synedrio se Pharisaeum professus esse (23,6) legitur, in epistolis se Iudaeis tamquam Iudaeum esse factum (1 Cor. 9,20 sq.), se « Hebraeum ex Hebraeis secundum Legem Pharisaeum » (Phil. 3,5) profitetur.

d.) Gravissima accusatio est, quod historia Concilii Apostolorum (15,1 sqq.) conciliationis gratia sit adulterata, siquidem cum eadem historia a. S. Paulo tradita pugnet (*Gal.* 2,1 sqq.); at duae istae relationes amice consentiunt et se mutuo complent, dummodo ad diversos fines Pauli et Lucae attendatur. Lucas, utpote historicus, externam Concilii historiam narrat, Paulus, ut contra iudaizantes consensum suae praedicationis cum antiquorum Apostolorum doctrina demonstret, illa sola referre voluit, quae privatim cum praecipuis Apostolis egit. Itaque Lucas publicam occasionem Concilii narrat (15,1. 2.), Paulus privatam rationem addit, qua ipse ad iter permotus est (« secundum revelationem » *Gal.* 2,2); Lucas ex sociis Pauli et Barnabae nullum nominat, Paulus vero nominat Titum incircumcisum, quia hinc iam apparebat, antiquos Apostolos Ethnicochristianos non repulisse; Lucas ea obiter tangit, quae privatim inter Apostolos acta sunt (15,6), fuse autem publicam sessionem narrat et decretum Concilii refert (15,7-29); quae omnia, utpote nota, praetermittens Paulus privata sua cum « aestimatis » (οἱ δοκοῦντες) colloquia refert, quae omnibus Apostolis eandem doctrinam fuisse demonstrant (Gal. 2,6 sqq.). Quod si obiicitur, decretum Concilii a Paulo prorsus ignorari, respondemus, illud quidem nusquam diserte ab eo commemorari, sed tacite supponi (1 Cor. 5,1 sqq.; 10,14-21), doctrinam autem iudaizantium, quam Paulus in suis epistolis impugnat, non amplius esse eandem, quae decreto illo reprobatur, ita ut diserte ad illud recurrere non potuerit (cfr Diss. VIII. § 3,2 p. 535).

c.) Saltem orationes in Actibus relatas ab auctore ad arbitrium esse conflictas multi contendunt, quia idem sit omnium stylus atque idem argumentum. At nihil obstat, quominus stylus ipsi Lucae attribuatur, dummodo eum sensum oratorum fideliter retulisse concedatur; multae enim orationes aramaice sunt habitae, ita ut ab Actuum auctore graece verti debuerint; omnium autem non habemus nisi epitomen quamdam, in qua adornanda scriptor proprio suo loquendi modo usus est. Idem vero argumentum in omnibus tractari, falsum est; quicumque longiores orationes Petri (2,14-36 et 3,12-26) aut Pauli (ad Iudaeos 13,16-41; ad ethnicos 17,22-31, ad Christianos 20,18-35, apologias coram Iudaeis 22,1-21, coram ethnico procuratore 24,10-21, coram rege Agrippa 26,2-23) inter se comparaverit, eas et argumento et tractandi modo occasionibus et auditoribus optime respondere fatebitur.

§ 13. — *De Actuum ordine et chronologia.*

1. — Licet in Actibus chronologicus ordo teneatur, pro praecipuo tamen fine, quem auctor sibi proposuit, liber apte in duas partes ita distribuitur, ut in priore fundatio et propagatio Ecclesiae in Iudaea et Samaria, in altera vero propagatio eius inter ethnicos narretur.

Pars prior (1,1-9,43). *Origo Ecclesiae eiusque propagatio inter Iudaeos.*

1. Fundatio Ecclesiae eiusque initia inter Iudaeos Ierosolymis (1,1-2,47).

   Promissione Spiritus S. ex parte Domini (1,1-11) et novo electo Apostolo ex parte discipulorum praeparatur fundatio Ecclesiae (1,12-26); fundatur autem Spiritu S. misso (2,1-11), atque laeta habet initia post primam Petri praedicationem (2,12-47).

2. Propagatio et confirmatio Ecclesiae inter Iudaeos ierosolymitanos (3,1-7,59).

   Magno miraculo patrato per Petrum et Ioannem multi quidem Iudaei convertuntur, sed etiam prima persecutio excitatur (3,1-4,31); interni Ecclesiae status, qui optimus erat, corruptio miraculo avertitur (4,32-5,11). Nova Ecclesiae incrementa deinde novam provocant persecutionem (5,12-42), quae non impedivit, quominus multitudine fidelium semper crescent Apostoli adiutores sibi eligere coacti sint, ex quibus Stephanus primus martyrium subiit (6,1-7,59).

3. Propagatio Ecclesiae per Palaestinam, Samariam, Syriam (8,1-9,43).

   Persecutionis post S. Stephani mortem exortae primus fructus fuit Evangelii propagatio in Iudaea et Samaria (8,1-40); alter eiusdem fructus fuit Pauli conversio (9,1-30); ecclesias autem in Iudaea fundatas Petrus visitavit (9,31-42).

Pars altera (10,1-28,31). *Ecclesia inter ethnicos a primis Apostolis fundata, a Paulo propagata.*

1. Primordia Ecclesiae inter ethnicos novaeque ecclesiae erga antiquiorem caritas (10,1-12,25).

   Cornelius centurio, primus ethnicus, a Petro in Ecclesiam recipitur (10,1-11,18); circa idem tempus Antiochiae ecclesia ex ethnicis conversis fundata et ab Apostolis approbata est (11,19-26), quae caritatem suam eleemosynis Ierosolyma per Paulum et Barnabam missis demonstravit (11,27-12,25).

2. Dissidium inter Iudaeochristianos aliquos et ethnicos conversos exortum, quod ab Apostolis componitur (13,1-15,35).

Barnabae et *Pauli primum iter apostolicum* per Cyprum (13,1-12), Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam multos fructus attulit (13,13-14,26); post eorum autem reditum Iudaeochristiani aliqui Antiochiae, quum ethnicos conversos ad circumcisionem adigere vellent, turbas excitarunt, sed eorum conatus reiecti sunt Apostolorum concilio (15,1-35).

3. Propagatio Evangelii inter ethnicos Macedoniae, Achaiae, Asiae Min. (15,36-21,15).

Paulus in *secundo itinere apostolico* visitatis ecclesiis antea fundatis (15,36-16,5) a Spiritu S. in Macedoniam ductus Thessalonicae et Philippis (16,6-17,15) et deinde Corinthi in Achaia fundavit ecclesias (17,16-18,22); in *tertio itinere* autem Ephesi diu residens late per provinciam Asiam Evangelium sparsit (18,23-19,20) et ecclesiis Macedoniae Achaiaeque visitatis Ierosolyma reversus est (19,21-21,15).

4. Pauli captivitas propagando Evangelio inservit (21,16-28,31).

Paulus Ierosolymis captus Caesaream abducitur (21,16-23,35), ubi duobus annis in carcere detentus coram procuratoribus romanis et rege Agrippa fidem profitetur (24,1-26,32); demum Romam missus (27,1-28,15) ibidem omnibus, qui ad ipsum venerunt, per biennium praedicat regnum Dei (28,16-31).

2. — Triginta quinque circiter annos S. Lucas in sua historia complectitur, sc. a vere anni 29. usque ad idem tempus anni 64.; tria autem itinera apostolica Pauli intra annos 44. et 59. facta sunt.

Simili modo, quo in Evangelio, S. Lucas in Actibus nonnullas res gestas innuit vel refert, quarum ope eius narrationes cum historia profana connectere et chronologice definire possumus. Tria praesertim sunt temporis puncta, de quibus plerique interpretes consentiunt. Narrationem suam auctor incipit a quadragesimo die post Domini resurrectionem, i. e. a verno tempore a. 29. aerae vulg. Porro mortem Herodis Agrippae I. cum S. Iacobi Mai. martyrio, S. Petri liberatione e carcere, SS. Pauli et Barnabae itinere ad eleemosynas in Palaestinam deferendas ita coniungit et connectit (11,29-12,25), ut omnia circa idem tempus evenisse appareat; a *Fl. Iosepho* autem (Antiqu. XIX. 5,1; 8,2) discimus, Agrippam I. a. 4. Claudii imperatoris, i. e. a. 44. aerae vulg., esse mortuum; itaque omnia, quae *Act.* 1,1-13,1 narrantur, intra a. 29. et a. 44. gesta sunt. Annus demum, ad quem usque Lucas narrationem perducit, magna cum probabilitate definitur. Namque Paulum captivum Romam misit Festus brevi postquam Iudaeae administrationem suscepit (25,1 sqq.); iterum autem ex *Fl. Iosephi* relationibus (Antiqu. XX. 8,9; Vita 1. 3) colligimus, Felicem, Festi praedecessorem, munere suo defunctum esse a. 61. Unde habemus, Paulum Ierosolymis in vincula esse coniectum circa festum Pentecostes (20,16) a. 59., Caesareae in carcere detentum esse per biennium (24,27) usque ad auctumnum a. 61., Romam advenisse verno tempore a. 62., atque biennium captivitatis romanae, quo terminatur Actuum historia, decurrisse usque ad ver a. 64.

3. — Ut reliquarum rerum gestarum tempus definiatur, ad Pauli itinera apostolica animus intendatur oportet, quippe a quibus alia fere dependeant. Iam vero primum iter (13,1-14,25) ab a. 46. circiter ad a. 49., alterum (15,35-18,22) ab a. 51. ad a. 54., tertium (18,23-21,15) ab a. 55. ad

a. 59. videntur esse facta; unde sequitur, Concilium Apostolorum (15,1 sqq.) celebratum esse a. 51., Paulum autem ad fidem esse conversum (9,1 sqq.) a. 34.

Ultimum suum iter apostolicum S. Paulum circa festum Pentecostes a. 59. terminasse diximus; in illo autem saltem per duos annos et dimidium Ephesi (19,8-10 cfr 20,31) et per tres menses in Achaia (20,3) commoratus est; cui tempori si adduntur eius peregrinationes per Galatiam Phrygiamque (18,23) et per Macedoniam (20,1. 2) atque reditus eius ex Achaia per Macedoniam etc. in Palaestinam (20,3-21,14), iter integrum quatuor annos absumsisse iure dicemus, i. e. a vere 55. usque ad pentecosten 59. — Ante hoc iter Apostolus ex praecedente itinere redux Antiochiae hiemem (18,23 « aliquanto tempore ») peregisse videtur, ita ut auctumno 54. ex secundo sit reversus; sed illud quoque saltem tres annos duraverat, ab aestate 51. ad auctumnum 54. Nam in illo peragraverat Syriam et Ciliciam (15,41), Phrygiam et Galatiam (16,6); in Macedoniam transgressus satis diu Philippis (16,16. 18), Thessalonicae (17,2), Amphipoli et Beroeae (17,1-10) commoratus erat, atque in Achaiam profectus Athenis aliquot hebdomadis (17, 16 sqq.), Corinthi per annum et dimidium (18,11 sqq.) et iterum « per multos dies » (18,18) consederat[1]. — Concilium Apostolorum habitum esse brevi ante secundum iter, elucet ex eo, quod Paulus Ierosolymis Antiochiam reversus non nisi « aliquantum temporis » et « aliquot dies » illa in urbe remansisse dicitur (15,33. 36.); quare recte concilium ineunte a. 51. celebratum esse asseritur. At Pauli iter ad concilium idem esse, de quo *Gal.* 2,1 sermo est, omnes fere interpretes merito tenent; ibi autem de duobus itineribus ierosolymitanis loquitur, de primo, quod fecit tribus annis post conversionem suam (Gal. 1,18) et de altero ad Concilium, quod suscepit quatuordecim annis post primum (2,1); itaque conversio eius ponenda est septemdecim annis ante concilium i. e. a. 34[2]. — Quandonam primum iter suum inchoaverit, accurate non potest definiri; certum est, illud

(1) Apostolum a. 52. Corinthum prima vice venisse, *Act.* 18,2.12. videntur confirmare. Etenim Corinthi Aquilam et Priscillam invenisse dicitur, « qui *nuper* (προσφάτως) venerant ab Italia, eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma » (18,2). Quo anno Claudius hoc decretum, de quo profani quoque scriptores loquuntur (*Sueton.* Claud. 25), promulgaverit, non plane constat; verisimilior autem sententia tenet, eum a 51. Iudaeos Roma expulisse. Porro Iulius Annaeus *Gallio* proconsul Achaiae vocatur (*Act.* 18,12); atqui Gallio ante a. 51. vel 52. consul factus non est, ac proinde provinciam Achaiae ante a. 53. vel 54. non obtinuit. Itaque Paulus, si a. 52. Corinthum venit, et Aquilam *nuper* ex Italia advectum invenire atque post annum et sex menses (18,11) ante Gallionis tribunal trahi potuit.

(2) Disputant quidem interpretes, a quo termino quatuordecim anni (*Gal.* 2,1) sint numerandi; atque cum *Ven. Beda*, *S. Thom.*, *Baron.* etc. aliqui moderni quoque tenent, Paulum a conversione sua numerare, ita ut tres anni, de quibus *Gal.* 1,18 loquitur, his quatuordecim comprehendantur. At cum *S. Chrys.* et *S. Hier.* longe plerique moderni a finito praecedente itinere quatuordecim annos illos decurrere rectius censent. Nulla enim apparet ratio, cur Paulus iterum ad conversionem respexisse dicatur; immo quum dicat, se πάλιν ascendisse, iter 1,18 commemoratum prae oculis certe habuit. Praeterea, si iterum a conversione sua annos numerasset, eandem procul dubio, quam 1,18, praepositionem (μετά) adhibuisset; praepositio autem διά temporis periodum non interruptam (« interiectis quatuordecim annis ») designat. Ceterum attende, Apostolum iter secundum, quod ad eleemosynas Ierosolyma deferendas a. 44. suscepit (11,29 sqq.), silentio hic praetermisisse.

satis diu ante Concilium esse terminatum; nam cum Barnaba ex itinere redux « non modicum tempus » Antiochiae versatus esse dicitur, antequam missus est Ierosolyma (14,27); certum quoque est, illud saltem duos vel tres annos durasse; id enim ex itineris descriptione elucet (13,1-14,25); hinc cum satis magna probabilitate intra annos 46. et 49. ponitur. Inter conversionem S. Pauli et S. Stephani mortem vix unum annum effluxisse, narratio S. Lucae satis clare ostendit; protomartyr igitur coronam adeptus est a. 33.

Quibus suppositis hanc chronologiam primitivae Ecclesiae stabilire possumus. Quae 1,1-6,8 narrantur, gesta sunt ab a. 29. ad a. 33.; illo anno facta est persecutio, quae Christianos per Iudaeam et Samariam dispergens effecit, ut Evangelium per totam Palaestinam propagaretur (6,9-8,40). A. 34. conversus est S. Paulus (9,1-22), et quum S. Lucas tres annos integros silentio praetereat (*Act.* 9,20. 22. cfr Gal. 1,18), ea quae inde a 9,23 narrantur, gesta sunt post a. 37., ita ut admissio primorum ethnicorum in Ecclesiam ponenda sit circa a. 38. Porro illa, quae inde a 13,1 narrantur, gesta sunt post a. 44., atque illa, quae 15,1 sqq. narrantur, evenerunt ab a. 51. ad a. 64 (cfr App. XII.).

§ 14. — *De praecipuis commentariis catholicis in Actus.*

Pauciores, quam plerique reliqui libri Novi Test., commentatores invenerunt Actus ante medium saec. 16.; res enim, quas narrant, tam faciles ac planae visae sunt antiquis, ut illis explanandis operam suam impendere superfluum duxerint. Inter Graecos Patres solus *S. Chrysostomus* Actus homiliis explicavit, quarum quinque in principium Actuum, quinquaginta quinque in integrum librum reliquit. A S. Chrysostomo omnino dependent *Oecumenii* Commentarius in Act. et *Theophylacti* Expositio Actuum. Reliqua, quae a Patribus graecis de Actuum explicatione praestita sunt, collecta habes in *Catena* (ed. Cramer. Oxonii 1858.).

Inter Latinos primus Actuum commentator est *Cassiodorus* (Complexiones in Actus); circa idem tempus *Arator diac.* heroico metro « de Actibus libros duos » edidit, quibus non parum se adiutum esse fatetur *Ven. Beda* in sua « super Acta Apost. expositione » et in suo « libro retractationis in Acta Apost. »; pro more suo *S. Paterius* et *Alulfus Tornac.* ex S. Gregorii M. operibus nonnullas explicationes collegerunt, et *Walafr. Strabo* Glossam ordinariam maxime ex Bedae operibus desumsit.

Media aetate complures Actus explicaverunt, sed eorum commentarii plerique non sunt editi; typis descriptae sunt Postillae *Card. Hugonis*, *Nicolai Lyrani*, *Dionysii Carth.*, quos saepissime iam nominavimus; *Laur. Valla* quoque saec. 15. scholia in Actus scripsit, quae typis prodierunt Parisiis 1505.

Recentiore aetate Actus diligentius tractari coepti sunt. Saeculo 16. prodierunt *Erasmi Roterod.* Adnotationes (Basileae 1516. et saepius), *Vatabli* Adnotationes (Parisiis 1545.), *Ioan. Gagnaei* Scholia (Paris. 1552.; cfr *I. Benedicti* Emendationes scholiorum Gagnaei. Parisiis 1563.), *Ariae Montani* Elucidationes in Evang. et Acta (Antwerpiae 1575. et saepius), *Lucae Brug.* Notationes (Antwerpiae 1583.) etc.

Quibus omnibus longe praestant nonnulli interpretes saeculi 17., atque praecipue *Ioan. Lorinus* S. I. (Commentarius in Actus. Lugduni 1605. et saepius), *Caspar Sanctius* S. I. (Commentarius in Act.; accessit disputatio de S. Iacobi itemque Petri et Pauli in Hispaniam adventu. Lugduni 1616 et saepius), *Bar-*

THOL. PETRI, Lovan. (Comment. in Actus. Duaci 1622.). Minoris auctoritatis sunt *Alph. Salmeron* S. I. (de Ecclesiae nascentis exordiis et in Actus Ap. Opp. tom. XII. Coloniae 1614.), *Lib. Fromondus* (in Actus. Lovanii 1654.), *Lud. Castanaeus* (Exercitationes in Actus. Pictaviis 1650.), *Ant. Mar. a S. Bonaventura*, O. S. Aug. (Acta Apost. iuxta multiplices sensus. Genuae 1681.), *Ioan. de Sylveira*, O. Carm. (Comment. Opp. tom. VII. Lugduni 1663.) etc.

Ad sacc. 18. pertinent *Ioan. O Donelly*, O. Praed. (Theses sacrae ex Actibus. Lovanii 1709.), *Franc. Mar. Biacca* (Trattenimento sopra gli Atti degli Apostoli. Venezia 1731.), *Barth. Peverelli* S. I. (Lezioni sacri e morali sopra il s. libro degli Atti Apostolici. Verona 1766.), *F. de Ligny* S. I. (Histoire des Actes des Apôtres avec des explications. Opus posthumum. Paris 1824.), *Lamy Besange*, O. S. Ben. (Introductio critico-hermeneutica in Acta. Papiae 1782.) etc.

NOSTRO SAECULO in Actibus interpretandis satis multi operam diligentiamque suam posuerunt. Atque alii quidem totum librum explanare studuerunt ex quorum numero sunt *I. H. Kistemaker* (Geschichte der Apostel mit Anm. Münster 1826.), *M. Wirth* (Die Apostelgesch. erläutert. Ulm 1831.), *Fr. Finetti* S. I. (Atti degli Apostoli esposti in s. lezioni. Roma 1842.), *I. Th. Beelen* (Comment. Lovanii 1850. Ed. 2. 1870.), *A. Bisping* (Die Apostelgesch. Münster 1861. Ed. 2. 1871.), *Fr. X. Patrizi* S. I. (Comment. Romae 1867.), *P. Hake* (Die Apostelgesch. übers. u. erkl. Paderborn 1868.), *I. Van Steenkiste* (Actus Ap. breviter explicati. Brugis 1873.), *H. I. Crellier* (Les Actes des Apôtres avec comment. Paris 1883.), *I. A. Liagre* (Comment. Tornaci 1883.), *I. Felten* (Die Apostelgesch. übers. u. erkl. Freiburg 1892.), *Sydney I. Smith.* S. I. et *T. A. Burge* O. S. B. (Scripture manuals. Acts of the Apostles. London 1897.), *I. Knabenbauer* S. I. (Comment. in Act. Apost. Parisiis 1899.).

Alii ad nonnullas sententias explicandas vel quaestiones solvendas contulerunt, uti *M. Aberle* (Ueber den Zweck der Apostelgesch. Tüb. Quartalschr. 1855. p. 173-236), *P. Hake* (Pragmat. systemat. Darlegg der Apostelgesch. Paderborn 1867.), *B. Schaefer* (Studien zur Apostelgesch. Tüb. Quartalschr. 1877. p. 281-318; 379-437), *A. Anderson* S. I. (Fasti apostolici, a chronolog. survey etc. London 1884.), *E. Le Camus* (L'œuvre des Apôtres. Paris 1891.), *I. Belser* (Beiträge z. Erkl. der Apostelgesch. Freiburg 1897.) etc.

DISSERTATIO VIII.

DE LIBRIS DIDACTICIS NOVI TESTAMENTI.

CAPUT I.

DE EPISTOLIS PAULINIS UNIVERSE SPECTATIS.

§ 1. — *De S. Pauli, gentium Apostoli, vita.*

1. — « Saulus, qui et Paulus » (*Act.* 13,9) Tarsi in Cilicia circa a. 3. aer. vulg. natus est ex familia, quae ex tribu Beniamin oriunda sectae pharisaicae erat addicta atque romana civitate erat donata. In patria literis graecis, ut videtur, imbutus iam puer Ierosolyma venit, ut Legis studio vacaret; at dum ad pedes Gamalielis eam sibi acquirebat librorum sacrorum scientiam, quam in eius epistolis omnes admirantur, magistri sui mansuetudinem et moderationem erga Christianos non imitatus « abundantius exsistens aemulator paternarum suarum traditionum » « supra modum Ecclesiam Dei persequebatur » (*Gal.* 1,14. 15); tamquam synedrii legatus enim interfuit occisioni S. Stephani, multos Christianos ierosolymitanos in vincula coniecit eosque usque in exteras civitates consectatus est.

Num gentium Apostolus, sicut multi Iudaei istius aetatis, a puero duplex nomen *Sauli* et *Pauli* habuerit necne, in controversia versatur. Attamen S. Lucas duplicis nominis mentionem tam arcte cum Sergii Pauli, proconsulis Cypri, conversione connectit, ut vix dubium esse possit, quin illa in occasione Apostolus alterum nomen assumserit, sive ut memoriam tantae victoriae relatae (cfr *S. Hier.* in Philem. 1; de Vir. ill. 5) conservaret, sive potius ut nomine proconsulis acceptc se eius quasi clientem profiteretur, id quod coram magistratibus romanis non parvae ei utilitatis forsitan fuerit. Familiam suam pharisaicae sectae fuisse addictam atque ex tribu Beniamin oriundam, ipse testatur (Phil. 3,5), ideoque Patres vaticinium iacobeum de Beniamino lupo rapace (*Gen.* 49,27) frequenter de illo explicant (*Tert.* c. Marc. V. 1; *S. Ambros.* de Bened. Patriarch. 12; *S. Hier.* in Os. 5, 8; *Rufin.* Bened. Beniam. 2; *S. Aug.* Serm. 279,1 etc.). Quandonam autem

familia eius romanam civitatem acceperit aut Tarsi sedem suam fixerit, ignoramus; sine speciali providentia autem id non esse factum, est manifestum. Ad civitatem enim suam romanam Apostolus non semel provocavit, ut iniustos suos persecutores confunderet (*Act.* 16,37 sqq.; 22,25 sqq.), eique etiam debuit, quod Romam adductus ibi Evangelium praedicare potuerit (*Act.* 25,10 sqq.).

Tarsi, quae civitas illa aetate studio scientiarum Athenas et Alexandriam superavit, graecis literis imbui potuit, atque eum hac occasione usum esse, non tantum stylus eius vere graecus docet, quo praeter Lucam reliquos scriptores Novi Test. superat, sed etiam allegationes quaedam graecorum poetarum, quibus interdum usus est (*Act.* 17,28; 1 *Cor.* 15,33; *Tit.* 1,12). Graecis igitur literis imbutus vix pueritiam egressus Ierosolyma venit; ἐκ νεότητος enim se in sancta civitate vixisse ibique esse enutritum (ἀνατεθραμμένον) asserit (*Act.* 26,4; 22,3). Magistrum nactus est Gamalielem seniorem (*Act.* 22,3), virum non minus insignem apud Iudaeos, qui eum « gloriam Legis » (כבוד התורה) appellant, quam apud Christianos, qui eum velut Apostoli magistrum colunt et ob sapiens eius, quo primam Christianorum persecutionem sedavit, iudicium honorant (*Act.* 5,34). In scholis autem suis rabbini solam fere Scripturam tractare solebant, sive ut praecepta eius accuratius definirent (Halacha), sive ut eam ex traditione explicarent (Haggada; cfr Diss. III. § 7, 1. p. 149). Cui studio Paulus quoque iuvenis operam suam impendit; immerito autem acatholici interpretes nonnulli in eius epistolis rabbinicam illam hermeneuticam invenire volunt, qua Thalmudistae quidquid volunt ex omnibus Scripturarum vocabulis et literis derivant. Procul dubio summa Vet. Test. scientia in epistolis eius apparet; namque solo proximo sensu literali non contentus haud raro legitimis illius consectariis asserta sua confirmat, ex typico sensu argumenta multa desumit, interdum verba scripturistica ad suum thema scite accommodat, quin etiam externus argumentationis modus continuis interrogationibus frequentibusque interpellationibus scholam rabbinicam prodit; at haec omnia a rabbinica vel potius thalmudica hermeneutica longe absunt. Eodem tempore, quo literarum studiis vacabat, patrium morem secutus Paulus opificium didicit; « pulchrum enim esse studium Legis, si cum opificio coniungatur » aiunt rabbini. « Scenofactoria ars[1] » autem, quam didicit, ei postea inservivit, ut sibi ipsi sociisque victum quotidianum pararet, ne gravaret fideles (*Act.* 18,3; cfr 20,34; 1 *Thess.* 2,9; 2 *Thess.* 3,7 sqq.; etc.).

Quamdiu Paulus ad Gamalielis pedes sit eruditus, ignoramus; eum enim usque ad diem, quo inter S. Stephani persecutores nominatur, semper in civitate sancta resedisse, vel ideo non est probabile, quia secus procul dubio Dominum N. vidisset eiusque passioni interfuisset; quod vero umquam Dominum in terris agentem viderit, nullibi indicat; et quum continuo se ipse accuset, quod Ecclesiam sit persecutus, non tacuisset crimen suum, si in Domini passione partem habuisset. Quare studiis absolutis in Ciliciam reversus esse nec nisi post Domini mortem Ierosolyma rediisse videtur. Quomodo Ecclesiam sit persecutus, fuse refert

(1) Quo sensu a S. Luca (*Act.* 18,3) nomen σκηνοποιοῦ usurpetur, non satis constat. Cum *Origine* multi quoque moderni Paulum tabernaculorum fabrum seu constructorem fuisse arbitrantur, id quod vocabulum etymologice significat; cum *Chrys.* tamen alii eum tabernaculis pelliceis, quibus Graeci Romanique utebantur, consuendis victum sibi comparasse volunt; demum alii eum artem texendi panni cuiusdam grossi exercuisse (forte rectius) tenent, qui quia in Cilicia potissimum conficiebatur κιλίκιον appellabatur et in tentoriis parandis frequentissime adhibebatur.

S. Lucas (*Act.* 7,57-8,3; 9,1 sqq.) et ipse Apostolus (*Act.* 22,19 sqq.; 26,9 sqq. cfr 1 *Cor.* 15,9; *Gal.* 1,13; Eph. 3,8; Phil. 3,6 etc.). Probe autem adnotandum est, eum velut legatum synedrii omnia haec egisse; ante 30. annum aetatis autem Iudaei publicis muneribus non fungebantur; a. 33. aerae vulg. igitur saltem trigesimum annum iam attigerat, ita ut cum aliqua probabilitate a. 3. aerae vulg. natus esse dicatur; revera in ep. ad Philem. 9. sese dicit *senem;* epistola illa autem scripta est versus finem captivitatis romanae, i. e. exeunte a. 63.

2. — Attamen Paulus, quum damascenos quoque Christianos persequi vellet, in itinere prope civitatem Domini ipsius apparitione in alium hominem mutatus est et baptismo recepto statim in synagogis damascenis praedicavit Iesum Filium Dei. Paucis autem diebus postea in Arabiam (petraeam) sese recepit, probabiliter ut ad magnum munus ei praedictum (*Act.* 26,16 sqq.) sese praepararet. Tribus fere annis postea redux satis diu Damasci Iudaeos confundebat affirmans, quoniam Iesus est Christus; ad fugam autem coactus (*Act.* 9,23 sqq.; 2 *Cor.* 11,32 sq.) Ierosolyma profectus est, ut videret Petrum (Act. 9,26 sqq.; *Gal.* 1,18). At ne illic quidem diu consistere potuit, sed coelesti visione admonitus, ut Iudaeorum insidiis se subtraheret (*Act.* 22,17 sqq.), in patriam suam Tarsum est reversus (*Act.* 9,30; *Gal.* 1,21), ibique resedit, usque dum a Barnaba est arcessitus, ut cum eo in prima ecclesia ex ethnicis conversis fundata Antiochiae laboraret (*Act.* 11,19-26).

Conversionis Pauli, quae in epistolis interdum innuitur (*Gal.* 1,13-16; 1 *Cor.* 9,1; 15,8 sq.; 1 *Tim.* 1,13 etc.), tres relationes exstant in Actibus, una auctoris (9,3-19), duae ipsius Apostoli (22,6-16; 26,12-18). Quas inter se non pugnare, id quod asserunt multi acatholici, demonstratione vix indiget atque satis superque ab interpretibus cath. ostenditur. Neque magis obiectionibus immorari opus est, quibus aut tota conversio modo naturali (tempestate subito exorta, fulguribus, morsibus conscientiae etc.) a Renan aliisque stultissime explicatur, aut hallucinationi cuidam, quam Paulus passus sit, adscribitur; haec enim omnia rationalistarum ab omnibus miraculis abhorrentium praeiudiciis innituntur. Similiter illa quoque, quae de itineribus suis in Arabiam, Ierosolyma, Tarsum etc. Apostolus in suis epistolis commemorat (*Gal.* 1,17-24; 2 *Cor.* 11,32 sq.) cum Actuum narrationibus (9,22-30; 22,17-21; 26,19. 20), dummodo ad S. Lucae narrandi modum supra indicatum (cfr *supra* Diss. VII. § 6,4. p. 507) attenderis, tam facile conciliantur, ut merito mireris, quod aliquis in illis pugnam deprehenderit.

Ad chronologiam autem quod attinet, animadverte, Paulum ad fidem esse conversum a. 34., Ierosolyma esse reversum ac quindecim diebus postea (Gal. 1,18) Tarsum esse profectum a. 37.; quamdiu Tarsi sit versatus, nec Lucas nec Apostolus ipse indicant; satis recte tamen supponimus, prophetas illos, qui magnam famem praedicentes commoverunt antiochenos Christianos, ut eleemosynas fratribus in Iudaea habitantibus mitterent (*Act.* 11,27.-28), Antiochiam advenisse a. 43.; nam a. 44., quo Agrippa I. mortuus est, Barnabam et Paulum ad eleemosynas deferendas missos esse (11,29. 30) ex narratione immediate sequente de Agrippae morte (12,1-25) satis ni fallor constat (cfr *supra* Diss. VII. § 13,2. p. 535). Ante istam autem missionem Barnabas et Paulus annum integrum in ecclesia antiochena erant versati (11,26); itaque Paulus a. 42. a Barnaba videtur esse Tarso arcessitus.

3. — Postquam anno integro cum Barnaba laborans Antiochiae turbam multam docuerat, cum eodem missus est, ut eleemosynas deferret « ad seniores » ierosolymitanos; in hoc itinere sublimem illam visionem habuit, qua in paradisum abreptus audivit arcana verba, quae non licet homini loqui (2 *Cor.* 12,2 sqq.). Qua confortatus Antiochiam redux una cum Barnaba per Spiritum S. designatus est, qui gentibus Evangelium annuntiaret (*Act.* 13,1-3). Ambo profecti una cum Marco primum transfretarunt in Cyprum, cuius insulae proconsulem Sergium Paulum Apostolus ad fidem adduxit (13,4-12); deinde soli, quum Marcus ab eis sese separasset, Pamphyliae, Pisidiae, Lycaoniae, i. e. magnae parti romanae provinciae Galatiae, Evangelium intulerunt; frustra enim Iudaei persecutionibus suis eos absterrere conabantur (13,13-14,25).

Secundum hoc iter ierosolymitanum Apostolus (*Gal.* 1,18-2,1) silentio praetermittit, quia in illo nullum Apostolum viderat (« ad seniores » enim mittitur, quos Lucas in *Act.* 15,2. 4. 6. 22. 23; 16,4 etc. ab Apostolis semper distinguit), et ante illud iam diu exercuerat ministerium suum apostolicum, ita ut ad argumentationis suae finem obtinendum rationem illius itineris commemorandi non haberet. Cur visionem in 2 *Cor.* 12. commemoratam cum hoc itinere coniungamus, patet ex chronologia indicata; *quatuordecim* annis enim, antequam epistolam illam scriberet, se in paradisum raptum esse asserit; haec autem versus finem tertii itineris, i. e. exeunte a. 58., in Macedonia scripta est (cfr infra § 7,6. p. 566), atque proinde iter hoc ierosolymitanum susceptum a. 44. (*Diss.* VII. § 13,2. p. 535). Iter ipsum, quod S. Lucas satis fuse narrat, saltem duos vel tres annos absumsisse videtur; tot et tanta vero Apostolus in illo pertulit, ut versus vitae finem, i. e. plus viginti annis post, quum Timotheo persecutiones passionesque suas in memoriam revocare vellet, illa praeprimis ei occurrerent, quae passus erat Antiochiae, Iconii et Lystris (2 *Tim.* 3,11; cfr *Act.* 13,50; 14,5. 18). Maior terrarum pars, quas in hoc itinere Paulus et Barnabas peragrarunt, ad romanam provinciam *Galatiae* pertinebat, unde omnino probabile est, nomine « ecclesiarum Galatiae », quibus Paulus gravissimam epistolam scripsit, illas esse intelligendas, quas Antiochiae Pisidiae, Iconii, Lystris etc. in hoc itinere fundavit (cfr *infra* in hac *Diss.* § 6,1, p. 557 sq.).

4. — Antiochiam Syriae reversi Paulus et Barnabas consuetis laboribus vacare coeperant, quando Iudaeochristiani quidam ethnicis neophytis ad circumcisionem adactis quaestionem de legalibus excitarunt. Itaque cum nonnullis aliis Ierosolyma missi decretum in Apostolorum concilio sollemniter latum obtinuerunt, quo Ethnicochristiani iudaica lege rituali non ligati declarabantur, pauca tamen, quae Iudaeis erant odiosiora, vitare iubebantur, ut hac ratione cum illis facilius in unum coetum coalescerent. Qua apostolica definitione Antiocheni magno gaudio sunt impleti, sed quaestio ipsa non plane terminata. Brevi enim post sub alia forma revixit, quum Petrus, qui Antiochiae prius cum ethnicis neophytis vixerat, ab eorum societate sese retraxisset, ne Iudaeochristianis ierosolymitanis scandalo esset. Paulus vero, qui hac Petri agendi ratione pacem ecclesiae antiochenae turbari ethnicosque a fide absterreri vidit, Petrum

libere reprehendit, atque morte Christi non tantum ethnicos, sed etiam Iudaeos a Lege liberatos esse ostendit.

De *Act.* 15,1 sqq. et *Gal.* 2,1 sqq. consensu cfr *Diss.* VII. § 12,2. p. 533; de anno Concilii *ibid.* § 13,3. p. 536. — Quo tempore Petrus Antiochiam advenerit, accurate definiri non potest. Tota tamen Pauli relatio (*Gal.* 2,11 sqq.) post Concilium finitum id accidisse ostendit; Paulus autem ipse post Concilium bis tantum Antiochiae est commoratus, immediate postea antequam secundum iter apostolicum suscepit (*Act.* 15,33. 36) et iterum ex secundo itinere redux (*Act.* 18,22. 23). Sed ante secundum iter inter Paulum et Barnabam iam dissensio exorta erat, « *ut discederent ab invicem* » (*Act.* 15,39), neque improbabile est, inconstantiam, quam Barnabas Petri exemplo seductus ostenderat (*Gal.* 2,13), dissensionem propter Marcum exortam auxisse. Quam ob causam reprehensio Petri in intermedio tempore inter Concilium et inter secundum iter rectius poni videtur. De legalium controversia ipsa cfr *infra* § 3,2. p. 547 sq.

5. — Brevi postea Paulus cum Sila ecclesiis asiaticis pridem fundatis decretum apostolicum attulit atque altero itineris socio Timotheo assumto novam expeditionem suscepit. Coelesti visione in Macedoniam invitatus cum sociis, quibus Troade Lucas se adiunxerat, Philippos venit ibique atque Thessalonicae et Beroeae ecclesias fundavit ubique Iudaeorum persecutiones sustinens. In Achaiam transgressus sed Athenis non diu commoratus sedem fixit Corinthi, qua in urbe florentissimam ecclesiam fundavit. Turbae a Iudaeis excitatae eum permovisse videntur, ut Achaia ad tempus relicta in provinciam Illyriam proficisceretur (*Rom.* 15,19), quo ex itinere redux iterum « multis diebus » Corinthi peractis per Ephesum Ierosolyma et Antiochiam est reversus (*Act.* 15,36-18,22).

De ecclesiarum Phil., Thess., Cor. fundatione *infra* (§ 5. 7. 9.) pauca addemus, Primas suas epistolas (*ad Thess.* 1. et 2.) Apostolus in hoc itinere scripsit Corinthi per Timotheum ex Macedonia revertentem de illius ecclesiae statu certior factus. Circa idem tempus etiam epistolam *ad Galatiae* provinciae ecclesias in primo itinere fundatas et in secundo visitatas scripsisse videtur (§ 6,5).

S. Paulum « usque ad Illyricum » Evangelium praedicasse constat (*Rom.* 15,19); illyricum autem eius iter in Actibus praetermissum nullibi aptius, quam *Act.* 18. 17. 18 inseritur; eadem enim ratione, qua *Act.* 9,19. 23 duae commorationes damascenae, inter quas iter arabicum inserendum est, *Act.* 18,17. 18 duae commorationes corinthiae (per « annum et dimidium », per « multos dies »), distingui recte dicuntur. Revera Paulus, antequam 2 Cor. scripsit, bis iam Corinthum advenerat (2 *Cor.* 12,14; 13,1); unum solum autem iter a Luca antea commemoratur, nam iter illud, de quo *Act.* 18,1 et 20,2 sermo est, omnibus fatentibus interpretibus secunda epistola ad Cor. est recentius.

6. — Antiochiae hieme 54. versatus Apostolus vere insequente tertiam expeditionem apostolicam suscepit, qua provinciae Asiae Evangelium attulit. Tribus fere continuis annis Ephesi residens tanto cum fructu Evangelium praedicavit, ut diminuto idololatrarum numero commercium idolorum deperiret. Quapropter seditio contra eum excitata est, qua Ephesum relinquere coactus Macedoniae Achaiaeque ecclesias visitavit; ex Achaia autem per Asiam Ierosolyma revertens Mileti presbyteros

ephesios monitis suis ad futura pericula praeparavit, Tyri autem et Caesareae de instante sua captivitate edoctus est (*Act.* 18,23-21,15)

Ephesi residens Paulus de schismatis periculo, quod ecclesiae corinthiae imminebat, privatim certior factus (1 *Cor.* 1,11) Timotheum, quem in Macedoniam ablegavit, Corinthios visitare iussit (1 *Cor.* 4,17; cfr *Act.* 19,22). Interea autem per eorum legatos de ecclesiae statu accuratius edoctus epistolam illam scripsit, quae 1 *Cor.* vocari solet. Brevi postea autem Titum Corinthum proficisci iussit, ut videret, quem fructum epistola tulisset, ac deinde Troade secum conveniret (2 *Cor.* 2,13). Attamen subita seditione populi, quem Demetrius argentarius, quum suum idolorum commercium crescente multitudine ethnicorum a Paulo conversorum ruere ac perire videret, clamoribus querelisque suis turbidis contra eum inflammaverat, citius quam sibi proposuerat Ephesum relinquere coactus non Troade, uti speraverat, sed in Macedonia (probabiliter Philippis) legatum suum revertentem obviam habuit, atque eius nuntiis ut *alteram epistolam Corinthiis* scriberet permotus est. Paucis hebdomadibus postea ipse quoque ex Macedonia Corinthum venit ibique epistolam suam *ad Romanos* exaravit, qua primum suum iter romanum praepararet, de quo iam a multis annis cogitaverat (*Rom.* 15,23 sqq.). Etenim « ulterius non habens locum in orientalibus regionibus » Hispaniae in extremo Occidente fidem afferre desideraverat atque in hoc itinere romanam simul videre ecclesiam, ut eis aliquid gratiae spiritualis ad eos confirmandos impertiret (*Rom.* 1,11).

7. — Uti ei praedictum erat, Paulus Ierosolymis, quamvis a Iacobo monitus ad Iudaeorum calumnias refellendas votum in templo solvisset, velut Legis contemtor in vincula coniectus est atque iter suum romanum alio modo, quam sibi proposuerat, facere coactus est. Primum enim Ierosolymis coram synedrio, dein Caesareae coram Felice procuratore atque post captivitatis biennium iterum coram Festo procuratore causam dicere iussus Caesarem appellavit. Itaque auctumno a. 61. Romam abductus est, quo post infelix iter vere insequentis anni advenit. Ibi autem a Iudaeis repulsus per biennium in privata domo cum milite custode habitans ethnicis Evangelium annuntiavit atque simul ecclesiarum pridem a se fundatarum memor fuit (*Act.* 21,16-28,31).

Quanta cum diligentia ecclesiis suis in captivitate sua invigilaverit, epistolae illo tempore *ad Philippenses*, *Colossenses*, *Philemonem*, *Ephesios* conscriptae demonstrant, ex quibus etiam elucet, eum per discipulos missos illas in fide confirmasse illarumque negotia tractasse. Immo etiam ad ecclesias speciali curae eius non commissas sollicitudinem apostolicam extendit; biennio enim captivitatis romanae epistola *ad Hebraeos* recte adscribi videtur.

8. — Biennio captivitatis romanae Lucas narrationem suam terminat nec quis causae Pauli exitus fuerit indicat. Attamen Patrum testimoniis satis constat, Apostolum causam suam vicisse atque e carcere dimissum alias expeditiones in Occidentem et Orientem suscepisse, usque dum a. 67. eodem die, quo S. Petrus, Romae martyrio est coronatus.

Ante aestatem a. 64., quo tempore Nero Christianos Romae persequi coepit, Paulum vinculis esse liberatum, iure asserimus; tamquam « caput sectae Nazarenorum » (*Act.* 24,5) enim accusatus mortem non effugisset, nisi ante persecutio-

nem liber iam fuisset. Constat autem eum a. 14. Neronis (i. e. 67 aer. vulg.) vitam finivisse (S. Hier. de Vir. ill. 3. cfr 12; *Eus.* Chron. ad a. 14. Neronis), atque certum quoque est, eum expeditionem apostolicam in Hispaniam suscepisse (*Fragm. Murator.* l. 37. 38; *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 5; *S. Athan.* ad Dracont. 4; *S. Hier.* in Is. 2,10 etc.). Quapropter duplex Pauli captivitas admittatur oportet; quid autem intermedio tempore egerit, aeque certum non est; cum aliqua tamen probabilitate haec asseri possunt. Postquam causam peroravit, statim in Hispaniam profectus, sed ibi non diu commoratus auctumno a. 64. in Orientem revertens Cretam venit, ubi Titum reliquit (*Tit.* 1,5); deinde ecclesias in Asia fundatas visitavit atque Ephesi in Macedoniam proficiscens reliquit *Timotheum*, cui brevi postea *priorem epistolam* scripsit in qua cito se reversurum esse promisit (1 *Tim.* 3,14). Revera alterum iter in Asiam videtur suscepisse; inde per Miletum in Macedoniam et Graeciam profectus *Titum epistola* invitavit, ut Nicopolim (in Epiro) ad se veniret (*Tit.* 3,12). Corinthi S. Petrum invenit, cum quo Romam profectus est (S. *Dionys. Cor.* apud Eus. H. E. II. 24). In Urbe iterum in vincula coniectus ultima sua *epistola Timotheum* ad se invitavit, atque ibidem « sub praefectis » (*S. Clem. Rom.* 1 Cor. 5) Tigellino et Nymphidio die 29. Iunii a. 67. capitis obtruncatione gloriosam martyrii palmam obtinuit.

§ 2. — *De epistolarum paulinarum numero et ordine.*

1. — Continuae sollicitudini, qua S. Paulus ecclesiis a se fundatis invigilavit easque in fide et caritate promovere studuit, debentur quatuordecim illae epistolae, quae « omnibus notae et manifestae » (*Eus.* H. E. III. 3.25) atque (excepta illa ad Hebr., de qua aliquando in Occidente dubitabatur) in integra Ecclesia pro canonicis semper sunt receptae. Quin tamen praeter illas Apostolus alias quoque scripserit, quae hodie deperditae sunt, non est dubium.

Quot epistolas Paulus viginti illis annis conscripserit, quibus munere apostolico inter ethnicos functus est, ignoramus; certum autem est, eum plures quam quatuordecim conservatas scripsisse. Duabus enim nostris epistolis ad Corinthios alia iam praecesserat (cfr 1 *Cor.* 5,9 et 2 *Cor.* 10,9); ex *Phil.* 3,1 quoque recte colligitur, eum eidem ecclesiae iam antea literas misisse (cfr etiam *S. Polyc.* ad Phil. 3), atque eum Laodicensibus scripsisse ex *Col.* 4,16 cum omnimoda certitudine discimus. Tres igitur saltem deperditae sunt; longe autem maiorem esse deperditarum numerum facile concedet, qui ad frequens illud et continuum commercium attenderit, quod Paulus cum ecclesiis suis habebat; at Dei providentia res ita disposuit, ut quatuordecim tantum ad nos pervenirent.

Quarum singularum quidem authentiam infra allatis primorum Patrum testimoniis et refutatis adversariorum obiectionibus vindicabimus; hoc autem loco iam monemus, summae auctoritatis esse unanimem ecclesiarum omnium consensum in quatuordecim (aut saltem tredecim) paulinis epistolis admittendis. Quanta autem sit huius argumenti gravitas facile patet consideranti, primitivas ecclesias non nisi certis et exploratis testimoniis nixas libros sibi oblatos pro sacris et apostolicis recepisse; id quod ex continuis diuturnisque disputationibus abunde constat, quibus Patres quum Marcionem aliosque librorum sacrorum corruptores tum Gnosticos innumerorum apocryphorum auctores confutarunt. Iam vero si lite-

rulas ad Philem. excipis, nulla ex quatuordecim est, quae non iam in *Patrum apostolicorum* libris testimonia habeat; omnes medio saec. 2. agnitae sunt a *S. Iustino M.* atque eodem tempore eas omnes in extremo Oriente fuisse receptas, versio *Peschito* nos docet. Paullo post auctor *fragm. Murat.* omnes recenset praeter illam ad Hebr., quam antea in ecclesia romana adhibitam esse luculentissime constat *S. Clementis Rom.* allusionibus. Inde a saec. 2. fine *S. Irenaeus, Tertullianus, S. Cyprianus* in Occidente tredecim, *Clemens Alex.* et *Origenes* in Oriente quatuordecim agnoscunt; *Eusebius* autem, etsi de ep. ad Hebr. in Occidente dubitatum esse non ignoraret, easdem quatuordecim sine ulla haesitatione inter τὰ ὁμολογούμενα enumeravit. Ab eo tempore omnes sine controversia sunt receptae, ita ut integrae antiquitati christianae adversentur, qui nostra aetate nonnullas reiicere coeperunt. Quid eorum argumenta valeant, infra videbimus; adnotamus dumtaxat, a plurimis acatholicis hodie Paulo praeter ep. ad Hebr. tres pastorales (1. 2. Tim., Tit.) abiudicari, a nonnullis etiam epp. ad Ephes. et Coloss. reiici, a Neotubingianis solas quatuor (Rom., 1. 2. Cor., Gal.) pro genuinis recipi atque has quoque a recentissimis « criticis » in dubium vocari.

2. — « Quatuordecim quidem epistolas a B. Paulo esse conscriptas, ordinem autem, quem in libris obtineant, ab eo non esse institutum », eo maiore cum iure asseruit *Theodoretus* (Praef. in ep. Pauli), quo certius est, Apostolum epistolarum suarum completam collectionem non fecisse atque non eundem ordinem in omnibus ecclesiis inveniri.

Non immerito quidem ex 2 *Petr.* 3,16 colligitur, *aliquam* epistolarum paulinarum collectionem in usu fuisse ecclesiarum; at nec quot epistolas continuerit nec a quo sit facta, ullo modo definiri potest. Codices autem in epistolis disponendis quam maxime variant. In eo plerique catalogi consentiunt, quod epistolis ad integras ecclesias conscriptis postponant illas, quae singulis personis sunt destinatae; a qua ordinis ratione ep. ad Hebr. sola excipitur, quae non tantum apud Occidentales, a quibus tardius recepta est, sed etiam in syriacis et nonnullis graecis codicibus ultimum locum occupat. Praeterea longe maior catalogorum et codicum numerus primo in loco ep. ad Romanos ponit, sed canon ecclesiae romanae in fragm. Muratoriano illam inter epistolas ecclesiis scriptas ultimam nominat. In tridentino canone, cuius ordo inde ab Augustini tempore in latina ecclesia usitatissimus fuit, ea videtur esse observata lex, ut iuxta ecclesiarum personarumque, quibus sunt destinatae, dignitatem et argumenti gravitatem singulis locus assignaretur. Ideo Rom. sequuntur 1. 2. Cor., quia haec quoque ecclesia Petrum Paulumque fundatores se habuisse gloriabatur; quartum locum occupat Gal. ob argumenti gravitatem; ecclesiae Ephes. et Philipp. ex illis sunt, quibus fundandis et erudiendis Paulus maiorem sollicitudinem adhibuerat; cum ep. ad Ephes. et Philipp. autem coniuncta est Coloss., quia eodem tempore cum illis est scripta atque argumento suo proxime ad Ephes. accedit. Hinc epistolis ad Thess., quamvis primae scriptae sint, ultimus locus erat attribuendus. Timotheus, qui in inscriptionibus epistolarum toties nominatur, praecedit Tito, Titus Philemoni viro privato. Ep. ad Hebr. post reliquas omnes est posita, quia, uti diximus, ultima in canonem occidentalem est recepta.

Temporis igitur, quo epistolae conscriptae sunt, in illis disponendis ratio habita non est; chronologicum tamen ordinem in tractatu nostro tenebimus, quoniam, uti monet *S. Chrysostomus* (Arg. ep. ad Rom. 2) « epistolarum tem-

pus cognitum ad dubia solvenda multum confert ». Itaque eam, quae melioribus argumentis probatur, sententiam secuti, epistolas omnes in tres classes distribuemus, quarum prima continebit epistolas ante priorem captivitatem conscriptas : 1. 2. Thess., Gal., 1. 2. Cor., Rom.; altera epistolas Apostoli Romae in vinculis degentis : Philipp., Ephes., Coloss., Philem., Hebr.; tertia epistolas pastorales, quas e priore captivitate liberatus (1 Tim., Tit.) et brevi ante mortem in secundis vinculis (2 Tim.) composuit.

§ 3. — *De epistolarum paulinarum argumento deque adversariis, qui in illis impugnantur.*

1. — « Totam fere theologiae doctrinam » in paulinis epistolis contineri, rectissime dixit *S. Thomas*, etenim « de omnibus fere agunt, sine quibus aut vita aut salus hominum aut denique evangelica doctrina constare non potest » (*Salmer.*). Maiore autem diligentia in omnibus fere epistolis Apostolus universalitatem salutis per Christum allatae vindicat atque fidem vivam in Iesum Christum eiusque Evangelium viam unicam salutis esse ostendit.

Finem vix inveniunt Patres, si de thesauro doctrinarum in paulinis epistolis contento loquuntur; « promptuarium doctrinae Christi » eas *S. Cyrillus* appellat, « Legis et Scripturarum armarium » *S. Hieronymus*, « metalla, quae quovis auro pretiosiores nobis praebeant divitias, et fontes, qui numquam sint defecturi » *S. Chrysostomus* etc. Revera nullus umquam theologus de argumento quocumque theologico tractare potuit, quin ad epistolas paulinas recurreret, et optima quaeque, quae de Deo divinisque rebus nobis tradiderunt Patres et theologi, explanatio quaedam sunt et enarratio eorum, quae Paulus a Spiritu S. illustratus docuerat. At unum est argumentum, quod in plerisque epistolis recurrit : Christum, Dei Filium, omnium omnino hominum esse redemtorem, a quo solo omnis gratia in omnes derivatur; omnes autem homines utpote in protoparente infectos peccato indigere illa gratia neque aliam viam ad eam obtinendam patere praeter fidem vivam; neque enim Legem mosaicam ipsam, etsi παιδαγωγὸς εἰς Χριστόν fuerit, quidquam ad salutem consequendam amplius conferre ideoque eam Christi morte esse abolitam, ut Iudaei et ethnici in unum corpus coalescerent, cuius caput est Christus.

2. — Quam doctrinam Apostolus eo frequentius et accuratiusexplanare et inculcare cogebatur, quo ardentius nonnulli ex Iudaeochristianis pseudapostoli eam adulterare conabantur, ethnicis, nisi circumciderentur, aut salutem ingressumque in Ecclesiam plane negantes aut saltem inferiorem locum minoraque iura dumtaxat in Ecclesia concedentes.

Primis Ecclesiae temporibus quaestio de Legis antiquae ad novam relatione non parvam creavit difficultatem. Disertis quidem verbis Dominus Apostolos omnibus omnino hominibus Evangelium praedicare iusserat, at utrum ethnici ante baptismum circumcisione populo electo essent inserendi necne, diserte non docuerat. Ideo quando Petrus singulari revelatione edoctus primos ethnicos non circumcisos ad baptismum admiserat, mirati sunt Iudaeochristiani, « quod et gentibus Deus poenitentiam dedisset ad vitam » (*Act.* 10,1-11,18). Illo quidem tempore quieverunt, dispensationi divinae extraordinariae admissionem Cornelii familiae-

que eius, ut videtur, adscribentes; resuscitata autem est quaestio, quando Antiochiae integra ecclesia est exorta, quae ethnicis non circumcisis Legemque non observantibus constabat. Iudaeochristiani ierosolymitani enim illos « nisi circumciderentur iuxta morem Moysis, non posse salvari » putaverunt (*Act.* 15,1), atque Apostoli sollemni decreto definire debebant, ethnicos non circumcisos ad baptismum esse admittendos, admissos autem nullo modo ad Legis observantiam obligari (*Act.* 15,23 sqq.).

Quo decreto litem integram non esse finitam, brevi postea apparuit; etenim Ethnicochristianos quidem Lege mosaica non teneri, definitum erat, sed de Iudaeochristianorum relatione ad Legem nihil diserte erat sancitum; salutem non posse negari Ethnicochristianis ex decreto clare elucebat, at num Iudaeochristianis essent pares eademque haberent iura, aeque clarum non erat. Immo ipsum decretum iudaizantibus argumentum praebere videbatur, quo Ethnicochristianis inferiorem gradum in Ecclesia competere docerent; quatuor enim praecepta, quae neophytis ethnicis imponebantur (*Act.* 15,29), eadem erant, quae Iudaei suis proselytis secundi gradus (« proselytis portae ») imponebant[1], unde facile concludi potuit, Ethnicochristianos non circumcisos eundem gradum in Ecclesia, quem « proselyti portae » in synagoga, tenere nec perfectos Christianos esse.

Quam mitigatam Iudaismi formam immediate post Concilium Apost. a iudaizantibus teneri videmus; illi enim, propter quos Petrus a familiari sua conversatione cum Ethnicochristianis sese retrahebat, non amplius ethnicis neophytis non circumcisis salutem negabant, sed indignos illos proclamabant, quibuscum Petrus aliique Iudaeochristiani familiariter viverent; hanc enim eorum doctrinam fuisse docet apostrophe S. Pauli, qui nequaquam ethnicorum liberationem a Lege asserit, sed longe ulterius progressus Legem ad salutem nihil conferre docet eiusque abrogationem universalem, etiam pro Iudaeochristianis, proclamat (*Gal.* 2,11-21). Hoc utique non erat nisi legitimum consectarium decreti apostolici, quod neophytos non velut « hospites et advenas », sed velut « cives (συμπολίτας) sanctorum et domesticos Dei » in Ecclesiam admiserat (*Eph.* 2,19 sqq.); sed legitimam hanc consequentiam iudaizantes non agnoverunt, atque « magnorum Apostolorum », qui *Ierosolymis* Legem observare non cessarant, auctoritatem praetendentes et privilegia Iudaeorum promissionesque « semini Abrahae » factas semper in ore gerentes adulterare verbum Dei « conabantur doctrinae Christi admiscentes antiquam Legem; immo ut faciliorem sibi viam ad finem suum obtinendum pararent, nec ipsi integram Legem observabant nec integram neophytis imponebant eorum circumcisione contenti (*Gal.* 5,3; 6,13). Contra hos adversarios Paulus maxime in epistolis ad Gal. et Rom., sed etiam in aliis, universalitatem salutis

(1) A rabbinis duae proselytorum classes distinguebantur. Alii enim ethnici circumcisione recepta totam Legem mosaicam amplexi ad Iudaismum omnino transierunt et velut membra genuina populi electi habebantur; « proselyti iustitiae » (גרי הצדק) appellabantur. Plerique autem, quibus circumcisio repugnabat totiusque Legis observatio durior erat, iuxta septem « praecepta noachica » abstinere debebant ab *idololatria* et blasphemia, homicidio, rapina et rebellione, *incestu* (connubiis cum propinquis), *esuque sanguinis et suffocati*, atque deinde ad coetus sacros in synagogis frequentandos admittebantur, sed velut membra imperfecta habebantur; « proselyti portae » (גרי השער) a rabbinis appellabantur, in Novo Test. autem et a Iosepho vocantur οἱ σεβόμενοι (« colentes » sc. verum Deum; *Act.* 13,43; 16,14; 17,4 etc.); inter eos, uti ex Actibus elucet, Paulus maiorem fidem inveniebat.

per Christum allatae adstruit, atque omnium Christianorum, sive ex Iudaeis sive ex ethnicis venerint, aequalitatem docet (*Rom.* 3,21. 22 etc.; *Gal.* 3,27 sqq. etc.; *Eph.* 2,11 sqq.; 3,1-12 etc.); contra eos autem decretum apostolicum afferri non potuisse, clarum est, quippe in quo de sola admissione ethnicorum in Ecclesiam, non autem de admissorum iuribus directe agatur.

3. — Versus vitae finem Apostolo alii quoque exstiterunt adversarii iudaizantes, qui gnosticismo praeludentes « per philosophiam et inanem fallaciam » atque « iudaicas fabulas et interminatas genealogias » genuinam doctrinam de Christo Dei Filio destruere et falsa quadam ascesi Christianos seducere conabantur.

Quin gnosticismi initia ad ipsa tempora apostolica ascendant, nemini est dubium, qui Patrum testimoniis fidem habet. Quae enim de Simonis Magi doctrinis tradunt SS. *Irenaeus* (c. Haer. I. 23) et *Epiphanius*, ea iam redolent gnosticismum. Neque id est mirum. Iam pridem enim Iudaei in Aegypto degentes philosophicis Graecorum studiis sese tradere atque, ut eorum systemata cum libris suis sacris conciliarent, neglecta Legis litera omnia in allegorias convertere coeperant. Itaque praecipuae gnosticorum doctrinae iam a Iudaeis alexandrinis, maxime a Philone, quodam modo praeformatae sunt; allegoricae autem interpretationis abusus eis inservivit, ut easdem doctrinas etiam in Veteris Test. libris invenirent. Variis formis haec « falsi nominis scientia » (1 *Tim.* 6,20), haec « philosophia et inanis fallacia » (*Col.* 2,8), inter Iudaeos Asiae viguit, inter quos magicae quoque artes florebant et scientiae occultae excolebantur (*Act.* 19,19). Hinc factum est, ut Iudaei, qui ante conversionem suam « curiosa erant sectati », post conversionem simplici Evangelii praedicatione non contenti eidem γνῶσιν suam addere iudaicasque suas fabulas interminatasque suas genealogias inserere conarentur. Quaenam accurata haereticorum illorum, quos S. Paulus in epp. ad Coloss., Ephes., 1 Timoth., Tit. praecipue impugnat, fuerit doctrina, definiri non potest; variorum autem systematum, quae saec. 2. exorta sunt, semina illo tempore iam erant sparsa; et uti Paulus in ultimis suis epistolis, ita etiam Petrus et Iudas atque maxime Ioannes illa impugnare erant coacti.

§ 4. — *De externa epistolarum paulinarum forma.*

1. — Omnium epistolarum paulinarum linguam primitivam esse graecam, certa est et communis hodie sententia. Lingua autem graeca satis pura utitur Apostolus, etsi non pauca habeat, quae quum a consueto modo loquendi aliena sint, difficultatem creant.

Non desunt quidem, qui epistolam ad Hebr. aramaice vel hebraice scriptam esse opinentur; at graecam epistolae originem infra (§ 13,4) vindicabimus. Olim quoque nonnulli epistolam ad Romanos latine scriptam esse asseruerunt; Latinis enim non nisi latine Apostolum scribere potuisse atque scribae, cui epistolam dictavit, nomen (« *Tertius* » *Rom.* 16,22) latinam originem confirmare opinati sunt; at initia ecclesiae romanae fuisse graeca saepe iam monuimus et Tertii nomen aeque parum eum Latinum fuisse demonstrat, atque latina Pauli, Marci etc. nomina quidquam de eorum genere produnt.

« Imperitum sermone » se ipse quidem dicit Apostolus (2 *Cor.* 11,6) atque

S. Hieronymus non semel monet Paulum « Hebraeum ex Hebraeis profundos sensus aliena lingua exprimere non potuisse », « soloecismos in verbis fecisse », cilicismis « iuxta morem urbis et provinciae suae » esse usum (in Gal. 6,1; in Eph. 3,1; ad Algas. ep. 121,10); attamen S. Paulus, uti iam diximus, praeter Lucam omnes Novi Test. scriptores puritate linguae superat, atque puriorem adhibere potuisset, si id ei curae fuisset; linguam enim graecam eum optime calluisse, docent multa synonyma, quibus semper aptissime utitur, magna particularum varietas, acutissima distinctio praepositionum, quibus etiam levia idearum discrimina definire solet, magna vocabulorum, quibus idem argumentum excolit, copia, frequens et aptissimus usus participiorum, innumerae omnis generis paronomasiae etc.[1]. Recte autem monuit *S. Gregorius Nyss.* (in illud : Quando sibi subiecerit etc.) : « Solet magni Pauli sapientia libere uti verbis ad id, quod ipsi videtur, et suo idearum nexui adaptare verborum significationes, etiamsi consuetudo usum dictionis ad alias mentis conceptiones indicandas determinaverit ». Revera una ex paulinae obscuritatis rationibus in eo est sita, quod vocabula interdum a consueta eorum significatione deflectat et ad aliam trahat.

2. — Quemadmodum autem ad linguae graecae puritatem parum attendit, ita etiam styli elegantiam non curabat Apostolus ad id unum intentus, ut cogitationem suam plene exprimeret; at quum esset orator natus, omnes eius epistolae nativam spirant et germanam eloquentiam, qua omnium animos secum abripit.

« Hyperbatis frequenter uti Apostolum propter velocitatem sermonum suorum et impetum, qui in eo fuit, Spiritus » dixit iam *S. Irenaeus* (c. Haer. III. 7), neque immerito primam causam difficultatis epistolae ad Rom. *Origenes* in eo invenit, « quod elocutionibus interdum confusis et minus explicitis Paulus uteretur » (in Rom. Praef.). Frequentes apud eum sunt ellipses et anacoluthi, quum novis affluentibus cogitationibus inchoatam periodum non concludat aut ad aliam constructionem transiliat (*Rom.* 2,17 sqq.; 5,12 sqq.; 9,22 sqq. etc.; 1 *Cor.* 11,16; 2 Cor. 6,13 etc.), neque rariores sunt verborum complexiones nimis protractae atque continuis incisis interruptae, quum omnes ideas, quae uberrimae scribenti affluebant, una phrasi complecti conetur (*Rom.* 1,1-7; 3,24-27 etc.; *Eph.* 1,3-14 etc.). Quibus omnibus non obstantibus nemo paulinas epistolas legere poterit, quin Apostoli artem dicendi admiretur, qua omnium attentionem captivat; huuc in finem continuis illis utitur interrogatiunculis et interpellationibus (*Rom.* 2,4. 35; 3,5. 9; 4,1 etc.), acutis antithesibus (*Rom.* 2,21 sqq.), gradationibus (*Rom.* 5,3 sqq.; 8,29 sqq.), enumerationibus (*Rom.* 1,28 sqq.) innumerisque aliis dicendi figuris. Maxime autem stylus paulinus singulari eminet energia; « quotiescumque, inquit *S. Hieronymus* (ad Pammach. ep. 48,13), Paulum Apostolum lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua... Videntur quidem verba simplicia et quasi innocentis hominis et rusticani et qui nec facere nec declinare noverit insidias; sed quocumque respexeris, fulmina sunt ». At non

(1) Cfr ex. gr. quomodo 2 *Cor.* 6,14-16 ideam *societatis* quinque diversis vocabulis exprimat in suo quodque loco apte ponens; cfr etiam *Eph.* 1,19 tria vocabula ad exprimendam *virtutem*, *Gal.* 1,11. 12 usum praepositionum, 1 *Thess.* 1,2 sqq. usum participiorum etc. Quot deinde paranomasias adhibeat, vide in *Rom.* 1,19. 20. 23. 29. 31; 2, 1. 8 etc.

tantum hostes terret et profligat, sed omnes affectus exprimere atque in lectoribus excitare novit, ut omnes animos Christo lucrifaciat.

3. — Ceterum epistolae Pauli, quamvis eas more antiquo a salutatione inchoet et variis adscriptis salutationibus apostolicaque benedictione terminet, pleraeque tractatibus theologicis, quam epistolis proprie dictis similiores sunt.

Ad epistolicum genus proxime accedunt ep. ad Philem. et ad Philipp., ab eo longissime recedit ep. ad Hebraeos, quae homilia rectius, quam epistola, vocatur atque etiam inscriptione epistolari caret. Pro antiqua salutationis formula, quae in Iacobi epistola et in decreto apostolico retenta est (χαίρειν *Iac.* 1,1; *Act.* 15.23), aliam elegit fidelibus aut cum S. Petro « gratiam et pacem » aut cum S. Ioanne « gratiam, misericordiam et pacem » precans; suo autem nomini in plerisque epistolis nomen unius alteriusve ex discipulis (Timothei, Silvani, Sosthenis) adiungit. Salutationem excipere solet gratiarum actio de bonis ecclesiae illi, cui scribit, a Deo praestitis; qua non tantum fideles ad easdem gratias agendas indirecte exhortatur, sed simul eorum animos sibi conciliat. Quibus praemissis argumentum suum ita tractare incipit, ut plerumque in priore parte dogmaticam quaestionem aliquam explicet et demonstret, in altera paraenetica virtutes illas commendet, quas ecclesiae illi magis necessarias esse censebat. Epilogus demum praeter salutationes benedictionem apostolicam continet, quam sua manu saepe addidit, ut fideles epistolae authentiam cognoscerent; scribae enim reliqua dictavit (cfr 2 *Thess.* 2,2 et 3,17; 1 *Cor.* 16,21; *Gal.* 6,11; *Col* .4,18; Philem. 19 etc.).

CAPUT II.

DE EPISTOLIS PAULINIS SINGULIS.

I. De epistolis ante priorem Apostoli captivitatem scriptis.

§ 5. — *De duabus epistolis ad Thessalonicenses.*

1. — I. Ecclesia thessalonicensis est secunda, quam in Europa Paulus fundavit. Trium hebdomadarum spatio paucos quidem Iudaeos, multos autem proselytos gentilesque ad fidem adduxerat, quum persecutione ab incredulis Iudaeis excitata urbem una cum socio suo Sila relinquere coactus est. Sed nascenti ecclesiae consuluit altero discipulo, Timotheo, misso, qui neophytorum animos erigeret confirmaretque.

Thessalonica (olim *Thermae*, hodie *Salonichi*), una ex praecipuis Macedoniae urbibus caput erat provinciae Macedoniae secundae sedesque praetoris romani et quaestoris, atque inter ditissima romani imperii emporia numerabatur, quum Corinthum amplitudine opibusque (sed etiam morum corruptione) fere aequaret. Longe maior incolarum numerus Graeci erant et Romani, sed Iudaeos quoque multos attraxerat commercium urbis florentissimum, qui pro more suo non paucos sibi adiunxerant proselytos. In secundo suo itinere a. 52. Paulus Philippis, qua in colonia europaicam suam missionem inchoaverat, expulsus cum Silvano Thessalonicam venit, « ubi erat synagoga Iudaeorum. Secundum consuetudinem autem introivit ad eos, et per sabbatha tria disserebat eis de Scripturis » Evangelium tanto cum fructu annuntians, ut « *quidam ex eis* crederent, *de colentibus* vero *gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucae* » (*Act.* 17,1 sqq.); maximam igitur partem ethnicis conversis constabat nova ecclesia (cfr 1 *Thess.* 1,9). Felix Evangelii progressus invidiam excitavit Iudaeorum, qui seditione mota Paulum coegerunt, ut cum socio Beroeam sese reciperet, immo Beroeam eum secuti ex Macedonia eiecerunt (*Act.* 17,5-14). Athenas igitur profectus Timotheum et Silvanum in Macedonia relictos ad se arcessivit, advenientes autem statim reverti iussit, ut Timotheus, qui Iudaeis thessalonicensibus non erat cognitus fideles thessalonicenses visitaret et in tribulationibus consolaretur; post Pauli enim discessum persecutio non cessaverat, atque timendum erat, ne neophyti in fide nondum confirmati tribulationibus vincerentur (cfr 1 *Thess.* 2,14; 3,1 sqq.).

2. — II. Prioris epistolae occasio et finis. — Interea Paulus Corinthi sedem suam fixerat ibique a Timotheo de ecclesiae thessalonicensis statu certior factus nuntiis allatis permotus est, ut primam suam epistolam scriberet, qua neophytos in fide confirmaret, a nonnullis ethnicorum vitiis revocaret, moneretque, ne erroneis de Christi adventu sententiis perturbarentur.

Ex ipsius epistolae argumento haud obscure apparet, satis laeta Timotheum magistro suo de ecclesiae thess. statu retulisse. Persecutione enim non fracti neophyti in fide firmi permanserant eamque opere ita probaverant, ut novae ecclesiae fama in longinquis terris iam celebraretur (1,3.7; 3,6; 4,9 etc.); Pauli quoque, patris sui spiritualis, semper memores desiderio eius tenebantur. At nonnulla minus grata retulit Timotheus; calumniis enim sparsis Iudaei famam Pauli erant aggressi, ut diminuta magistri auctoritate fidem neophytorum facilius convellerent; inter neophytos ipsos nonnulli ab avaritia et libidine nondum sese abstinebant, alii, quia Dominum mox ad iudicium reversurum credebant, otioso vitae generi sese dederant, alii ob eandem causam de statu eorum, qui ante Domini adventum moriebantur, inquieti erant. Pro magno igitur amore, quo omnes neophytos suos complectebatur, gratias quidem egit Apostolus Deo de virtutibus, quibus Thessalonicenses excellebant, at pericula, quae illorum fidei quum a Iudaeis calumniatoribus tum ab ipsorum illorum debilitate imminebant, timens attentos illos reddere voluit, ne incauti perirent.

3. — III. Prioris epistolae argumentum et divisio. Quae sibi proposuit, ea ita exsequitur Apostolus, ut post gratiarum actionem, qua neophytorum virtutes commendat (1,2-10), *in priore historica parte* fidem eorum confirmet calumnias contra se sparsas indirecte refutans (2,1-3,13), *in altera paraenetica* eos a vitiis absterreat et de secundo Christi adventu edoceat (4,1-5,22).

Exordium (1,1-10) inscriptione consueta constat (1,1) et gratiarum actione ob fructus, quos Evangelium inter Thessalonicenses tulerit, quippe qui virtutibus suis ubique iam cognitis facti sint aliis ecclesiis exemplar (1,2-10).

In priore parte historica (2,1-3,13) simplici narratione calumnias adversariorum indirecte refutat Thessalonicensiumque erga se amorem excitat augetque. Etenim

1. in memoriam illis revocat, qua cum fortitudine, intentionis puritate, sollicitudine paterna Evangelium illis annuntiaverit (2,1-12), et quomodo ipsi Evangelio recepto aemulati sint ecclesias palaestinenses (2,13-16).
2. Deinde iis, quae absens pro neophytis egerit, narratis tenerrimum suum amorem manifestat (2,17-3,10),
3. terminatque hanc narrationem precatione, qua iterum suum erga eos amorem prodit (3,11-13).

In altera parte paraenetica (4,1-5,22)

1. neophytos exhortatur, ut mandata tradita observent atque maxime libidinem evitent (4,1-12);
2. deinde docet, eos, qui ante secundum Christi adventum moriantur, non fore peioris conditionis, quam eos, quos Christus superstites sit inventurus; Christi autem adventum fore subitum ideoque semper esse vigilandum (4,13-5,11);
3. demum ad exhortationem reversus commendat mutua officia subditorum et superiorum aliaque monita generalia addit (5,12-22).

Epilogus (5,23-28) praeter benedictionem continet mandatum, ut epistola publice legatur.

4. — IV. Alterius epistolae finis et argumentum. Quod in priore epi-

stola sibi proposuerat, ut calumniis refutatis neophytos confortaret, eorumque fidem confirmaret, id quidem Apostolus obtinuerat; sed persuasio inter eos praevaluerat, diem Domini immediate instare, atque fictis revelationibus suppositisque Pauli epistolis nonnulli eam propagarunt; hinc timor aliquorum, aliorum inquieta exspectatio aut etiam negligentia in negotiis quotidianis. Quae quum rescivisset, Paulus illum errorem statim impugnare vitiaque ex illo profluentia supprimere statuit altera scripta epistola, quae pro duplici fine duabus partibus constat; in priore *dogmatica* (2,1-12) Christi adventum non immediate instare docet, in altera *paraenetica* (3,1-16) monet, ut vitia ex illo errore exorta vitent.

Exordium cum inscriptione (1,1-2) gratiarum actionem exhibet, qua Apostolus neophytorum fortitudinem laudat eosque mercede aeterna proposita suisque precibus promissis ad perseverandum exhortatur (1,3-12).

In dogmatica parte (2,1-16) quid de tempore secundi adventus Christi tenendum sit docet.

1. Caveant, ne diem Domini iam instare putent (2,1. 2); praecessuram enim esse generalem defectionem a fide atque prius venturum esse hominem peccati, i. e. Antichristum, id quod iam antea didicerint (2,3-7).
2. Ut autem cognoscant, Antichristum nondum venisse, describit modum, quo ille acturus sit, rationem simul indicans, cur Deus id sit permissurus (2, 8-11), gratiasque agit Deo, quod (ab Antichristi deceptione praeservaturus sit neophytos, quippe quos) ad salutem elegerit et vocaverit (2,12-16).

In paraenetica parte (3,1-15), postquam sese eorum precibus commendavit (3,1. 2), omnes exhortatur,

1. ut praecepta tradita observent evitentque fratres ea non observantes (3,3-6),
2. speciatim inquietis et desidiosis suum exemplum, quod imitentur, proponit (3,7-12),
3. omnibusque iterum inculcat, ut fratres praecepta non observantes corripiant (3,13-15).

Epilogus (3,16-18) benedictionem salutationemque continet propria manu ab Apostolo additam, qua genuinam esse epistolam cognoscant.

5. — V. De tempore et loco, quo duae epistolae ad Thess. sunt scriptae, vix potest dubitari. Ambae enim Corinthi scriptae sunt, atque prior quidem a. 53., postquam aliquot iam mensibus Paulus Corinthi commoratus erat, altera autem eodem a 53. exeunte aut a. 54. ineunte.

Codices haud pauci graeci, latini, syriaci, coptici in subscriptionibus Athenis epistolas scriptas esse dicunt consentiuntque nonnulli Patres et iuniores interpretes; at codicum subscriptio ex verbis prioris epistolae non satis intellectis (1 *Thess.* 3,1) videtur esse exorta, quum per Timotheum epistola Thessalonicensibus crederetur allata; sed ex illa missione, de qua loquitur 3,1, reversus iam erat discipulus, antequam epistola scribebatur (3, 6). Profecto si quis ea, quae *Act.* 18,5 de reditu Timothei ex Macedonia narrantur, cum 1 *Thess.* 3,6 comparaverit, non dubitabit, quin de eodem reditu sit sermo. Hinc etiam tempus prioris epistolae satis definitur, ita ut anno fere integro post fundatam ecclesiam thessalonicensem scripta esse videatur.

Alteram vero epistolam non diu post priorem esse scriptam, recte iam monuerunt *S. Chrysostomus* (in 2 Thess. hom. 1) et *Theodoretus* (in 2 Thess. Arg.);

eosdem enim, quos in priore, socios in inscriptione Paulus nominat, Silvanum et Timotheum; Silvanum autem post secundum iter apostolicum non amplius apud Paulum invenimus. Idem quoque in secunda, qui in priore, supponitur ecclesiae status; dumtaxat desidia, inquietudo, curiositas nonnullorum creverant, quae vitia in priore epistola (4,11) leviter iam sunt insinuata. Porro importuni illi homines, a quorum persecutione precibus Thessalonicensium liberari vult Paulus (2 *Thess.* 3,2), Iudaei corinthii omnino videntur esse, qui eum ante Gallionis tribunal tandem attraxerunt (*Act.* 18,12 sqq.).

Sententia Grotii a paucis acatholicis adoptata, secundam epistolam ante priorem esse scriptam, constanti traditioni contradicit nec ullo fundamento innititur.

6. — VI. Utriusque ep. ad Thess. authentiam unanimis antiquitatis christianae consensus tûetur, cuius auctoritatem leves, quas hucusque attulerunt moderni « critici », obiectiones nullo modo infirmarunt.

Exeunte saec. 2. S. *Irenaeus* « primam » et « secundam » ep. ad Thess. diserte allegat (c. Haer. V. 6; IV. 27) et frequentius secundam, quam priorem, adhibet; eodem tempore *Clemens Alex.* priorem frequentius, quam alteram, allegat (Paed. I. 5; II. 9; III, 12; IV. 22 etc. Strom. V. 3; VII. 12); *Tertullianus* autem quam plurima testimonia ex utraque desumit (de Resurr. carn. 24; c. Marc. V. 15. 16). Ante eos auctor *fragm. Murat.* utramque iam in canone ecclesiae romanae recensuerat; *S. Iustinus M.* loquens de « homine iniquitatis » (ὁ τῆς ἀνομίας ἄνθρωπος), de « homine defectionis » (ὁ τῆς ἀποστασίας ἄνθρωπος), « qui grandia adversus Altissimum locuturus esset » (c. Tryph. 32. 110), satis clare 2 Thess. 2,3. 4 iam omnino cognita supposuerat; *S. Hermas* quoque frequenti sua phrasi « εἰρηνεύοντες ἐν ἑαυτοῖς (Vis. III. 6. 9. 12; Simil. 7,2) ad 1 *Thess.* 5,13 iam alluserat; immo *Marcion* eas iam in suum canonem receperat (cfr *S. Epiph.* Haer. 42,11). Inter apostolicos autem Patres *S. Ignatius M.* priorem (Eph. 10,1 cfr 1 *Thess.* 5,17 ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε) et *S. Polycarpus* alteram (ad Phil. 11 cfr 2 *Thess.* 3,15 καὶ μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθε) eodem modo, quo reliquos Novi Test. libros, adhibuerunt, ut leviores aliorum Patrum apostolicorum allusiones omittamus.

Quibus testimoniis satis explicatur, cur usque ad nostrum saeculum nemo de paulina epistolarum ad Thess. origine dubitaverit atque primae, quae ineunte nostro saeculo contra alteram epistolam (ab I. E. Chr. Schmidt. 1804.) prolatae sunt, obiectiones ab omnibus sint reiectae. Mutata autem est rerum conditio, quando *F. Chr. Baur* utramque impugnare coepit, at ne ipse quidem omnibus suis asseclis persuadere potuit, utramque esse confictam, sed maior « criticorum » numerus authentiam prioris concedit atque alteram dumtaxat reiicit. Levissima vero sunt argumenta, quae contra utramque afferuntur.

Contra priorem ante omnia obiicitur « levitas et inanitas argumenti atque defectus certae et determinatae occasionis, quae epistolam provocare potuerit ». At qui inane et leve esse argumentum asserit, is epistolam non intellexit. Refutatio enim calumniarum, quibus Iudaei una cum Pauli auctoritate fidem neophytorum destruere conabantur, res levis non erat, neque neophytis levia erant praecepta vitae tradita. Quodsi ad calumnias contra Apostolum sparsas attendissent, adversarii etiam certam et definitam scribendi occasionem Paulo fuisse non negassent. — Reliquae obiectiones, si fieri potest, leviores sunt. Ab epistolis ad Cor. nostra dependere dicitur, quia aliquae ideae iisdem fere verbis sint expressae; at similitudines, si multo frequentiores essent, dependentiam non probarent, quia idem Apo-

stolus duabus ecclesiis, quae in similibus periculis versantur, similia sane monita dare potest. Porro quid miri in eo est, quod Thessalonicenses ob fortitudinem in perferendis persecutionibus laudentur (I. 1,6 sq.), sed eodem tempore, ut nonnulla vitia evitent, moneantur (I. 4,2 sqq.); aut quod inter Thessalonicenses et inter Iudaeochristianos palaestinenses comparatio quaedam instituatur (I. 2,14 sqq.), quum ambae ecclesiae a contribulibus suis vexatae eandem fortitudinem exhibuerint; aut quod Paulus de suis contribulibus tot et tantas persecutiones fortiter perpessis glorietur, Iudaeos vero incredulos, qui omni quo potuerunt modo propagationem Evangelii impediverunt, « omnibus hominibus adversari » dicat etc.

Contra *alterius epistolae* authentiam praeter expressiones nonnullas « non paulinas », quas a Paulo adhiberi potuisse nemo negat, tria potissimum urgentur. *a.*) Levissimum est, quod in fine signum authentiae epistolarum paulinarum indicetur, quod in plerisque desit (2 *Thess.* 3,17); nam Thessalonicensibus tantum, qui fictis literis in errorem erant inducti (II. 2,2), Apostolus certum genuinarum suarum epistolarum signum dare voluit, nequaquam autem se omnibus suis epistolis idem additurum dicit. — *b.*) Porro secunda epistola cum priore pugnare dicitur. In priore enim adventus Christi tam vicinus supponitur, ut Paulus et Thessalonicenses advenienti Domino vivi sint occursuri (I. 4,16), in altera vero eum nondum instare asseritur (II. 2,2); in priore diem Domini subitam et inexspectatam venire docet Apostolus (I. 5,2), in altera indicat signa praecursoria diei illius (II. 2 sqq.). Quam alteram pugnam temere asseri patet consideranti, quomodo Dominus ipse de die illo locutus sit (*Matth.* 26). Ad priorem autem quod attinet, Paulum diem Domini vicinum dixisse negamus; diserte enim asserit, se tempus definire nolle (I. 5,1 sqq.). Nisi quis igitur Paulum in duabus phrasibus immediate sese excipientibus sibi ipsum contradixisse statuere velit, verba obiecta (« *nos qui vivimus, qui relinquimur*, simul rapiemur cum illis obviam Christo ») alia ratione explicare debet. Apte autem explicantur, si Apostolus ex mente Thessalonicensium loqui et quasi ad hominem argumentari dicitur. Duplici enim in errore versabantur Thessalonicenses; vicinum enim esse Domini adventum putantes et suum ipsorum statum cum statu defunctorum comparantes conquerebantur : « nos, qui in adventu Domini superstites erimus, feliciores sumus fratribus nostris defunctis, siquidem illos praeveniemus in beatitudine ». Utrumque autem errorem refutaturus Apostolus praeprimis negat assertum verbis eorum assumtis : « nos *qui vivimus... non* feliciores erimus »; deinde alterum errorem aggreditur monens, tempus diei Domini prorsus esse incognitum, ideoque semper esse vigilandum. — *c.*) Tertio in loco obiicitur doctrina de Antichristo (II. 2,3 sqq.), quam alii dicunt iudaicam fictionem Paulo indignam, alii ex Apocalypsi exortam et Paulo recentiorem, alii commentum montanisticum, alii de Nerone explicant ideoque post Neronis mortem prodiisse censent, alii de gnostica haeresi intelligunt, ita ut Traiani tempore sit exorta etc. Sibi quisque ex rationalistarum schola explicationem fingit, qua authentiam epistolae impugnet; at varietas explicationum clare quidem ostendit, rationalistas ad genuinum verborum sensum nondum pervenisse, at non sufficit, ut verba ipsa Paulo abiudicentur. Etiam a Patribus et interpretibus diversimode explicantur, quia nobis cognita non sunt, quae hac de re Paulus se coram Thessalonicensibus exposuisse dicit (II. 2,5. 6); evidens autem est, epistolae authentiam non posse addubitari, quia nonnulla verba sunt obscura; ceterum probabilem verborum explicationem tradunt commentarii catholici.

§ 6. — *De epistola ad Galatas.*

1. — I. De Galatiae ecclesiis. *Galatiae* nomine romanam illam provinciam ab Apostolo designari, quae praeter « galaticam regionem » (*Act.* 16,6) etiam Lycaoniam, Pisidiamque complectebatur, non communior quidem sed verisimilior sententia est. « Ecclesiae Galatiae » igitur, quibus tertiam suam epistolam scripsit, recte intelliguntur illae, quas Paulus cum Barnaba in primo suo itinere Antiochiae in Pisidia, Lystris et Derbae in Lycaonia et « per totam regionem in circuitu » fundavit.

Celtarum (Κελτοί vel Γαλάται) tribus nonnullae ineunte saec. 3. in Asiam Min. immigrantes partem Phrygiae occuparunt, quae ab eis nomen *Galatiae* traxit. Saec. 2. Galatae Romanorum socii facti sunt; eorum princeps Deiotarus deinde a Pompeio regis titulo ornatus novisque terris vicinis donatus est; eius autem successor Amyntas ab Augusto Lycaoniam, Pisidiam, Pamphyliam obtinuit; sed post Amyntae mortem Romani totum eius regnum in formam provinciae redegerunt (a. 24. a. Chr.), quae nomen *Galatiae* retinuit, quamvis regio a Galatis proprie dictis occupata non esset nisi minima novae provinciae pars. Itaque duplici sensu, latiore et strictiore, nomen Galatiae antiquitus usurpabatur et quaestio exoritur, quo sensu in Apostoli inscriptione (ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας) usurpatum sit. Patres et antiqui interpretes quaestionem hanc diserte non tractarunt; moderni interpretes plerique Galatiam proprie dictam intelligunt; praeferendam tamen censemus eorum sententiam, qui Galatiae nomen latiore sensu explicantes tenent, epistolam scriptam esse ecclesiis a Paulo et Barnaba in primo iam itinere in Pisidia et Lycaonia fundatis.

Quae sententia his nititur argumentis : *a.*) Epistola ostendit, « ecclesias Galatiae » iam ante Concilium apostolicum esse fundatas; nam si Apostolus in Concilio falsis fratribus ne ad horam quidem cessit, « ut veritas Evangelii apud *Galatas permaneret* » (*Gal.* 2,5), obvius verborum sensus suadet, ut tempore Concilii fides apud Galatas iam propagata esse dicatur; atqui in Galatiam proprie dictam (Γαλατικὴν χώραν) Paulus non nisi in secundo itinere *post* Concilium pervenit (*Act.* 16,6). *b.*) Porro de Barnaba epistola ita loquitur, ut eum in « ecclesiis Galatiae » magnam auctoritatem habuisse evidens sit (*Gal.* 2,1. 9. 13); atqui in prima quidem expeditione, qua Pisidiae et Lycaoniae ecclesias fundavit, sed non in secunda aut tertia, quibus « galaticam regionem » pertransiit, Paulus Barnabam socium habuit. *c.*) Omnibus fatentibus epistola docet, Paulum diutino tempore in « ecclesiis Galatiae » esse versatum, atque ibidem tantam « carnis infirmitatem » passum esse, qua neophyti ab Evangelio recipiendo absterreri potuerint (*Gal.* 4,13). Atqui Lucas dumtaxat de *transitu* Pauli per « galaticam regionem » loquitur eiusque narratio longiorem commorationem excludere videtur (*Act.* 16,6· 18,23), nec quidquam de carnis infirmitate habet, quam ibi passus sit Apostolus. Iam vero in Pisidia et Lycaonia diu Paulus cum Barnaba commoratus gravissimam « carnis infirmitatem » passus est, bis lapidatus et semel pro mortuo extra urbem relictus (*Act.* 14,5. 18); prima ibi accepit « stigmata Domini Iesu », quibus gloriatur in sua ad Gal. (6,17) epistolas.

d.) Quibus confirmationis gratia haec merito adduntur. S. Paulus, utpote gentium Apostolus et civis romanus, in terris nominandis sese ad romanum loquendi

usum conformasse recte dicitur, ita ut regiones a Romanis subiectas et in unam provinciam vel praefecturam coniunctas nominibus illis particularibus, quibus antea singulae ab incolis suis vicinisque distinguebantur, nunquam appellaret, sed publicis illis provinciarum vel praefecturarum romanarum, quibus additae erant, vocabulis semper designaret. Hac ratione varias Graeciae regiones in unam provinciam constitutas romana appellatione Achaiae septies comprehendit; similiter nominibus Macedoniae decies, Asiae quater ac semel quoque Illyrici et semel Dalmatiae utitur. Iudaea ei eodem modo, quo Romanis, est tota Palaestina (Samaria et Galilaea inclusis); nomina Syriae et Ciliciae connectit, quia suo tempore ab eodem praefecto gubernabantur etc. (cfr *Valent. Weber* in Mainzer Katholik 1898. I. p. 202 sq.). Ex continuo autem hoc loquendi usu Pauli rite colligimus, eum etiam *Galatiae* vocabulo non tam terras asiaticas tribuum celticarum quam potius totam romanam provinciam Galatiae designasse. Quodsi contra hoc argumentum a nonnullis obiicitur, Galatiae nomen in Scripturis semper strictiore sensu usurpari, respondemus nomen Galatiae, si paulinas epistolas excipis, in universis Scripturis *semel* tantum legi (1 *Petr.* 1,1) atque eo in loco etiam romanam provinciam iuxta probabiliorem sententiam significare. Ceterum si S. Petrus, qui civis romanus non erat, nomen strictiore sensu de solis terris a Celtis in Asia occupatis intelligit atque S. Lucas quoque easdem solas *regionem galaticam* (Act. 16,6; 18,23) appellare voluerit (id quod tamen certum nondum est (cfr *Val. Weber* l. c. p. 209), nondum sequitur, Paulum nomine *Galatiae* easdem solas intellexisse. — Demum id quoque addi potest, Lucam in Actibus omnium illarum ecclesiarum a Paulo fundatarum, quibus epistolas scripsit, fundationem accuratius narrare (thessalonicensis, philippensis, corinthiae, ephesiae); solas ergo Galatiae ecclesias silentio praetermisisset, si in Galatia proprie dicta essent quaerendae. Similiter probabile est, *Act.* 20,4 Gaium *Derbeum* et Timotheum *Lystrensem* a Paulo tamquam *Galatarum* legatos ad deferendas eleemosynas esse assumtos, sicut Sopatrum, Aristarchum, Secundum ex *Macedonibus*, Tychicum et Trophimum ex *Asianis* socios et testes in eleemosynarum negotio habere voluit, cfr 1 *Cor.* 16,1; 2 *Cor.* 8,18-21.

2. — Ecclesiae a Paulo et Barnaba in primo itinere in Pisidia et Lycaonia fundatae ex Iudaeis et ethnicis conversis ita coaluerant, ut Ethnicochristiani longe praevalerent. In secundo itinere Paulus illis decretum apostolicum promulgavit, at periculum, quod a iudaizantibus imminebat, praevidens simul eas admonuit : « si quis evangelizaverit vobis praeter id, quod accepistis, anathema sit » (Gal. 1,9).

Ecclesiarum in meridionalibus partibus provinciae Galatiae fundationem fuse narrat Lucas (*Act.* 13,14-14,25). Non obstantibus Iudaeorum incredulorum continuis persecutionibus brevi tempore Antiochiae in Pisidia atque Iconii, Lystrae, Derbae in Lycaonia et per totam illam regionem florentissimae exortae erant ecclesiae, quibus Paulus et Barnabas, antequam eas reliquerunt, presbyteros praefecerunt (*Act.* 14,22). Ubique autem proselyti (« colentes ») et gentiles promptiores uerant ad Evangelium recipiendum (*Act.* 13,45-49; 14,1), immo Lystrae et Derbae Iudaei conversi non commemorantur, atque in circuitu civitatum istarum multos Iudaeos fuisse, parum est probabile. Porro ex epistola quoque nostra videmus, magno cum ardore Galatas Evangelium recepisse (*Gal.* 4,13 sqq.) atque ecclesias illas ethnicis et Iudaeis conversis constitisse (cfr 4,8; 3,23. 24). In secundo suo itinere Paulus cum Silvano ecclesias illas, « quae confirmabantur fide et abun-

dabant numero quotidie » (*Act.* 16,5), iterum visitavit easque « custodire iussit dogmata, quae erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Ierosolymis ». Sed paullo antea Paulus Antiochiae Syriae iam expertus erat, aliquos pseudapostolos iudaizantes nihil non moliri, ut ethnicos neophytos ad Legis observationem adducerent; quare non est dubium, quin decretis apostolicis traditis illo iam tempore contra adversariorum suorum conatus ecclesias Galatiae praemunierit. Neque tamen diu in secundo itinere illis in ecclesiis remansit, sed per Phrygiam et galaticam regionem iter suum persecutus a Spiritu S. in Europam ductus est (*Act.* 16, 6 sqq.). In tertio itinere easdem procul dubio ecclesias visitavit, at ante tertium hoc iter iam scripta est epistola.

3. — II. Occasio et finis epistolae. Brevi postquam Paulus ecclesias Galatiae reliquit, ut Evangelium in Macedonia et Achaia praedicaret, iudaizantes in eas irruperunt, atque Apostoli auctoritatem et doctrinam impugnantes gravem perturbationem in illis excitarunt. At scopum suum nondum attigerant necdum Galatas ad circumcisionem adduxerant, quando Apostolus de eorum machinationibus certior factus periculo imminenti hanc epistolam opposuit, quae tota in eo est, ut neophytos in vera via refutatis adversariorum sophismatis retineat.

Supra (§ 3.2. p. 548) iam diximus, iudaizantes post Concilium apostolicum, quod decreto suo Ethnicochristianos lege Iudaeorum rituali non iam ligari declaraverat, doctrinam suam priorem mutasse neophytisque non circumcisis non tam salutem quam plenum civitatis ius in Ecclesia negasse; inferiore quippe loco eis in Ecclesia assignato futurum esse sperabant, ut eos ad circumcisionem recipiendam adducerent. Qua nova doctrina in antiochenam ecclesiam discordiam introduxissent, nisi Paulus praesens sese eis opposuisset; Antiochiae autem repulsi aliis ecclesiis a Paulo fundatis absente Apostolo venenum instillare conabantur. Ita etiam in ecclesias Galatiae irruperunt simplicesque neophytos fucatis argumentis circumvenire studebant. Ante omnia enim eis exemplum primariorum Apostolorum proposuerunt, qui Iesum semper secuti ab eoque ipso edocti iudaicos ritus observarent; Pauli igitur auctoritati auctoritatem « columnarum Ecclesiae » opposuerunt; Paulum diu post mortem Christi conversum non nisi Apostolum secundarium esse dictitarunt, qui ab hominibus missionem et doctrinam acceperit; neophytos quoque ab eo receptos perfectis Christianis adnumerari non posse, nisi circumcisione accepta dignos sese reddiderint societate magnorum Apostolorum; Legem igitur, quamvis ad salutem absolute necessaria non sit, utilissimam tamen esse, quandoquidem per eam etiam evasuri sint veri filii Abrahae, cui datae sint promissiones. Sed antequam neophytis haec omnia et alia similia persuadere potuerant, Paulus eorum machinationes rescivit atque tam grave periculum esse existimavit, ut sine mora ei occurrere voluerit gravissima hac epistola.

4. — III. Argumentum et divisio epistolae. Ut autem periculum averteret, Apostolus apostolicam suam auctoritatem doctrinaeque suae cum aliorum Apostolorum doctrina conformitatem ab adversariorum calumniis vindicavit, atque intrinsecam veritatem doctrinae suae de iustificatione per fidem vivam in Christum adipiscenda demonstravit, ut nec circumcisionem nec Legem quidquam perfectionis fidelibus afferre clarius appareret. Unde duae praecipuae epistolae partes, *apologetica* (1,11-2,21)

et *dogmatica* (3,1-4,31); tertiam autem addidit *paraeneticam* (5,1-6,10), in qua ex doctrina proposita consectaria practica deducit et monita quaedam specialia tradit.

EXORDIUM (1,1-10) longiore inscriptione, in qua argumentum apologeticum et dogmaticum innuitur (1,1-5) constat, et increpatione in seductores Galatarum (1,6-10).

In APOLOGETICA PARTE (1,11-2,21) apostolicam suam auctoritatem et doctrinae suae cum aliorum Apostolorum praedicatione conformitatem vindicat.

1. Ut apostolicam suam auctoritatem adstruat, se nec doctrinam nec missionem ab hominibus accepisse ostendit paucis narrans vitam suam usque ad illud tempus, quo apostolicum munus exercere coepit (1,11-24).
2. Doctrinam autem suam cum aliorum Apostolorum doctrina consonare probat duobus factis : Concilio apostolico, in quo Evangelium suum toti Ecclesiae et Apostolis palam propositum approbationem omnium tulerit, et ipse tamquam genuinus gentium Apostolus sit agnitus (2,1-10), atque controversia sua cum Petro, qui ipse gentiliter vivens et suam reprehensionem postea admittens tacitus doctrinam suam approbaverit (2,11-21).

In DOGMATICA PARTE (3,1-4,31) Legem ad iustificationem nihil conferre docet. Iudaizantes nomine filiorum Abrahae abutentes utilitatem Legis hoc argumento stabilire conabantur : « Ut aliquis benedictionum Abrahae particeps fiat, filius Abrahae sit oportet; atqui Abrahae filius fit circumcisione et Lege; ergo perfectus Christianus sine illis esse non potest ». Quod argumentum refutaturus Paulus provocat

1. ad experientiam Galatarum, qui sine Lege donis Spiritus S. sint ditati ac proin Abrahae filiis assimilati (3,1-7);
2. ad doctrinam Scripturae, qua teste gentes in Abrahamo benedicendae non per Legem, quae maledictionem afferat, sed per fidem benedictionem assequantur (3,8-14); quae ulterius explicans simul docet, quis finis et quae indoles sit Legis (3,15-4,7), atque hoc argumentum brevi exhortatione terminat (4,8-20);
3. ad typicam interpretationem historiae duorum filiorum Abrahae (4,21-31).

In PARAENETICA PARTE (5,1-6,10)

1. praeprimis conclusiones practicas ex doctrina proposita deducit : cavendum sc. esse, ne iugum servitutis iterum assumant (5,1-6); animadvertendum esse, Deum seductores esse puniturum (5,7-12); providendum, ne libertatem a Lege male interpretantes carni servire incipiant (5,13-25);
2. deinde monita quaedam specialia addit de vana gloria et superbia vitanda (5,26-6,5) et de caritate erga omnes exercenda (6,6-10).

In EPILOGO (6, 11-18) Galatis perversa motiva pseudapostolorum revelat, generale epistolae argumentum repetit et concludit benedictione apostolica.

5. — QUO TEMPORE ET QUO IN LOCO epistola haec sit exorta, in controversia versatur; rectius autem illi sentiunt, qui Paulum in secundo suo itinere Corinthi paucis mensibus postquam secunda vice ecclesias provinciae Galatiae visitavit eam scripsisse asserunt.

Patres nonnulli (*Theodoret.*, *S. Hieron.* etc.) priori captivitati romanae epistolam parum recte attribuerunt; nam de vinculis, quorum in aliis epistolis ex captivitate scriptis mentionem ingerere solet, in hac non loquitur Apostolus, nec tan-

tum tempus inter ultimum eius iter galaticum et scriptam epistolam interiacet (cfr. *Gal.* 1,6). Rectius *S. Chrysostomus* eam ante illam ad Rom. exaratam esse coniecit; cum codicum autem multorum subscriptionibus moderni interpretes plerique censent, Paulum Ephesi in tertio itinere eam dedisse. Cui sententiae omnino inhaerendum esset, si ecclesiis Galatiae propric dictae epistola esset destinata; demonstravimus autem, nomine Galatiae intelligendam esse romanam provinciam, ideoque omnino tenendum videtur, eam tertio itinere apostolico esse antiquiorem. Profecto circa idem tempus, quo Thessalonicensibus, etiam Galatis scripsisse Paulum, vivida descriptio eorum, quae Ierosolymis in Concilio et Antiochiae in controversia cum Petro de legalibus acta sunt (*Gal.* 2,1-21), haud obscure docet; nihil vero in tota epistola legitur, quo eam posteriori tempori adscribere cogamur.

6. — V. Authentia epistolae non tantum Patrum testimoniis extra dubitationem ponitur, sed ipsa quoque epistola tam clare Paulum auctorem esse prodit, ut paucorum recentium dubia ab ipsis « criticis » plerisque iure merito irrideantur.

Patrum testimonia similia sunt iis, quibus epistolarum ad Thess. authentiam demonstravimus; in *Patrum apostolicorum* operibus nonnulla inveniuntur allusiones magis minusve certae (*S. Clemen. Rom.* 1 Cor. 5 Petrum et Paulum *columnas* appellat cfr. *Gal.* 2,9; 1 Cor. 49 Iesum Christum dicit « sanguinem suum pro nobis dedisse in voluntate Dei » cfr *Gal.* 1,4; 2 Cor. 2 adhibet Is. 54,1 eodem modo, quo *Gal.* 4,27; — *S. Ignat. M.* ad Philad. 1 episcopus οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲ δι' ἀνθρώπων cfr *Gal.* 1,1; ad Magn. 8. 10 etc. ἰουδαΐζειν, κατὰ Ἰουδαϊσμὸν ζῆν cfr *Gal.* 1,13; 2,14 etc.), medio deinde saec. 2. *S. Iustinus M.* eam adhibuit (Cohort. ad Graec. 5; c. Tryph. 95 sq. etc.), *Marcion* (cfr Tertull. c. Marc. V. 2 sqq.) et *Valentinus* (cfr Tert. de Praescr. 38; S. Iren. c. Haer. 1. 3) eam in suo canone retinuerant; versus finem saeculi 2. eam in omnibus ecclesiis pro paulina et canonica receptam esse docent *Fragm. Murat.*, *S. Irenaeus* (c. Haer. III. 6. 7 et passim), *Tertullianus* (de Praescr. 6. 23 et passim) in Occidente, et in Oriente *S. Athenagoras* (Leg. pro Christ. 16), *Clemens Alex.* (Strom. III. 15; IV. 7. 8 etc.) aliique.

§ 7. — *De duabus epistolis ad Corinthios.*

1. — I. Corinthia ecclesia a S. Paulo in secundo eius itinere fundata est. Integro fere biennio in opulentissima et corruptissima civitate commoratus paucos quidem Iudaeos sed multos ethnicos atque inter illos etiam aliquos potentes et nobiles ad fidem adduxit; incredulorum autem Iudaeorum persecutiones progressum Evangelii non impedierunt.

Eo tempore, quo Paulus ex Macedonia expulsus Achaiae Evangelium attulit, Corinthus « prima Graeciae civitas multis florebat ornamentis et commodis atque opum abundantia ceteris omnibus praestabat; ad mercimonium admodum opportuna oratoribus quoque et philosophis erat plena » (*S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 1). Urbis autem opulentiae respondebat morum corruptio, quae tanta erat, ut S. Chrysostomus Corinthum vocet civitatem τῶν οὐσῶν τε καὶ γεγενημένων ἐπαφροδιτοτάτην. Inter suos incolas etiam multos numerabat Iudaeos, quorum numerus auctus est, quando Claudius a. 51. omnes Iudaeos ex Italiae finibus expulit; ea occasione ex Urbe Corinthum transmigravit etiam Aquila quidam cum uxore

sua Priscilla, apud quos Paulus, qui a. 52. Corinthum advenit, domicilium suum constituebat (*Act.* 18,1 sqq.). Pro more suo ab initio Iudaeis Evangelium obtulit singulis sabbathis in synagoga docens, dum per hebdomadem labore manuum suarum victum quotidianum sibi acquirebat. At Iudaeorum maior numerus illud respuit; itaque Apostolus cum Sila et Timotheo, qui interea ex Macedonia advenerant, synagoga relicta ad ethnicos se convertit, praeter Aquilam et Priscillam paucis tantum Iudaeis eum sequentibus, sed « multi Corinthiorum audientes credebant et baptizabantur ». Neque urbis limitibus Apostoli zelus continebatur, sed in vicinis quoque Achaiae civitatibus ecclesias fundavit (cfr 1 *Cor.* 4,2; 2 *Cor.* 1,1; 1 *Thess.* 1,7. 8). Laeta igitur fuerunt ecclesiae initia, licet ex nobilibus civibus et sapientibus philosophis, quibus urbs gloriabatur, pauci tantum Evangelium accepissent (1 *Cor.* 1,26-29). Sed prospero Evangelii progressu Iudaei irritati Paulum ad tribunal Gallionis proconsulis adduxerunt, « quia hic contra legem persuadet hominibus colere Deum » (*Act.* 18,12 sqq.); proconsul vero accusatorem Sosthenem ita repulit, ut adstantes eum coram praeside percutere non dubitarent. Nihilominus Paulus, ne maiori periculo neophytos exponeret, ad tempus Corinthum reliquit in Illyriam, ut videtur, profectus (§ 1,5 p. 531). Quo ex itinere redux abusus aliquos, qui in ecclesiam irrepserant, cum severitate repressit (2 *Cor.* 2,1); omnibus autem rebus compositis una cum Aquila et Priscilla Ephesum profectus est, ut Antiochiam reverteretur.

2. — II. Occasio et finis prioris epistolae. Florenti ecclesiae post Apostoli discessum multa graviaque pericula imminebant. Neque enim tantum schismata exorta sunt neophytis aliis alios doctores praeferentibus et secundum eos sese denominantibus, sed in libidinosissima civitate degentes Christiani etiam ab ethnicorum vitiis non abstinuerunt nec aliis abusibus aditum praecluserunt. Quae quum Apostolus rescivisset atque a Corinthiis ipsis per eorum legatos de diversis doctrinae capitibus interrogatus esset, hanc epistolam scripsit, ut neophytis illa, quae corrigenda erant, indicaret et ad quaesita responderet.

Non diu postquam Paulus Corinthum reliquit, eo advenerunt alii doctores christiani; inter quos primus nominandus est Apollo, qui Ephesi iam, quum duntaxat baptisma Ioannis cognosceret, ea quae sunt Iesu diligenter docuerat, deinde vero ab Aquila et Priscilla accuratius viam Domini edoctus in Achaiam profectus est et Corinthi magno cum fructu praedicavit (*Act.* 18,24-19,1; 1 Cor. 3,6). Vir enim erat eloquens et quum altiorem docendi modum teneret nonnullasque altiores doctrinas a Paulo nondum traditas doceret, aliquibus Corinthiis melius placuit, quam Paulus ipse. Quamdiu Corinthi manserit, ignoramus; antequam prior epistola scripta est, Ephesum iam diu reversus erat (1 *Cor.* 16,12). Eodem fere tempore iudaizantes quoque Corinthum venisse videntur, qui Petri auctoritatem celebrantes Paulum deprimere studuerunt. Hinc factum est, ut in tres factiones quasi neophyti scinderentur, quum alii se Paulo, alii Apollo, alii Petro se adhaerere dicerent (1 *Cor.* 1,12; cfr S. *Clem. Rom.* 47). Praeter quod partium studium alia vitia aliique abusus irrepserant. A libidine Apostolus iam alia epistola, quae hodie deperdita est, Corinthios absterruerat (1 *Cor.* 5,9) sed non pleno cum successu; lites suas ad ethnicos magistratus deferebant; in ipsis coetibus sacris negligentia et licentia invaluerant. Interea Ephesum venerat ibique de hoc rerum statu certior factus Timotheum, quem cum Erasto in Macedoniam misit

(*Act.* 19,22), etiam Corinthum ire iussit, ut neophytos in rectam viam reduceret. Antequam Timotheus Corinthum pervenerat, legati corinthii Paulo epistolam attulerunt, qua eius sententia de variis rebus exquirebatur; ab iis statum rerum accuratius edoctus statim hanc epistolam scripsit, quae hodie 1 Cor. nominatur.

3. — III. ARGUMENTUM ET DIVISIO PRIORIS EPISTOLAE. Secundum duplicem finem duae partes epistolae apte distinguuntur, in quarum *priore* (1,10-6,20) Apostolus Corinthios ob partium studium, ob peccatores non vitatos, ob lites coram ethnicis actas, ob libidinem severe reprehendit, in *altera* (7,1-15,58) eorum literis respondens fuse de doctrinis interrogatis disserit. Multas gravissimasque quaestiones haec epistola tractat nec est altera, quae plura aut accuratiora de vita primorum Christianorum tradat.

EXORDIUM (1,1-9) consueta constat inscriptione[1] et gratiarum actione.

In PRIORE PARTE (1,10-6,20) Apostolos Corinthios ob varios abusus variaque vitia reprehendit.

1. *De Corinthiorum discordia* (1,10-4,21). Statu rei expositō (1,10-12) ostendit eorum discordiam vituperandam esse, quia omnes a solo Christo redemti in illo uniti sint oporteat (1,13-16); quia ob simplicem suam docendi methodum a Corinthiis relinqui non debuerit, siquidem non sine bonis rationibus eam adoptavit (1,17-2,5) aut ab altioribus doctrinis tradendis abstinuit (2,6-3,4); quia omnes Evangelii doctores inter se coniuncti sint ac proin discipuli concordes esse debeant (3,5-17). — Qua ex doctrina practicas colligit conclusiones relate ad fideles (3,18-4,6) et doctores ipsos (4,7-13), atque tenerrima exhortatione hoc vituperium terminat (4,14-21).
2. *De non vitatis peccatoribus* (5,1-13). Vehementer eos increpans, quod incestuosum ex ecclesia non expulerint (5,1-5), peccatores christianos eiiciendos esse docet ea explicans quae prius iam praeceperat (5,6-13).
3. *De non agendis litibus coram iudicibus ethnicis* (6,1-11) ita agit, ut ostendat, quam maxime dedecere Christianos non tantum coram iudicibus ethnicis causas agere (6,1-6) sed etiam inter se litigare (6,7-11).
4. *De fornicatione et impudicitia* (6,12-20). Vanis nonnullorum excusationibus reiectis (6,12-14) fornicationem vehementer vituperat tamquam abusum membrorum Christi et violationem templi Spiritus S. (6,15-20).

In ALTERA PARTE (7,1-15,58) varias quaestiones a Corinthiis propositas solvit.

1. *De matrimonio et coelibatu* (7,1-40). Coniugibus usum matrimonii licitum esse docet (7,1-9), vinculum autem, quo inter se uniuntur, esse absolute indissolubile inter fideles, relative indissolubile fidelem inter et infidelem (7,10-24). — Virginitatem non praecipit, sed velut statum perfectiorem commendat (7,25-38) atque similiter viduitatem secundis nuptiis docet esse meliorem (7,39. 40).
2. *De idolothytorum manducatione* (8,1-11,1). Idolothytorum usum theoretice licitum esse docet, si quis sciat idola nihil esse, practice tamen ab iis esse abstinendum, ubi proximis scandalum dari possit (8,1-13). —

(1) Num *Sosthenes*, quem sibi in inscriptione adiungit Apostolus, idem ille sit, qui *Act.* 18,17 archisynagogus et persecutor Pauli dicitur, an alter, quem Eusebius (H. E. I. 12) inter septuaginta discipulos enumerat, non constat. Patres plerique priorem intelligunt, quem persecutione illa permotum censent, ut fidem reciperet.

Suo deinde exemplo proposito ostendit, quomodo ad maius bonum assequendum a licitis interdum sit abstinendum. Ipse enim privilegio Apostolorum relate ad sustentationem usus non est, ut maiorem perfectionem assequeretur (9,1-18), immo omnium servus fieri voluit, ut omnes salvans suam salutem securius operaretur (9,19-23); itaque Christianis quoque magno cum zelo esse laborandum monet, ut finem suum assequantur (9,24-27.), conclusionemque confirmat typica interpretatione exodi ex Aegypto (10,1-13). — Ad practicam autem quaestionis solutionem reversus docet, Christianis omnino abstinendum esse ab indirecta idololatria, quae participatione in coenis sacrificalibus committitur (10,14-21), extra coenas sacrificales autem in usu idolothytorum attendendum esse ad circumstantias (10,22-11,1).

3. *De decoro in coetibus religiosis servando* (11,2-34). Prohibet, quominus vir velato capite, mulier non velato capite in ecclesia oret (11,2-16); atque abusus carpit, qui in agapis celebrandis irrepserant (11,17-22), quia tales agapae non sint debita praeparatio ad Eucharistiam celebrandam (11,23-34).

4. *De charismatis eorumque usu* (12,1-14,40). Proposito principio, quo omnia dona diiudicanda sint (12,1-3), varia illa esse docet, sed eorum varietate unitatem Ecclesiae non destrui (12,4-11), id quod explicat similitudine corporis membrorumque eius (4,12-30). Quamvis non prohibeat, quominus maiora charismata accipere studeant fideles, illis tamen excellentiorem viam commendat, caritatem scilicet, quae omnia charismata superet (12,31-13,13). — Ad prophetiam deinde et donum linguarum transiens ostendit, prophetiam praestare tum ob maiorem suam utilitatem (14,1-19), tum ob altiorem suum finem (14,20-25). — Demum practicas regulas de donorum usu tradit (14,26-40).

5. *De mortuorum resurrectione* (15,1-57). Veritatem dogmatis futurae resurrectionis resurrectione Christi demonstrat (15,1-28) et duabus aliis rationibus confirmat (15,29. 30-34). De modo resurrectionis agens docet, idem quidem corpus resurgere, sed aliis qualitatibus ornatum (15,35-44), quam mutationem non tantum ostendit esse possibilem (15,45-49), sed etiam plane necessariam, ut ita plena victoria de morte reportetur (15,50-58).

In Epilogo (16,1-24) monet, ut collectae pro pauperibus ierosolymitanis fiant (16,1-4), se mox venturum promittit (16,5-9), Timotheum aliosque commendat (16,10-18), salutationibusque et benedictione terminat epistolam (16,19-24).

4. — IV. Occasio et finis alterius epistolae. Post priorem epistolam scriptam Apostolus Epheso in Macedoniam profectus per Titum cognovit, quos fructus prior tulisset. Plerique neophyti gravi dolore correpti, quod patrem suum contristassent, monitis eius paruerant; at non omnes eadem, qua antea, caritate ei adhaerebant a iudaizantibus seducti, qui famam eius calumniis convellere eiusque apostolicam dignitatem deprimere studuerant. Quapropter Apostolus Corinthum pergere noluit, antequam nova epistola animos praeparasset; opportunitatem iterum scribendi praebuerunt collectae, quas in priore epistola indixerat (1 *Cor.* 16,1 sqq.) atque ante suum adventum terminari iussit; epistola autem ipsa, si praecipuus eius finis spectatur, apologia Pauli recte dicitur.

Quoniam non sine acerbitate quadam Corinthios in priore epistola vituperaverat, de rei exitu sollicitus Paulus Titum Corinthum miserat, ut per eum de ecclesiae statu certior fieret; brevi post ipse quoque illud iter, de quo in prioribus literis loquitur (16,5 sqq.) ingredi et per Macedoniam in Achaiam proficiscens Troade Titum exspectare voluit, ut iuxta nuntios allatos quid facto opus esset decerneret. Seditione autem gentilium Ephesum maturius quam voluerat relinquere coactus (*Act.* 19,21; 20,1), Troade Titum non invenit sed eum in Macedonia obviam habuit (2 *Cor.* 2,12 sqq.; 7,5 sqq.) laetosque per eum nuntios accepit. Incestuosum enim Corinthii ex ecclesia eiecerant et hac ratione ad poenitentiam adduxerant; ardenter quoque plerique Paulum apud se mox videre desiderabant; in aliquorum tamen animis calumniae iudaizantium, qui Apostolum levitatis, inconstantiae, arrogantiae accusaverant, aculeos reliquerant. Quapropter ne durius in istos praesens agere cogeretur et ut maiore cum fructu inter eos laborare posset, literis suam agendi rationem eis explicare, apostolicam suam dignitatem vindicare, pseudapostolos confundere maluit. Itaque Titum Corinthum reverti iussit, ut collectas pro ecclesiis ierosolymitanis indictas terminaret, atque per eum alteram hanc epistolam eis transmisit (2 *Cor.* 8,5 sqq.).

5. — V. Argumentum et divisio alterius epistolae. Tres praeter exordium et epilogum distinguuntur partes, in quarum prima et tertia Apostolus praecipuum suum finem persequitur, ut suam agendi rationem defendat (1,15-7,16) et contra pseudapostolos apostolicam suam auctoritatem vindicet (10,1-13,10); in intermedia autem sectione collectas faciendas commendat (8,1-9,15). Primae autem et tertiae parti nonnullas inserit digressiones, quae tamen cum argumento arcte cohaerent.

Exordium (1,1-14) praeter inscriptionem (1,1. 2.) longiorem continet gratiarum actionem, in qua amorem suum erga Corinthios exprimens animos ad apologiam bene recipiendam praeparat (1,3-10) et ad argumentum transit (1,11-14).

In prima parte (1,15-7,16) agendi suam rationem ab adversariorum calumniis vindicat.

1. Levitatis et inconstantiae accusatus erat, quia itineris consilium mutaverat (1,15-17). Quam calumniam reiicit Apostolorum in genere constantiam asserens, quippe qui immutabiles veritates praedicent (1,18-22), atque mutati consilii explicans rationem, quoniam nimirum suo adventu eos contristare noluerit (1,23-2,17).
2. Arrogantiae et superbiae calumnia in eum iactabatur, quoniam se ipse commendaret et magna cum fiducia et libertate (παῤῥησία) loqueretur; contra quae praemonens, se nec a Corinthiis nec ad Corinthios commendatione indigere (3,1-3) explicat, undenam hanc fiduciam hauriat, scilicet ex suo ministri Novi Test. officio, quod ministerium excelsissimum sit (3,4-4,6), ex fine, quem in suo officio solum prae oculis habeat, scilicet ut placeat Christo Domino (4,7-5,10), ex motivo, quo ad agendum impellatur, i. e. ex caritate Christi pro omnibus morientis atque ita omnes impellentis, ut non sibi, sed soli Christo vivant (5,11-6,10).
3. Apologiam terminat affectuosissima exhortatione, in cuius fine Titum commendans alteram partem praeparat (6,11-7,16).

In secunda parte (8,1-9,15) enim de collectis pro ecclesia ierosolymitana per Titum terminandis agit.

1. Macedonum liberalitate laudata Apostolus Corinthios ad similem liberalitatem exemplo Christi proposito exhortatur (8,1-15);
2. Titum deinde ac duos fratres, quos ad eas terminandas Corinthum mittat, eis commendat (8,16-24);
3. demum monet, ut ipsi quoque cito, abundanter, hilariter dent (9,1-15).

In TERTIA PARTE (10,1-13,10) apostolicam auctoritatem suam defendit confundens pseudapostolos.

1. Ex abrupto adversarios admonens, ut se corrigant (10,1-6) potestatem apostolicam in universum sibi vindicat (10,7-16).
2. Ad particularia deinde veniens se adversariis in nulla re inferiorem esse docet. Veniam precatus, quod de se gloriosa quaedam sit dicturus (10, 17-11,4), in memoriam eis revocat, se non suam utilitatem quaesivisse (11,5-15), se adversariis parem esse in donis naturalibus, superiorem in laboribus apostolicis et donis supranaturalibus (11,16-12,10).
3. Quae se ad eorum dumtaxat aedificationem dixisse addens monet, ut se corrigant, ne tamquam iudex severus erga eos agere cogatur (12,11-13,10).

EPILOGUS (13,11-13) salutatione et benedictione constat.

6. — VI. QUO IN LOCO ET QUO TEMPORE duae epistolae sint scriptae, ex dictis iam apparet. Priorem Ephesi dedit Apostolus versus pascha a. 58., alteram auctumno eiusdem anni in Macedonia

De tempore et loco originis epistolarum hodie omnes consentiunt; satis clare enim indicantur, si epistolae cum Actibus comparantur. Verno tempore a. 55. Apostolus tertium iter ingressus peragratis Phrygia et Galatia ante auctumnum Ephesum vix pervenit, ubi resedit duobus annis et compluribus mensibus (*Act.* 18,23; 19,8. 10) i. e. usque versus pascha a. 58.; quibuscum consentit 1 *Cor.* 16,8, quo in loco asserit se « usque Pentecosten » Ephesi mansurum; at quominus consilium suum exsequeretur, prohibitus est seditione Ephesiorum (*Act.* 19,21; 20,1); circa pascha igitur scripta est prior epistola (cfr 1 *Cor.* 5,7). Epheso in Macedoniam et Achaiam profectus tres menses fecit in Achaia (*Act.* 20,3) atque ex Achaia profectus Philippis pascha celebravit (20,6); mense igitur Februario exeunte vel Martio ineunte a. 59. Corinthum reliquit eoque advenerat mense Novembri 58. exeunte; altera igitur epistola versus mensem Septembrem 58. scripta esse recte dicitur.

7. — VII. DUARUM EPISTOLARUM AUTHENTIA, quae inde ab apostolicorum Patrum aetate semper agnita est, etiam hodie a nullo in dubium vocatur. Quae vero a paucis modernis contra alterius integritatem vel potius unitatem prolata sunt, ea tam levia sunt, ut ab ipsis rationalistis plerisque spernantur.

Authentiae testimonium praeclarissimum prior epistola habet in *S. Clementis Rom.* 1 Cor. 47, qui eam diserte allegat atque a S. Paulo ex inspiratione scriptam asserit; vix minus praeclarum est *S. Polycarpi M.* testimonium, qui eius verba quaedam addito Pauli nomine citat. Ad alteram epistolam, sicut ad reliquos Novi Test. libros, allusiones tantum reperiuntur in superstitibus operibus apostolicorum Patrum (*S. Clem. Rom.* 1 Cor. 5; *Ep. ad Diogn.* 5,8. 12 sqq. etc.). Utriusque deinde epistolae testimonia coniungit *S. Athenagoras* (de Resurr. 18); eodem tempore auctor *Fragm. Murat.* utramque in romanae ecclesiae canone recenset;

exeuntis autem saec. 2. Patres cuncti addito Pauli nomine frequenter utramque allegant; quorum testimonia afferre opus non est, quia de re ab omnibus concessa agitur, atque tota sua indole ambae originem paulinam produnt.

Quoniam autem inter primam et tertiam secundae epistolae partes differentia quaedam intercedit, quatenus in prima Apostolus magna cum caritate loquitur, in tertia autem acerbum et vehementem se exhibet, atque secundae partis argumentum (de collectis) nec cum prima nec cum tertia arcte cohaerere videtur, pauci rationalistae eam in varias epistolas discerpere voluerunt; at certe mirum non est, quod Paulus cum Corinthiis seductis benigne agat eorumque seductores graviter castiget; neque magis mirum est, quod inserta exhortatione de collectis faciendis duas partes separaverit.

§ 8. — *De epistola ad Romanos.*

1. — I. ROMANAE ECCLESIAE INITIA S. Petro, principi Apostolorum, deberi, unanimis est et constans Patrum traditio; praeter fundatoris nomen autem admodum pauca de ecclesiae istius primordiis sunt tradita; illud unum asserere licet, saltem eo tempore, quo S. Paulus suam ad Rom. epistolam scripsit, longe maiorem numerum Christianorum romanorum ex ethnicis venisse.

Romanae ecclesiae fundationem antiquiores Patres duobus quidem Apostolorum principibus, Petro et Paulo, attribuunt; sed quoniam iam diu, antequam Paulus in Urbem advenit, Romae ecclesia exstitit, cuius fides in toto orbe celebrabatur (*Rom.* 1,8), eorum testimonia eo sensu sunt intelligenda, quod Petrus seminaverit, Paulus rigaverit, uterque sanguine suo fuso foecundaverit agrum romanum Deo ipso incrementum dante. Etenim « exordio regni Claudii (i. e. a. 42.) Petrus Romam venit et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit potentissimisque virtutibus comprobavit » (*Oros.* H. E. VII. 6) « ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit » (*S. Hier.* de Vir. ill. 1; cfr *Eus.* II. E. II. 14), i. e. simili fere modo, quo circa idem tempus Paulus Antiochiam, Petrus Romam centrum apostolicarum suarum excursionum elegit. Quin Petrus, qui novem annis, postquam iam Romae sedem fixit, sibi circumcisionis praecipue apostolatum vindicavit (*Gal.* 2,9), Romae ab initio contribulibus suis Evangelium praedicaverit, non est dubium; primus igitur ecclesiae romanae nucleus ex Iudaeis conversis est formatus. At Romae magnus quoque proselytorum iudaicorum fuit numerus, qui ubique maiore cum aviditate Evangelium receperunt; quare quum a. 51. decreto Claudii una cum Iudaeis etiam Christiani, qui ex circumcisione erant, ex Urbe expellerentur, illa romanae ecclesiae pars remansit, quae ex proselytis erat collecta, quibus etiam ethnici conversi procul dubio sese adiunxerant. Quorum numerus auctus est, quando Petrus ex Concilio Apostolorum redux cum Marco deficientibus Iudaeis totam suam curam ethnicis convertendis impendere coactus est. Ab eo igitur tempore Romae Ethnicochristiani omnino praevaluerunt (cfr Diss. VII. § 3,6. p. 472), atque tanta exinde exorta est Iudaeorum post Claudii mortem reversorum et Christianorum separatio, ut « primis Iudaeorum » a. 62., quum Paulus Romam venisset, id unum « de hac secta (Christianorum) notum esset, quod ubique ei contradiceretur » (*Act.* 28,22). Revera S. Paulus in sua epistola universam ecclesiam, ac si solis ethnicis conversis constet, plerumque allo-

quitur (*Rom.* 1,5. 6. 13; 6,17 sqq.; 11,,12; 15,5 sq.), licet subinde ad neophytos iudaicos sermonem dirigat (4,1 sqq.; 7,1 sqq.)

2. — II. Occasio et finis epistolae ab ipso Apostolo clare indicantur. Etenim postquam quatuordecim fere annis « ab Ierosolymis per circuitum usque ad Illyricum » Evangelium praedicaverat, extremo Occidenti illud afferre Hispaniamque iugo Christi subiicere sibi proposuit. In itinere autem hispanico romanam ecclesiam videre romanisque fidelibus « aliquid impertire spiritualis gratiae » desideravit. Sed Romae diu permanere nolens iter suum quodam modo praeparandum duxit, expositis summis praedicationis suae capitibus, ut brevis sua inter eos commoratio fructum aliquem producere posset.

Ambrosiastri et *S. Augustini* sententiam secuti interpretes antiquiores et moderni non pauci occasionem huius epistolae scribendae natam esse censent « ex contentione, quae Romae inter iudaicos et ethnicos neophytos suborta erat de meritis et iustificatione, dum scilicet utrique suis meritis Evangelii gratiam arrogarent » (A[ter] ad Rom. Prol.; cfr *S. Aug.* Expos. inch. ep. ad Rom. 1.). Attamen gratuito prorsus et sine ullo fundamento tantus error ecclesiae romanae attribuitur; nullibi in tota epistola Apostolus romanos Christianos polemice aggreditur, sed quaecumque polemica sunt, ea contra Iudaeos et ethnicos infideles diriguntur. Neque epistolae thema est, ut *gratuitum* dumtaxat Dei donum iustificationem esse doceat, sed « virtutem Dei Evangelium esse omni credenti » ipse Apostolus pro argumento indicat.

Rectius igitur cum *S. Chrysostomo* (in Rom. hom. 1.) ex ipsa epistola eius occasionem et finem desumimus. Intime enim S. Paulo persuasum erat, « propter gratiam, quam acceperat a Deo, ut esset minister Iesu Christi *in gentibus* » et propter « apostolatum, quem acceperat, ut obedientiae fidei subiiceret *omnes gentes* », se omnibus factum esse debitorem; ideoque promtus erat etiam iis, qui Romae erant praedicare (*Rom.* 1,5. 14. 15; 15,16). Itaque in hispanico itinere, quod mox se suscepturum esse speravit, romanam quoque ecclesiam invisere voluit, ut neophytis aliquid spiritualis gratiae conferret atque per mutuam fidem, eorum et suam, se invicem exhortarentur (*Rom.* 1,11. 12.); ut autem hunc finem attingeret, eorum animos praeparavit illam doctrinam imprimis exponens, quam ultimis annis ubique contra iudaizantes defendere debuerat, Evangelium scilicet omnibus hominibus, Iudaeis et ethnicis, eodem modo esse destinatum.

3. — III. Argumentum et divisio epistolae. Omnes interpretes praeter exordium et epilogum duas distinguunt partes, quarum prior *dogmatica* secundum *S. Thomam* « ostendit virtutem evangelicae gratiae » (1-16-11, 36), altera *paraenetica* « exhortatur ad exsecutionem operum huius gratiae » (12,1-15,13). Prior autem integra circa illam thesin versatur « Evangelium virtutem esse omni credenti, Iudaeo primum et Graeco », i. e. evangelicam doctrinam esse efficacem ad salutem omnibus iis conferendam, qui illam fide viva recipiant, sine ulla Iudaeos inter et gentiles distinctione.

Quam thesin expositurus Apostolus primum *demonstrat* (1,18-4,25), fidem evangelicam omnibus hominibus unicam esse salutis viam, seu « sine gratia Christi in Evangelio revelata nec naturalem veritatis cogni-

tionem gentibus neque circumcisionem et Legem Iudaeis profuisse ad salutem »; deinde eandem *commendat* (5,1-8,39) fructibus ac proprietatibus iustitiae quae ex fide est descriptis; demum eam ab obiectionibus *vindicat* (9,1-11,36), quum eam cum promissionibus populo electo olim datis plane consonare doceat.

Exordium (1,1-15) longiore constat inscriptione, qua Paulus rationes innuit, cur Romanis scribat (1,1-7), et benevolentiae captatione, quatenus Romanorum fidem laudat suamque erga eos bonam voluntatem manifestat (1,8-15).

Pars dogmatica (1,16-11,36), cuius thesis est, Evangelium solum efficax esse, ut omnibus hominibus iustificationem afferat, quippe quae fide acquiratur (1,16-18).

1. *Quam demonstraturus* (1,18-4,25) hominem in triplici statu (legis naturalis, mosaicae, evangelicae) considerans ostendit, omnes homines in legis naturalis statu (ethnicos) et in statu legis mosaicae (Iudaeos) peccato obnoxios sub ira Dei fuisse, in Evangelio autem revelatam esse omnibus viam salutis.

   Omnes homines ante allatum Evangelium divinae irae erant obnoxii (1,18-3,20); *ethnici* enim idololatriae dediti in turpissima peccata sunt prolapsi (1,18-32), *Iudaei* autem, licet de legis scientia gloriarentur, eadem peccata commiserunt (2,1-24), atque frustra circumcisionem, quae in corde non est, et promissiones, quae propter ipsorum incredulitatem non irritantur, praetendunt (2,25-3,8). Revera omnes, Iudaeos et ethnicos, esse peccatores docent multae Scripturae, quae Iudaeos, quibus datae sunt, comprehendunt (3,9-20).

   In Evangelio autem omnibus via et ratio iustificationis est revelata (3,21-4,25); nam iustitia haec est per fidem in Iesum Christum atque omnibus parata tamquam donum gratuitum, cuius pretium Christus solvit sanguine suo (3,21-31); Lex autem et prophetae hanc iustitiae gratuitatem et universalitatem iam docuerunt (4,1-25).

2. Virtutem Evangelii *explicat et commendat* descriptis fructibus et proprietatibus iustitiae, quae est per fidem (5,1-8,39).

   Etenim Christus nos *cum Deo reconciliavit* nobisque spem gloriae restituit (5,1-11); nam si primi Adam inobedientia efficax fuit ad perditionem, multo efficacior ad salutem est obedientia secundi Adam (5,12-21). — Porro nos *liberavit a servitute peccati*, quoniam cum eo mortui ad novam vitam resurreximus (6,1-14), atque etiam *a servitute Legis*, quatenus Dei servitio nunc devoti et cum Christo uniti fructus verae vitae producere possumus (6,15-7,6). Relatione deinde Legem inter et peccatum explicata (7,7-25), quartus ostenditur fructus, sc. *beatitudo hominis in Christo renati*, cui datus est Spiritus, per quem constituimur filii Dei adoptivi ac proin cohaeredes Christi (8,1-30). Quam explicationem Paulus terminat magnifico epilogo docens, salutem iustificatorum niti Dei et Christi erga eos amore, a quo nihil eos separare possit (8,31-39).

3. Doctrinam hanc suam *ab obiectionibus vindicat* (9,1-11,36).

   Iudaeos enim refutans ostendit, sanguine et naturali generatione ius ad salutem non acquiri (9,1-29); magnum vero Iudaeorum numerum participem promissionum non esse factum, quia illas non ea via, quae sola vera est, obtinere quaesiverunt (9,30-10,21); ex eo autem, quod magna

populi pars Evangelium respuerit, negat sequi reiectionem populi. De facto enim multi Iudaei illud receperunt (11,1-10), aliorum temporanea infidelitas permittitur, ut praecedens ethnicorum conversio illis fiat stimulus (11,11-24), usque dum omnes convertantur (11,25-32), atque tunc clarior apparebit infinita Dei sapientia viis, quas homo non intelligit, omnes ad salutem adducens (11,33-35).

PARS PARAENETICA (12,1-15,13) *varias complectitur admonitiones.*

1. *Monita generalia* (12,1-13,14) proponens Paulus fideles romanos hortatur, ut *in vita religiosa* modesto donorum spiritualium usu sese genuina Ecclesiae membra manifestent (12,1-8), *in vita privata* caritatem colentes omnes virtutes exerceant (12,9-21), *in vita civili* obedientiam erga superiores, amorem erga omnes exhibeant (13,1-10), idque quia Domini adventum exspectent (13,11-14.).
2. *Monitum speciale* (14,1-15,13) de infirmo in fide sustinendo addit. Omnes alloquens cavendum esse monet, ne se mutuo diiudicent aut spernant (14,1-12); eruditiores autem alloquens exhortatur, ne fratribus scandalum dent (14,13-23), sed Christum imitentur, qui omnes promissionum participes fecit (15,1-13).

In longiore EPILOGO (15,14-16,27) nonnulla disserit de sua relatione ad ecclesiam romanam (15,14-33); Phoeben commendat, quae epistolam Romam sit allatura; multos Christianos nominatim salutat (16,1-16); monitum inserit, ut a schismatum auctoribus caveant (16,17-20) aliisque salutationibus additis epistolam doxologia terminat (16,21-27).

4. — IV. EPISTOLA SCRIPTA est Corinthi ante ultimum Pauli iter ierosolymitanum, i. e. exeunte a. 58. vel ineunte a. 59.

S. Paulus epistolam hanc scripsit, quum in eo esset, ut eleemosynas in Macedonia et Achaia collectas Ierosolyma deferret (*Rom.* 15,25. 26); de quibus collectis etiam loquitur 1 *Cor.* 16,1-4 et 2 *Cor.* 8,1 sqq.; in fine igitur tertii itineris apostolici eam misit (cfr *Act.* 19,21 et *Rom.* 15,28). Corinthi autem exorta epistola asseritur, quia Apostolus eam Romam transmisit per « Phoeben sororem, quae est in Cenchris », i. e. in portu corinthio (*Rom.* 16,1), et quia salutationem Caii hospitis sui corinthii adscripsit (16,23 cfr 1 *Cor.* 1,14).

5. — V. AUTHENTIA EPISTOLAE similibus testimoniis patristicis, quibus praecedentes, extra dubium ponitur atque etiam ab omnibus agnoscitur; arbitrario tamen et temere duo ultima capita, licet eorum originem paulinam non negent, aliqui ab hac epistola avellere volunt.

Quemadmodum plerique Novi Test. libri, epistola ad Romanos addito Pauli nomine ante finem fere saec. 2. non allegatur. Procul tamen dubio *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 35 cfr *Rom.* 1,29 sqq. etc.), *S. Ignatius M.* (ad Smyrn. 1 cfr *Rom.* 1,3; ad Eph. 15 cfr *Rom.* 2,21), *S. Polycarpus* (ad Phil. 6. cfr *Rom.* 14,10. 12) eam prae oculis habuerunt, uti etiam *S. Iustinus M.* (c. Tryph. 27 cfr *Rom.* 3,10 sqq.). Versus a. 170. *S. Theophilus Antioch.* eam Scripturis diserte adnumerat (ad Autol. III. 14 cfr *Rom.* 13,7. 8) atque auctor *fragm. Murat.* eam in canone ecclesiae romanae inter paulinas habet; sequuntur deinde exeuntis saec. 2. Patres *S. Irenaeus*, *Tertullianus*, *Clemens Alex.*, qui innumeris vicibus eam velut paulinam et inspiratam allegant. Sed haeretici quoque saec. 2. eam rece-

perunt, inter quos *Basilides* (Philosoph. VII. 25), *Marcion* (Tertull. c. Marc. V. 13,14; S. Epiph. Haer. 42), *Valentinus* (S. Iren. c. Haer. I. 3) etc.

Marcionem, qui duo ultima capita Paulo abiudicavit (*Orig.* Comm. in Rom. X.), secuti sunt Neotubingiani, quia in illis sententias quasdam iudaizantes detexerunt, quas Paulum scribere non potuisse opinati sunt (15,8. 9 sq. 15 etc.); sed similes sententiae in tota epistola leguntur (1,16; 3,2; 9,1 sqq. etc.). Quare etiam neotubingiana sententia a recentissimis « criticis » est derelicta, qui paulinam capitum originem agnoscunt, sed illa ad nostram epistolam non pertinere definiunt. Varia systemata, quibus eorum cum hac epistola coniunctionem explicare conantur, exponere operae pretium non est; sufficit, ut ea immerito a nostra epistola avelli ostendamus. Iamvero praeprimis monent adversarii, Marcionem ista capita non habuisse atque in multis codicibus quoque doxologiam (16,25-27) immediate cum 14,23 coniungi. At Marcionis, quem omnibus libris sacris sacrilegam manum intulisse Patres testantur, auctoritas in hac quaestione inepte affertur; cur autem doxologia (16,25 sqq.) cum 14,23 saepe inveniatur coniuncta, facile explicatur. Etenim caput 16., quum solis fere salutationibus constet (16,1-16. 21-23), in lectione publica non adhibebatur; magnificam autem doxologiam omittere nolebant Christiani, et quia sola, utpote brevior, legi non potuit, alteri pericopae est addita; sed caput 15. suam iam habuit clausulam, ideo fini capitis 14. addita est; revera 14,19-23 et 16,25-27 a Graecis sabbatho ante Quinquages. legebantur.

Porro quatuor asserunt adesse clausulas, quae omnes eidem epistolae a Paulo addi non potuerint (15,33; 16,20; 16,24; 16,25 sqq.). At 15,33 non magis est integrae epistolae clausula, quam 15,13 aut 11,36 aut similes formulae, quibus Apostolus singulas particulas terminat; 16,24 probabiliter genuina non est pars, siquidem ab antiquissimis codicibus graecis (B. ℵ. A. C.), Vulgatae (Fuld., Amiat., Harl. etc.), copticis, aethiopicis omittitur. Itaque duae remanent clausulae (16,20 et 16,25 sqq.); at simile quid invenitur in 2 *Thess.* 3,16. 18; et si quis eas a Paulo scribi non potuisse inepte contenderet, ad summum 16,21-23 ab epistola nostra avellere posset. — Demum monent, Paulum, qui Romae nondum fuit, tot personas, quot salutantur (16,3-16) cognitas non habuisse; sed tam frequens erat eo tempore inter varias ecclesias Asiae, Achaiae et Romae commercium, ut mirum non sit, quod Paulus triginta vel quadraginta Christianos Romae cognoverit.

II. De epistolis ab Apostolo in priore captivitate scriptis.

§ 9. — *De epistola ad Philippenses.*

1. — I. Ecclesiam philippensem S. Paulus divina visione in Macedoniam invitatus primam in Europa fundavit proselytis praesertim iudaicis et ethnicis ad fidem adductis. Ex civitate secedere coactus Lucam ibi videtur reliquisse, qui neophytis invigilaret; ipse autem in tertio suo itinere eos iterum visitavit cum iisque ultimum ante captivitatem suam pascha celebravit. Prae ceteris hanc ecclesiam amavit, probabiliter quia fervore suo reliquis praelucebat.

Philippi (olim *Krenides*, hodie *Filibedjik*) parva erat civitas macedonica in Thraciae finibus haud longe a mari aegaeo sita portumque habebat Neapolim, quae civitas usque ad Vespasiani aetatem ad Thraciam pertinebat, ita ut a mari

venientibus Philippi « prima (esset istius) partis Macedoniae civitas » (*Act.* 16,12). Ab imperatore Augusto iure italico donata et « colonia » facta erat eiusque ager divisus veteranis, ut cum Macedonibus Romani Philippis habitarent (*Act.* 16,21); Iudaei non multi erant ibi, nam iustam synagogam ibi non habebant, sed proseucham quamdam (*Vulg.* oratio *Act.* 16,13). Nihilominus pro more suo illis ante reliquos Evangelium offerre desiderans Paulus primo sabbatho post suum adventum proseucham adiit, ubi paucas tantum mulieres invenit (*Act.* 16,13 sqq.); sed unius ex illis, Lydiae proselytae iudaicae, Deus aperuit cor, ut cum tota familia fidem baptismumque reciperet. « Multis diebus » Paulus cum sociis suis Philippis commoratus est, donec seditione exorta cum Silvano in carcerem iniectus et postridie a magistratibus rogatus est, ut urbem relinqueret. Thessalonicam igitur profectus est; Lucas autem Philippis remansit, usque dum Apostolo in tertio itinere ex Achaia per Macedoniam in Asiam revertenti socium se iterum adiunxit (*Diss.* VII. § 4,1. p. 474). De Iudaeis, qui Philippis fidem acceperint, Lucas non loquitur; proselytae Lydiae et ethnici custodis carceris eorumque familiarum dumtaxat conversionem diserte refert; multo autem plures fidem recepisse, satis clare innuit (*Act.* 16,40) eosque etiam pro fide tribulationes esse passos docet epistola nostra (*Phil.* 1,29 sq.), quae simul singularem dilectionem prodit, qua Apostolus Philippenses « fratres suos carissimos et desideratissimos, gaudium suum et coronam suam » complectebatur (4,1; 1,7 sq. etc.).

2. — II. Occasio et finis epistolae. Quoniam philippensem ecclesiam prae ceteris diligebat, ab ea sola S. Paulus eleemosynas in suum usum recipiebat. Itaque neophyti etiam Romam ei dona miserunt, quamprimum eum captivum ad Caesaris tribunal adductum esse audierunt. Per Epaphroditum autem (episcopum philippensem?), qui ea attulit, Apostolus de ecclesiae statu certior factus hac epistola eis gratias agere et nonnulla monita transmittere voluit.

Plerumque quidem Apostolus, ne neophytis oneri esset, labore manuum suarum victum quotidianum quaerebat (1 *Cor.* 9,1 sqq.; 2 *Thess.* 3,8 etc.); a solis Philippensibus autem iam in secundo suo itinere Thessalonicae et Corinthi eleemosynas in suum usum acceperat (*Phil.* 4,5; 2 *Cor.* 11,9; cfr *Act.* 18,3. 5). Eadem autem ratione indigentiae eius Philippenses succurrere voluerunt, quando Romae vinctum eum esse resciverunt, misso Epaphrodito, quem Paulus « fratrem, cooperatorem et commilitonem suum, Philippensium autem apostolum (legatum) et ministrum suae necessitatis » appellat (Phil. 2,25). Ecclesiae philippensis, quam a plus tribus annis non viderat, statum illo tempore optimum fuisse, *S. Chrysostomus* ex nostra epistola recte colligit, cui « nihil sit insertum, quod obiurgandi vim habeat » (in Phil. Praef.); nihilominus non plane deerant, quae correctione quadam indigerent. Nonnullorum vanae gloriae studium discordias quasdam videtur provocasse; gravius autem periculum a iudaizantibus, qui vicinas ecclesias perturbabant, neophytis imminebat; quare monitum, quod in priore quadam epistola hodie deperdita (*Phil.* 3,1) iam dederat, repetendum duxit. Duplici igitur fine ad hanc epistolam scribendam permotus est : gratias agere voluit neophytis eosque simul exhortari, ut in bona via remanerent, leves defectus corrigerent, ab imminente periculo caverent.

3. — III. Argumentum et divisio epistolae. Licet severus ordo logicus in hac epistola desideretur, quum familiariore modo, quam in plerisque

aliis, Apostolus in hac cum neophytis suis colloquatur, satis apte tamen duae partes distinguuntur, *historica* (1,12-2,30), in qua Philippenses de suis rebus certiores reddit monitis nonnullis ad perfectam concordiam et humilitatem insertis, et *paraenetica* (3,1-4,7), in qua eis periculum a iudaizantibus imminens ob oculos ponit. In epilogo autem gratiarum actionem addit de donis transmissis.

Exordium, inscriptione praemissa (1,1-2), in consueta gratiarum actione singularem Apostoli amorem erga Philippenses exprimit (1,3-11).

Pars prior historica (1,12-2,30) narrationi monita quaedam inserit.

1. Praeprimis de *suis* rebus Apostolus loquitur (1,12-26) narrans, vincula sua Evangelio propagando profuisse, licet non omnes fratres pura intentione muneribus suis vacent (1,12-18), nec se quidquam quaerere, nisi ut Christum sive per vitam sive per mortem suam glorificet; se autem sperare fore, ut Philippos revertatur (1,19-26).
2. Porro monet, ut interea uniti et fortes pro fide decertent (1,27-30) atque praesertim ad concordiam eos exhortatur, quae ex humilitate exoriatur (2,1-4); humilitatis autem exemplum eis proponit Christum sese usque ad mortem crucis demittentem (2,5-11), quem imitentur, ut integritate sua Apostolo gloriandi causam offerant in die iudicii (2,12-18).
3. Eis annuntiat, se Timotheum mox ad eos esse missurum (2,19-24), se nunc autem iam mittere Epaphroditum, quem laudibus exornat (2,25-30).

Altera pars paraenetica (3,1-4,7) praesertim agit de periculo a iudaizantibus imminente.

1. Iudaizantibus, qui de carnalibus gloriantur, se ipsum opponit Apostolus, qui omnia illa carnalia sprevit atque spernit, ut Christum lucretur veramque iustitiam, quae fide nititur, habeat (3,1-12). Suo deinde exemplo proposito neophytos exhortatur, ut secum Christo assimilari studeant et in recta via permaneant (3,13-4,1).
2. Cui praecipuo monito addit duo specialia, duabus matronis concordiam, omnibus gaudium commendans (4,2-7).

In *epilogo* (4,8-23) post generalem exhortationem ad omnimodam virtutem (4, 8. 9) gratias agit de eleemosynis sibi transmissis (4,10-20) additque salutationes et benedictionem (4,21-23).

4. — IV. De loco et tempore scriptae epistolae vix dubitari potest; a Paulo captivo enim Romae eam exaratam esse, antiqui testes iam tradiderunt, atque veri simile est, eam inter epistolas e captivitate scriptas esse primam.

Vincula sua non semel Apostolus in hac epistola commemorat simul spem exprimens fore, ut libertatem recuperet, quam spem in secunda captivitate non fovit (1,7. 13. 17. 26; 2,24 cfr 2 *Tim.* 4,6); unde de tempore omnino constat. Quodsi moderni quidam Caesareae potius quam Romae Paulum has literas dedisse putant, non tantum antiquis codicum subscriptionibus Patribusque (*S. Chrys.*, *Theodoret.*, *Euth.* etc.) contradicunt, sed etiam non satis attendunt ad ea, quae de domo Caesaris (4,22), de Evangelii in praetorio propagatione (1,12. 13), de incertitudine suae sortis (2,17; 1,27) Paulus addidit. Dubitari vero potest, utrum ante epp. ad Eph., Coloss., Philem., an post illas sit scripta. Tres illas eodem tem-

pore per eosdem discipulos in Asiam esse allatas, certum est (*Eph.* 6,21; *Col.* 4,7; *Philem.* 10); atqui Philemoni Apostolus commendat, ut sibi iam praeparet hospitium (*Philem.* 22); certus igitur iam erat instantis suae liberationis; quando autem nostram epistolam scripsit, certus nondum erat (1;25; 2,24); itaque ante illas scripta recte asseritur. Neque tamen longo temporis spatio eam ab illis distare, satis iam ex fructibus apparet, quos laboribus suis se iam Romae collegisse scribit, quique eum iam satis diu Romae versatum esse ostendunt. Aestate igitur a. 63. epistola nostra exarata recte dicitur.

5. — V. AUTHENTIAM EPISTOLAE testantur Patres inde a primis fidei temporibus et agnoscunt moderni omnes interpretes praeter paucissimos « criticos », qui aliquos eius textus pervertunt, ut eam Paulo abiudicare possint.

Primus certus authentiae testis est *S. Polycarpus M.*, qui eidem ecclesiae scribens epistolas ab Apostolo Philippensibus scriptas in memoriam revocat interque eas etiam nostram prae oculis habuit (*S. Polyc.* ad Phil. 3. 5. 9. 11. 12 etc.). Minus certae sunt allusiones aliorum Patrum apostolicorum (*S. Clem. Rom.* 1 Cor. 16 cfr Phil. 2,5 sqq.; *S. Ign. M.* ad Philad. 8 cfr Phil. 2,3). Immediate post S. Polycarpi mortem epistola agnita erat ab *auctore martyrii* eius (*Mart.* S. Polyc. 1. cfr Phil. 2,4), a *clero Viennensi et Lugdun.* (cfr *Eus.* H. E. V. 2 et *Phil.* 2,6) et a *S. Theophilo Antioch.* (cfr *S. Hier.* ad Algas. ep. 121,6 et *Phil.* 3,7). Inde ab a. 170. consuetos habemus testes, auctorem *Fragm. Murat.*, *S. Irenaeum*, *Tertullianum*, *Clementem Alex.* etc., quibus accedunt haeretici nonnulli saec. 2., *Marcion* (*Tertull.* c. Marc. V. 20; *S. Epiph.* Haer. 42,9. 12), *Cassianus* et *Theodotus*, Valentini discipuli. (*Clem. A.* Strom. III. 4 et Excerpta Theod. 35. 43), *Sethiani* (Philosoph. X. 11).

Praecipuam difficultatem moderni aliqui « critici » in *Phil.* 2,5 sqq. inveniunt, quorum versuum doctrinam alii dicunt gnosticam, alii cum Pauli sententia de Christo consentire negant; attamen purissimam doctrinam catholicam, quam omnes libri Novi Test. de divina Iesu Christi natura tradunt illis versibus contineri, hoc loco demonstrare opus non est. Minores difficultates sunt, quod « in domo Caesaris » iam Christiani fuisse dicantur (4,22), quod episcopi et diaconi commemorentur (1,1), quod Clemens nominetur (4,3), quod expressiones quaedam Paulo videantur indignae (*canes* 3,2; *concisio* 3,2; ἡ διαιοσύνη ἡ ἐν νόμῳ 3,6 etc.). Scilicet « critici » a priore sibi fingunt primitivae Ecclesiae historiam eaque omnia quae cum sua fictione pugnare inveniunt, pro apocryphis habent; item de expressionibus, quas auctor aliquis adhibere potuerit, iudicant secundum sua praeiudicia.

§ 10. — *De epistola ad Ephesios.*

1. — I. ECCLESIAE EPHESIAE, quam Paulus in tertio itinere suo fundavit et excoluit, epistolam illam, quae in canone « ad Ephesios » inscribitur, destinatam fuisse, tanta cum unanimitate tradunt antiqui testes, ut ab hac sententia recedere non licere videatur. Internae enim rationes, quibus nonnulli eam « encyclicam » ad omnes Asiae ecclesias scriptam demonstrare conantur, quamvis omni pondere non careant, eiusmodi tamen non sunt, ut historicam traditionem infirment, praesertim quum non plane desint interna quoque argumenta, quibus externa confirmantur.

Ephesus, romanae provinciae Asiae caput, multis saeculis florentissima erat Asiae Min. civitas, suo templo Dianae non minus famosa quam divitiis et morum corruptione, quibus sorores suas asiaticas superabat; copiosa eius mercatura multos attraxerat Iudaeos, qui iustam ibi possidebant synagogam. S. Paulus in secundo suo itinere Corintho Ierosolyma profectus Ephesum prima vice venit et synagogam ingressus cum Iudaeis disputavit (*Act.* 18,18 sqq.); sedem autem ibi non fixit nisi in tertio itinere (*Act.* 19,1 sqq.). Ab initio in synagoga docebat, sed post tres menses cognita Iudaeorum obstinatione cum discipulis in scholam Tyranni cuiusdam secessit, in qua per biennium tanto cum fructu Evangelium annuntiavit, ut non tantum Ephesi, sed in tota provincia verbum Domini inter Iudaeos et ethnicos sit propagatum. Longe maiorem autem neophytorum numerum ex ethnicis venisse, seditio ab argentario Demetrio excitata clare docet, qui venerationem fani Dianae apostolicis praedicationibus diminui vidit (*Act.* 19,23 sqq.). Seditione illa urbem relinquere coactus Paulus insequente anno iterum ex Graecia in Palaestinam revertens Miletum advocavit presbyteros ephesios gravissimoque sermone eos exhortatus est, ut ecclesiam tanto cum labore a se fundatam et excultam ab insidiis imminentibus custodirent (*Act.* 20,17 sqq.). Ierosolyma deinde profectus et in vincula ibi coniectus Ephesum post priorem captivitatem reversus est (cfr § 16,2. p. 579 sq.); sed antea haec epistola scripta est.

Dubitatur autem ab haud paucis, num revera ecclesiae ephesiae destinata fuerit. Rationes vero dubitandi praecipuae sunt hae : Marcion huic epistolae titulum « ad Laodicenos » praefixit (*Tert.* c. Marc. V. 11. 17) atque non tantum hodie tres codices graeci (B. ℵ. 67) in inscriptione verba ἐν Ἐφέσῳ omittunt, sed eadem antiquitus in aliis exemplaribus defuisse, testes sunt *S. Basilius* (c. Eunom. II. 19) et *Origenes*, qui ea in sua explicatione praetermittit. Accedit, quod in tota epistola non inveniatur allusio, qua appareat Paulum diuturno tempore in ecclesia, cui haec epistola destinata est, commoratum esse, nulla adscribatur salutatio, immo auctor dubitare videatur, num lectores de se quidquam audierint (3,2), eosque ita alloquatur, ac si illos numquam vidisset sed de iis dumtaxat audisset (1,15). Quibus argumentis permoti aliqui interpretes, etiam catholici, tenent epistolam hanc « circularem fuisse atque ad omnes ecclesias Asiae pertinuisse; hinc contigisse, ut simpliciter inscripta esset τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν..., ut quum ad aliam urbem mitteretur, aliud nomen in spatium vacuum relictum insereretur ».

Attamen unanimi consensu tradunt Patres, *Ephesiis* hanc epistolam esse scriptam; non plane immerito iam *S. Ignatius M.* (ad Ephes. 12) velut testis citatur; certissimi autem testes sunt auctor *Fragm. Murat.*, *S. Irenaeus*, *Tertullianus*, *Clemens Alex.* iunioresque omnes, atque ipsi *Origenes* et *S. Basilius*, licet in inscriptione verba ἐν Ἐφέσῳ non legerint, Ephesiis epistolam destinatam esse sine haesitatione asserunt. Cum Patribus consentiunt omnes codices, atque iterum tres graeci, qui in inscriptione nomen loci omittunt, titulum πρὸς Ἐφεσίους epistolae praefigunt. Remanet igitur solitarium testimonium Marcionis, Scripturarum omnium corruptoris, quo unanimitatem traditionis non tolli, clarum est.

Neque internae rationes tanti valent, ut auctoritatem traditionis infirment. Immerito enim asseritur, Paulum dubitare, num lectores de ipso audierint; in obiecto loco in memoriam revocat ea, quae de apostolica sua missione praesens illis tradiderat (3,2); neque ipse eos velut incognitos alloquitur (1,15), sed postquam a quatuor annis eos non amplius vidit, dicit se *audivisse* eorum fidem etc., i. e. eos suam fidem integram et illibatam conservasse. Omissio salutationum in nostra epistola aeque parum creat difficultatem, atque similis omissio in 1. 2.

Thess., 2 Cor., Gal., praesertim quum Apostolus epistolam per discipulum transmitteret, qui eos de suis rebus edoceret eosque consolaretur (6,22). Frequenter quidem in aliis epistolis plerisque de sua ad ecclesias illas relatione loquitur, in nostra numquam; attamen non plane desunt allusiones, quibus epistolam Ephesiis, incolis urbis corruptissimae, destinatam esse appareat (2,2; 4,19; 5,3 sqq. etc.), atque ex epistolae occasione, de qua statim dicemus, aliquo modo defectus aliarum allusionum explicari videtur. Ceterum Paulus, si eandem epistolam variis ecclesiis destinavit, ab eiusmodi ad certam ecclesiam allusionibus non abstinuit (1. 2. Cor., Gal.); eadem difficultas igitur illis interpretibus solvenda est, qui omnibus ecclesiis Asiae, ac proinde etiam ephesiae, epistolam velut encyclicam destinatam dicunt. Quod vero aliqui suspicati sunt, epistolam ita fuisse encyclicam, ut Tychicus, qui eam in Asiam attulit, pro libitu nomen alicuius ecclesiae inscriptioni inserere potuerit, id nobis absonum esse videtur; quomodo enim Paulus verba, quae 1,15 sqq. et 4,25 et 5, 4. 12 sqq. etc. leguntur, scribere potuit, si ecclesias ignoravit, quarum nomina Tychicus spatio illi vacuo esset inserturus? Itaque a tradita sententia recedere non cogimur.

2. — II. *Romae versus finem prioris captivitatis*, i. e. exeunte a. 63., Apostolus hanc epistolam scripsisse recte dicitur. Occasionem scribendi autem ei dissensio quaedam videtur praebuisse inter neophytos ephesios exorta, quum Ethnicochristiani, qui antiquos suos mores ethnicos nondum plane deposuerant, sese a Iudaeochristianis despici arbitrarentur. Id enim argumento innuit; namque ut Ethnicochristianorum animos erigat, magna beneficia illis in memoriam revocat per Christum allata, quorum ethnici quoque vocatione sua ad fidem facti sint participes; sed simul monitis suis eos ab ethnicis moribus revocat, quibus contemtum fratrum suorum circumcisorum provocare potuerunt.

De tempore scriptae epistolae interpretes consentiunt, quoniam Apostolus vincula sua saepe commemorat (3,1. 13; 4,1; 6,20) et per eosdem discipulos Tychicum et Onesimum nostram aliasque epistolas ad Col. et Philem. transmisit (6,21 sq., *Col.* 4,7 sqq.; Philem. 10 sqq. cfr § 9,4 p. 560). Difficilius definitur, qua occasione Apostolus ad eam scribendam sit permotus; Patres enim de illa silent, neque epistola ipsa certum indicium praebet. Ex 1,15 quidem apparet, eum de ecclesiae ephesiae statu quaedam rescivisse; sed quosnam nuntios acceperit, coniicere tantum licet, quia argumentum dogmaticum et morale generali quodam modo tractatur. Thesis tamen, quam demonstrat, dissensum aliquem Iudaeochristianos inter et neophytos ethnicos adfuisse insinuat. Etenim Ethnicochristianis, quos praeprimis in tota epistola prae oculis habet, Apostolus in memoriam revocat, morte Domini parietem intermedium, qui ethnicos a Iudaeis separabat, esse destructum, ethnicos vocatione sua omnium beneficiorum a Christo allatorum participes fieri, neque velut hospites sed velut *con*cives (συμπολίτας) et domesticos Dei in Ecclesiam admitti. Quae certe eo dirigi videntur, ut Ethnicochristianorum animi erigantur. Simili modo moralia praecepta, quibus fideles ab ethnicis maxime vitiis arcentur, innuunt ethnicos neophytos ipsos vitae suae licentia ansam dedisse, cur a Iudaeochristianis despicerentur.

Itaque hac fere ratione origo epistolae explicatur. Quum Tychicus et Onesimus in eo iam essent, ut Colossas proficiscerentur, Apostolo allati sunt de ecclesiae

ephesiae statu nuntii, qui, quamvis satis boni essent, monita quaedam neophytis utilia fore ostendebant; quare subito et cum quadam festinatione has literas dictavit, quas Tychicus per Ephesum iter facturus deferret. Revera festinationis cuiusdam vestigia in epistola deprehenduntur : stylus frequentibus anacoluthis et periodis implicatis rudior ac difficilior, obscurior argumentandi ratio, idearum distributio minus accurata, repetitio monitorum nonnullorum, quae in epistola ad Col. paullo antea explicaverat. Ex qua festinatione etiam explicatur, cur Apostolus omnibus allusionibus et salutationibus omissis Ephesios ad Tychicum remittat, per quem de rebus suis certiores fiant.

3. — III. Epistolae divisio. Duae partes distingui solent, *dogmatica* (1,3-3,21) de beneficiis per Christum allatis, atque *moralis* (4,1-6,8) de nonnullis officiis christianis. Illud autem proprium habet haec epistola, quod gratiarum actioni, qua Paulus epistolas suas inchoat, dogmaticum argumentum inserat.

Inscriptionem (1,1. 2) sequitur *pars dogmatica* (1,3-3,21) sub forma gratiarum actionis.

1. Exorditur Apostolus a laudibus gratiarumque actionibus offerendis generatim propter suam fideliumque omnium electionem ad iustitiam, redemtionem per Iesum Christum, signationem per S. Spiritum (1,3-14);
2. speciatim autem de Ephesiorum perseveratione, simul Deum obsecrans, ut eos gratia sua illustret, qua vocationis celsitudinem virtutisque divinae magnitudinem cognoscant (1,15-19). Quanta vero sit haec virtus, elucet ex iis, quae Deus in Christo et in Ephesiis effecit (1,20-2,10), et quanta sit vocatio, apparet, si eorum status pristinus cum praesente comparatur, quo facti sunt cives regni messianici (2,11-20).
3. Precatur Deum, ut Ephesii in sua vocatione conserventur. Quam ut pluris aestiment, exponit, quo in loco ipse suum apostolatum ad gentes habeat (3,1-13), atque deinde iterum Deum rogat, ut Ephesios in fide corroboret (3,14-20).

In *parte paraenetica* (4,1-6,9) Apostolus

1. ex priore parte dogmatica deducit, Ephesiis unitatem internam esse servandam, quum omnes iam unum corpus constituant, atque ipsam membrorum diversitatem ad eandem unitatem conspirare debere (4,1-16).
2. Sequuntur monita generalia, ut non amplius sicut ethnici vivant (4,17-30), sed virtutes christianas exerceant (4,31-5,20); quibus succedunt monita de mutuis officiis coniugum, filiorum et parentum, servorum et dominorum (5,21-6,9).

In *epilogo* (6,10-24) omnes exhortatur, ut tamquam fortes Christi milites pugnent, atque ad Tychicum eos remittit, qui de suis rebus eos certiores sit redditurus.

4. — IV. De authentia epistolae non dubitabit, qui antiquis traditionis testibus fidem habet, quum continuo in Ecclesiae usu inde ab apostolica aetate fuerit. Quae moderni « critici » contra eam attulerunt, pleraque attentione non sunt digna; nam ne ipsi quidem inter se consentiunt, utrum gnosticismus in ea doceatur, an impugnetur. Similitudo autem, quae inter epistolas ad Ephes. et ad Coloss. deprehenditur, nihil aliud demonstrat, nisi eas circa idem tempus esse conscriptas.

Exeuntis saec. 2. testes, qui epistolam nostram a Paulo Ephesiis destinatam dicunt, supra iam nominavimus; antiquiora sunt testimonia in Patrum apostolicorum operibus. Praeprimis memoria dignum est, quod in *Doctrina duodecim Apost.* 3 (cfr etiam *S. Barn.* ep. 19 et *Constit. Apost.* VII. 13) claram allusionem ad *Eph.* 6,5-9 habeamus. Vix minus clarae sunt allusiones in *S. Clementis Rom.* 1 Cor. 46 (*Eph.* 4,4) et 2 Cor. 14 (*Eph.* 1,22. 23; 5,31. 32); certum quoque est *S. Ignatium M.* (ad Polyc. 5. 6. cfr *Eph.* 5,25; 6,11; — ad Ephes. Inscr. cfr *Eph.* 1,3 sqq.) et *S. Polycarpum* (ad Philipp. 1. 10. 12 cfr *Eph.* 2,8 sq.; 5,21; 4,26) nostram epistolam adhibuisse. Quibus adde haereticos saec. 2., *Marcionem,* qui epistolam, licet titulum mutasset, agnovit, *Naassenos* (cfr. Philosoph. V. 7. 8), *Basilidem* (cfr Philos. VII. 26), *Valentinum* eiusque asseclas (cfr. Philosoph. VI. 34. 35) etc.

Quibus testimoniis non obstantibus inter paulinas praeter pastorales alia non est, cuius authentiam « critici » acerbius impugnent. Illos quidem omittere possumus, qui epistolam aetate Gnosticorum et Manichaeorum, medio fere saec. 2., exortam dicunt; huc usque enim inter illos nondum convenit, utrum 2,2 aut 3,9 etc. gnosticismus doceatur (*Renan* etc.) an impugnetur (*Hilgenfeld* etc.). Attamen alii nostram cum ep. ad Coloss. comparantes tantam inveniunt argumenti, nexus idearum, vocabulorum etc. similitudinem, ut nostram vocent verbosam epistolae ad Coloss. amplificationem, quae in eo dumtaxat dissentiat, quod haereticorum refutationem omittat; Paulo autem indignam esse dicunt eam scribendi rationem, quae admittenda esset, si epistola ad Ephes. foret genuina. Quibus respondemus *a.*) similitudinem ab adversariis exaggerari; nam non tantum argumento dogmatico sed etiam argumentandi ratione prorsus differunt priores epistolarum partes atque sola vocabulorum nonnullorum repetitione similitudo quaedam efficitur. *b.*) Maior quidem est in monitis affinitas praesertim ad coniuges, parentes filiosque, servos et dominos; sed satis magna quoque est differentia, nec quisquam prudens ex. gr. duodecim versus nostrae epistolae (5,22-33) verbosam repetitionem moniti ep. ad Coloss. 3,18. 19. nuncupabit. Similitudinem igitur aliquam adesse fatemur, sed eam abunde explicari contendimus, si epistolae (id quod aliunde constat) iisdem fere diebus scriptae conceduntur.

Reliquae obiectiones non magni sunt momenti. Stylus satis implicatus et rudior, uti supra iam monuimus, festinationi, qua epistola nostra scripta est, deberi videtur; ἅπαξ λεγόμενα in omnibus epistolis satis sunt frequentia. Ea autem, quae ab Apostoli doctrina et docendi modo abhorrere dicuntur, interpreti relinquimus, si ad eiusmodi obiectiunculas attendere voluerit. Num Paulo non licuit ad « prudentiam suam », i. e. ad sapientiam suam ex revelatione exortam provocare, (3,4), si ad revelationes sibi factas provocare potuit (2 *Cor.* 12,1 sqq.)? Num « Apostolos et Prophetas » coniungere illosque « sanctos » appellare (2,20; 3,5) ei non licuit? etc.

§ 11. — *De epistola ad Colossenses.*

1. — I. Ecclesia colossensis eodem fere tempore, quo ephesia, non ab ipso Apostolo, sed ab Epaphra, ut videtur, uno ex eius discipulis, fundata est. Paucis annis vix elapsis in eam iam irrepserunt pseudapostoli iudaizantes, qui non tantum neophytos ad mosaicam Legem adigere conabantur, sed simul gnosticismo praeludentes novam quamdam doctrinam

de angelis Christo aequalibus propagabant. Periculum autem, quod ecclesiae illi imminebat, occasio fuit Apostolo, qua ad hanc epistolam scribendam adductus est.

Colossae haud ignobile sed satis exiguum fuit Phrygiae Mai. oppidum ad Lycum fl. haud longe ab Hierapoli et Laodicea situm; Apostolus, quamvis bis Phrygiam peragravit, Colossis commoratus non est, nam Colossenses et Laodicenses iis adnumerat, « qui non viderant faciem eius in carne » (*Col.* 2,1). Eo autem tempore, quo Ephesi praedicationem suam tantis miraculis confirmavit, « ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Dei » (*Act.* 19,10), etiam aliqui Colossenses videntur fidem recepisse, inter quos Philemon (cfr *Col.* 4,9; *Philem.* 10 sq. 19) atque Epaphras, qui in patriam reversus civibus suis factus est « fidelis minister Iesu Christi » (*Col.* 1,7; 4,12. 13). Plerosque neophytos illius ecclesiae ex ethnicis venisse, epistola nostra nos docet (1,25. 27; 2,13); aliquos autem Iudaeochristianos fuisse, omnino videtur admittendum, quia secus non intelligitur, quomodo iudaizantes ibi errores suos spargere potuerint. Colossensium tamen seductores diversi fuerunt ab illis pseudapostolis, qui alias ecclesias perturbabant; philosophiae enim nomen praetendentes religionem angelorum docebant, quos Christo pares habebant et per quos ad verum Deum, qui nec cerni nec attingi nec comprehendi possit, pertingere voluerunt (2,8. 18; 1,16 etc.). Ex paucis, quae in nostra epistola inveniuntur, totum eorum systema non cognoscitur; id autem certum est, eos neophytis simul etiam ritus mosaicos inculcare voluisse (2,11. 14. 16. 20 etc.). Per Epaphram, qui Romam venerat, hoc periculum videtur rescivisse Apostolus, atque pro sollicitudine sua salutaribus monitis ei occurrere non haesitavit. Dum igitur Epaphram apud se retineret (4,12; *Philem.* 23), Tychicum Colossas misit, « ut cognosceret, quae circa eos essent, et consolaretur corda eorum » (4,7 sqq.), nostraque epistola viam ei praeparavit falsis doctrinis, quae inter eos spargebantur, directe et indirecte impugnatis.

2. — II. Argumentum et divisio epistolae. Itaque, ut periculum averteret, Apostolus Colossensibus supereminentem dignitatem Dei Filii Christi ostendit, per quem omnia condita sint et qui omnes homines Deo reconciliaturus pro iis mortuus sit; spernendam igitur esse vanam illam angelorum doctrinam nec iudaicas observantias cum Evangelio esse miscendas. Duabus autem partibus thema absolvit, in *priore* (1,9-2,23) dogmaticam doctrinam proponens, in *altera* (3,1-4,1) vitae christianae officia inculcans.

Exordium (1,1-8), uti plerumque inscriptione (1,1-3) et gratiarum actione (1,4-8) constat.

Pars dogmatico-polemica (1,9-2,23) de supereminente dignitate Iesu Christi, redemtoris nostri.

1. Quam dignitatem, indicatis beneficiis per Christum allatis (1,9-14), describit relate ad Patrem, cuius Christus est imago, relate ad creaturas, quarum est conditor, relate ad Ecclesiam, cuius est caput (1,15-20), descriptionemque terminat exhortatione ad perseverantiam in fide (1,21-23).
2. Tamquam Apostolus gentium (1,24-2,3) monet eos, ne a pseudapostolis se seduci sinant, sed Christo soli inhaereant, in quo omnia bona sua acce-

perint (2,4-15), abstineantque a ritibus iudaicis falsaque haereticorum ascesi (2,16-23).

In altera *parte paraenetica* (3,1-4,6) Apostolus

1. excitat neophytos, ut ad novam vitam resuscitati vetere homine cum eius vitiis deposito novum induant christianas virtutes exercentes (3,1-17);
2. inculcat mutua officia coniugum, filiorum parentumque, servorum et dominorum (3,18-4,1);
3. commendat precationem continuam et prudentiam in agendo (4,2-6).

In *epilogo* (4,7-18) explicat finem missionis Tychici (4,7-9), salutationibusque adscriptis monet, ut suam epistolam cum Laodicensibus communicent (4,10-17) terminatque benedictione addita (4,18).

3. — III. AUTHENTIA EPISTOLAE testimoniis Patrum extra controversiam ponitur; pro more quidem suo multi « critici » eam impugnant, sed varia systemata, quibus epistolae originem explicare volunt, arbitrariis tantum interpretationibus suisque praeiudiciis stabilire conantur.

Patres apostolici *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 49 cfr *Col.* 3,14), *S. Ignatius M.* (ad Ephes. 10 cfr *Col.* 1,23), *S. Polycarpus* (ad Philipp. 5. 11 cfr. *Col.* 1,23; 3,5) ad nostram epistolam iam alluserunt; medio saec. 2. eam adhibuerunt *S. Iustinus M.* (c. Tryph. 84. 85 cfr *Col.*1,15) et *S. Theophilus Ant.* (ad Autol. II. 22 cfr *Col.* 1,15); exeunte saec. 2. eam diserte Paulo attribuunt auctor *Fragm. Murat.*, *S. Irenaeus* (c. Haer. III. 14; V. 14 etc.), *Tertullianus* (de Praescr. 7; de Resurr. carn. 23 etc.), *Clemens Alex.* (Strom. I. 1; IV. 8 etc.). Quibus addi possunt velut authentiae testes saec. 2. haeretici *Marcion* (*Tert.* c. Marc. V. 19; *S. Epiph.* Haer. 42,9), *Valentinus* (*S. Iren.* c. Haer. I. 3) eiusque discipulus *Theodotus* (*Clem. Alex.* Excerpta Theod. 19. 31. 43 etc.), *Docetae* et *Peratae* (Philos. V. 12; VIII. 10).

Moderni « critici » de authentia huius epistolae in varias sententias abeunt; alii nostram admittunt et epistolam ad Ephes. reiiciunt, alii contra asserunt, nostram per falsarium ex ep. ad Ephes. esse excerptam, alii utramque declarant spuriam, alii partem epistolae Paulo, partem Timotheo attribuunt, alii genuinam Pauli epistolam a falsario ex conficta ep. ad Ephes. interpolatam dicunt etc. Quibus arbitrariis hypothesibus immorari opus non est, quum aeque arbitraria sint argumenta. S. Paulo abiudicatur epistola, quia non habuerit rationem, cur eam scriberet (sed cfr 2,1 sqq.), aut quia docere non potuerit, Ecclesiam esse unam, quae omnes fideles comprehendat (1,18. 24. num forte plures ecclesias admisit Paulus?), passionem Christi ad omnium hominum redemtionem non sufficere (1,24; pervertunt sc. sensum, ut verba Paulo abiudicare possint), aut quia eo tempore gnostici errores nondum fuerint exorti (id enim adversariis a priore est certum) etc.

§ 12. — *De epistola ad Philemonem.*

1. — Parvam epistolam ad Philemonem scripsit Apostolus, ut servo fugitivo ab eius domino veniam impetraret.

Epistola ad Philem. unica est in canone, quam Paulus homini privato scripsit. Philemon nobilis fuit civis colossensis, qui a Paulo ad fidem adductus una cum Epaphra in patria sua Evangelium propagaverat. Unus ex eius servis ethnicis, Onesimus, ne delicti commissi poenas solveret, Colossis aufugiens divina providentia

Romam ad S. Paulum ductus ab eoque ad meliorem frugem revocatus baptismo in Ecclesiam receptus est. Utile quidem ministerium neophytus Apostolo praestabat, at invito domino fugitivum servum secum retinere noluit Paulus, ideoque Tychico Colossas profecturo Onesimum dedit socium; sicut autem domini, ita etiam servi curam non neglexit, sed nostra epistola ei viam praeparavit.

Post inscriptionem enim et gratiarum actionem consuetam (1-7) Apostolus Philemonem maxima cum prudentia et caritate multis rationibus insinuatis magis quam tractatis precatur, ut servum suum in gratiam recipiat (8-17), et promittens se ipsum damna ab Onesimo ei illata esse compensaturum (18-21) sibi hospitium iam parari iubet et benedictione apostolica literulas terminat (22-25). Velut perfectum styli epistolaris exemplar haud immerito haec epistola habetur.

2. — Licet epistola ob parvitatem suam et privatum suum characterem rarius, quam aliae, ab antiquis Patribus sit adhibita, de eius tamen authentia dubitari non potest.

A Patribus apostolicis epistola adhibita non esse videtur, ita ut primus authentiae testis sit haereticus *Marcion,* nam « soli huic epistolae, inquit Tertullianus, brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet » (c. Marc. V. 21 cfr *S. Epiph.* Haer. 42, 9). Auctor deinde *Fragm. Murat.* eam in canone romanae ecclesiae recenset atque *Eusebius* sine haesitatione eam inter τὰ ὁμολογούμενα recepit (H. E. III. 3); *S. Hieronymus* autem monet « numquam in toto orbe a cunctis ecclesiis eam fuisse receptam, nisi Pauli Apostoli esset credita » (in Philem. Prol.).

Eodem quidem S. Hieronymo et *S. Chrysostomo* (in Philem. Argum) testibus nonnulli olim epistolam hanc canoni inserere nolebant, « quia pro re parva petat, pro uno viro », at iidem quoque Patres eius inspirationem optimis argumentis vindicarunt monentes eam plenam esse utilium doctrinarum. « Mihi, inquit S. *Hieronymus* (l. c.), videntur ii, qui epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere non intelligentes, quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiae lateat. » — Inter modernos « criticos » quoque unus alterve Paulo epistolam abiudicavit, sed quoniam argumenta non attulit, eum praetermittimus.

§ 13. — *De epistola ad Hebraeos.*

1. — I. De epistolae auctore. Quoniam epistola ad Hebr. inscriptione caret, stylo a genuinis paulinis differt, auctor se Apostolis iuniorem dicere (13,7) et ex Apostolorum numero excludere (2,3) videtur, antiquitus iam variae sententiae de eius origine sunt exortae.

Antequam in epistolae huius occasionem, finem, argumentum inquiramus, solvendae sunt quaestiones de eius auctore primisque lectoribus, quae primis Ecclesiae saeculis iam fuerunt controversae. Quamvis enim multae ecclesiae eam sine ulla haesitatione inter paulinas reciperent, aliae tamen non nisi tarde in canonem et tardius inter genuina Pauli opera eam admiserunt. Dubitandi rationes supra indicatas Patres iam perpenderunt, neque defuerunt, qui illis permoti Paulo eam abiudicaverint interque apostolicos viros auctorem (Barnabam, Clementem Rom., Lucam etc.) quaesierint; alii autem Paulum eam hebraice scripsisse, unum ex apostolicis viris graece eam reddidisse suspicati sunt; alii inter auctorem, qui argumentum, ideas, idearumque nexum et explicationem suppeditaverit, interque scriptorem, qui ideis suppeditatis externam formam tribuerit, distinxerunt Paulum-

que dixerunt *auctorem*, unum ex apostolicis viris *scriptorem*. Quoniam tota haec quaestio est historica, antiquorum testium praeprimis rogemus sententias oportet; interna autem argumenta secundo in loco perpendemus.

2. — Iam vero *ecclesiae orientales* omnes Paulum epistolae *auctorem* esse unanimi consensu testantur, etsi nonnulli Patres difficultates, quibus paulina eius origo premitur, optime cognoverint et perpenderint Inde a saec. 4. *occidentales ecclesiae* quoque, quae eo usque epistolam aut ignorarant aut alteri auctori adscripserant, cum orientalibus consentire coeperunt; a saeculi 4. fine paulina origo in tota Ecclesia est agnita, usque dum saec. 16. antiqua controversia est resuscitata.

a.) Primum locum inter ORIENTALES ECCLESIAS *alexandrinae* damus, quae inde a medio saeculo 2. sibi semper consentiens Paulum epistolae *auctorem* dixit, licet de eius *scriptore* dubitaret. *Pantaenus* et *Clemens Alex.* Paulum hebraice eam scripsisse, Lucam eam graece interpretatum esse tradiderunt (cfr *Eus.* H. E. VI. 14); *Origenes* « non temere maiores eam Paulo attribuisse » asserit, historica autem documenta de eius scriptore non plane consentire, quum alia Clementem Rom., alia Lucam nominent (apud *Eus.* H. E. VI. 25.). Ceterum Clemens et Origenes saepissime sub Pauli nomine epistolam allegant, eosque secuti sunt S. *Dionysius Alex.* (ep. ad Fab. 2), *S. Petrus Alex.* (ep. can. 9), *S. Alexander* (de Arian. Haer. ep. 1. 2.), *S. Athanasius* (Serm. c. Arian. II. 1. 6. 7 etc.), *Didymus Alex.* (de Trin. I. 15 etc.), *S. Cyrillus Alex.* (Thes. de Trin. Ass. 4. 7. etc.), *Euthalius diac.* (Ep. Paul. Arg.); in codicibus alexandrinae ecclesiae inter paulinas epistola ad Hebr. decimum locum habuit. — *Palaestinensis* ecclesiae testes sunt *Eusebius Caes.*, qui « quatuordecim Pauli epistolas » inter τὰ ὁμολογούμενα recenset (H. E. III. 25 cfr III. 3) et saepissime sub « Apostoli » vel Pauli nomine eam allegat (Demonstr. evang. IV. 15. 16. 17 etc.), *S. Cyrillus Ieros.* item quatuordecim Pauli epistolas recensens et nostram velut paulinam allegans (Cat. 10,18; 15,28; 17,20 etc.), *S. Epiphanius*, quo teste nostra aut decimum aut ultimum locum inter paulinas habuit (Haer. 42,12). — In *Cappadociae ecclesia* quatuordecim epistolas Pauli *S. Gregorius Naz.* recenset (de Ver. Script. 35), *S. Amphilochius* simul monet, non recte a nonnullis epistolam ad Hebraeos respui (ad Seleuc. 308 sqq.), *S. Basilius M.* sub Pauli nomine eam frequenter allegat (adv. Eunom. I. 14. 18. 20 etc.) itemque eius frater *S. Gregorius Nyss.* (adv. Eunom. I.). — In *ecclesia antiochena* testimoniis epistolae nostrae velut paulinis iam usi sunt *Patres Conc. Antioch.* a. 264. (Mansi Coll. Conc. I. 1038); *S. Chrysostomus* in multis suis homiliis de nostra epistola habitis nullam dubitationem de paulina eius origine exprimit, *Theodorus Mopsuest.* autem (in Hebr. fragm.) et *Theodoretus* (in Hebr. Argum.) Paulum auctorem esse diserte defendunt. — *Syriae orientalis* sententiam nos docet *versio Peschito*, quae eam inter paulinas ultimo in loco habet, *S. Iacobus Nisib.* (Serm. de dilect. 6. 13 etc.) et S. *Ephraem* (Opp. syr. I. 159 sq.; Opp. gr. I. 30. 38 etc.), qui addito Pauli nomine eam pro auctoritate adhibent. Merito igitur asseruit *S. Hieronymus* « hanc epistolam, quae inscribitur ad Hebr., non solum ab ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi » (ad Dard. ep. 129,3).

b.) Aliter utique se habuit res in OCCIDENTALI ECCLESIA. Canonem enim romanae ecclesiae recensens *Fragm. Murat.* eam omisit; quamvis certum sit, S. Clementem Rom. eam pro divina adhibuisse, *S. Hippolytus* et *Caius presb.* eam paulinis non adnumerarunt (*Phot.* Bibl. codd. 121. 232; *Eus.* H. E. VI. 20); num

S. Irenaeus eam agnoverit, non plane constat, licet affirmativa sententia sit probabilior (contra *Phot.* Bibl. cod. 232 cfr *Eus.* H. E. V. 26 et *S. Iren.* c. Haer. II. 30; IV. 11); *Tertullianus* eam Barnabae attribuit, sed pro canonica non habet (de Pudic. 20); *S. Cyprianus* eam ignorasse videtur; in suis commentariis, quibus paulinas epistolas illustrarunt, *Ambrosiaster*, *Pelagius*, Marius *Victorinus* Afer eam praetermiserunt. Attamen addito Pauli nomine eam pro divina auctoritate allegant *S. Hilarius Pict.* (in Ps. 129,7; de Trin. IV. 11), *Lucifer Calar.* (De non conven. c. haer.), *Faustinus presb.* (de Trin. 2), *S. Ambrosius* (de Fuga saec. 16 et saepe); *S. Philastrius* (Haer. 89) et *Rufinus* (Symbol. ap 37) eam diserte velut paulinam et divinam recensent; *S. Hieronymus* (ad Dard. ep. 129, 3; de Vir ill. 59; in Ierem. 28,11 etc.) et *S. Augustinus* (Civ. Dei XVI. 22; de Pecc. mer. et remiss. I. 50 etc.) saepius quidem Latinorum dubitationem de eius origine commemorant, sed eam velut paulinam et divinam recipiunt; in Conc. Carth. III. a. 393. recensentur « Pauli epistolae *tredecim; eiusdem* epistola ad Hebr. », sed in *Conc. Carth.* VI. a. 419. « Pauli epistolae *quatuordecim* »; eodem modo quatuordecim dicuntur Pauli epistolae in S. *Damasi* catalogo, quem repetiit *S. Gelasius*, et in *S. Innocentii* I. epistola ad Exsup. Tolos. — Iuniores demum scriptores latini *S. Isidorus Hisp.*, *Alcuinus*, *Rhabanus Maurus*, *Walafr. Strabo*, *scholastici*, qui Strabonis Glossa utebantur, difficultates ab antiquis contra paulinam epistolae originem allatas transcribunt, sed eodem modo, quo antiqui, eas solventes Paulum auctorem esse statuunt. Saeculo 16. tandem *Caietanus* et *Erasmus* de paulina et divina epistolae originem dubitarunt, eamque reiecerunt non pauci ex antiquioribus interpretibus protestanticis et multi moderni acatholici.

3. — Allatis testimoniis explicatur, quanto cum iure Concilium Tridentinum epistolam ad Hebr. inter « quatuordecim epistolas Pauli Apostoli » recensens controversiae de eius auctore et divina auctoritate finem fecerit. Definitione tamen sua Concilium non reprobavit eorum sententiam, qui cum Paulo *auctore* virum aliquem apostolicum velut *scriptorem* epistolae agnoscunt; nihil igitur obstat, quominus aliquis cum Origene, S. Hieronymo, Theodoreto aliisque teneat, S. Clementi Rom. deberi externam epistolae formam.

Ne Davidem omnium Psalmorum auctorem asserere viderentur, Tridentini Patres reiecta expressione « *Davidis centum quinquaginta Psalmi* » maluerunt dicere « *Psalterium davidicum* centum quinquaginta Psalmorum »; unde iure concludimus, eos in canone recensentes « *quatuordecim epistolas Pauli Apostoli* » cum divina epistolae origine, quam directe definiverunt, etiam paulinam eius originem extra controversiam posuisse; neque enim ignorarunt, paullo antea Caietanum et Erasmum, non minus quam pseudoreformatores, canonicitatem epistolae in dubium vocasse, quia dubia eis erat paulina eius origo. Ceterum canonicitatem epistolae labefactari, si eius auctor dubius esset, erronee asseruit Caietanus (in Hebr. 1,1; 2,3 etc.); multi enim sunt libri canonici, quorum auctores humani ignorantur, atque epistolae ad Hebr. canonicitas optime demonstratur, etsi ad paulinam eius originem non attendamus.

Namque ex testimoniis allatis evidens est, inde ab exeunte saec. 2. in toto Oriente epistolam pro divina esse adhibitam non obstantibus variis sententiis de eius lingua primitiva et stylo; in Occidente autem inde a medio saec. 4. eadem fuit de divinitate epistolae fides universalis et constans. Neve opponatur, in Oc-

cidente usque ad medium saec. 4. eam esse reiectam; id enim verum non est; in publica quidem lectione non adhibebatur, at nullo testimonio demonstratur, eam ab ulla orthodoxa ecclesia umquam esse reprobatam. Porro animadvertendum est, primum ecclesiae romanae testem, *S. Clementem Rom.*, nostram epistolam eadem ratione, qua reliquos Novi Test. libros, adhibuisse, immo frequentius, quam aliis, hac epistola esse usum, uti iam monuerunt Eusebius (H. E. III. 38) et S. Hieronymus (de Vir. ill. 15); rationem autem, cur post S. Clementem saec. 2. et 3. in Occidente non sit adhibita, indicat S. Philastrius (l. c.) illam « propter Novatianos » non esse lectam monens. Revera saec. 2. et 3. Montanistae, Novatiani aliique in Occidente haeretici peccatoribus veniam negarunt, cui haeresi epistola ad Hebr. (6,4; 10,26) favere videbatur. Hanc igitur ob causam publice non legebatur, sed inde non sequitur, eam ex canone esse exclusam; saeculo 5. enim eam in canone romanae ecclesiae fuisse, docent Innocentii I. et Gelasii catalogi, sed integro fere saec. 5. ab Innocentio usque ad Gelasium a nullo Romano Pontifice, ne ab ipso quidem S. Leone M., invenitur allegata. Ut *canonicitatis* quaestionem terminemus, addimus etiam *S. Ignatium M.* (ad Eph. 16 cfr *Hebr.* 10, 28 sq.) et *S. Polycarpum* (ad Philipp. 2. 4. 12 cfr *Hebr.* 1,3 et 8,1; 4,12 sqq.; 6,20) eam probabiliter adhibuisse, eamque certissime adhibitam esse a *S. Iustino M.* (Apol. I. 63 cfr *Hebr.* 3,1; c. Tryph. 33 cfr *Hebr.* 5,8-10 et 7,1 sqq.).

Alteram quaestionem, num Paulo etiam externa forma hodiernae nostrae epistolae debeatur, antiqui Patres iam non eodem modo solverunt nec eodem modo solvunt moderni interpretes. Non desunt quidem hodie, qui Paulum ipsum eam eadem ratione, qua reliquas, scripsisse teneant, quum tanta non sit styli diversitas, ut ad alium interpretem vel scriptorem confugere debeamus; satis enim eam explicari censent, si reliquae epistolae a Paulo festinanter dictatae dicantur, haec autem studiose et diligenter elaborata. Attamen probe attendendum est, antiquos Patres coniecturas suas ad styli differentiam explicandam non allaturos fuisse, nisi cum Apostolo unum ex eius discipulis in elaboranda hac epistola operam suam posuisse ex traditione scivissent.

Alii satis multi cum Clemente Alex. putant, Paulum epistolam hebraice dictasse, unum ex eius discipulis graece eam vertisse. Tanta autem in nostra epistola est graecae dictionis puritas et elegantia, ut nemo se versionem ex hebraico adornatam legere facile concesserit; accedit autem, quod Vetus Test. semper iuxta graecam versionem etiam illis in locis, in quibus hebraicus textus dissentit, ita adhibetur, ut interdum graecis verbis praecipua vis argumenti innitatur (ex. gr. 9,15 sqq.); atque addi potest, omnes, etiam antiquissimas, versiones ex graeco nostro textu esse adornatas. — Probabilius igitur alii cum Bellarmino, Estio multisque modernis censent, Paulo quidem deberi totum argumentum argumentique explicationem integram omnesque ideas, alium autem virum apostolicum, ut verbis S. Hieronymi utamur (de Vir. ill. 5), « ipsi adiunctum sententias Pauli proprio ordinasse et ornasse sermone »; ita enim styli dictionisque proprietas atque traditionis de auctore inconstantia apte explicantur. Inter viros autem apostolicos S. Clementem Rom. potius, quam Barnabam aut Lucam, Paulo in elaboranda epistola operam suam praestitisse, arbitramur, quia antiqui iam monuerunt, S. Clementis ad Cor. « epistolam et illam ad Hebraeos eundem habere stylum nec utriusque scripti sententias multum inter se discrepare » (*Euseb.* H. E. III. 38), « omnino grandem in utraque similitudinem esse « (*S. Hier.* de Vir. ill. 15) etc.

4. — Difficultates, quibus paulina epistolae origo impugnatur, plerae-

que Patribus erant iam cognitae et ab illis sufficienter sunt enodatae; paucas novas adiecerunt moderni, inter quas nonnullae satis sunt arbitrariae, nulla autem invenitur, qua antiqua traditio de Pauli epistolae *auctore* ulla ratione labefactatur.

De styli argumentationisque proprietate, quae a modernis quoque urgetur, iam diximus. Obiicitur praeterea, quod auctor ipse sese ex numero Apostolorum excludat (2,3) et sese Apostolis iuniorem esse ostentet (13,7); at in priore loco Paulus figura ἀνακοινώσεως utitur, nec se ipsum illis adnumerat, « in quos *ab eis, qui audierunt,* confirmata est salus »; eandem figuram alibi quoque adhibet (cfr *Rom.* 13,11); alter autem textus (13,7) inepte in hac quaestione affertur. Porro « Paulus, inquiunt adversarii, si epistolae auctor esset, nomen suum pro more praefixisset; nulla enim affertur ratio apta, cur illud tacuerit ». Quae obiectio erronee supponit, scripturam hanc esse veri nominis epistolam; est enim homilia quaedam vel libellus consolatorius et exhortatorius (λόγος τῆς παρακλήσεως 13,22), cui pauci versiculi (13,22-25) stylo epistolari sunt adiecti; optime quoque monuerunt Patres, Pauli nomen invisum fuisse Iudaeis et nonnullis Iudaeochristianis, ideoque eum loco epistolae consolatoriae hunc libellum anonymum misisse, alieno stylo exaratum, qui in fine tantum auctorem suum satis clare indicat.

Arbitrariis obiectionibus adnumeramus, quod doctrina epistolae a paulina discrepare dicatur; solis enim perversis interpretationibus discrepantia innititur, id quod exemplis, quae afferuntur, facile demonstratur. Paulo scilicet dicunt praecipuum doctrinae caput fuisse resurrectionem Christi, quae in hac epistola per transennam tantum attingitur (13,20); at non vident, totam secundam epistolae partem de aeterno sacerdotio Christi dogmati resurrectionis Christi inniti atque hoc fundamentum clare indicari (5,9). Porro a Paulo *fides Legi* eiusque *operibus* opponi dicitur, ab auctore nostro autem *visioni;* iterum non vident, Paulum sub vario respectu in variis epistolarum locis fidem considerare; visioni fidem etiam opponi 1 *Cor.* 13,12 et 2 *Cor.* 5,7; eodem autem sensu sumi fidem *Rom.* 1,17 et *Gal.* 3,11 et *Hebr.* 10, 38, atque iterum fidem Abrahae *Rom.* 4,16 sqq. et *Gal.* 3,6 sqq. et *Hebr.* 11, 8 sqq. Similia sunt alia exempla. — Arbitrarie quoque obiicitur, auctorem in templi iudaici descriptione (9,1-5) non semel veritatem historicam laesisse; de *templo* enim ibi non est sermo (templum nusquam vocatur tabernaculum), nec quidquam in tota *tabernaculi* descriptione inveniri, quod veritati non consonet, antiquiores iam ostenderunt interpretes.

Arbitrarium quoque est, quod contra Paulum textus ex Vetere Test. desumti testari dicuntur : « non tantum, inquiunt, versio alexandrina sola allegatur et accuratius, quam a Paulo fieri solet, transcribitur, sed auctor etiam ex mendis versionis argumentatur (10,5-7) ». Prior pars difficultatis sufficienter solvitur, si Clementem epistolae scriptorem dicimus, qui textus Scripturae a magistro indicatos accurate ex codice suo transcripsit. Alteram autem partem negamus, etenim si ex mendo interpretum argumentatus esset auctor, neganda esset epistolae inspiratio. Sicut aliis in locis Paulus textuum allegatorum verba (non sensum) mutat, ut ipsis verbis iam interpretatio illucescat (ex. gr. 1 *Cor.* 3,20 et *Ps.* 93,11), ita in hoc loco verba mutata, quae sensum non mutant, retinuit, ut ex illis argumentaretur. — Haec praecipua sunt, quibus paulina epistolae origo impugnari solet.

5. — II. Hebraeos, quibus titulus libellum hunc destinatum esse dicit, Iudaeochristianos ierosolymitanos et palaestinenses esse, tradunt Patres et confirmat totus libelli character.

Pantaenus, Clemens Alex. aliique Patres nonnulli ex solo titulo coniecerunt, primigeniam libelli huius linguam fuisse hebraicam; tam persuasum eis erat, nomine Hebraeorum, quod titulus exhibet, intelligendos esse Iudaeochristianos ierosolymitanos et palaestinenses, quibus solis lingua hebraica (i. e. syrochaldaica) erat vulgaris. At inter alios quoque Patres, qui graecam esse epistolae linguam primigeniam tenuerunt, ne unus quidem reperitur, qui aliis, quam Palaestinensibus, eam scriptam esse umquam cogitaverit. Neque id est mirum; ex epistola enim elucet, ecclesiam, cui destinata est epistola, solis Iudaeochristianis constitisse; eiusmodi autem ecclesiae in sola Palaestina inveniebantur. Porro Christiani, quibus scribit Apostolus, non erant neophyti recenter ad fidem adducti (5,12 sqq.), magnas persecutiones cum magna patientia iam erant perpessi (10,32 sqq.), primi eorum magistri vel duces (ἡγούμενοι) iam morte abrepti vitam martyrio coronaverant (13,7); quae omnia ierosolymitanis Christianis eorumque primis ducibus, Iacobo utrique et Stephano, convenire manifestum est. Illo tempore, quo epistola scripta est, defectio quaedam ad avitam religionem iudaicam erat timenda (2,1 sqq.; 10,26 sqq.; 12,25 sqq. etc.), praecipue autem videtur periculum imminuisse, ne antiqui cultus splendorem continuo videntes, simplicitate cultus christiani despecta, coetus christianos relinquerent (10,25); quare tota epistola internam Novae Legis dignitatem et praestantiam describit; atqui haec solis palaestinensibus et maxime ierosolymitanis Christianis conveniunt. Iudaeochristiani enim extra Palaestinam degentes splendorem cultus iudaici numquam spectarant, palaestinenses autem usque ad illud tempus, quo scriptus est libellus noster, coetibus sacris Iudaeorum in templo semper interfuerunt (*Act.* 21,20).

Modernorum interpretum protestanticorum et « criticorum », qui aut romanis, aut alexandrinis, aut corinthiis, aut ephesiis, aut hispanicis, aut galaticis etc. Christianis libellum destinatum dicunt, refutatione non indigent, quum non tantum omni fundamento historico careant, sed etiam ipso libello contradicant.

6. — III. Quo tempore et loco epistola sit scripta, ipsa haud obscure innuit; exeunte enim a. 63. vel ineunte a. 64. a Paulo Romae in vinculis degente, sed proximam liberationem sperante scripta recte dicitur.

In *tempore* definiendo omnes fere moderni interpretes consentiunt. Omnia enim, quae de cultu iudaico dicuntur, templum nondum esse destructum supponunt; belli autem iudaici, quod a. 67. exardescens urbis et templi destructione terminatum est, nulla fit mentio; ante a. 67.igitur epistolam scriptam esse constat

Neque minus certum est, eam *Romae* esse exaratam; id enim docent verba « salutant vos de Italia fratres » (13,24), quibus Apostolus « apertissime nobis innuit, quod Romae hanc epistolam scripserit, quae in regione Italiae sita est » (*Primas.* in Hebr. 13,24; cfr *Theodoret.* i. e. l., *S. Chrys.* ad Rom. Arg.); scilicet eodem modo, quo Ephesi Corinthiis scribens salutationes ecclesiarum Asiae transmisit (1 *Cor.* 16,19), ita Romae Ierosolymitanis scribens omnium fratrum Italiae salutationes addidit. Demum eam a Paulo captivo esse scriptam, velut certum traditur a *S. Chrysostomo* (l. c.) et *Theodoreto* (in epp. Paul. Praef.); *Primasius* autem idem a doctoribus velut probabile tradi refert. Revera id velut certum admittendum est, si plerorumque codicum et Patrum lectio « vinculis meis compassi estis » (10,34) est genuina. Consentire autem videtur alter locus, in quo Apostolus fideles ferventius pro se precari iubet, quo « celerius illis restituatur » (13,19); quae verba innuunt, eum violenter et subito ex illorum medio esse abreptum nequedum cessasse illam violentiam, qua ab illis retinetur. Quod autem im-

mediate postea se cum Timotheo ad eos venturum promittit, id instantis iam liberationis fiduciam exprimit.

7. — IV. De fine et occasione libelli Patres nihil certi tradiderunt. Finem autem suum innuit Apostolus scripturam hanc vocans λόγον τῆς παρακλήσεως (13,22); qua consolatione et exhortatione indigebant Christiani, quum brevi post martyrium S. Iacobi Min., qui magna, qua inter Christianos et Iudaeos pollebat, auctoritate priores retinere alios compescere potuerat, in periculo versarentur, ne a Christo deficientes ad pristinum suum cultum reverterentur tribulationibusque oppressi animos desponderent.

Haud diu postquam S. Paulus captivus Romam advenit, S. Iacobus Min., primus ierosolymitanae ecclesiae episcopus, odio Iudaeorum martyrium passus est cum aliis primoribus Christianis (*Fl. Ios.* Antiqu. xx. 9); brevi autem post eius mortem in magno periculo versabantur Christiani palaestinenses. Neque enim continuis infidelium tantum Iudaeorum persecutionibus erant expositi, sed etiam ex eorum medio exorta erat secta, quae licet Iesum esse Messiam concederet, eius tamen divinitatem negabat legisque mosaicae necessitatem urgebat. Quod eiusmodi errores inter Iudaeochristianos palaestinenses, qui « omnes aemulatores legis erant » (*Act.* 21,20) fertilem agrum invenerint, non magis est mirandum, quam quod alii splendido templi cultu, qui perdurabat, allecti et fascinati pauperem mysteriorum christianorum celebrationem despicere coeperint. Eo igitur tempore, quo Paulus Romae captivus degebat, « misera, inquit *S. Chrysostomus* (in Hebr. Praef. 2), fuit fidelium Ierosolyma ceteramque Palaestinam inhabitantium conditio. Quare quid mirum, si ille, qui anathema esse pro incredulis Iudaeis volebat et de conversis ad fidem tam erat sollicitus, ut ad eos proficisci eorumque necessitates lenire non dubitaret, nunc eos literis exhortetur et consoletur et cadentes admonitionibus suis confortet » ? Quamquam enim praeputii, et non circumcisionis, Apostolus esset, caritas Christi eum urgebat, ut fratres suos secundum carnem in fidei periculo maximo constitutos pro viribus adiuvaret.

8. — V. Argumentum et divisio epistolae. Quoniam fidelium quoque palaestinensium multorum animos a se esse abalienatos non ignorabat, Paulus eadem ratione, qua Galatis aliarumque ecclesiarum a se fundatarum fidelibus, Ierosolymitanis succurrere non potuit. Quum autem seductorum errores directe aggredi et confutare ei non liceret, veram ac genuinam doctrinam, suo nomine suppresso, eis proponens atque *dignitate excellentiaque Novi Testamenti prae Vetere stabilita* quasi indirecte Veteris abrogationem insinuans eos contra cultus antiqui splendorem praemunire et a Vetere Lege retrahere studuit. Satis apte porro cum plerisque duas epistolae partes distinguimus, *dogmaticam* (1,1-10,18) et *paraeneticam* (10,19-13,17), quamvis in priore iam paraenesis haud parvum locum occupet.

Pars prior dogmatica (1,1-10,18) triplice ex capite Novi Testamenti praecellentiam prae Vetere demonstrat.

1. *Ex parte auctorum Utriusque Testamenti* (1,1-2,18). Vetus a Novo superatur, quia illud per angelos ordinatum erat (cfr *Gal.* 3,19), huius autem auctor est Filius Dei ipse.

Praemittens Deum per Filium suum nobis esse locutum (1,1-3) Apostolus ostendit Christum angelos superare ratione divinae naturae et dignitatis (1,4-14), unde concludit, eius sermoni, i. e. Novae Legi, perfectiorem obedientiam deberi (2,1-4). — Quam conclusionem confirmat ostendens Christo concreditum esse regnum messianicum (2,5-9) et explicans, cur et quomodo Christum decuerit humiliari propter nostram salutem (2,10-18).

2. *Ex parte mediatorum Utriusque Testamenti* i. e. Moysis et Christi (3,1-4,13).

Brevissime ostendit, quanto inferior Moyses sit Christo (3,1-6); deinde autem exemplum Israelitarum ob incredulitatem ab ingressu in Palaestinam exclusorum (3,7-19) typice explicans cavendum monet, ne ipsi ab ingressu in requiem excludantur (4,1-13).

3. *Ex parte pontificum Utriusque Testamenti* (4,14-10,18).

Demonstrat igitur Iesum esse pontificem (4,14-5,10), et postquam vituperationem de lectorum infirmitate in fide praemisit eosque, ut ad perfectiora anhelent, exhortatus est (5,11-6,19), ostendit eum esse pontificem iuxta ordinem Melchisedech (7,1-3).

Quo fundamento posito sacerdotium melchisedechianum aaronitico praestare docet comparans personas (7,4-28), earumque munera relate ad internum eorum valorem (8,1-5), relate ad foedus ad quod pertinent (8, 6-13), relate ad effectum, quem producunt (9,1-14).

Demum obiectionem, quae ex Christi morte contra eius dignitatem desumi potuit, ita refutat, ut eius excellentia magis appareat (9,15-10,18).

In PARTE PARAENETICA (10,19-13,21) Apostolus lectores exhortatur

1. ad perseverantiam in fide (10,19-25), quapropter proposita poena, quae apostatas exspectat (10,26-31), eis eorum ipsorum pristinam fortitudinem in memoriam revocat (10,32-39) illustriaque fidei exempla ex Vetere Test. exhibet (11,1-40), ad quae respicientes suas tribulationes fortiter ferre debeant (12,1-13).
2. Deinde varias virtutes atque maxime concordiam omnimodamque sanctitatem (12,14-29) et caritatem fraternam commendat etc. (13,1-6).
3. Ad perseverantiam in fide reversus monet, ne alterum altare quaerant praeter id quod possident, atque demum eorum precibus sese commendat (13,7-21).

In EPILOGO EPISTOLARI (13,22-25) petit, ut libellum hunc consolatorium bene recipiant, se cum Timotheo mox ad eos esse venturum promittit etc.

III. De epistolis pastoralibus.

§ 14. — *De epistolarum pastoralium authentia.*

1. — Tres epistolae, quibus S. Paulus Timotheo et Tito pastoralem animarum eorum sollicitudini commissarum curam commendat bonorumque pastorum officia describit, inde ab apostolicorum Patrum tempore in ecclesiarum Occidentis et Orientis usu semper fuerunt; quare ab Eusebio inter τὰ ὁμολογούμενα iure sunt relata.

Epistolae ad Timotheum et Titum, quae propter argumentum suum *pastora-*

lium epistolarum nomine ab aliis paulinis hodie distingui solent, quasi medium locum occupant inter publicas epistolas integris ecclesiis scriptas et privatam illam ad Philemonem. Etsi enim uni discipulo inscriptae nec publicae lectioni destinatae sint, non minus tamen publicum ecclesiarum, quam privatum discipulorum profectum promoverè voluerunt. At insignia haec apostolicae sollicitudinis documenta hodie a « criticis » omnibus reiiciuntur; quare antequam de singulis agamus, earum authentiam historicis documentis demonstrare ab illisque obiectionibus, quae contra omnes tres simul afferuntur, vindicare debemus.

Quum *Eusebius* (H. E. III. 3. 25) tres pastorales homologumenis adnumeret, patet, nullum scriptorem orthodoxum trium primorum saeculorum eas respuisse, sed omnes illis eandem, quam reliquis paulinis, auctoritatem attribuisse. Patres apostolici eas, sicut reliquas, adhibuerunt; *S. Clemens Rom.* clare et frequenter ad 1. *Tim.* (ex. gr. 1 Cor. 29 cfr 1 *Tim.* 2,8) et *Tit.* (ex. gr. 1 Cor. 2 cfr *Tit.* 3,1), rarius et obscurius ad 2. *Tim.* (1 Cor. 32 cfr 2 *Tim.* 1,9) allusit; *S. Ignatius M.* (ad Magn. 8 cfr 1 *Tim.* 1,4; ad Eph. 2. et Smyrn. 9 cfr 2. *Tim.* 1,16. 18; ad Trall. 3 cfr *Tit.* 2,3) et *S. Polycarpus* (ad Philipp. 4. 5. 9 cfr 1 *Tim.* 6,10; *Tit.* 3,2 sqq.; 2 *Tim.* 4,9) omnes tres adhibuerunt. Medio saec. 2. *S. Theophilus Ant.* priorem ad Tim. « divinum sermonem » vocavit, et ex illa ad Titum testimonia desumsit (ad Autol. III. 14; 2,16); eadem *S. Iustinus M.* quoque (c. Tryph. 47 cfr *Tit.* 4,4) eiusque discipulus haereticus *Tatianus* (cfr S. Hier. in ep. ad Tit. Prol.) usi sunt; fatendum tamen est, reliquos haereticos saec. 2. longe plerosque epistolas illas reiecisse, quia, uti iam monuit *Clemens Alex.* (Strom. II. 11), earum testimoniis convincebantur. Versus finem demum saec. 2. sub Pauli nomine, uti reliquae paulinae, in omnibus ecclesiis allegari coeptae sunt; in *Fragm. Murat.* omnes tres recensentur; *Tertullianus* (c. Marc. V. 21) miratur, quod Marcion, quamvis epistolam ad Philem. receperit, tres pastorales reiecerit; *S. Irenaeus* omnes tres frequenter adhibet; atque eodem modo, quo reliquis, iis utuntur, immo eas explicarunt *Clemens Alex.* et *Origenes;* syriacam demum et copticam ecclesias in canone eas habuisse, docent earum versiones.

2. — Adversariorum obiectiones contra epistolarum authentiam partim sunt philologicae, partim historicae, partim chronologicae; at philologicae disparent, si Paulum in his epistolis de diverso omnino argumento loqui et diversum finem prae oculis habere attenditur; historicae petitioni principii innituntur; chronologicae demum erronee supponunt, epistolas scriptas esse ante finem illius captivitatis Apostoli, de qua loquitur Lucas in Actibus.

Ante initium nostri saeculi de authentia epistolarum pastoralium dubitatum non est; postquam autem Schleiermacher a. 1807. priorem ad Tim. addubitare coepit, hodie eo res pervenit, ut protestantici interpretes in varia castra inimica sint divisi, aliis omnes tres reiicientibus, aliis unam alteramve recipientibus, aliis omnes tres agnoscentibus; varias eorum sententias recensere operae pretium non est; obiectiones, quae contra omnes simul proferuntur, examini subiecisse sufficit.

a.) *Haud* parum igitur *asserunt linguam stylumque pastoralium a consueto dicendi et argumentandi modo S. Pauli dissentire;* atque praeprimis monent, quam plurima esse in illis ἅπαξ λεγόμενα, illa vero vocabula, quibus Apostolus in aliis epistolis frequenter utitur, in nostris non reperiri. Cui obiectioni recte opponitur, in omnibus epistolis frequentia esse ἅπαξ λεγόμενα (in ep. ad Gal. numeran-

tur plus 50, in Philipp. 54, in duabus ad Col. et Eph. 140 etc.), neque aliter fieri potuisse, quia de diversis rebus loquens diversa vocabula Apostolus adhibere debuit. Atque argumentandi ratio Apostoli etiam necessario dependet ab argumento tractato, a fine intento, a personis, quibus scribit. Num forte eadem ratione, qua Galatas contra iudaizantium errores praemunivit, aut Corinthiorum defectus increpavit, aut Romanis suum Evangelium exposuit, Tito et Timotheo officia pastoralia commendare potuit? Ceterum diversitas dictionis et argumentationis mirum in modum exaggeratur; profecto alexandrini Patres, qui epistolam ad Hebr. stylo et argumentatione ab aliis paulinis differre viderunt, aliique multi iuniores interpretes, qui linguae graecae scientia excelluerunt, diversitatem illam, quam volunt adversarii, non detexerunt.

b.) De *historicis obiectionibus* vix opus est dicere, quum id supponant, quod probandum est; in pastoralibus enim aiunt hierarchicam ecclesiarum constitutionem reperiri, quae apostolica aetate sit recentior, haereses impugnari, quae post Pauli mortem sint exortae, ea demum, quae de viduis dicuntur (1 *Tim.* 5.9 sqq.), tempori Apostolorum non convenire. Sed hierarchica constitutione ecclesias non caruisse, non tantum Actus (6,1 sqq.; 14,22; 15,6 etc.), sed etiam epistolae paulinae docent (*Phil.* 1,1; 1 *Thess.* 5,26 sq.; *Rom.* 12,8; *Gal.* 6,6 etc.) atque Patrum apostolicorum opera confirmant (*S. Clem. Rom.* 1 Cor. 42; *S. Ignat. M.* ad Eph. 3. 4 etc.). De haereticis apostolicae aetatis (§ 3,3 p. 536) iam diximus; quo argumento probare velint adversarii, prima gnosticismi semina tempore apostolico non esse sparsa, nemo dixerit. Quae demum de viduis dicuntur, nullam prorsus creant difficultatem, nec intelligitur, ad quid in hac quaestione afferantur. Ceterum suis ipsorum controversiis demonstrant, historicas allusiones in nostris epistolis ad earum originem explicandam non iuvare; a fine enim saec. 1. usque ad a. 170. vix habetur lustrum, cui aliquis ex adversariis eas ob historicas rationes non attribuat.

c.) *Chronologicae difficultates* quoque infirmae sunt. Etenim ea quae ex nostris epistolis de itineribus Pauli discimus cum narratione Actuum apte non componi, omnino concedimus; sed Actuum narratio vere a. 64. terminatur, S. Paulus autem mense Iunio a. 67. mortuus est; nihil igitur prohibet, quominus ultimo vitae paulinae triennio epistolas pastorales ipsas et itinera in iis commemorata attribuamus (cfr § 15,2; § 16,2. 6).

Epistolam ad Titum et priorem ad Timotheum circa idem tempus esse scriptas, communis est sententia, quae in utriusque scripturae argumento et stylo firmum habet fundamentum; priore tamen in loco de epistola ad Titum dicemus, ne duas ad Timotheum ab invicem separare cogamur; 2 Tim. enim est omnium paulinarum ultima.

§ 15. — *De epistola ad Titum.*

1. — I. De vita S. Titi, unius ex praecipuis Pauli sociis, admodum pauca sunt tradita. Ab Apostolo ad fidem conversus cum eo ad Concilium apostolicum Ierosolyma profectus est; in tertia sua expeditione apostolica Paulus eum bis Corinthum ablegavit, post priorem suam captivitatem eum ordinandis ecclesiis cretensibus praefecit atque brevi postea eum Nicopolim ad se invitavit, ut eum in Dalmatiam mitteret. Iuxta traditionem haud plane certam Apostolo mortuo Titus in Cretam insulam reversus ibi vitam beata morte terminavit.

Titus, quamvis a Paulo « dilectus filius », « frater », « socius et adiutor » appelletur magnisque laudibus ornetur (*Tit.* 1,4; 2 *Cor.* 2,13; 8,17. 23; 12,18; 7. 8 sqq.), in Actibus non nominatur. Ante conversionem ethnicus fuit (*Gal.* 2,1 sqq.), neque improbabile est, eum genere Antiochenum et in ecclesia antiochena auctoritate praeditum fuisse (cfr *Gal.* 2,1 et *Act.* 15,2); eum a Paulo ipso genitum esse Christo, ex « filii » appellatione non immerito colligitur. De duplici eius missione corinthia cfr 2 *Cor.* 2,13 et 7,6 sqq. atque 8.5 sqq.; de eius missione dalmatica cfr 2 *Tim.* 4,10; de laboribus eius cretensibus cfr *Tit.* 1,5 sqq. De ultimis eius annis loquuntur *Eusebius* (H. E. III. 4), *Theodoretus* (in 1 Tim. 3,1) aliique; sed eorum narrationes magis minusve incertae sunt.

2. — II. Tempus, quo epistola est scripta, quum traditio hac de re taceat, ex ipsa epistola definiatur oportet. Ex qua magna cum verisimilitudine colligitur, Paulum ex priore captivitate liberatum cum Tito in insulam Cretam venisse atque brevi postea discipulo in insula relicto hanc institutionem pastoralem misisse.

Certum est, S. Paulum haud diu postquam Titum, ut institutis presbyteris Christianos in iustas ecclesias colligeret haereticorumque conatus impugnaret, in Creta reliquerat, ei nostram epistolam misisse; certum quoque est, eum, quando illam scripsit, non fuisse captivum, ita ut de suis itineribus liber disponere posset (3,12). Hinc eorum opinio excluditur, qui ab Apostolo (1,5) illud iter creticum commemorari censent, de quo loquitur S. Lucas (*Act.* 27,7 sqq.); illo enim tempore et duobus annis post Paulus in vinculis fuit nec Titum, ut Nicopolim ad se veniret, invitare potuit. — Quare haud pauci interpretes iam ante priorem captivitatem Paulum cum Tito Cretam venisse censent, sed illud iter, uti multa alia, a S. Luca in Actibus esse omissum. Cui sententiae obstat, quod nulli tempori ante priorem captivitatem iter creticum apte assignetur. Neque enim Apostolus illud fecit, antequam in tertia sua expeditione Ephesi resedit, quia antea Apollo, qui cum Tito in Creta erat relictus (3,13), nondum erat inter Apostoli socios (cfr *Act.* 18,24 sqq.; 1 *Cor.* 16,12); neque triennio illo, quo Ephesi sedem suam fixerat, illud iter facere potuit, quia verba S. Lucae (*Act.* 19,9 sq. et 20,31) longiorem Pauli absentiam excludunt; neque Epheso profectus, antequam Ierosolymis in vincula coniectus est, iter illud instituit, quia omnia istius temporis intermedii itinera Lucas (*Act.* 20,1-21,15) tam accurate recenset, ut excursioni cretensi non relinquatur locus. Itaque restat, ut Paulum post priorem captivitatem, quum in Orientem reverteretur, cum Tito Cretam appulisse, ac proin epistolam in ultimo triennio vitae apostolicae (probabiliter aestate a. 65.) scriptam esse dicamus.

3. — III. Qua occasione epistola sit scripta, facilius definitur. De rebus ecclesiarum olim in Oriente fundatarum sollicitus Apostolus diu in insula commorari non potuit; positis igitur fundamentis reliquum negotium Tito commisit, qui ea, quae deessent, corrigeret et per singulas civitates presbyteros constitueret. Quo munere ut melius fungi posset, discipulus monitis nonnullis indigebat, neque iis, quae viva voce dederat, contentus Apostolus brevi post suum discessum ea scriptis literis repetenda duxit, quoniam in ecclesiis cretensibus fundandis maiores, quam in aliis, superandae erant difficultates.

Ex duplici autem fonte difficultates illae exoriebantur. Nam Cretenses propter vitia sua in tota antiquitate erant famosi, neque sine ratione Apostolus discipulo ea in memoriam revocavit, quae de suis contribulibus olim Epimenides Cret. dixerat (1,12); Iudaeos autem, qui frequentes insulam incolebant (*Fl. Ioseph.* Bell. iud. II. 7; *Philo* Legat. ad Cai. 36), ethnicis non fuisse meliores, testatur S. Paulus (1,10). Ad quam morum corruptionem universalem alterum accedebat maius periculum. Etenim Evangelium iam ante Pauli et Titi adventum in insulam erat allatum forte per illos Cretes, qui in prima pentecoste Petri sermonem audiverant (*Act.* 2,11); at cum bono semine simul etiam haereses pullulare iam coeperant (1,10. 11. 14; 3,9 sqq.); fideles enim in iustas ecclesias nondum congregati deficiente pastorum vigilantia erant sicut oves dispersae incursionibus luporum expositae. Multo difficilior ergo erat in Creta, quam in aliis terris, rerum status; nec quisquam mirabitur, quod pro sua apostolica sollicitudine Apostolus, qui nascentes illas ecclesias maiore cura indigere videbat, discipulo suo viam ostendere voluerit, qua difficultates superare posset.

4. — IV. ARGUMENTUM ET DIVISIO EPISTOLAE. Duplicis generis sunt monita, quae S. Paulus in hac epistola tradit; praeprimis discipulum suum docet, ad quae in eligendis ecclesiarum presbyteris attendere debeat (1,5-16), deinde quae officia sint singularum classium et ordinum (2,1-15), quibus generaliora quaedam praecepta adiungit (3,1-11).

Inscriptio longior (1,1-4), qua Pauli dignitas describitur, videtur esse praefixa, quia epistola publicum quoddam erat testimonium, quo discipulus magnis in periculis constitutus coram fidelibus haereticisque missionem suam defenderet.

In *prima parte* (1,5-16) duplicem finem missionis (« ut quae desint, corrigat », « ut presbyteros instituat ») in memoriam revocans, praeprimis docet, quales esse debeant presbyteri (1,5-9), rationesque explicat, cur tales esse debeant (1,10-16).

In *altera* (2,1-15) singularum aetatum et classium officia praecipua enumerat, (2,1-10) et motiva explicat, propter quae sint explenda (2,11-15).

In *tertia* (3,1-11) discipulum omnes ad obedientiam et amorem proximi exhortari (3,1-8) iubet atque haereticorum vanas quaestiones evitare (3,9-11).

In *epilogo* (3,12-15) Titum Nicopolim ad se invitat salutationibusque nonnullis adscriptis terminat epistolam benedictione apostolica.

§ 16. — *De duabus epistolis ad Timotheum.*

1. — I. TIMOTHEUS Lystrensis a S. Paulo in primo iam itinere baptizatus, in secundo socius assumtus est. Ab illo tempore fere semper cum Apostolo fuit, qui non obstante eius iuventute ad difficiliores missiones eum adhibuit, in sex epistolarum inscriptionibus eius nomen suo adiunxit, in plerisque aliis eum nominat. Romae in primis suis vinculis eum secum habuit; libertati redditus cum eo nova itinera suscepit, usque dum Ephesi eum reliquit, ut Asiae ecclesiis invigilaret; in altera quoque captivitate societate eius carere nolens ultimis, quas scripsit, literis eum ad se Romam vocavit. Post Apostoli mortem Ephesi episcopus fuisse et martyrio vitam finivisse dicitur.

Nullus ex Pauli discipulis Timotheo frequentius in Actibus et epistolis nominatur; quoniam inde a secundo itinere continuus Pauli socius fuit ab eoque varias ecclesias visitare est iussus, praecipuas eius res gestas supra iam attigimus (§§ 1, 5 sqq.; 5,1; 7, 1. 2 etc.). Paulus eum in inscriptionibus 1. 2 Thess., 2 Cor., *Phil.*, *Col.*, *Philem.* sibi associat; de eius missionibus loquitur 1 *Thess.* 3,1 sqq.; 1 *Cor.* 4,17; 16,10; *Phil.* 2,19 sqq.; *Hebr.* 13,23; in tribus tantum epistolis (Gal., Eph., Tit.) eum non nominat; quanta cum caritate ab Apostolo sit dilectus, duae epistolae nostrae luculenter demonstrant. Ex *Hebr.* 13,23 eum etiam propter Evangelium vincula esse passum apparet. Quoniam *Eusebius* (H. E. III. 4) eum post Pauli mortem episcopum ephesium fuisse scribit, non defuerunt, qui « Angelum Ephesi », quem ob amissam primam caritatem Dominus vituperat (*Apoc.* 2,4), Timotheum fuisse parum recte statuerent.

2. — II. De tempore, *quo scripta est prior ad Timotheum epistola*, vix dubitari potest; eam enim ante priorem Apostoli captivitatem non esse datam, monita ipsa Timotheo data evincunt; eidem igitur tempori, cui epistola ad Titum, attribuatur oportet.

Ex Macedonia Paulum eam scripsisse, satis certum est (1 *Tim.* 1,3); quodnam autem iter illud macedonicum sit, de quo loquitur, est controversum. Iam vero ante epistolam nostram scriptam ac proin ante illud iter, ecclesia ephesia dudum exstitit; neque enim tantum completam suam hierarchiam habuit, sed etiam prohiberi potuit, ne neophytus ad presbyteratum admitteretur, immo haereses radices agere et pullulare coeperant (1 *Tim.* 5,17; 3,8 etc.; 3,6; 1,3 sqq.). Hinc omnino excluditur illud iter macedonicum, quod Lucas in Actibus commemorat (20,1); illo enim tempore Timotheum, quem in Macedoniam praemiserat (*Act.* 19,22) et quocum in Macedonia alteram epistolam ad Cor. scripsit (2 *Cor.* 1,1), Ephesi relinquere non potuit; praeterea illo tempore vix nata erat ecclesia ephesia, necdum haereses ante illud iter Ephesi esse exortas, clare docet Apostolus ex illo itinere redux Mileti presbyteros ephesios alloquens (*Act.* 20,29 sq.). Mileto autem profectus Ierosolyma in vincula statim est coniectus et Caesaream Romamque abductus. Omnino igitur admittendum est, Paulum ex prioribus vinculis solutum per Cretam in Asiam atque Ephesum rediisse ibique Timotheum reliquisse, dum interea Macedoniae et Achaiae ecclesias visitaret. Neque huic sententiae obstant verba, quae ante priorem captivitatem presbyteris ephesiis dixit (20,25); eo solo in casu enim obiici possent, si ab Apostolo ex revelatione essent prolata; eum autem revelationem de exitu instantis captivitatis non habuisse, satis patet, quia in epistolis ex priore captivitate scriptis spem exprimit fore, ut in Orientem liber revertatur (*Phil.* 2,24; *Philem.* 22).

3. — III. Occasio *prioris epistolae ad Tim. scribendae* eadem fere erat, quae epistolae ad Titum; utriusque idem quoque finis est atque simile argumentum. Timotheum enim Ephesi relinquens, ut ecclesiae invigilaret, Paulus monita, quae viva voce dederat, scriptis literis repetenda duxit, ut discipulus difficili suo munere melius fungi posset.

Ecclesiam ephesiam primum suum fervorem amisisse, epistola illa iam docet, quam Paulus versus finem primae suae captivitatis scripsit; ab eo autem tempore in peiorem partem res erant mutatae. Lupi rapaces, quos praeviderat Paulus (*Act.* 20,29), ecclesiam invaserant, atque ex Ephesiorum medio exsurrexerant viri

loquentes perversa, qui discipulos post se abduxerant. Ephesum adveniens ad meliorem quidem frugem revocavit fideles, sed tamdiu Ephesi commorari non potuit, ut omnes in bona via confirmaret novaque pericula praecaveret. Ideo Timotheum reliquit, qui ecclesiae totam suam curam impendens haereticos impugnaret. Non leve erat onus, quod humeris discipuli, qui ecclesiae administrandae nondum erat peritus, a magistro imponebatur; diligentiore igitur institutione indiguit; et quia iunior erat aetate, Paulus ei non tantum monita de aliis gubernandis tradidit, sed etiam nonnullis praeceptis saluti discipuli ipsius consuluit, ne difficultatibus fractus animum desponderet aut iuventutis illecebris abriperetur.

4. — IV. ARGUMENTUM *prioris epistolae ad Timotheum* optime a S. Thoma describitur, qui eam vocat « pastoralem regulam, qua Apostolus discipulum suum instruit de omnibus quae spectant ad regimen praelatorum ». Multiplicia igitur ac varia sunt epistolae monita; ad sex autem capita apte revocari videntur.

Post epistolae *inscriptionem* (1,1. 2) Apostolus statim thema aggressus

1. proponit *praecepta de genuina praedicatione* (1,3-20), quae non sit de inutilibus doctrinis et pro fine habeat caritatem (1,3-5); eis autem, qui ab hac ratione aberrant (1,6-10), exemplum suum opponit (1,11-20).
2. In *praeceptis de publicis precationibus* (2,1-15) definit, pro quibus (1,1-7), a quibus et quomodo sit precandum (2,8-10); mulieres autem in ecclesia tacere iubet (2,11-15).
3. *Dotes ministrorum Ecclesiae* describit (3,1-13) quum episcoporum (3,1-7), tum diaconorum (3,8-13).
4. Data ratione, cur haec monita scripserit (3,14. 15), transit ad *monita contra haereticos* (3,16-4,16), qui falsa dogmata ac falsam ascesin docebant (3,16-4,5), discipulumque haec fidelibus proponere eisque bono suo exemplo praelucere iubet (4,6-16).
5. Deinde *officia episcoporum erga singulos ecclesiae ordines* (5,1-6,2) enumerat, erga laicos omnes (5,1. 2), erga viduas publico ecclesiae sumtu sustentandas (5,3-16), erga presbyteros (5,17-23), erga servos (6,1. 2).
6. Terminat epistolam *monitis, quae solum discipulum spectant* (6,3-21), sc. ut haec omnia doceat (6,3-10), a falsis doctoribus caveat omnia mandata implens (6,11-16), et inserto praecepto quodam relate ad divites (6,17-19) eum exhortatur, ut depositum fidei custodiat (6,20. 21).

5. — V. TEMPUS SECUNDAE AD TIM. EPISTOLAE recte a Patribus iam est definitum asserentibus « Romae Apostolum eum scripsisse, quum iam in ipso vitae fine esset », i. e. in altera eius captivitate brevi ante eius martyrium; vincula enim sua diserte commemorat (1,8. 12. 16 etc.) atque mortem certe instantem prae oculis habuit (4,6 sqq.).

Sunt quidem, qui in nostra epistola priorem captivitatem commemorari teneant, quia priorem epistolam post hanc, quae secunda semper est dicta, scriptam esse contendunt; sed errant. Neque enim tantum omni liberationis spe, quam in priore captivitate foverat (*Phil.* 1,26; 2,24 etc.), privatus erat Apostolus, quando nostram epistolam scripsit, sed antequam eam scripsit prorsus alia via Romam advenerat, per Miletum sc. et Corinthum (4,20), quas urbes non attigerat, quando

captivus Caesarea in Urbem ductus est. Itaque postquam e vinculis solutus novas expeditiones in Hispaniam et Cretam susceperat ecclesiasque pridem in Asia, Macedonia, Achaia fundatas iterum iterumque visitaverat, a. 66. vel 67. Romam adveniens denuo in vincula esse coniectus videtur.

6. — VI. A plerisque discipulis derelictus (4,8 sqq.) Apostolus Timotheum ad se invitans eidem monita nonnulla velut ultimum suum testamentum transmisit, quo ad fidelitatem in Evangelio propagando atque ad fortitudinem contra haereticorum machinationes eum exhortaretur atque praecepta sua de munere pastorali rite gerendo ei repeteret. Quod argumentum duabus quasi partibus explicatur.

Etenim postquam in *exordio* (1,1-5) magnam suam caritatem erga Timotheum manifestavit,

Apostolus in *priore epistolae parte* (1,6-2,13) duo monet : ut discipulus gratiae in ordinatione acceptae memor caveat, ne Evangelium aut magistri sui vincula erubescat sed magnis Evangelii beneficiis consideratis magistrum suum sequatur (1,6-18), atque ut gratia confortatus Evangelium strenuus propaget, quum sine labore praemium sperare non possit atque fortitudinem ex memoria resurrectionis Christi sit hausturus (2,1-13).

In *altera parte* (2,14-4,18) nonnullis praeceptis repetitis ante omnia discipulum docet, quomodo cum praesentis temporis haereticis se gerere debeat, quibuscum ne litiget, sed quibus bona doctrina et bono exemplo praeluceat (2,14-26), et quid agendum sit contra perversiores futuri temporis haereticos, contra quos magistri sui doctrinam teneat (3,1-17). Deinde eum obtestatur, ut praedicationi diligenter vacet totoque munere suo summa cum sollicitudine fungatur (4,1-8).

In *epilogo* (4,9-22) demum Timotheum, quum solum Lucam secum habeat, una cum Marco ad se invitat, aliaque nonnulla cum salutationibus addit.

§ 17. — *De praecipuis commentariis catholicis in epistolas paulinas.*

I. Interpretatio patristica. — Inter Patres graecos primus tempore est *Origenes*, cuius paucis in reliquas epistolas fragmentis exceptis sola supersunt « commentaria in ep. B. Pauli ad Romanos » a Rufino latine reddita et non paucis in locis mutata; reliquorum Alexandrinorum quoque dumtaxat fragmenta ad nos pervenerunt, longiora *S. Cyrilli Alex.* in Rom., 1. 2 Cor., Hebr., pauciora *Didymi Alex.* in 2. Cor. Quibus omnibus longe superior est *S. Chrysostomus*, qui, omnes epistolas (excepta illa ad Gal., quam commentario instruxit) homiliis ad populum habitis ita est interpretatus, ut a nullo hucusque sit superatus; ad Chrysostomum prope accedit Theodoretus, qui propter concinnitatem et claritatem suam merito laudatur; erroneis sententiis infecta sunt fragmenta, quae *Theodorus Mopsuest.* reliquit; ex Theodori commentario sua argumenta excerpsit *Euthatius diac.* A S. Chrysostomo plane dependent *S. Ioannis Damasceni* « loci selecti » etc.; a Chrysostomo et Theodoreto *Oecumenii Tricc.* commentarius, *Theophylacti Bulg.* explanatio, *Euthymii Zig.* comm., qui tamen etiam *S. Cyrilli A.*, *Photii* aliorumque explicationes nonnullas conservarunt.

Inter LATINORUM PATRUM commentarios primo in loco nominari meretur ille, qui, quia inter S. Ambrosii opera edi solet, *Ambrosiaster* appellatur; eius auctor S. Damasi tempore vixit, in commentario aliquoties a recta fide aberravit, tredecim tantum (omissa *Hebr.*) epistolas explicavit; easdem tredecim exposuit *Marius Victorinus Afer*, at soli supersunt commentarii in Gal., Eph., Philip.; *S. Hieronymus* explicavit epp. Gal., Eph., Tit., Philem.; inter eius opera edi solet commentarius in tredecim epistolas, qui probabiliter *Pelagio* debetur; *S. Augustinus* quaedam in Rom. scripsit et brevem commentarium in Gal.; multas quoque et egregias multorum textuum explicationes in operibus suis dogmaticis exhibet; *Primasius Adrum.* suum commentarium in quatuordecim epistolas scholiis, quae ab Ambrosiastro, Pelagio, Hieronymo, Augustino mutuatus est, fere composuit; *Cassiodorus* complexionibus suis nonnullos tantum textus difficiliores explanavit; *Rhabanus Maurus* « quemdam collectarium de Patrum opusculis » in omnes epistolas concinnavit suis nonnullis sententiis insertis, neque absimilia sunt collectanea *Sedulii Scoti* et *Haymonis Halberst.* expositio; *Wal. Strabo* pro more in suam Glossam ordinariam solas expositiones Patrum recepit.

II. MEDIAE AETATIS INTERPRETATIO. — *Hervei Dol.* Commentaria olim sub S. Anselmi nomine allegari solebant nec tanto nomine erant indigna. *Hugo a S. Vict.* in suis Quaestionibus difficiliores tantum textus plerumque ieiune explicavit; *Abaelardus* suae Expositioni in ep. ad Rom. nonnulla erronea et multa superflua inseruit; *Petri Lombardi* « collectanea » ex Patrum operibus et proxime ex Haymone desumta sunt.

Novam viam inierunt scholastici interpretes inde a saec. 13., atque ad totam epistolarum dispositionem accuratius attendentes etiam singulos textus multo felicius explicarunt. Inter quos *S. Thomas Aq.* ita eminet, ut eius commentarii (saepissime typis descripti) etiam hodie a nullo, qui genuinum Pauli sensum cognoscere vult, negligi possint. Inferioris quidem notae, bonae tamen et utiles sunt expositiones, quas *Card. Hugo* et *Nicolaus Lyranus* in suis Postillis exhibent, ut etiam *Dionysii Carth.* enarratio. Commentarios in singulas quasdam epistolas multi reliquerunt, sed eos praetermittimus, quia iuniores magis minusve a S. Thoma dependent, antiquiores autem Patrum potius expositiones collegerunt, quam novas explicationes dederunt.

III. — RECENTIORIS AETATIS INTERPRETATIO. — Inde a saec. 16. ineunte usque ad finem saec. 18. plus centum quinquaginta interpretes aut cunctas aut aliquas Paulinas explicare conati sunt. Quoniam omnium vel sola nomina recensere longum sit, paucos tantum nominabimus, atque primo in loco eos, qui inter *omnium* epistolarum interpretes eminent. Inter quos merito primus censetur *Guil. Estius,* cuius « commentarii in omnes B. Pauli et septem catholicas Apostolorum epistolas » (Duaci 1614. et saepe) ab omnibus, quotquot eum secuti sunt, commentatoribus sive catholicis sive acatholicis semper maximo in pretio habiti sunt; idque iure optimo, quamvis in quibusdam locis ad Iansenismum inclinet et caute legendus sit. Haud multum distant *Bened. Iustiniani* S. I. « explanationes in B. Pauli epistolas » (Lugduni 1612. 13.) ob multas Patrum explicationes allegatas utilissimus; quibus velut pares recte addi possunt *Cornelii a Lapide* commentarii (Antwerpiae 1614. et saepe). — In loco secundo deinde aut tertio poni merentur commentarii vel scholia *Cardin. Caietani*, O. Praed. (Romae 1529. et saepe), *Ioan. Gagnaei* (Parisiis 1543.), *Ambr. Catharini*, O. Praed. (Parisiis 1566.), *Card. Con-*

tarini (Venetiis 1589.), *Fr. Titelmanni*, O. Cap. (Parisiis 1532.), *Alph. Salmeronis* S. I. (Opp. XIII. XIV. Matriti 1602.), *Bernardini a Piconio*, O. Cap. (Parisiis 1703. et saepe), *Nat. Alexandri*, O. Praed. (Parisiis 1710.) aliique.

Quam plurimi quoque eadem aetate unam tantum vel aliquas epistolas interpretati sunt; inter quos prae reliquis commendatione digni videntur *Franc. Toleti* S. I. commentarii et adnotationes in epist. *ad Romanos* (Romae 1602.), *Franc. Riberae* S. I. Commentarius in epist. *ad Hebraeos* (Salmanticae 1598.). Praeterea nominari merentur *Ant. Sasbout*, O. Min., qui epistolas ad Rom. Gal. Eph. Phil. Col. Tim. Tit. explicavit (Antwerpiae 1561.), *Ant. Velasquez* S. I., cuius exstant commentarii et adnotationes in ep. ad Philipp. (Pinciae 1626.), *Car. Rapine*, O. Min., qui gallice explicavit epistolas ad Rom. Tim. Tit. Philem. Hebr. (Paris 1632. 36.), *Nic. de Tourneux*, qui etiam gallice solam ep. ad Rom. interpretatus est (Paris 1696.), aeque atque *Fr. Oudin* S. I. (Paris 1737.) etc.

IV. — Hoc nostro saeculo etiam commentatores non defuerunt paulinis epistolis. Atque primum quidem omnes Paulinas interpretati sunt *I. H. Kistemaker* (germ. Münster 1822. 23.), *I. Mc Evilly* (Dublin 1856. Ed. 3. 1875. 2 voll. angl.), *A. Bisping* (Münster 1854-57. Ed. 3. 1873 sqq. 4 voll. germ.), *G. Mislei* S. I. (Commenti etc. Roma 1859.; Le lettere di S. Paolo esposte 1866. 2 voll. ital.), *Paul Drach* (Paris 1871. gall.), *I. M Guillemon* (Paris 1873. Ed. 2. 1878. gall.), *A. F. Maunoury* (Paris 1878.-81. 3 voll. gall.), *P. Rambaud* (Paris 1888. 2 voll.). Commentarios in omnes Paulinas inchoarunt, sed nondum terminarunt *Al. Schäfer* (germ.; hucusque : Rom., Gal., 1. 2. Thess. Hebr. 3 voll. Münster 1890-93.), *Ant. Padovani* (lat.; hucusque : Eph. Phil. Col. 1. 2. Thess. Tim. Tit. Philem. Hebr. Parisiis 1891.-95.), *Rud. Cornely* S. I. (lat.; hucusque : Rom. 1. 2. Cor. Gal. 3 voll. Parisiis 1890.-96.). Utile subsidium ad omnium explicationem procuravit *Hub. Simar*, nunc Archiep. Colon., opere suo: Theologie des h. Paulus (Ed. 2. Freiburg 1883.).

Unam alteramve autem epistolam multo plures explicandam sibi sumserunt; ex quibus ep. ad Rom. elegerunt *H. Klee* (Mainz 1830.), *I. M. Wirth* (Ingolstadt 1835.), *Lib. Stengel* (Freiburg 1836; Ed. 2. 1854.), *Fr. X. Reithmayr* (München 1845.), *Adalb. Maier* (Freiburg 1847.), *Th. Beelen* (Lovanii 1854.), *I. Agus* S. I. (Ratisbonae 1888.); — epist. 1. ad Cor. solam *Al. Messmer* Innsbruck 1861.), sed utramque *Ad. Maier* (Freiburg 1857. 64. 2 voll.); huc quoque spectat *Ign. Rohr* Paulus u. die Gemeinde von Korinth. Freiburg 1899); — ep. ad Gal. deinde *Fr. Windischmann* (Mainz 1843.), *Al. Messmer* (Brixen 1861.), *Fr. Reithmayr* (München 1865.) *Dom. Palmieri* S. I. (Galopii 1886.), *K. Seidenphenning* (München 1892.), cfr *I. Belser* Die Selbstvertheidigung d. h. Paulus im Galaterbr. (Freiburg 1896.) et *Val. Weber* Die Abfassungszeit des Galaterbr. (Würzburg 1900.). — ep. ad Eph. solus *Fr. A. Henle* (Augsburg 1890.), qui ad duas sequentes illustrandas edidit : Philippi u. d. Philippergemeinde (Tüb. Quartalschr. 1893.) et Kolossae u. d. Br. d. h. Paulus an die Kolosser (München 1887.); — ep. Ad Phil. *Th. Beelen* (Lovanii 1849; ed. 2. 1852.) et *K. I. Müller* (Freiburg 1899.); — ep. ad Col. solus *Al. Messmer* (Brixen 1863.); — ep. ad. Thess. 1. solam *I. B. Roehm* (Passau 1885.), utramque *Ioan. Panek* (Ratisbonae 1886.); — epist. pastorales porro *M. Mack* (Tübingen 1838; ed. 2. 1841), et *I. M. A. Ginoulhiac*, archiep. Lugd. (Grenoble 1865); de earum autem authentia disseruit *F. G. Ginella* (Wratislaviae 1865.); — ep. ad Philem. solam solus *I. F. Demme* (Breslau 1844.); — ep. ad Hebr. demum *H. Klee* (Mainz 1833.), *Conr. Lomb* (Ratisbonae 1843.), *Ad. Maier* (Freiburg 1861.), *L. Zill* (Mainz 1879.), *I. Panek* (Oeniponte 1882.).

CAPUT III.

DE EPISTOLIS CATHOLICIS.

§ 18. — *De epistolarum catholicarum nomine et ordine.*

1. — Septem epistolae, quae praeter paulinas in canone recensentur (una *Iacobi*, duae *Petri*, tres *Ioannis*, una *Iudae*), antiquitus iam nomine *catholicarum* a paulinis distinguebantur; quod nomen eis videtur impositum, quia non ad unam ecclesiam vel personam, sed ad multas ecclesias velut encyclicae pleraeque erant datae.

In *Fragm. Murat.* iam Iudae et Ioannis epistolae inter « catholica » haberi dicuntur, *Origenes* 1 Petri, 1 Ioannis et Iudae epistolas velut « catholicas » allegat, *S. Dionysius M.* 1 Ioannis nomine « catholicae » a duabus aliis distinguit; inter Graecos autem primus *Eusebius* (H. E. II. 23) et inter Latinos *S. Hieronymus* (de Vir. ill. 2. 4) de « *septem catholicis* » loquuntur.

Erronee nonnulli censent, hoc nomen eis esse inditum, quia communi consensu in catholica Ecclesia essent receptae, ut *catholicae* fere idem sit quod *canonicae;* a *Cassiodoro* quidem (Inst. div. lit. 8), *Ven. Beda* (Comment.) recentioribusque interdum canonicae appellantur; at catholicae nominabantur, antequam communi consensu erant receptae, atque idem nomen etiam epistolae S. Barnabae attribuitur (*Eus.* H. E. VI. 14; *Orig.* c. Cels. I. 63), quae numquam inter canonicas Scripturas est recepta. Rectius igitur eas catholicas appellatas esse dicimus, quia erant encyclicae; hoc enim sensu nomen adhibuerunt *Clemens Alex.* (Strom. IV. 15) et *S. Cyrillus Ieros.* (Cat. IV. 28) de Concilii apostolici epistola encyclica (*Act.* 15,23) loquentes, eodemque sensu alii Patres id adhibuerunt. Neque huic explicationi obstat, quod 2. 3 Ioan. non sint encyclicae; a potiore enim parte desumitur denominatio.

2. — Ordo, quo in Vulgata Clementina epistolae disponuntur, in ecclesiis orientalibus inde a 4. saec. erat communis et a S. Hieronymo in Occidentem est invectus; a quo differt ordo occidentalis a Conc. Tridentino approbatus (1. 2 Petri, 1. 2. 3 Ioannis, Iacobi, Iudae). Orientales in sua serie definienda ad *Gal.* 2,9 respexisse videntur, Occidentales autem dignitatem, si ita dicere fas est, auctorum considerarunt.

Ordinem Vulgatae nostrae alexandrina (*S. Ath. M.* ep. fest. 39), ierosolymitana (*S. Cyr.* Cat. IV. 36), asiaticae (*S. Greg. Naz.* de Ver. Script. 36 sq.; *S. Amphil.* ad Seleuc. 312 sqq.) ecclesiae tenuerunt, atque plerique codices graeci exhibent; idem quoque post S. Hieronymum apud Latinos et in latinis codicibus plerumque invenitur. At Concilia africana, S. Damasus, S. Innocentius I., S. Gelasius eum habent ordinem, quem postea approbavit Conc. Trident., et a quo *SS. Philastrius, Augustinus, Ildefonsus Tolet.* in eo solo dissentiunt, quod Iudam praeponant Iacobo, dum *Rufinus* Ioannem ultimo in loco habet et *S. Isidorus Hisp.* Ioannem medium exhibet inter Iacobum et Iudam.

Ex qua varietate satis elucet, epistolas non eo ordine esse dispositas, quo singulae in ecclesiarum singularum canones sunt receptae; Iudae enim epistola in omnibus fere Orientis et Occidentis ecclesiis ante multas alias recepta est. Sed *Gal.* 2,9 enumerantur tamquam Ecclesiae columnae Iacobus, Petrus, Ioannes, quibus ultimus deinde additus est Iudas; in Occidente autem praeprimis respexerunt ad S. Petri praerogativam, qua ei primus locus attribuebatur; Ioannes autem, utpote discipulus, quem diligebat Iesus, et praecipuus Petri in fundanda ecclesia ierosolymitana adiutor, secundum locum meruit, et Iacobus, qui cum Petro et Ioanne vocatur columna Ecclesiae, praecedere debuit Iudae.

In sequente tractatu ordinem Vulgatae sequemur, qui chronologico propior est; epistolam Iudae tamen Petri epistolis addimus, quia cum 2 Petri intime cohaeret.

§ 19. — *De epistola catholica B. Iacobi Apostoli.*

1. — I. De epistolae auctore. « Iacobus, Dei et Domini N. Iesu Christi servus », qui in inscriptione epistolae auctor nominatur, est Iacobus Min., Alphaei vel Clopae et Mariae filius, qui etiam « frater Domini » interdum nominatur. A Domino inter Apostolos receptus et post resurrectionem singulari apparitione dignatus (1 *Cor.* 15,7) iuxta Patrum traditionem primus factus est ecclesiae ierosolymitanae episcopus. Inter Christianos tanta erat eius auctoritas, ut S. Paulus eum una cum Petro et Ioanne *columnam Ecclesiae* vocaverit (*Gal.* 2,9), a Iudaeis non conversis autem ob accuratam Legis observantiam *Iustus* est appellatus. At populi favor odium ei attraxit principum iudaicorum ac praesertim pontificis Anani, qui post Festi procuratoris mortem et ante Albini eius successoris adventum (i. e. medio fere anno 63.) « opportunum sibi adesse tempus ratus synedrio coacto Iacobum, fratrem illius Iesu, qui dicebatur Christus, cum nonnullis aliis velut Legis violatae reos accusavit statimque lapidandos tradidit » (*Fl. Ios.* Antiqu. XX. 9,1).

Quaestio de epistolae huius auctore ideo difficultatem aliquam creat, quia inter Domini discipulos non unus tantum nomen Iacobi gessit et noster suo nomini epitheton, quo distinguatur, non addidit. In Apostolorum collegio duo fuerunt Iacobi, Iacobus Zebedaei filius et Ioannis frater, et Iacobus Alphaei filius; sed prior iam a. 44. ab Herode est occisus, antequam Evangelium late erat diffusum, nostra autem epistola Ecclesiam iam dudum exstitisse et late extra Palaestinae fines propagatam esse clare supponit; itaque quaestio videtur esse soluta et epistola Iacobo Alphaei attribuenda. At cum antiquioribus nonnullis (*Recognit.* I. 43; *Const. Ap.* II. 55; VI. 12; *Euseb.* H. E. I. 12; *S. Epiph.* Haer. 79,3) moderni quoque haud pauci praeter duos Apostolos, quibus nomen Iacobi competit, in Scripturis tertium « Iacobum, fratrem Domini » inveniunt, cui, etsi ex Apostolorum collegio non fuit, epistolam attribuere volunt.

Id autem perperam fieri atque « Iacobum fratrem Domini » eundem esse, qui Iacobus Alphaei, certum est. Nam *a.*) S. Paulus (*Gal.* 1,17-19) « Iacobum fratrem Domini » diserte Apostolum stricto sensu appellat illisque adnumerat, qui ipsius in Apostolatu antecessores fuerunt; si autem in Apostolorum collegio fuit, « fratrem Domini Iacobum » ab Alphaei filio non esse distinguendum omnes concedunt. Porro *b.*) duos tantum Iacobos in Scripturis commemorari, usus loquendi

sacrorum scriptorum docet. Etenim homonymos discipulos, ne lectores in errorem inducantur, epitheto discernere solent; atqui S. Lucas, postquam « Iacobum fratrem Ioannis » ab Herode occisum esse retulit, eodem in capite et in sequentibus alterum Iacobum sine ullo epitheto nominat (*Act.* 12,2. 17; 15,13; 21, 18), id quod non fecisset, si post Iacobi Zebedaei mortem duo alii Iacobi superstites inter viros Ecclesiae illo tempore eminuissent. Eodem modo S. Paulus ante Iacobi Maioris mortem Iacobum Alphaei addito titulo « fratris Domini » distinguit (*Gal.* 1,19), postea autem illum titulum omittit (*Gal.* 2,9. 12). *c.*) Ecclesiae traditio certum argumentum quidem non praebet, quia aliqui antiqui scriptores tres Iacobos admittunt, scripturisticum autem confirmat, quia antiquiora testimonia duos tantum agnoscunt. Nam in ecclesia *occidentali* inde a sacc. 2. usus invaluit, ut addito *Maioris* et *Minoris* duo distinguerentur; atqui Latini numquam graecum positivum ὁ μικρός comparativo *Minoris* reddidissent, si tres Iacobi fuissent cogniti. Consentit *alexandrina* ecclesia, in qua *Clemens* diserte duos tantum fuisse asserit et *Origenes* iunioresque omnes epistolam nostram Iacobo *Apostolo* attribuunt. In ecclesia *palaestinensi Hegesippus* et *S. Cyrillus Ier.* ita de Iacobo fratre Domini et primo Ierosolymorum episcopo loquuntur, ut eum in collegio Apostolorum fuisse clare insinuent.

Itaque auctor epistolae est Iacobus Alphaei, frater Domini et primus episcopus ecclesiae ierosolymitanae. « Fratres Domini » quatuor nominantur « Iacobus et Ioseph et Simon et Iudas » (*Matth.* 13,55; *Marc.* 6,3); matrem habebant Mariam (cfr *Matth.* 27,56; *Marc.* 15,40; 16,1), quae a Ioanne « soror matris Domini et uxor Clopae » (Κλωπᾶ non *Cleophae*, uti habet Vulg.) nominatur (*Ioan.* 19,25); *Clopas* autem est durior pronuntiatio nominis חַלְפַּי, quod ab aliis Evangelistis *Alphaeus* transcribitur. Alphaeum fratrem fuisse S. Iosephi referunt Hegesippus (Eus. H. E. III. II) et S. Epiphanius (Haer. 78,7); iuxta alios uxor Alphaei fuit soror B. Virginis uterina; quidquid est, « fratres Domini », filii Alphaei et Mariae cuiusdam, erant Domini consobrini. Ex eorum numero tres in catalogis Apostolorum (*Matth.* 10,3. 4; *Marc.* 3,18; *Luc.* 6,15. 16; *Act.* 1,13) ultimis in locis (ante traditorem tamen) nominantur : « Iacobus Alphaei et Thaddaeus (vel Iudas), Simon Chananaeus (vel Zelotes) ». Inter quos eminuit Iacobus, quem a puero severam Nasiraeorum vitam egisse et ob singularem iustitiam et precandi assiduitatem a Iudaeis *Iustum* appellatum esse tradit Hegesippus (apud Eus. H. E. II. 23). Ab ipso Domino, qui post resurrectionem ei apparuit (1 *Cor.* 15,7 cfr *S. Hier.* de Vir. ill. 2), iuxta Patrum testimonium designatus est primus ierosolymitanus episcopus (*Eus.* H. E. VII. 19; *S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 38,4; *S. Epiph.* Haer. 78,7 etc.); certe ecclesiam illam rexit, quando S. Paulus ex tertio itinere suo Ierosolyma revertit (*Act.* 21,18 sqq.), sed eum antea eandem auctoritatem ibidem habuisse ostendit locus, quem in Concilio apostolico tenuit (*Gal.* 2,9; cfr *Act.* 15,13 sqq.). In martyrio S. Iacobi referendo Hegesippus aliquantulum a Fl. Iosepho dissentit; refert enim Iacobum in fastigium templi adductum, ut quid de Iesu esset sentiendum coram toto populo diceret, tam magnificum de Domino testimonium reddidisse, ut multi in fide confirmati glorificarent Iesum; qua de re iratos scribas et pharisaeos eum de fastigio templi praecipitasse et quum non statim esset mortuus, lapidare incepisse, usque dum fullo accurrisset et arrepto fuste caput Iusti confregisset. Satis facile tamen cum hac relatione narratio Iosephi, cuius summam supra indicavimus, conciliatur.

2. — De epistolae destinatione. Inscriptione sua « *duodecim tribubus*,

quae sunt in dispersione », S. Iacobus epistolam Iudaeochristianis extra Palaestinam degentibus ita destinasse dicendus videtur, ut Ethnicochristianos cum iis in easdem ecclesias adunatos non excluderet; ipso tamen argumento apparet, Apostolum non omnes, sed certas quasdam ecclesias prae oculis habuisse, asiaticas nimirum, in quibus error ab eo impugnatus tum temporis serpere coeperat.

Quin illi a vero aberrent, qui Iudaeis non conversis aut Iudaeis omnibus sive conversis sive non conversis epistolam destinatam dicunt (*Ven. Beda* et moderni nonnulli), non est dubium; illis enim scribit Apostolus, quos Deus « verbo veritatis genuit », qui « fidem Domini N. Iesu Christi gloriae habent », super quos « bonum nomen invocatum est » etc. (1,18; 2,1. 7 etc.). Neque minus clarum est, intelligendos esse Christianos extra Palaestinam degentes; Iudaei enim, qui terram patriam cum ethnicis permixti incolebant, « in dispersione » esse non censebantur. Extra Palaestinam vero non inveniebantur ecclesiae, quae solis Iudaeochristianis constabant, in nostra autem epistola nihil legitur, quod Iudaeochristianos ita respiciat, ut de ethnicis conversis eadem ratione dici non potuerit. Simili igitur modo, quo S. Petrus ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου κτλ scribens omnes Christianos, qui inter ethnicos quinque illarum provinciarum peregrinabantur, consolatus est, S. Iacobus nomine « duodecim tribuum, quae sunt in dispersione », omnes quidem Christianos, qui soli verum populum electum constituebant, est allocutus, sed pro auctoritate, qua inter Iudaeochristianos maxime pollebat, hos proxime prae oculis habuit. Porro inscriptio, licet nullam ecclesiam extra Palaestinae fines sitam excludere videatur, ad certas ecclesias argumento epistolae restringitur; vitia enim et errores, qui impugnantur, in omnibus ecclesiis apostolico tempore viguisse, nemo sibi persuadebit. Ecclesias autem Asiae Min., in quibus reliquae quoque epistolae catholicae errores similes impugnant, intelligendas esse, statim ostendemus.

3. — III. Quo tempore et qua occasione epistola sit exorta, satis certum est. S. Iacobus enim, antequam eam scripsit, Pauli epistolam ad Romanos iam cognovit erroremque antinomisticum impugnat, qui ex illius sententiis perverse intellectis in Asiae Min. ecclesiis exortus erat. Haud diu igitur ante finem vitae, i. e. post initium a. 62., quo tempore Paulus captivus Caesarea Romam iam erat abductus, eam scripsisse summa cum verisimilitudine asseritur.

Quam parum probabile sit, epistolam iam ante Concilium apostolicum, uti aliqui autumant, esse exortam, status qui supponitur ecclesiarum abunde demonstrat; in ecclesiis enim vix natis, quae amittendae primae caritatis ne tempus quidem habuerant, illa, quae de fide mortua, de pauperum contemtu, de dignitatum ambitu etc. vituperantur, inveniri nondum potuerunt. Gravius autem est, quod S. Iacobus Pauli epistolam ad Romanos, quam a. 59. scriptam esse ostendimus, cognitam supponat atque suam epistolam perversae interpretationi verborum paulinorum opponat. Neque enim phrasibus dumtaxat nonnullis utitur, quae paulinis ita respondent, ut similitudo casui adscribi nequeat (cfr ex. gr. 4,1 et *Rom.* 7,23; — 4,4 et *Rom.* 8,7; — 4,12 et *Rom.* 14,4 etc.), sed nostrae epistolae dependentia in celeberrimis illis textibus clarius apparet, quibus haeretici aliqui Paulum ipsum a Iacobo impugnari putaverunt. « Videtis, inquit S. Iacobus (2,21 sqq.), quia exo pe-

ribus iustificatur homo et non ex fide tantum », S. Paulus autem (*Rom.* 3,28 sqq.) : « Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus Legis » ; deinde ambo ad suam doctrinam stabiliendam afferunt exemplum Abrahae et ambo ex iisdem Scripturae verbis argumentantur : « Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam ». Contradictionem inter duos Apostolos non esse nisi apparentem, clarum est, at aeque clarum est, S. Iacobum Pauli verba eorumque malam interpretationem prae oculis habuisse, quando suam epistolam exaravit.

Post a. 59. igitur scripsit S. Iacobus, immo quia aliquod temporis intervallum requiritur, ut Pauli epistola ecclesiis innotescere et perversas interpretationes progignere potuerit, ante a. 61. vel 62. non scripsisse recte dicitur. Iam vero error antinomisticus, qui sola fide contentus opera bona superflua esse docuit, in ecclesiis Asiae Min. maxime propagatus fuit; id enim docent Petri, Ioannis, Iudae epistolae, quae eundem errorem, licet aliam eius formam aliumque eius gradum, impugnantes omnes ecclesiis Asiae Min. erant destinatae. Neque difficile est eius originem explicare. Omnes enim illae ecclesiae a Paulo eiusque discipulis erant fundatae, ideoque mirum non est, quod magno cum ardore epistolas magistri sui conquisiverint; in quibus « sunt quaedam intellectu difficilia, quae indocti et instabiles homines depravant ad suam ipsorum perditionem » (2 *Petr.* 3,16). Inter quae non ultimum locum Pauli doctrina de fidei operumque ad iustificationem relatione occupat, quam « nonnulli homines non intelligentes putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem, etsi male vivat et opera bona non habeat » (*S. Aug.* de Grat. et lib. et arb. 18). Ad quem errorem magis inclinabant Iudaeochristiani, quoniam multi Iudaei Hellenistae Lege et circumcisione contenti accuratam praeceptorum observantiam negligebant « semet ipsos decipientes et dicentes, etiamsi peccatores essent, Deum tamen, dummodo illum cognoscerent, ipsis non esse imputaturum peccata » (*S. Iust.* c. Tryph. 141); quae doctrina proxime ad errorem a S. Iacobo impugnatum accedit. Iudaei igitur a Paulo audientes « hominem iustificari per fidem sine operibus Legis », fidem ab Apostolo postulatam non aliam esse rati, nisi sterilem illam persuasionem, qua eousque contenti fuerant, obiectum dumtaxat illius persuasionis mutarunt et fidei mortuae et sterili in Messiam venturum aliam non minus sterilem substituerunt in Messiam, qui iam advenisset.

Per fideles quosdam, qui Ierosolyma venerant, de hoc errore in ecclesiis asiaticis serpente certior factus S. Iacobus periculo statim occurrendum esse censuit; sed Paulus, qui optimus suorum verborum interpres fuisset, eo tempore Caesarea Romam abductus fuit, ideo hoc munus in se ipse suscepit. Nec quisquam praeter Paulum ad illum errorem, qui inter Iudaeochristianos magis erat propagatus, refutandum erat magis idoneus, quia « Iacobi, fratris Domini » auctoritas Iudaeis conversis summa erat.

4. — IV. Argumentum et divisio epistolae. Ut omne periculum ab ecclesiis illis averteret, Apostolus duo praestare voluit : errorem de sola fide sterili iustificante ita refellere, ut tamen Legis antiquae abrogationem in quaestionem iterum non vocaret, atque magisterii ambitionem supprimere, qua neophyti nonnulli docere praesumserunt, antequam didicerant. Quae duo capita sententioso illo dicendi genere, quo Ecclesiastici auctor excellit, ita exposuit, ut alia monita opportuna aut insereret aut adderet. Unde accuratam epistolae divisionem indicare difficile est; satis apte tamen praeter exordium (1,1-18) et epilogum (5,19. 20) tres partes di-

stinguuntur, in quarum *prima* (1,19-2,26) necessitas fidei per caritatem operantis astruitur, in *altera* (3,1-4,12) neophyti a magisterii ambitione absterrentur, in *tertia* (4,13-5,18) varia monita colliguntur.

Exordium (1,1-18). A graeca salutatione (χαίρειν) occasionem sumit Apostolus, ut lectores ad tribulationes *laete* perferendas exhortetur (1,1-4), id quod facere possint, si eas cum vera sapientia perferant sorte sua divinitus data contenti (1,5-11) et ad Deum omnis boni doni datorem respicientes (1-12-18).

In *prima parte* (1,19-2,26) fidem requiri docet, quae per caritatem operatur. Praeprimis monet, auditionem verbi non sufficere, sed auditum debere observari (1,19-25), monitumque ad nonnulla praecepta, refrenationem linguae, caritatem erga orphanos, aequalem in ecclesia honorem omnibus exhibendum applicat (1, 26-2,13). — Thema ipsum deinde aggressus fidem sine operibus nihil prodesse ostendit similitudine quadam et daemonum fide (2,15-19) atque maxime exemplis Abrahae et Rahab (2,20-26).

In *altera parte* (3,1-4,12) Christianos ab ambitione docendi dehortatur. Thesin suam ab ambitione docendi cavendum esse generali consideratione de periculis confirmat, quae lingua afferre potest (3,1-12); libidinem autem docendi exoriri docet ex defectu sapientiae (3,13-18), ambitionis autem illius fructus esse ostendit lites et multa peccata (4,1-12).

In *tertia parte* (4,13-5,18) nonnulla monita specialia tradit. Caveant, ne superbi de rebus suis glorientur (4,13-17) atque maxime divites caveant, ne pauperes opprimant (5,1-11). Omnes deinde dehortatur a iurandi consuetudine (5,12), atque aegrotos docet, quomodo sese gerere debeant (5,13-15); demum omnibus studium orationis inculcat (5,16-18).

In *epilogo* (5,19. 20) beatum praedicat eum, qui errantem fratrem ad viam veritatis sit reducturus.

5. — V. De epistolae authentia et canonicitate. Epistola haec, licet ab Eusebio inter τὰ ἀντιλεγόμενα referatur, ab apostolicorum Patrum tempore semper pro divina auctoritate est adhibita, atque inde ab ineunte saec. 3. etiam ab omnibus Patribus Iacobo Apostolo auctori est attributa. Quare nec de eius canonicitate nec de eius authentia, quae internis quoque argumentis confirmatur, dubitare licet. Quae a Lutheranis contra eius canonicitatem obiiciuntur, ex eorum haeresi de fide sterili iustificante proficiscuntur; modernorum rationalistarum autem sententiae de eius origine sese invicem destruunt.

Eusebius epistolam Iacobi, quamvis eam in plerisque ecclesiis una cum reliquis Scripturis publicae lectioni inservire testetur, Antilegomenis adnumeravit, quia non multi antiqui scriptores eam allegassent (H. E. II. 23 cfr III. 25). Revera Iacobi nomine addito ante Origenem non invenitur allegata, at eius usus ad apostolicam aetatem ascendit, immo ipse S. Petrus iam nonnullas eius sententias transumsisse haud immerito asseritur (cfr 1 *Petr.* 1,6. 7 et *Iac.* 1,2. 3; 1 *Petr.* 1,23 et *Iac.* 1,18; 1 *Petr.* 1,24 et *Iac.* 1,9. 10; 1 *Petr.* 4,8 et *Iac.* 5,20; 1 *Petr.* 5,5-9 et *Iac.* 4,6-10). Omnibus fatentibus *S. Clemens Rom.* eam prorsus eadem ratione, qua reliquos Novi Test. libros, non semel adhibuit (1 Cor. 10. 17. 31 et *Iac.* 2,21 sqq.; 1 Cor. 38 et *Iac.* 3,13 etc.), neque minus certus est eius usus in *S. Hermae* Pastore (Vis. 3,9. Sim. 1,8 et *Iac.* 1,27; — Mand. 12,6. Sim 9,23 et

Iac. 4,12; — Sim. 6,1; 9,14 et *Iac.* 1,21; — Sim. 8,6 et *Iac.* 2,7 etc.); in canone igitur ecclesiae romanae fuit, etsi in Fragm. Murat. praetermittitur. De eius usu in ecclesia gallicana et africana minus certe constat; leves enim sunt allusiones S. *Irenaei* (c. Haer. IV. 13. 16 et *Iac.* 2,23; c. Haer. V. 1 et *Iac.* 1,18) et *Tertulliani* (c. Iud. 2 et *Iac.* 2,23). Gravissimum autem testimonium ei fert ecclesia syriaca, in cuius antiqua versione inde a medio saec. 2. adfuit. *S. Iustinus M.* quoque eam adhibuit (Apol. II. 8. 13 et *Iac.* 1,21); *Clemens Alex.* non tantum frequenter eam allegavit (Paed. III. 2. 18; Strom. V. 14; VI. 18 etc.), sed eam etiam interpretatus est (*Eus.* H. E. VI. et *Cassiod.* Instit. div. lit. 16); *Origenem* deinde eam Apostolo Iacobo diserte attribuisse iam diximus, atque in suis librorum sacrorum catalogis eam recensent S. *Athanasius*, *S. Cyrillus Ieros.*, *S. Gregorius Naz.*, *S. Amphilochius*, *Can.* 85. *Apostolorum* in Oriente, in Occidente autem S. *Damasus* et reliqui *SS. Pontifices*, *Concilia Hippon. et Carthag.*, *S. Augustinus* etc., qui simul eius divinam et apostolicam originem testantur.

Ceterum tota sua indole quoque epistola S. Iacobo convenit; Palaestinensem enim auctorem esse, similitudines ostendunt ex patriae proprietatibus desumtae (cfr 1,6; 3,4. 11. 12; 5,7 etc.); apostolica eum auctoritate praeditum fuisse, docet modus, quo ambitiosos et divites ecclesiarum a se non fundatarum suaeque immediatae curae non commissarum vituperat; eum aemulatorem Legis (*Act.* 21,20) fuisse, apparet ex integra epistola (cfr 2,8. 11. 12 etc.); eum demum orationi addictissimum fuisse, id quod de Iacobo refert Hegesippus, frequens orationis commendatio ostendit (1,5-9; 4,2. 3; 5,16-19).

In tota antiquitate nemo invenitur, qui epistolam nostram impugnaverit; at quando Lutherus haeresin suam de sola fide iustificante statuit, S. Iacobus fidem sine operibus nihil prodesse asserens reiici debuit; S. Paulo enim contradicere asserebatur, quamvis *S. Augustinus* iam monuisset, « etiam ipsum Paulum non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeque evangelicam definivisse, cuius opera ex dilectione procedant » (de Fide et oper. 21). Moderni rationalistae inter se concertant; epistolam reiiciunt alii, quia puritate linguae graecae emineat (*De Wette, Renan*), alii quia auctor linguam graecam non calluerit (*Schleiermacher*); alii, quia Paulinistas et Iudaeochristianos conciliare voluerit (*Schwegler*), alii quia paulinam doctrinam velut sapientiam terrenam, animalem, diabolicam impugnaverit (*Hilgenfeld*); quibus immorari operae pretium non est.

§ 20. — *De duabus epistolis B. Petri Apostoli.*

1. — I. De S. Petri vita. Simon, filius Ioannis[1], Bethsaidae oriundus per fratrem suum Andream ad Dominum adductus ab eodem statim novo nomine Cephae i. e. *Petri* (petrae) imposito futuri sui muneris promissionem accepit (*Ioan.* 1,35 sqq.). Primus deinde ad Domini continuam sequelam vocatus et primus in Apostolorum collegium adscitus inter tres illos quoque discipulos, quos maiore amicitia et familiaritate Dominus

(1) Simon (Σίμων vel Συμεών, שִׁמְעוֹן, *exauditio*). Nomen patris aut *Iona*, Ἰωνᾶ (*Matth.* 16,17) aut *Ioannes*, Ἰωάνης vel Ἰωάννης (*Ioan.* 21,15) legitur; prior forma est corruptio alterius, et nomen patris S. Petri omnino differt a nomine prophetae *Ionae*.

dignabatur, primum locum semper tenuit. Supremus totius gregis Christi pastor constitutus immediate post Domini ascensionem primatum in totam Ecclesiam exercere coepit, atque primum quidem Ierosolymis, inde ab a. 42. Romae supremo suo munere functus est, usque dum a. 67. eodem die, quo S. Paulus, vitam glorioso martyrio coronavit; Romae quoque duas suas epistolas scripsit.

Quae in Evangeliis de B. Petro narrantur, hoc loco repetere opus non est, quia longe pleraque alibi iam attigimus; duodecim prima Actuum capita integra fere de eo agunt eiusque merita in fundandis et confirmandis ecclesiis iudaeochristianis Palaestinae et in fundamentis ecclesiarum ethnicochristianarum iaciendis narrant. Cum plerisque catholicis scriptoribus pro certo admittimus, principem Apostolorum a. 42. Romam venisse, romanam ecclesiam fundasse, eamque usque ad vitae finem gubernasse. Neque tamen ita Romae eum consedisse dicimus, ut novis itineribus apostolicis Evangelium aliis in terris propagare omiserit; bis saltem post a. 42. eum Ierosolymis fuisse testatur S. Lucas (a. 44. et a. 51. cfr *Act.* 12,1 sqq.; 15,1 sqq.); aliquamdiu eum Antiochiae commoratum esse refert S. Paulus (*Gal.* 2,11); eum Corinthi fuisse et docuisse asserit S. *Dionysius Cor.* (Eus. H. E. II. 25) consentiente *S. Clemente Rom.* (1 Cor. 47); alia quoque itinera eum fecisse colligimus ex *Gal.* 2, 8 et 1 *Cor.* 9,5.

Quaeritur autem, num etiam in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam, quarum provinciarum incolis suas epistolas scripsit (1 *Petr.* 1,1), expeditionem apostolicam instituerit, id quod post Origenem aliqui veteres tradiderunt, et num Babylone in Mesopotamia resederit indeque priores suas literas dederit, id quod ex 1 *Petr.* 5,13 plurimi interpretes protestantici desumunt.

De B. Petri itinere apostolico in Asiam Min. suscepto certam traditionem non habemus; *Origenes*, qui primus de illo loquitur, illud ex inscriptione prioris epistolae coniecit (*Orig.* in Gen. t. III), atque eodem modo illud ex solis epistolae verbis collegit *Eusebius* (H. E. III. 4); *SS. Epiphanius* (Haer. 27,6) autem et *Hieronymus* (de Vir. ill. 1) aliique recentiores, qui illud absolute asserunt, se aliud assertionis fundamentum praeter epistolae inscriptionem non habere verbis suis innuunt. Altera tamen ex parte S. Petrus lectores epistolae suae interdum ita alloquitur, ut eos non a se ipso, sed ab aliis Evangelium accepisse insinuet (1 *Petr.* 1,12. 25; 5,12; 2 *Petr.* 3,2). Itaque licet eum aliquando nonnullas Asiae partes peragrasse non negemus, eum tamen Occidentis potius quam Orientis Apostolum fuisse censemus; neque ideo eum ecclesiis Ponti etc. scripsisse, quia utpote ab illo fundatae sub illius speciali cura essent, pro certo asserimus.

De altera quaestione traditione certa constat; etenim usque ad 16. saec. inde a Patrum aetate omnes unanimi consensu tradiderunt, S. Petrum in sua epistola nomine *Babylonis* Romam designasse. *S. Papias*, *Clemens Alex.*, *Eusebius* (H. E. II. 15) sine ulla haesitatione id asserunt, eosque iuniores *S. Hieronymus* (de Vir. ill. 8), *Ven. Beda* (in 1 Petr. 5,13), *Oecumenius* (i. e. l.), *Theophylactus* (i. e. l.) sequuntur; excipiendus solus est *Cosmas Indicopl.* scriptor nullius auctoritatis. Cum hac traditione consentit historia antiqua, quae sedem episcopalem a Petro Babylone aut in Mesopotamia fundatam prorsus ignorat; etenim ipsae ecclesiae Mesopotamiae, licet fundatores suos inter Apostolos et apostolicos viros quaesierint, de Petro plane tacent. Adde, Babylonem tempore Christi teste Strabone οὐδὲν εἰ μὴ τεῖχος, teste Plinio *solitudinem* fuisse. Hinc mirum non est, quod mediae aetatis et recentioris temporis interpretes catholici omnes paucissimis exceptis no-

mine Babylonis Romam intellexerint eadem ratione, qua in Apocalypsi Romam sub nomine Babylonis describi omnes concedunt.

At protestantici interpretes plerique, ut facilius sedem romanam a Petro fundatam esse negarent, proprio sensu nomen Babylonis intelligendum esse contenderunt. In Apocalypsi enim aiunt, libro prophetico et poetico, metaphoricum usum nominis difficultatem non creare, in prosaico autem et humili epistolae stylo non recte admitti. Cui obiectioni respondemus, in ipsa epistolae inscriptione tropo uti S. Petrum (ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς κτλ) atque in ipso nostro versu (5,13) quum scriberet ἀσπάζει ὑμᾶς ἡ συνεκλεκτή. Ceterum epistola scripta est tempore persecutionis neronianae, et facile intelligitur, cur Apostolus locum, in quo residebat, subobscure tantum indicare voluerit. Profecto unico hoc argumento unanimis traditio Ecclesiae antiquae non infirmatur. Romae igitur residens epistolas suas scripsit, atque Romae quoque iuxta unanimem Patrum traditionem martyrium passus est.

2. — II. Destinata est prior Petri epistola « electis advenis dispersionis (ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς) Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae » i. e. ecclesiis illis, quas Paulus eiusque discipuli in Asia Min. Iudaeis et ethnicis ad fidem adductis fundaverant.

Uti iam diximus, Petrum in Asiae Min. provinciis Evangelium propagasse, traditione non constat; quin etiam eius epistolae haud obscure innuunt, ecclesias quibus sunt destinatae ab eo non esse fundatas. Paulum vero provinciis Galatiae et Asiae Evangelium intulisse constat, neque minus certum est, eum per se et per discipulos suos reliquas Asiae Min. ecclesias fundasse. Inter quos discipulos etiam fuit Silvanus, eius socius in secundo itinere (*Act.* 15,40-18,7; 1 *Thess.* 1,1; 2 *Thess.* 1,1), qui postea nec in Actibus nec in paulinis epistolis amplius nominatur, sed in nostra epistola iterum apparet (1 *Petr.* 5,12); per eum enim S. Petrus hanc epistolam asiaticis ecclesiis transmisit, et per eum de ecclesiarum illarum statu certior factus esse videtur; immo si lectio διὰ Σιλβανοῦ ὑμῖν πιστοῦ ἀδελφοῦ (« per Silvanum fratrem vobis fidelem ») genuina est, intimam eius ad ecclesias asiaticas relationem indicat. Revera probabile est, S. Paulum Corintho per Silvanum epistolam suam Galatis transmisisse eumque simul ecclesiis asiaticis praeposuisse, sicut postea Titum Cretensibus praefecit.

Iam vero ecclesiae omnes a Paulo eiusque discipulis fundatae ex Iudaeis et ethnicis conversis coaluerant, atque epistola nostra etiam ecclesiis mixtis destinata erat; neque enim desunt textus, qui proxime ethnicos conversos attingunt (1 *Petri.* 1,14. 18; 2,9. 10; 3,6; 4,3), quare *S. Augustinus* (c. Faust. XXII. 29), *Cassiodorus* (Instit. div. 14) etc. cum nonnullis codicibus epistolam « ad Gentes » inscribunt; at altera ex parte auctor Vetus Test. tam plene cognitum supponit, ut *Origenes* (in Gen. tom. III.), *Eusebius* (H. E. III. 4), *S. Hieronymus* (de Vir. ill. 1) etc. eam Iudaeochristianis scriptam esse dicerent. Idem igitur duplex character, qui in plerisque paulinis, in hac epistola invenitur, quia similibus ecclesiis destinata est.

3. — III. Eo tempore autem scripta est prior epistola, quo Nero in Urbe iam Christianos persequi coeperat atque similis persecutio in provinciis aut iam exarserat aut saltem timebatur, i. e. exeunte a. 64. vel ineunte a. 65., atque ipsa haec persecutio occasionem B. Petro praebuit, ut in Pauli absentis loco ecclesias asiaticas in fide confirmaret.

In septemtrionalibus Asiae Min. partibus Evangelium ante tertiam Pauli expeditionem propagatum non est; a vero igitur aberrant, qui nostram epistolam iam a. 59. scriptam esse censent. Immo ecclesiae, quibus destinata est epistola, iam aliquamdiu exstiterant eoque tempore, quo scribebatur, ob religionem suam ab ethnicis gravem persecutionem aut perferebant aut saltem timebant (1,6 sqq.; 3,14 sqq.; 4,14. 16), quae universalis fuit (5,9) neque subito quodam plebis tumultu provocata sed a magistratibus ipsis promota (3,15). Talem vero persecutionem non exarsisse constat, antequam Nero aestate a. 64., ut « iussi incendii » Urbis suspicionem a se averteret, « quaesitissimis poenis affecit eos, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat » (*Tac.* Ann. XV. 44; cfr *Suet.* Nero 16). Dubitatur quidem, num persecutio neroniana etiam in provinciis saevierit, id quod diserte tradit *Orosius* (Hist. VII. 7); sed facile intelligitur, persecutionem in Urbe ab imperatore excitatam per magistratus adulatores in provincias invehi potuisse atque magnum Christianorum terrorem ubique provocasse. Exeunte igitur a. 64. ille rerum status aderat, quem epistola supponit, atque illo tempore Silvanus Romam videtur venisse, ut cum Paulo, quem vinculis liberatum forte nondum audierat, de ecclesiis suae curae commissis conferret; Paulus autem in Hispaniam iam erat profectus, itaque eo absente Petrus ecclesias illas in vehemente persecutione confortare voluit. — Altero argumento confirmari potest, epistolam ante a. 64. non esse scriptam; S. Petrus enim Pauli epistolam ad Eph. videtur cognovisse atque eadem ratione, qua verbis ex Vetere Test. desumtis suas ideas frequenter exprimit, nonnullas expressiones paulinas adhibuisse (cfr 1 *Petr.* 1,3 et Eph. 1,3; 1 *Petr.* 3,1 et *Eph.* 5,22; 1 *Petr.* 3,22 et *Eph.* 1,20. 21 etc.); epistola autem ad Eph. exeunte a. 63. vel ineunte a. 64. scripta est.

4. — IV. Argumentum et divisio epistolae. Ne ethnicis calumniis et persecutionibus fracti neophyti a vera fide deficerent, timebat S. Petrus; ideo religionem christianam, etsi eius professione has tribulationes sibi attraxissent, esse vere divinam, eos edocere voluit simulque eos exhortari, ut spretis periculis in fide accepta firmi permanerent moribusque vere christianis calumniatores suos confunderent. Quem duplicem finem non eo modo, quem S. Paulus tenere solet, prosequitur, ut in dogmatica parte doctrinam suam adstruat et in paraenetica conclusiones practicas colligat, sed integram epistolam exhortationibus constare voluit, quibus dogmatica sua argumenta inseruit. Pro tribus autem exhortationum classibus tres epistolae partes distinguuntur : aliae enim generali quodam modo totam vitam christianam respiciunt (1,13-2,20), aliae, in quibus Apostolus ad ethnicos, inter quos Christiani degunt, et ad pericula, in quibus versantur, animum attendit, singulorum officia diligentius explicant (2,11-4,19), aliae de sola relatione presbyteros inter et gregem agunt (5,1-11).

Exordium (1,1-13) continet inscriptionem (1,1. 2), qua praerogativae Christianorum insinuantur, et gratiarum actionem, quae beneficia Christianis per Evangelium allata commendat, haereditatem sc. coelestem, quae probationibus sit acquirenda, perfectamque salutem (1,3-13).

In *prima parte* (1,13-2,10) ad vitam vere christianam agendam generali modo neophytos exhortatur Apostolus.

Etenim quum tanta salus eis parata sit, repleti sint oportet spe viva, qua impellantur, ut vita sancta Christo assimilentur (1,13-21); atque cum ea coniungant veram caritatem fraternam (1,22-25); depositisque iis, quae caritati adversantur, lac verae doctrinae concupiscant, qua confortentur, ut tamquam lapides vivi vero lapidi angulari superaedificari possint (2,1-10).

In *altera parte* (2,11-4,19) praemisso praecepto, ut inter ethnicos degentes bonis suis moribus calumnias confundant (2,11. 12), transit ad monita specialia.

Praeprimis docet, quomodo utpote in medio ethnicorum versantes singulae classes sese gerere debeant; omnes subiecti sint superioribus (2.13-17) et servi suis dominis etiam dyscolis (2,18-25); uxores suis maritis subiectae virtutes exerceant, mariti autem eas honorent (3,1-7); omnes demum caritatem exerceant, ut benedictionem aeternam consequantur (3,8-12).

Deinde docet, quomodo in praesente persecutione sese gerere debeant. Bonam habere studeant conscientiam, ut tamquam innocentes patiantur assimilati Christo iusto pro iniustis morienti (3,13-22); mortui autem peccatis increpationibus ethnicorum ad pristinam vitam sese retrahi ne sinant (4,1-6), sed ad futurum iudicium respicientes omnimodam virtutem exerceant (4,7-11); gaudeant igitur de persecutione, qua participes fiant passionum Christi et vitam aeternam acquisituri sint (4,12-19).

In *tertia parte* (5,1-11) monita specialissima tradit presbyteris, ut gregem suum sollicite pascant (5,1-4), et gregi, ut pastoribus subditus sit (5,5), pastoribus demum et gregi, ut omnes veram exerceant humilitatem attentique vigilent, ne a diabolo perdantur (5,6-11).

In brevissimo *epilogo* (5,12-14) scopum epistolae explicat et cum salutationibus benedictionem apostolicam transmittit.

5. — V. Authentia prioris epistolae tot et tam antiquis Patrum testimoniis nititur, ut non intelligatur, quomodo a modernis « criticis » negari possit, praesertim quum vix quidquam praeter sua praeiudicia contra eam afferant.

Epistolam hanc inter τὰ ὁμολογούμενα iure merito retulit Eusebius, quia inter catholicas vix alia est, quam inde ab apostolico tempore in ecclesiarum usu fuisse clariora documenta demonstrant. Duo illi Patres apostolici, qui in illis provinciis, quibus scripta est epistola, sedes episcopales tenuerunt, *SS. Papias* et *Polycarpus*, teste Eusebio « testimonia ex priore Petri epistola desumserunt » (*Eus.* H. E. III. 39; IV. 14; cfr *S. Polyc.* ad Phil. 1. 2. 5. 7 etc.); atque etiam *S. Clemens Rom.* eam adhibuit (1 Cor. 2. 7. etc. cfr 1 *Petr.* 2,17; 1,19 etc.); quibus duo ex antiquissimis haereticis *Basilides* et *Theodotus Byz.*, Valentini discipulus, addi possunt (cfr *Clem. Alex.* Strom. IV. 12 et Theodoti excerpta 1. 4. 12). Porro medio saec. 2. ad eam alluserunt *S. Iustinus M.* et clerus *eccles. Vienn.* (*Eus.* H. E. V. 1. 2.); exeunte saec. 2. et ineunte saec. 3. eam addito Petri nomine allegant in Oriente *S. Firmilianus*, Caesareae in Cappadocia episcopus (ad S. Cypr. 15), *Clemens Alex.* (Paed. III. 11. 12 et saepe), *Origenes* (de Princ. II. 3 et saepissime), in Occidente *S. Irenaeus* (c. Haer. IV. 9,16), *Tertullianus* (de Orat. 20 etc.), *S. Cyprianus* (de Bono pat. 9 et saepe). In *Fragm. Murat.* quidem non recensetur; sed verba, quibus auctor de scriptis Petri egit, ita corrupta sunt, ut non intelligantur, et verba de Marci Evangelio, in quibus forte etiam de Petri epistolis egit, sunt deperdita; ceterum eam in canone romano fuisse *S. Clementis Rom.* et *S. Hermae* (Past. Vis. 3,11; 4,2. 3 etc.) allusionibus constat.

Cuinam aetati epistola haec sit adscribenda, rationalistae iterum ignorant; alius eam attribuit persecutioni Domitiani, alius initio, alius fini regni Traiani, alius tempori Antonini Pii etc. Petro autem eam abiudicandam esse praeprimis censent, quia laciniis paulinis constet, immo eius auctor aliquas epistolas sub nomine Pauli post eius mortem confictas adhibuerit. S. Petrum revera nonnullas phrases vel expressiones epistolae ad Ephes. adhibuisse, quibus suas ideas vestiret, non tantum non negamus sed asserimus; integram autem epistolam laciniis paulinis constare atque epistolas post Pauli mortem confictas ab auctore epistolae nostrae esse adhibitas negamus; mera enim haec sunt commenta rationalistica, quae omni fundamento carent. Praeterea monent, Petro « Apostolo circumcisionis » ethnico-christianis Asiae ecclesiis scribere non licuisse, in epistola hierarchiam Petri aetate recentiorem supponi, nullam aptam Petro fuisse scribendi occasionem etc.; quae omnia refutatione non indigent.

6. — VI. De 2 Petri epistolae occasione et fine. Paullo ante mortem suam S. Petrus iisdem ecclesiis Asiae, quum illis per haereticos, quos iam SS. Iacobus et Iudas impugnaverant, magnum periculum imminere resci-visset, alteram epistolam scripsit, ne fideles insipientium ore traducti a propria firmitate exciderent, sed potius crescerent in gratia et cognitione Domini N. (2 *Petr.* 3,17. 18).

Exeunte a. 66. vel ineunte 67. Romae asiaticis ecclesiis hanc epistolam esse scriptam, consentiunt omnes, qui eius authentiam admittunt (cfr 1,14 sq.; 3,1); quae vero scribendi occasio fuerit Apostolo, docet argumentum ab eo tractatum. Vix dubitari potest, quin iidem haeretici a SS. Iacobo, Iuda, Petro impugnentur, at non eandem haereseos rationem prae oculis habuerunt tres Apostoli. In Iacobi epistola habemus antinomismi initia, quando Pauli doctrinam de cessatione Legis male interpretantes perversi homines sententiis paulinis ad pervertendos homines abuti quidem coeperant, at totam suam perversitatem nondum manifestaverant. Haeretici, quos Iudas impugnat, theoreticis illis deductionibus non contenti pravam doctrinam in praxim iam deduxerant, atque exemplis non minus, quam verbis, fideles seducebant simul etiam Christi divinitatem negantes (*Iud.* 4; 2 *Petr.* 1,16; 2,1). Ut divini vero iudicii minis, quas S. Iudas eis proposuerat, neophyti non terrerentur, iidem haeretici ulterius progressi secundum Christi adventum et futurum iudicium ludibrio habuerunt (2 *Petr.* 3,3 sqq.) ideoque hac Petri epistola perstringi merebantur[2]. Quomodo S. Petrus asiaticarum ecclesiarum periculum resciverit, ignoramus; pro pastorali autem sua sollicitudine fideles contra illud praemunire voluit; quam ob causam, antequam e vita egrederetur, cuius proximum finem Dominus ei revelaverat, nostram epistolam velut testamentum illis reliquit, ut « praescientes sese custodirent ».

(2) Ex 2 *Petr.* 2,1 (« *erunt* magistri mendaces » etc.) et 3,3 (« *venient in novissimis diebus* illusores ») non pauci interpretes concludunt, a Petro non describi illius temporis haereticos, sed *praedici futuros*. At de iisdem, quos 2,1 futuros dixerat, tamquam de praesentibus in 2,10 sqq. loquitur. Eadem ratione S. Paulus, postquam 2 *Tim.* 3,1 dixit: « *in novissimis diebus instabunt* » tempora periculosa, *erunt* homines se ipsos amantes etc., discipulum monet « *et hos devita* » « ex his enim *sunt* » etc. De *praesente* igitur periculo loquitur etiam S. Petrus, et futura forma adhibita est, ut tempori Veteris Testamenti praeterito *novissimi dies*, i. e. tempora Novi Foederis, in eorum initio et decursu opponantur.

7. — VII. De argumento et divisione secundae epistolae. Occasioni et fini respondet epistolae argumentum. Ut Christianos enim in fide retineat et infirmos contra fraudes seductorum praemuniat, Apostolus una ex parte eis magna bona per Christum allata et firmum fidei fundamentum in memoriam revocat, altera ex parte extremum perditionis periculum, cui seductores et seducti sese exponant, ostendit ludibriaque illa refutat, quibus « illusores » ad labefactandam neophytorum fidem abutebantur. Hinc duae epistolae partes : in *priore* (1,3-21) magnitudinem donorum per Christum allatorum firmitatemque fidei christianae explicat, in *altera* (2,1-3,13) neophytos ab haereticorum placitis absterret et contra eorum fraudes praemunit.

Post *inscriptionem* (1,1. 2), in qua argumentum et finem innuit

Apostolus in *priore parte* (1,3-21) de magnitudine donorum Christi et de firmitate fidei christianae agit.

Omnia enim nobis dedit Christus, quae ad supernaturalem vitam pertinent, divinae suae naturae nos participes reddens; ideo nos ex nostra parte in virtutibus crescere debemus, quibus certam reddimus vocationem nostram (1,3-15). Firmo autem fundamento innititur fides nostra de futuro Christi adventu, quatenus ad testimonium Apostoli, qui Christi magnitudinem in transfiguratione spectavit, accedunt vaticinia per Spiritum S. in Vetere Test. data (1,16-21).

In altera parte (2,1-3,13) Christianos exhortatur, ut ab haereticis caveant.

Doctores falsos in Novo quidem Foedere fore (et esse) docet; sed certum esse eorum interitum, quia Dominum negent et Christianos luxuria sua seducant, ostendit exemplis poenarum a Deo olim inflictarum (2,1-6); eorum igitur societatem fugere debent Christiani, ne ipsi quoque gravissime puniantur (2,7-11). Fusius deinde pseudodoctorum vitam describit abominandam (2,12-22) ludibriaque refutat, quibus futurum iudicium irrident (3,1-13).

In *epilogo* (3,14-18) eos monet, ut sanctam vitam agentes tempore sibi concesso ad salutem operandam secundum Pauli monita utantur neve sese in errores trahi sinant.

8. — VIII. Authentia secundae epistolae paucioribus quidem Patrum testimoniis confirmatur, quia nonnullis ecclesiis tardius innotuit, at ea, quae exstant, prudentem dubitationem non relinquunt, praesertim quum inde ab exeunte saec. 3. consensu communi in tota Ecclesia epistola pro genuino Petri opere sit recepta, neque ullus ex antiquis, qui eam cognoverunt, eam repudiaverit.

In *apostolicorum Patrum* operibus paucas tantum et leves allusiones ad 2 Petr. inveniri fatemur. Attamen quin *S. Barnabas* eam cognoverit, vix est dubium (*S. Barn.* 15. Ἡ γὰρ ἡμέρα παρ' αὐτῷ (sc. τῷ κυρίῳ) χίλια ἔτη proxime accedit ad 2 *Petr.* 3,8; prorsus differt *Ps.* 89,4); minus certa est allusio *S. Clementis Rom.* (1 Cor. 11 cfr 2 *Petr.* 2,7-9), licet exemplum Lot eadem ratione, qua S. Petrus adhibeat; maiore cum iure autem *S. Polycarpus* velut testis affertur, quum primogenitum satanae vocet eum, qui verba Domini *ad desideria sua* traduxerit dixeritque nec resurrectionem *nec iudicium esse* (ad Phil. 7 cfr 2 *Petr.* 3,3 sqq.). Medio saec. 2. certis testibus iure adnumerantur *SS. Iustinus M.* (c. Tryph. 82 cfr 2 *Petr.* 2,1) et *Theophilus Ant.* (ad Autol. II. 9 cfr 2 *Petr.* 1,21; et II. 3

cfr 2 *Petr.* 1,19). Eodem saec. 2. exeunte *Clementem Alex.* epistolam nostram cum aliis catholicis exposuisse, testatur Eusebius (H. E. VI. 14; cfr *Cassiod.* Instit. div. lit. Praef.). Ineunte saeculo 3. *Firmilianus Caes.* (ep. ad Cypr. 6) eam addito Petri nomine allegat, auctor *Philosophumenon* (IX. 7) clare ad eam alludit, *Origenes* certissime velut petrinam et velut divinam eam agnovit (in Ios. hom. 7,1; in Exod. hom. 12,1; in Lev. hom. 4,4; in Num. hom. 13,8; in Rom. VIII. 7).

Satis pauca quidem, sed tamen sufficientia sunt haec trium priorum saeculorum testimonia, quia iis accedit consensus omnium ecclesiarum inde a medio vel exeunte saec. 3.; magna enim cum diligentia antiquae ecclesiae invigilaverunt, ne libri spurii pro sacris reciperentur, illosque ipsos, qui in apostolica aliqua ecclesia lectioni publicae inservierant, reiecerunt, nisi sufficientibus testimoniis erant muniti. Apocalypsis Petri, Praedicatio Petri aliaque eiusmodi opera, quae a nonnullis antiquissimis Patribus cum honore allegantur, prorsus interierunt, 2 Petri autem, quae forte paucioribus testimoniis munitur, ab omnibus est recepta; « numquam autem (ita verba quaedam S. Hieronymi de Philemonis epistola mutare possumus) in toto orbe a cunctis ecclesiis esset recepta, nisi Petri Apostoli genuinum opus esset credita ».

Testimonia recentiora afferre supersedemus, quia ab omnibus conceduntur; pauca autem dicemus de iis Patribus, qui inde a 3. saec. epistolam reiecisse ab adversariis dicuntur. Inter quos *Origenes* et *Didymus Alex.* immerito recensentur; prior enim uno quidem in loco (in Ioan. tom. V. Prol.; cfr *Eus.* H. E. VI. 25) ostendit, se dubitationem aliquarum ecclesiarum de hac epistola cognovisse, sed quid ipse de eius authentia senserit, docent multi loci supra indicati; Didymi verba autem, quae afferuntur (« praesentem epistolam esse falsatam ») certe genuina non sunt, quia Didymum epistolam hanc commentario instruxisse constat, nemo autem ex antiquis « apocrypha » aut « falsata » scripta interpretatus est. *Eusebius*, qui tertio in loco velut adversarius allegatur, procul dubio nostram epistolam antilegomenis adnumeravit (H. E. III. 25), sed diligenter eam ab apocryphis Petri Actibus, Evangelio, Praedicatione, Apocalypsi distinguit, « quae inter catholica scripta omnino non esse tradita scimus, siquidem nec antiquus aliquis nec recens scriptor eorum testimoniis usus est »; « epistolam autem, quae secunda Petri dicitur, inquit, in canone quidem non esse accepimus, nihilominus quia multis utilis esse videbatur, *cum reliquis Scripturis lectitata est* » (H. E. III. 3); historice igitur dubitationem nonnullarum ecclesiarum refert, sed eam non approbat. Eodem modo agit *S. Hieronymus* (de Vir. ill. 1.), qui quid ipse senserit non uno in loco docet diserte nostram reliquis catholicis addens eamque pro auctoritate divina allegans (ad Hedib. ep. 120,11; ad Paulin. ep. 53,8; c. Iovin. I. 39; II. 3 etc.).

9. — Non tam ob historicorum testimoniorum defectum, quam ob internas rationes rationalistae multique protestantici interpretes alteram Petri epistolam respuunt. At eius affinitas cum epistola Iudae, licet velut decretorium argumentum urgeatur, eius authentiae nequaquam officit, reliquae autem obiectiones arbitrariis interpretationibus aut praeiudiciis innituntur.

Saec. 16. Erasmus et Calvinus atque saec. 17. Hugo Grotius de authentia 2 Petri iterum dubitare coeperunt, at paucos invenerunt asseclas; falsario enim epistolam adscribere, quae se ipsa a « Simone Petro servo et Apostolo Iesu Christi »

(1,1), teste oculari transfigurationis (1,17), prioris epistolae auctore (3,1), scriptam esse dicit atque vere apostolicum spiritum integra prodit, plerisque nimis durum esse videbatur. Qui scrupulus « criticos » modernos non retinuit, sed ad unum omnes eam velut spuriam traducunt, quae aut exeunte saec. 1. (*Ewald*), aut in priore parte saec. 2. (*Credner* etc.), aut medio saeculo 2. (*Hilgenfeld* etc.), aut circa a. 170. (*Davidson*), aut a. 180. (*Volkmar*) ad Petrinos et Paulinos conciliandos (*Neotubing.*), aut ad gnosticos impugnandos (*Hofman* etc.), aut ad fideles de retardato Christi adventu consolandos (*Holtzmann*), aut ad nescio quid conficta sit. Quibus arbitrariis assertionibus non immorati argumenta, quibus authentiam impugnant, paucis examinabimus.

Epistolam nostram monent magna affinitate cum Iudae epistola coniungi, immo integrum fere caput 2. ex illa esse desumtum; dedecere autem Petrum tali ratione alterius Apostoli scripta expilare. — Affinitatem haud levem inter duas epistolas inveniri, certum est; at duo probe sunt adnotanda : *a.*) a tribus saeculis id est in controversia, utrum Petrus a Iuda, an Iudas a Petro dependeat; licet igitur Petrus a Iuda dependere rectius dicatur, de *servili* tamen imitatione sermo non est; *b.*) affinitas ab adversariis quam maxime exaggeratur, siquidem non invenitur nisi in 2,1-3,3, atque in tota epistola, quae plus sexaginta versibus constat, non nisi *duodecim* maiorem minoremve similitudinem cum Iudae epistola habent. Immerito igitur auctor nostrae epistolae Iudam expilasse asseritur; eadem potius ratione, qua in priore aliquos textus paulinos, in altera aliquos textus Iudae adhibere voluit. Iudas in suae epistolae inscriptione apostolicam suam dignitatem tacuerat; minime igitur dedecuit Petrum, ut coapostoli sui epistolae maiorem auctoritatem conciliaret, aliqua argumenta ex illa transumere.

Addunt adversarii, haereticos, qui in epistola nostra describuntur, chimeram esse nec umquam exsistere potuisse; sed cur fieri non potuit, ut haeretici antinomistici, si de poenis in futuro iudicio subeundis monebantur, futuram retributionem ludibriis impugnarent? — Porro auctorem epistolae, licet ubique lectoribus se velut Apostolum Petrum obtrudat, sibi tamen non constare et ad « Apostolorum praeceptum » velut ad maiorem auctoritatem provocare (3,2) dicunt; at in loco obiecto non ad apostolicum, sed ad dominicum praeceptum provocat, quod lectoribus iam per *eorum* Apostolos (« Apostolorum *vestrorum* »), inter quos Petrus non fuit, sit promulgatum. — Deinde omnes paulinas epistolas auctor iam cognovisse et pro Scripturis sacris adhibuisse asseritur (3,15. 16), id quod tempore apostolico fieri non potuit. At Petrus expressione « in omnibus epistolis » uti per se patet, illas intelligit, quae eius tempore iam vulgatae et in Christianorum manibus erant. Quod autem illas Scripturis adnumeret, id optime se habet; unde enim, nisi ex Apostolorum testimonio sive scripto sive tradito, libros Novi Test. esse inspiratos nobis innotuit? — Demum stylo secundam epistolam a priore dissentire aiunt; at huius difficultatis probabilem solutionem iam indicavit S. *Hieronymus* (ad Hedib. ep. 120,11). Eadem scilicet ratione, qua epistolae ad Hebraeos *auctorem* S. Paulum, *scriptorem* autem S. Clementem fuisse diximus, Petrus quoque nostrae epistolae auctor recte dicitur, licet ei solae sententiae solusque ordo nexusque, uni autem ex eius discipulis dictio sermonisque ornatus debeantur; id insinuat S. Hieronymus, ubi Petrum « pro necessitate rerum aliis usum esse interpretibus » asserit. Ceterum addamus, S. Petrum alio modo loqui debuisse in priore paraenetica, alio modo in altera polemica epistola, atque tam parva esse duo scripta, quae nobis reliquit, ut certum ex illis iudicium de stylo petrino nobis efformare non possimus.

§ 21. — *De epistola catholica B. Iudae.*

1. — *S. Iudas,* quum Iacobi Min. se dicat fratrem, filius fuit Alphaei (Clopae) et Mariae, sororis B. Virginis, unus igitur ex « fratribus Domini ». Cum fratribus suis Iacobo Min. et Simone Chananaeo vel Zelota in Apostolorum collegium assumtus in catalogis undecimum (*Luc.* 6,16; *Act.* 1,13) aut decimum (*Matth.* 10,3; *Marc.* 3,18) locum occupat; ex iisdem autem apparet, « Iudam Iacobi » *Thaddaeum* (vel Lebbaeum) cognominatum esse; ceterum a S. Ioanne (14,22) tantum et in huius epistolae inscriptione nominatur, ut praeter ea, quae Evangelia et Actus de omnibus Apostolis tradunt, singula de eius vita non sint tradita. Quae enim Patres referunt, magis minusve incerta sunt.

Quin Apostolus, qui a Luca « Iudas Iacobi » et a Ioanne « Iudas, non ille Iscariotes » appellatur, idem sit, quem Matthaeus et Marcus Thaddaeum vel Lebbaeum (תַּדַּי vel לֵבַּי idem significant : « corculum meum ») vocant, nemo dubitat; multi autem acatholici « Iudam Iacobi » Apostolum a « Iuda fratre Iacobi » auctore huius epistolae distinguendum censent; at perperam. Nam in primitiva Ecclesia duos tantum discipulos, quibus nomen fuit Iudas (Iudam Iscarioten et Iudam Thaddaeum) cognitos fuisse, clare colligitur ex *Ioan.* 14,22. Libenter quidem concedimus, in loquendi formula Ἰούδας Ἰακώβου genitivo plerumque patrem designari (Iudas filius Iacobi); satis autem constat, eodem genitivo solam cognationis relationem exprimi, ut ex contextu vel aliunde, cuiusnam generis sit illa relatio, definiatur oporteat; quare nihil prorsus obstat, quominus « Iudas Iacobi » explicetur « Iudas Iacobi frater »[1]. Neque plus valet alterum argumentum, auctorem epistolae sese ipsum ex Apostolorum numero excludere (*Iud.* 17); in obiecto enim loco sese ex illorum Apostolorum numero excludit, qui ecclesiis, quibus scribit, fidem attulerant.

Num « Iudas Iacobi » post fratres suos Iacobum Min. et Simonem tertius factus sit Ierosolymorum episcopus (*Const. Apost.* VII. 46), an ante Simonem fratrem suum sit mortuus (*Heges.* apud Eus. III. 20), utrum « Edessae in Abgari civitate morte pacifica » finierit vitam (*Niceph. Call.* H. E. II. 10), an Beryti vel Aradi in Syria occidentali martyrio sit coronatus (cfr Assem. Bibl. orient. III. 2 p. 13) etc. non constat.

2. — Destinata haec epistola iisdem Asiae ecclesiis videtur, quibus Iacobus et Petrus scripserunt, atque eundem quoque prosequitur finem; contra antinomisticum enim errorem praemunire studet fidelium animos; medium autem quasi locum occupat inter Iacobi, qui prima haereseos illius initia impugnavit, et 2 Petri epistolas, qui ex Iudae literis nonnulla transumsit, ita ut c. a. 65. scripta esse recte dicatur.

(1) Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου (*Luc.* 24,10) et Μαρια ἡ Ἰωσῆτος (*Marc.* 15,40) est Maria Iacobi et Iosephi *mater*; ἡ τοῦ Οὐρίου, Uriae *uxor* (*Matth.* 1,6); Δαίδαλος τοῦ Ἰκάρου est Icari *pater* (*Steph. Byz.* s. v. Δαίδαλα); Τιμωκράτης ὁ Μητροδώρου est Metrodori *frater* (*Alciph.* epp. 2,2) etc.

Inscriptio epistolae (« his, qui sunt in Deo Patre dilectis et Christo Iesu conservatis [et] vocatis ») omnes omnino omnium ecclesiarum fideles videtur complecti; at Apostolum certas quasdam ecclesias atque eas quidem, quibus Iacobus et Petrus scripserunt, prae oculis habuisse, argumento epistolae et occasione, quae eam provocavit demonstratur. Etenim quum communia quaedam salutis monita fidelibus tradere voluisset, eorum periculo adductus est, ut ad fidem suam strenue retinendam eos exhortaretur; « subintroierant enim quidam homines impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam et solum dominatorem et Dominum nostrum Iesum Christum negantes ». Quae descriptio in illos haereticos quadrat, qui ex verbis nonnullis paulinis male intellectis se nulla lege teneri deducebant atque hac ratione gratiam Dei in luxuriam transferebant ulteriusque progressi « blasphemantes quae ignorant » Dominum N. eiusque secundum adventum negare coeperant. Haereticos illos in Asia Min. perversas suas doctrinas sparsisse, supra iam diximus; hisce igitur ecclesiis Iudam epistolam suam destinasse, iure concludimus; Iacobi autem fratrem sese in inscriptione appellat, ut eius monita lectoribus in memoriam revocet plenumque suum cum eis consensum manifestet.

3. — Solis monitis non contentus S. Iudas, ut fidelibus salutarem incutiat terrorem, pro praecipuo ARGUMENTO sumit poenas, quibus Deus iustus iam olim omnes mandatorum suorum transgressores afflixit, easque etiam seductoribus praedicit, qui fideles doctrinis suis perversis perdere conantur.

Indicata ratione, qua ad hanc epistolam scribendam permotus sit (1-4)

Apostolus in *priore parte* statim Iudaeorum incredulorum in deserto interitum, angelorum superbientium damnationem, Sodomitarum luxuriae deditorum poenas affert, quum similia sint haereticorum peccata (5-8); modestiae Michaelis opponit eorum superbiam poenasque Caini, Balaam, filiorum Core eis praedicit (9-13) monens seductorum interitum iam ab Enoch esse praedictum (14-16).

In *altera parte* deinde fideles exhortatus, ut futurum praemium exspectantes sese in dilectione Dei conservent (17-21), eos docet, quomodo erga haereticos illos sese gerere debeant (22. 23), atque doxologia epistolam terminat (24. 25).

4. — Epistolam Iudae *Eusebius* quidem inter antilegomena sua recenset (H. E. III. 25) et *S. Hieronymus* » a plerisque reiici « dicit (de Vir. ill. 4); attamen licet ob singulare suum argumentum a Patribus apostolicis allegata non sit, inde tamen ab exeunte saec. 2. in tota Ecclesia tanta cum unanimitate est recepta, ut de eius AUTHENTIA dubitare non liceat; revera non nisi a paucis « criticis » hodie reiicitur, qui pro more suo varios et miros fines huic « fictioni » affingunt.

Antiquitati et auctoritati epistolae testimonium insigne S. Petrus dat eam in sua secunda adhibens; eo facilius igitur Patrum apostolicorum allusionibus carere possumus. Ceterum versus a. 170. eam in ecclesiae romanae canone fuisse, testatur *Fragm. Murator.*, atque paullo post *Tertullianus* (de Cult. fem. I. 3) eam velut canonicam ab omnibus receptam supponit. Eodem tempore *Clemens Alex.* eam commentariolo instruxit et velut Scripturam allegavit (Paed. III. 8; Strom. III. 2 cfr *Eus.* H. E. VI. 13. 14), *Origenes* diserte eam Apostolo Iudae auctore adscripsit frequenterque adhibuit (in Matth. tom. X. 17; in Ios. hom. 7,1; — de

Princ. III. 2; in Gen. hom. 2,5 etc); in antiqua versione syriaca eam adfuisse constat ex *S. Ephraem* allegationibus (Opp. gr. III. p. 61 sqq.; Opp. syr. I. p. 136). Tribus igitur primis saeculis non pauci testes authentiam confirmant; sed ne unus quidem invenitur, qui eam reiecerit; quare non satis intelligitur, cur Eusebius eam antilegomenis adnumeraverit, multo minus autem, cur S. Hieronymus eam « a plerisque » reiici dixerit; nam authentiae testes Eusebio quidem recentiores sed S. Hieronymo antiquiores in Oriente sunt *S. Athanasius* (ep. fest. 39), *S. Cyrillus Ier.* (Cat. IV. 36), *Didymus Alex.* (Enarr. in ep. Iudae), *S. Gregorius Naz.* (de Ver. Script. 39), *S. Epiphanius* (Haer. 26,11), *S. Ephraem,* in Occidente autem *S. Philastrius* (Haer. 88), *Lucifer Calar.* (De non conv. cum haer.), *S. Ambrosius* (Expos. S. Luc. VI. 43), *S. Augustinus* (Doctr. II. 8; in Ioan. Tract. 78,1 etc.), *SS. Damasus* et *Innocentius* I. in suis catalogis, *Conc. Hipp. et Carthag.* etc. A solis antiochenis Patribus non videtur esse adhibita; erravit igitur *Caietanus*, qui S. Hieronymi verbis nimium confisus epistolae Iudae minorem, quam reliquis Scripturis auctoritatem competere asseruit (in Iud. 1).

Inter modernos « criticos » unus alterve epistolam contra S. Paulum eiusque doctrinas scriptam esse non minus stulte quam blaspheme asseruit (*Renan*), alii eam exeunti saec. 1. adscribunt (*Ewald*), alii contra Carpocratem circa a. 140. eam editam dicunt (*Schwegler*) etc. — Quod S. Iudas in sua epistola nec apocryphum I. Enoch nec apocrypham Ascensionem Moysis allegarit, diximus in *Diss.* I. § 9,3. p. 51 sq.

§ 22. — *De tribus S. Ioannis Apostoli epistolis.*

1. — I. Quin S. Ioannes Apostolus trium epistolarum auctor sit, quas titulus ei in Scripturarum editionibus attribuit, non est dubium. Etenim quamvis prima omni inscriptione careat et duarum aliarum auctor nomine proprio suppresso in inscriptione dumtaxat *Senior* (ὁ πρεσβύτερος) appelletur, unanimis fere antiquitatis consensus omnes tres S. Ioanni Ap. auctori attribuit, atque erravit S. Hieronymus, qui duas minores « a plerisque » non Apostolo sed « presbytero Ioanni » cuidam adscribi asseruit; multo magis errant moderni « critici » illi, qui omnes tres S. Ioanni abiudicant.

Concilium Tridentinum in suo canone « *Ioannis Apostoli tres* » epistolas recensens cum earum canonicitate simul earum authentiam tuetur, idque rectissime. Primae enim tanta est cum quarto Evangelio affinitas, ut utramque scripturam eidem auctori attribuere cogeremur, etsi Patrum testimonia deessent; attamen non desunt. Duo enim Patres apostolici, qui S. Ioannis discipuli fuerunt, *S. Papias* (cfr Eus. H. E. III. 39) et *S. Polycarpus* (ad Philipp. 7 cfr 1 *Ioan.* 4,2. 3) eam iam adhibuerunt; *S. Irenaeus* vero, Polycarpi discipulus, eam addito « Ioannis discipuli Domini » nomine allegavit (c. Haer. III. 16); eodem tempore in Occidente *Fragm. Murat.* et *Tertullianus* (c. Prax. 15), in Oriente *Clemens Alex.* (Strom. II. 15) et versio *syriaca* eam Ioannis Apostoli et Evangelistae esse testantur; *Eusebius* (H. E. III. 25) eam inter homologumena sua refert, nec ulla umquam dubitatio hac de re est mota, usque dum moderni « critici » cum quarto Evangelio etiam epistolam primam falsario saec. 2. attribuere coeperunt.

Tam unanimis quidem consensus de duabus minoribus epistolis non est, sed

certe erronea est S. Hieronymi assertio, licet a multis iunioribus latinis scriptoribus satis temere sit repetita. Eusebius quidem (H. E. III. 25) eas inter Antilegomena refert dubitationemque aliquam manifestat, utrum ab Evangelista an ab alio viro homonymo editae sint, sed tantum abest, ut « a plerisque » eas presbytero cuidam Ioanni adscribi dicat, ut alibi sine ulla haesitatione de *epistolis* Apostoli loquatur et ex suppressione nominis modestiam Apostoli demonstret (Dem. Evang. III. 5). *S. Amphilochius* (ad Seleuc. 310 sqq.) quoque non certus quidem est de canonicitate duarum minorum epistolarum, sed Ioanni presbytero eas esse dandas, ne verbulo quidem innuit. Dubitari potest, annon *Fragmenti Murat.* auctor sententiae S. Hieronymi faveat; eique addamus decretalem « de recipiendis et non recipiendis libris », quae libros sacros recensens « Ioannis *Apostoli* epistolam unam, alterius Ioannis *presbyteri* epistolas duas » nominat, et habemus omnes antiquitatis testes superstites, quos S. Hieronymus citare potest. At probe animadvertas, decretalem illam S. Damaso deberi, S. Hieronymi amico, ac proin ab ipso S. Doctore dependere. Contra S. Hieronymum autem testantur, ut solos antiquiores nominemus, *Tertullianus* (de Pudic. 19), qui « *primam* Ioannis epistolam » allegans ostendit se alias eidem attribuere, *S. Irenaeus* (c. Haer. I. 16; III. 11), qui addito « Ioannis discipuli Domini » nomine secundam cum prima citat, *Clemens Alex.*, qui « maiorem » Ioannis epistolam minoribus opponit (Strom. II. 15), *Origenes* (in Ios. hom. 7,1), *S. Dionysius Alex.* (cfr Eus. H. E. VII. 25), *S. Athanasius* (ep. fest. 39), *S. Gregorius Naz.* (de Ver. Script. 37), S. *Palladius* (Dial. 20) *S. Philastrius* (Haer. 88), *S. Augustinus* (Doctr. christ. II. 8), *Rufinus* (Symb. 37). *S. Innocentius I.* (ad Exup. Tolos. Mansi III. 1041), *Conc. Hippon. et Carth.* (Mansi III. 924; IV. 430), immo ipse *S. Hieronymus* (ad Paulin. ep. 53,8; ad Ageruch. ep. 123,12; ad Evang. ep. 146,1 etc.). Fere unanime igitur recte dicitur antiquitatis testimonium, neque est dubium, quin « critici » ipsi, si de libro profano ageretur, tot tantisque testibus fidem haberent nec ad internas rationes recurrerent, ut eius authentiam impugnarent. Pro internis rationibus autem illa ipsa contra authentiam afferunt, quibus alii authentiam defendunt; unde satis elucet, eiusmodi argumentis solis, si externa testimonia desunt, nihil demonstrari.

2. — II. De 1 Ioannis epistolae destinatione recte sentire illi videntur, qui illam Evangelii praefationem vel introductionem aliquam esse dicunt, qua Apostolus, quum Evangelium ecclesiis asiaticis transmitteret, eius summum argumentum finemque indicavit et fructum accuratius explicavit, quem a Christianis ex eius lectione hauriri voluit.

S. Augustinus, quem secuti sunt aliqui iuniores Latini, epistolae huic titulum « *ad Parthos* » indidit (Tract. in ep. Ioan. ad Parthos) mendo, ut videtur, codicis sui in errorem inductus; neque enim in Oriente neque ante Augustinum in Occidente quisquam eam Parthis scriptam esse innuit. In genere Patres de destinatione eius non loquuntur, quare deficiente traditione ad coniecturas est confugiendum internisque rationibus, quantum fieri potest, res est definienda. Iam vero ex ipsa epistola praeprimis elucet, Apostolum cum illis, quibus scribit, intima familiaritate fuisse coniunctum neque alieno gregi, sed suis ovibus monita sua destinasse. Neque minus clare ex epistola elucet, inter Christianos, quibus scribit, exortas esse haereses, quae Iesum esse Christum Filium Dei negantes « Iesum solvebant » atque veram et realem incarnationem impugnantes docetismum aliquem statue-

bant (2,19 sqq.; 4,2 sq. 9. 14 sq. etc.). Quae omnia suadent, ut ecclesiis Asiae Min., quibus praefuit S. Ioannes et in quibus similes haereses apostolica aetate pullularunt, epistolam scriptam dicamus (cfr *Diss.* VII. § 7,9 p. 505).

Porro summa quoque est epistolae huius et quarti Evangelii affinitas; idem enim utriusque scripti est *finis*, ut credant fideles Iesum esse Christum Filium Dei et credentes vitam habeant in nomine eius (*Ioan.* 20,31; 1 *Ioan.* 5,13); idem utriusque *argumentum;* Iesum enim esse Christum Filium Dei Evangelium historica narratione demonstrat et epistola velut fundamentum integrae vitae christianae identidem inculcat (1 *Ioan.* 2,22 sqq.; 4,2 sqq. 15 sqq.; 5,5 sqq. 10 sqq.); idem *mandatum novum* caritatis fraternae, quod Evangelium Iesum discipulis suis tradidisse asserit, epistola continuo commendat (*Ioan.* 13,34; 15,12 etc.; 1 *Ioan.* 2,7 sqq.; 3,14 sqq.; 4,9 sqq. etc.); iidem *haeretici* in Evangelio indirecte, in epistola directe impugnantur etc.

Quibus demum accedit, quod epistola disertis verbis ad Evangelium respiciat; nam nec prooemii verba, quibus Apostolus se illa annuntiare asserit, quae de Verbo vitae audivit, oculis vidit, manibus tractavit (1 *Ioan.* 1,1 sqq.) aptum sensum praebent, nisi de Evangelio intelligantur, neque alia verba, quibus ter se ad omnes scribere (γράφω) et ter se ad omnes scripsisse (ἔγραψα) dicit (1 *Ioan.* 2,12-14 *gr.*), de unica hac epistola explicari possunt, nisi verbis lusisse dicatur; scripsit autem in Evangelio, scribit in epistola, quam terminato Evangelio velut praefationem addidit. Revera scriptura haec non satis recte epistola vocatur, siquidem inscriptione et clausula epistolari caret, neque rectius homilia vocari potest, quo nomine ep. ad Hebr., cui etiam inscriptio deest, interdum insignitur, sed est introductio quaedam in Evangelium, qua dogmata in Evangelio historice demonstrata et praecepta, quae Dominum dedisse in Evangelio retulit, lectoribus commendantur.

3. — III. De 1 Ioannis epistolae argumento et dispositione. Praecipuum dogma in Evangelio tractatum est divinitas Domini N., praecipua praecepta, quae commendantur, sunt amor Dei et proximi atque odium mundi: haec tria etiam summum argumentum epistolae constituunt, sed liberiore modo tractantur, ita ut auctor ab uno ad alterum transeat et ad ea, quae iam tractaverat, iterum revertatur. Vera igitur divisio epistolae indicari non potest, nihilominus tres partes distinguere licet, quae singulae ad evangelicam sententiam alludere eamque exponere videntur.

In *exordio* Apostolus Evangelium cum epistola transmissum commendat (1,1-4).

In *prima parte* (1,5-2,29) ad doctrinam « *Deum esse lucem* » (*Ioan.* 1,4 sqq.) provocans (1,5) nobis in luce ambulandum esse docet, ut cum Deo coniungamur (1,6.7); itaque a peccatis esse abstinendum (1,6-2,6) et novum caritatis praeceptum observandum, quo diiudicetur, num quis in luce ambulet (2,7-11); duo autem vitia indicat, quibus homines, quominus in luce ambulent, maxime impediantur, amorem mundi et commercium cum haereticis Iesum esse Christum negantibus (2,12-29).

In *altera parte* (3,1-4,6) ad doctrinam, « *credentes in Christum filios Dei fieri* » (*Ioan.* 1,12) provocans (3,1. 2) ad sanctitatem anhelandum esse docet vitatis peccatis, quibus homo filius diaboli constituatur (3,3-10); caritatem igitur fraternam, quae a filiis diaboli ignorata optimos afferat fructus esse exercendam (3,11-22) atque credendum in Iesum Filium Dei, siquidem is, qui Iesum Christum in carne venisse confiteatur, ex Deo sit (3,23-4,6).

In *tertia parte* (4,7-5,12) « *caritatem Deum impulisse, ut Filium suum daret* » (*Ioan.* 3,12) monens denuo lectores ad caritatem Dei et caritatem fraternam exhortatur, quae ita inter se sint connexa, ut una sine altera non possideatur (4,7-21); fidem autem in Iesum Christum radicem caritatis esse inculcat (5,1-12).

In *epilogo* epistolam suam eo tendere asserit, ut fidem in Iesum Christum commendet, quippe quae vitam aeternam, fiduciam in precationibus, veram scientiam Dei datura sit (5,13-21).

5. — V. Epistola 2 Ioannis uni ex asiaticis ecclesiis, quae nomine « dominae electae » in inscriptione designatur, scripta esse recte asseritur. Contra eosdem haereticos, de quibus in praecedente agit, etiam in hac Apostolus fideles praemunit; eadem quoque ratione mandatum caritatis fraternae inculcat veramque caritatem in observatione mandatorum constare docet. Velut epitome igitur est longioris epistolae neque diu post illam videtur exarata.

Epistola inscribitur : *Senior* (ὁ πρεσβύτερος) *Electae dominae* (ἐκλεκτῇ κυρίᾳ) *et natis eius, quos ego diligo in veritate* ». Nomine *Senioris* intelligi S. Ioannem Apostolum traditione Patrum constat; quaenam autem sit *electa domina*, incertum est. Vulgata nostra scriptione sua indicat, epistolam mulieri destinatam esse, cui nomen fuit *Electa,* at parum recte; dicendum enim esset, eius sororem idem nomen gessisse (v. 13); alii igitur volunt, epistolam scriptam mulieri, cui nomen Κυρία (*Domina*, מִרְתָּא), at tunc scribendum erat Κυρίᾳ τῇ ἐκλεκτῇ. Praeterea in tota epistola a v. 6. adhibetur pluralis, ultimo autem in versu, in quo pluralis exspectatur, iterum recurrit singularis ; porro ea quoque, quae vv. 4. 5. 10. leguntur, aptam explicationem vix admittunt, si mulieri cuidam epistola destinata dicitur. Quare praeferenda videtur sententia a *Clemente Alex.* (Adumbr. in 2 Ioan.) insinuata et a *S. Hieronymo* (ad Ageruch. ep. 123,12), *Ven. Beda* (in 2 Ioan. 13), *Oecumenio* (in 2 Ioan. 13) aliisque adoptata, nomine « electae dominae » designari ecclesiam aliquam particularem, atque probabiliter unam ex asiaticis, quas Apostolus ultimo vitae suae tempore regebat atque interdum visitabat.

In *inscriptione* (1-3) fidem et fidelitatem illius ecclesiae velut rationem indicat, cur eam diligat, atque deinde statim fidelibus ecclesiae novum caritatis mandatum in memoriam revocat (4-6) eosque monet, ut a seductoribus Verbi incarnationem negantibus caveant (6-8) et ab eorum societate abstineant (9-11). Demum promittens, se mox ad illos esse venturum terminat epistolam adscriptis salutationibus ecclesiae, in qua residet (12. 13).

De *authentia* epistolae supra iam diximus; externis autem testimoniis ibi allatis tamquam confirmatio accedit magna eius cum praecedente epistola similitudo; cfr 2 *Ioan.* 1 et 1 *Ioan.* 3,18; 2 *Ioan.* 4 et 1 *Ioan.* 1,6; 2 *Ioan.* 5 et 1 *Ioan.* 4,21; 2 *Ioan.* 6 et 1 *Ioan.* 5,3 (2,7 sqq.); 2 *Ioan.* 7-10 et 1 *Ioan.* 4,2 sq. etc.

6. — VI. Epistola 3 Ioannis Caio cuidam inscribitur, qui quis fuerit aeque incertum est, atque qui fuerint Diotrephes et Demetrius, quorum prior in epistola vituperatur, alter commendatur. Qua occasione tamen Apostolus has literulas dederit, ex earum argumento apparet; discipuli enim nonnulli, quos Evangelii inter ethnicos propagandi causa miserat, a Caio bene, male autem a Diotrephe erant recepti.

Apostolus igitur post inscriptionem (1. 2) gaudium suum de bonis nuntiis exprimens, quos de Caii sancta conversatione ac maxime de eius hospitalitate per discipulos suos acceperit, cum exhortatur, ut in hac via permaneat, quum Evangelii propagatores adiuvari debeant (3-8). Vehementer autem Diotrephem vituperat, qui, quamvis primus esse in ecclesia velit, non tantum ipse hospitalitatem non exerceat, sed alios, ne eam exerceant, arcere studeat. Quem rerum statum se mox mutaturum promittens (9. 10) Demetrium commendat, per quem epistolam videtur transmisisse (11-14).

Tres viri, quibus nomen fuit Caius, in Actibus et epistolis commemorantur, Macedo quidam (*Act.* 19,29), Derbensis (*Act.* 20,4), Corinthius (1 *Cor.* 1,14; *Rom.* 16,23), quibus quartus accedit, quem Pergami episcopum a Ioanne constitutum esse referunt Constit. Apost. (VII. 46). Utrum unus ex his, an alius (nam nomen Caii frequens fuit) designetur, non liquet. Neque *quo tempore* haec epistola sit data, scimus; ad ultimos tamen Apostoli annos eam pertinere, vix non certum videtur. *Authentiam* epistolae supra iam testimoniis patristicis demonstratam confirmat eius affinitas cum aliis libris Apostoli; cfr 3 *Ioan.* 1. « quem ego diligo in veritate » et 2 *Ioan.* 1; 3 *Ioan.* 3 « in veritate ambulas » et 2 *Ioan.* 2,4; 3 *Ioan.* 6.8 laus caritatis fraternae et 1 *Ioan.* 4,7 sqq.; 3 *Ioan.* 11 « ex Deo est » et 1 *Ioan.* 3,10; 3 *Ioan.* 12 « nosti, quod testimonium nostrum verum est » et *Ioan.* 19,35 et 21,24 etc.

§ 23. — *De praecipuis commentariis catholicis in Epistolas catholicas.*

I. Interpretatio patristica. Epistolae catholicae a paucis Patribus explicatae sunt. *Clementis Alex.* Adumbrationes integrae non sunt conservatae; in quatuor epistolas (1 Petr., 1. 2 Ioan., Iud.) hodie supersunt, sed per Cassiodorum ab erroribus mundatae; *Didymi Alexandr.* Enarrationum hodie exstant maiora fragmenta latina, pauca graeca; ea, quae reliqui Patres ad eas explicandas contulerunt, collecta sunt ab *Euthymio* et in catenis, quae sub *Oecumenii* et *Theophylacti* nominibus vulgatae sunt.

Quibus graecis pauciores latini accedunt: *S. Augustini*, qui epp. Iac. et 1 Ioan. explicavit, supersunt « decem tractatus in ep. Ioan. ad Parthos »; *Cassiodori* « complexiones » brevissimae et interpreti parum utiles sunt; iustum commentarium in omnes composuit Ven. Beda, a quo fere dependet *Wal. Strabonis* Glossa ordinaria, dum *Alulfus* paucas explicationes ex S. Gregorii M. operibus collegit.

II. Interpretatio mediae aetatis antiquiori haud multa addidit. *Martinus Legion.* epp. Iac., 1 Petr., 1 Ioan. homiletico potius modo interpretatus est; *Card. Hugo* et *Nic. Lyranus* consuetam suam interpretationis rationem tenuerunt; inter illius aetatis commentarios praestat ille, qui *Nicol. de Gorham*, O. Praed., debetur (inter opera S. Thomae Aq. edi solet, sed sub auctoris nomine vulgatus est Antwerpiae 1617.). Quibus accedunt *Dionysii Carth.* enarrationes, quae primum typis descriptae sunt Coloniae 1533.

III. Saeculis 16. 17. 18. multi prodierunt epistolarum cath. commentatores, quorum praecipuos tantum nominabimus illis praetermissis, qui aut universas fere Scripturas (uti Caiet., a Lapide, Tirin., Menoch., Calm. etc.) aut plerosque N. T.

libros (uti *Gagn. Salmer.*, *Natal. Alex.* etc.) interpretati sunt. Reliquos cunctos *Guil. Estius*, cuius opus postumum eius collega *Barth. Petri* complevit (Comment. in omnes epist. cath. Duaci 1614. et saepe), ac *Ioannes Lorinus* S. I. (in Ioan. et Petr. Lugduni 1609., in Iacob. et Iud. 1619.) superant, prior accuratior, alter eruditior et copiosior. Aetate autem et merito proxime eis accedunt *Bened. Iustinianus* S. I. (Explanationes. Lugduni 1621) et *Nicol. Serarius* S. I. (Comment. Moguntiae 1612.). Satis longe ab hisce distant *Felicianus Capito* (Explicatio 1561), *Mich. de Palacios* (Enarratio. Salmanticae 1581.), *Lib. Fromondus*, qui solum fere Estii opus excerpsit (Commentarii. Lovanii 1661.), *Christ. L. Schwarzenau* (Catholica commentatio et meditatio. Giessae 1723), *Ant. Remy* S. I. (Paraphrasis s. dilucida expositio. Constantiae 1740.) aliique multi.

Aliquas tantum epistolas porro commentariis vel scholiis illustrarunt *Ioan. Hesselius* (In 1. Petr... l. Ioan. eruditissimus comment. Lovanii 1568.), *Fr. Feuardentius*, O. Min. (in Iac. Lovanii 1599., in 1. Petr. Parisiis 1600., in 2. Petr. 1601., in Iud. 1595.), *A. de Quiros* S. I. (in Iac. et Iud. Hispali 1622.), *Ioan. Pricaeus* (in 1. 2. 3. Ioan. Parisiis 1646., in Iud. Londini 1660.), *Ign. Zuleta* S. I. (in Iac. Lugduni 1668.), *A. Nic. du Bois*, O. Praed. (in Iud. Parisiis 1644.), *Fr. Duneau* S. I. (in Iac. Romae 1682. ital.), *Seb. Semiller* (in Iac. et Iud. (Norimbergae 1783.) etc.

IV. NOSTRO HOC SAECULO catholicas epistolas CUNCTAS explicarunt *M. A. Nickel* (Mainz 1853. germ.), *I. Mc Evilly* (Dublin 1856. Ed. 3. 1875. angl.), *Aug. Bisping* (Münster 1871. germ.), *Paul Drach* (Paris 1873. gall.), *A. Fr. Maunoury* (Paris 1888. gall.). Solam. S. IACOBI epistolam commentario instruxerunt *I. A. Liagre* (Lovanii 1860. lat.), *Al. Messmer* (Brixen 1863. germ.), *Petr. Schegg* (München 1883. germ.), *Fr. S. Trenkle* (Freiburg 1894. germ.). Eiusdem epistolae apostolicitatem valide vindicavit *K. Rückert* (Mainzer Katholik 1886. II. quatuor dissertationibus); doctrinam eius cum Paulina consonare ostenderunt *Chr. Schmitt* (Tüb. Quartalschr. 1874.), *Paul Schanz* (ibid. 1880.), *B. Bartmann* (Freiburg 1897.) aliique. — DUAS S. PETRI epistolas eximiis commentariis illustraverunt *P. J. Picot de Clorivière* S. I. (Paris 1809. Ed. 2. Lyon 1864. gall.) ac praesertim *L. I. Hundhausen* (Mainz 1873. 1878. germ.); de epistolarum authentia optime meritus est *F. Windischmann* (Vindiciae Petrinae. Moguntiae 1836.) cum multis aliis recentioribus. — TRES S. IOANNIS epistolas *G. C. Mayer* (Wien 1851. germ.) interpretatus est, ac duas minores etiam *H. Poggel* (Paderborn 1896.); de apostolica origine commatis Ioannei (1 *Ioan.* 5. 7) multi disseruerunt, quos hoc loco recensere longum est. — Demum epistolam S. IUDAE docte explicavit et vindicavit *Mich. F. Rampf*, nunc episc. Passav. (Sulzbach 1854.).

DISSERTATIO IX.

DE LIBRO PROPHETICO NOVI TESTAMENTI.

DE APOCALYPSI B. IOANNIS APOSTOLI.

§ 1. — *De Apocalypseos origine apostolica et divina.*

1. — Testimonium, quod S. Ioannes Apostolus et Evangelista sibi ipsi tamquam Apocalypseos auctori fert, tam clarum est, ut ante medium saec. 3. nullus inveniatur scriptor orthodoxus, qui in asserenda apostolica ac divina libri origine haesitaverit, in tota vero Ecclesia Apocalypsis velut divina prophetia fuerit recepta.

In antiquissimorum codicum titulis subscriptionibusque unicus Novi Test. liber propheticus « Apocalypsis Ioannis » appellatur, iuniores nomini proprio appellationem honorificam « Theologi » aut « Theologi et Evangelistae » aut « Apostoli et Evangelistae » addunt. Auctor autem se ipse appellat « Iesu Christi servum Ioannem, qui testimonium perhibuit verbo Dei » (1,1. 2; 22,8), se « in insula Patmos fuisse dicit propter verbum Dei et testimonium Iesu Christi » (1,9), atque tanta cum auctoritate septem ecclesias Asiae alloquitur, ut evidens sit, eum illis omnibus fuisse praepositum, ita ut ipsi episcopi ad eius verba attendere debuerint (1,4-3,22). Quin his omnibus *Apostolus* Ioannes designetur, licet se ipse Apostolum non appellet, non est dubium. Atque ita revera ab antiquissimis testibus testimonium eius intellectum est; omnes enim velut apostolicum et divinum opus Apocalypsin adhibuerunt.

Quoniam teste S. Irenaeo Apocalypsis versus finem imperii Domitiani (i. e. 95.) data est, in primorum apostolicorum Patrum operibus vestigia eius quaerere non licet; sed inde a medio saec. 2., i. e. quinquaginta fere annis postquam scripta est, testimonia abundare incipiunt. In ASIATICIS ECCLESIIS, quibus Apocalypsis ab auctore proxime transmissa est, primus testis est *S. Iustinus M.*, qui « Ioanni uni ex Christi Apostolis » Apocalypsin datam esse *Ephesi* asseruit (c. Tryph. 81). Eodem tempore *sardensis* episcopus, *S. Melito* « de Apocalypsi Ioannis » librum composuit (*Eus.* H. E. IV. 26). *Smyrnensis* ecclesia in sua de morte S. Polycarpi relatione martyrem verbis Apocalypseos nonnullis ultimam suam precationem inchoasse narrat (Martyr. S. Polyc. 14). Hierapoli, haud longe a *Laodicea*, una ex septem ecclesiis, *S. Papias*, S. Ioannis Apostoli discipulus, nonnulla de Apocalypsi scripsit, in quibus eius divinam quoque originem asseruit (*Andr. Caes.* in

Apoc. Prol. et 12,7). Maximae auctoritatis est testimonium *S. Irenaei*, qui quamvis lugdunensis episcopus fuerit, tamquam Polycarpi discipulus asiaticis testibus adnumeretur oportet; iam vero non tantum Apostolo auctori Apocalypsin attribuit, sed de numero bestiae disserens ad testimonium eorum provocat, qui « facie ad faciem Ioannem viderant » atque tempus accurate indicat, quo data est (c. Haer. IV. 20 sq.; V. 30. 35). Cui accedit *Apollonius*, presbyter *ephesius*, qui contra Montanistas « testimoniis ex Ioannis Apocalypsi usus est », intelligit autem Apostolum Ioannem (*Eus.* H. E. V. 18). Asiaticarum igitur ecclesiarum, in quibus Ioannes Apostolus ultimos annos peregerat, toto saec. 2. unanimis est traditio de apostolica et divina libri origine.

Quibuscum ecclesia SYRIAE OCCIDENTALIS ET ORIENTALIS consentit; in priore enim *S. Theophilus Ant.* « contra Hermogenis haeresin librum composuit, in quo testimonia adhibet ex Ioannis revelatione desumta » (*Eus.* H. E. IV. 21); alterius autem sententiam cognovimus ex syriaca versione Apocalypseos medio saec. 2. adornata. Quamvis enim versio, quae in hodiernis syriacis editionibus exstat, recentior sit, antiquam tamen adfuisse et Ioanni theologo et Apostolo attributam fuisse ostendunt *S. Ephraem* allegationes (Opp. gr. II. 194. 248. 252 cfr *Assem.* Bibl. orient. I. 141; II. 332).

Idem consensus est in antiqua ECCLESIA ALEXANDRINA, cuius testes eximii sunt *Clemens Alex.* (Quis dives. salv. 42; Paed. II. 10. 12; Strom. IV. 25; V. 6; VI. 13) et *Origenes* (in Ios. hom. 7,1; in Ioan. V. 3; I. 1. 2. 6. 14 etc.).

Neque minor est OCCIDENTIS consensus. In *romana* ecclesia *S. Hermas* eam iam adhibuit (Vis. II. 4; IV. 2), auctor *Fragm. Murat.* eam in canone recenset, *S. Hippolytus* eam explicavit et frequenter sub nomine Ioannis Apostoli allegavit (de Christo et Antichr. 35. 36. 47. 48. 50 etc). Ex ecclesia *gallicana* *S. Irenaei* testimonium iam retulimus, cui accedit tota *ecclesia Vienn. et Lugd.* in sua epistola ad fratres Asiae diserte velut Scripturam allegans Apocalypsin (*Eus.* H. E. V. 1). *Africanae* ecclesiae testes demum sunt *Tertullianus* (c. Marc. III. 14; IV. 5 etc.) et *S. Cyprianus* (ep. 26, 4; de Bono pat. 24 etc.), qui ambo divinam et apostolicam libri originem agnoscunt. Quibus immerito opponitur *Caius*, presb. romanus, quippe qui non Ioannis Apocalypsin sed Cerinthi confictas revelationes teste Eusebio repudiaverit (Eus. H. E. III. 28).

Qui tot et tanta saeculorum 2. et 3. ineuntis testimonia considerat, facile intelligit, cur *Eusebius* (H. E. III. 25) eam inter sua Homologumena retulerit; at eodem in loco Eusebius eam etiam inter libros *spurios* (τοὺς νόθους) referri posse monet ad incertitudinem respiciens, quae in nonnullis Orientis ecclesiis inde a medio saec. 3. exorta aliquot saeculis duravit.

2. — Tam plenus enim et unanimis consensus inde a medio saec. 3. quidem non amplius invenitur, quia magna *S. Dionysii Alex.* auctoritas effecit, ut nonnullae ecclesiae, maxime in Syria et Palaestina, eam a publica lectione excluderent; at longe maior Orientalium numerus et omnes Occidentales antiquam traditionem de apostolica et divina libri origine conservarunt, reliquae autem ecclesiae fere omnes ad eam redierunt.

Nimium allegoricae interpretationis studium ab Origene invectum repudiantes episcopi nonnulli aegyptiaci, inter quos praecipuus erat Nepos Arsinoensis, in aliud extremum illapsi sunt, atque etiam symbolicas Apocalypseos descriptiones proprio sensu explicantes chiliasmo crasso et carnali originem dederunt. Quem errorem

S. Dionysius M., Origenis discipulus, impugnaturus apostolicam originem Apocalpyseos, cuius testimoniis chiliastae abutebantur, in dubium vocavit librumque pio viro cuidam apostolico, Ioanni homonymo, adscribere maluit variis conquisitis argumentis, de quibus statim dicemus (*S. Dionys. M.* apud Eus. H. E. VII. 25). Quae sententia ab alexandrina quidem ecclesia non est recepta, sed per certum quoddam tempus in aliis nonnullis, maxime palaestinensi et antiochena, praevalere coepit. Patres, qui eam videntur adoptasse, alibi iam enumeravimus (*Diss.* I. § 7,4. p. 47); *S. Hieronymus* autem rem exaggerat asserens « Graecorum ecclesias Apocalypsin non suscipere » (ad Dard. ep. 129,3); cum toto enim Occidente, qui, si paucos scrupulos saec. 7. in Hispania exortos sed a Concilio Tolet. a. 633. statim suppressos (*Harduin* Coll. Conc. III. 384) excipis, ante natum protestantismum semper cum divina etiam apostolicam libri originem tenuit, pleraeque orientales ecclesiae plane consenserunt.

Maximae auctoritatis in hac quaestione sunt *Alexandrini* S. Dionysio M. recentiores, ex quibus sufficit nominasse *S. Athanasium*, qui eam in suo canone (« Ioannis Apocalypsis ») sine ulla haesitatione recenset eiusque testimoniis contra Arianos frequenter utitur (Ep. fest. 39; c. Arian. II. 23. 45; III. 4 etc.), *S. Didymum* et *S. Cyrillum Alex.*, qui ambo addito Ioannis Apostoli nomine eam velut divinam auctoritatem allegant (*Didym.* de Trinit. III. 5; in Iudae ep.; *S. Cyr.* de Ador. in spir. VI, etc.); quibus duos alios aegyptiacos scriptores, *S. Nilum Abb.* (Ep. I. 137) et *S. Isidorum Pelus.* (Ep. I. 188) addimus. In ecclesiis *palaestinensibus* S. Cyrillus Ier. eam quidem in suo canone omittit, sed eam sub Ioannis nomine allegant *S. Methodius Tyr.* (Conviv. decem virg. or. 6,5; 8,4 etc.) et *S. Epiphanius*, qui etiam Alogos carpit, propterea quod eam cum aliis Ioannis Ap. libris reiecerint (Haer. 51,3). In *Cappadocia* eam in catalogo quidem Scripturarum *S. Gregorius Naz.* praetermisit sed in aliis operibus velut divinam et apostolicam adhibuit (Or. 29,17; 42,9; cfr *Andr. Caes.* in Apoc. Prol.); item velut « Evangelistae » opus et « Scripturam » *S. Basilius M.* (c. Eunom. II. 14; IV. 2 etc.) et *S. Gregorius Nyss.* (c. Apollin. 37; c. Eunom. II.) eam allegarunt; duo autem S. Basilii in sede caesariensi successores, *Andreas Caes.* et *Arethas Caes.* eam commentariis illustrarunt. In *Syria orientali* eadem aetate eam a S. *Ephraem* adhibitam esse, iam monuimus. *Concilium Trullanum* demum « Ioannis Apocalypsin » cum reliquis Novi Test. libris canoni adnumeravit (*Bevereg.* Synod. Can. Conc. VI. in Trullo c. 2), atque ab eo tempore in omnibus ecclesiis orientalibus, etiam schismaticis (sola nestoriana excepta), Apocalypsis velut Ioannis Apostoli opus divinitus inspiratum admittitur.

3. — Quem unanimem orbis christiani consensum pauci illi turbare non potuere, qui saec. 16. Apocalypsi apostolicam originem et propheticum characterem abiudicare conati sunt, quia asseclas non invenerunt. At saec. 18. authentia libri novos adversarios invenit; neque enim divinam tantum eius inspirationem repudiant omnes rationalistae, quoniam vera vaticinia agnoscere nolunt, sed plerique quoque Apostolum Ioannem esse eius auctorem praefracte negant. Argumentis tamen, quae iam S. Dionysius M. ex inscriptione, dictione, styloque libri desumsit praeter erroneas quasdam textuum interpretationes nihil addiderunt. Tantum vero abest, ut testimonia historica, quae Ioanni Apostolo Evangelium et tres epistolas et Apocalypsin attribuunt, internis illis rationibus

infirmentur, ut confirmari potius sint dicenda; ea enim, quae revera adest, dictionis stylique differentia inter Evangelium quartum et Apocalypsin ex diversa librorum indole satis explicatur.

Saec. 16. *Erasmus* primus difficultates a S. Dionysio propositas repetiit, neque tamen ideo libri authentiam negare ausus est; eam autem negavit *Lutherus*, quia nihil divini aut apostolici in eo invenit; reliqui vero Protestantes summum pontificem et ecclesiam romanam ex Apocalypsi impugnare, quam eius apostolicam et divinam auctoritatem repudiare maluerunt. Inter rationalistas alii, maxime Neotubingiani, Ioannem Apostolum Apocalypseos auctorem agnoscunt, quia ita facilius ei Evangelium abiudicari posse putant, plerique autem Ioanni presbytero, aut Ioanni Marco, aut Ioanni nescio cui impostori Apocalypsin adscribunt. Praecipua eorum argumenta iam a S. Dionysio M. allata sunt haec :

a.) « Ioannes Evangelista nec Evangelio nec epistolis nomen suum adscripsit; at Apocalypseos auctor in ipso exordio iam nomen suum posuit » (*S. Dion.* et moderni). At id rectissime factum esse respondemus, quia Apocalypsis est liber propheticus, cui nomen auctoris deesse non potuit; libris historicis autem antiqui nomen suum non praefixerunt; prima epistola est Evangelii praefatio, et in duabus aliis Apostolus illud nomen suum posuit, quo in Asia cognitus erat. — Quod si moderni addunt, illa, quae *Apoc.* 18,20 et 21,40 leguntur, ab *Apostolo* scribi non potuisse, nos contra asserimus, nihil prorsus illis in textibus inveniri, quod aut modestiae aut veritati repugnet.

b.) « Evangelium emendate, quod ad graecum sermonem attinet, et elegantissime in tota orationis compositione scriptum esse, monet S. Dionysius, Apocalypseos autem dictionem non admodum graecam esse, sed barbarismis atque interdum soloecismis inquinari ». Quibus addunt moderni, expressiones phrasesque in Evangelio frequenter adhibitas ab Apocalypsi exsulari et vicissim Apocalypseos expressiones in Evangelio desiderari. — Differentiam aliquam adesse nemo negat, sed adnota haec : Elegantia graecae dictionis Evangelistae plerumque non minus exaggeratur, quam impuritas Apocalyptici, neque satis attenditur, impuritatem hanc partim omnino esse voluntariam; innumeris in locis ostendit auctor, se regulas graecae linguae accurate tenere; quare si eas nihilominus neglexit, cur ita ageret, habuit suas bonas rationes, quas investigare debet interpres, ut sensum verborum plene percipiat. Porro in Apocalypsi S. Ioannes continuo vaticinia Veteris Test. prae oculis habet ad eaque alludit; unde frequentia hebraismorum facile explicatur. Praeterea alio modo scriptor historicus, alio propheticus loquitur, neque eaedem expressiones, quae narrationi, etiam visioni conveniunt. Apocalypseos demum dictio, etsi rudior est, in multis cum quarto Evangelio consonat, neque immerito asseritur, in toto Novo Test., si dictio graeca spectatur, nullum librum Apocalypsi similiorem, quam quartum Evangelium, reperiri.

c.) « Ex utriusque libri charactere et tota dispositione non unum utriusque esse auctorem » coniecit *S. Dionysius;* quae verba moderni explicantes maiorem vehementiam, fervidius ingenium, luxuriosiorem imaginandi vim in Apocalypsi, quam in Evangelio adesse dicunt. — Neque nos hanc differentiam negamus sed addimus, in Evangelio S. Ioannem fidelem testem ea narrare, quae Christum his in terris agentem vidit et loquentem audivit, in Apocalypsi aeque fidelem testem sublimes visiones, quae ei exhibitae sunt, describere. Num forte eadem omnino est indoles in historicis narrationibus Isaiae et Ieremiae et in eorum visionibus et vaticiniis? Quod si moderni in Apocalypsi rabbinicam aliquam scientiam detegere voluerunt,

quam Ioannes non possederit, notandum est, nomine rabbinicae scientiae ab adversariis maxime designari perfectam Scripturarum scientiam, quam auctor Apocalypseos ostentat; sed S. Ioannem Scripturas ignorasse, quis probavit? Nonne eadem Veteris Test. scientia deprehenditur in quarto Evangelio?

d.) Ultimam demum obiectionem soli moderni excogitarunt; doctrinis sc. Apocalypsin ab Evangelio differre asserunt, sed inter se non consentientes adversarii pro suo quisque ingenio alia atque alia doctrinae capita obiiciunt; ne longi simus, speciminis gratia dumtaxat pauca adscribimus sed praecipua. Evangelista iudaismum aversari, Apocalypticus ei favere dicuntur. At Apocalypsin iudaizare is solus dicet, qui omnia, quae de Ierusalem, de duodecim tribubus etc. dicuntur, proprio sensu de civitate Ierusalem et de antiquo populo iudaico explicat nec sermonem esse de Ecclesia videt; profecto Ecclesiam solis Iudaeis constantem ab Apocalyptico non agnosci, docent 5,8 sqq. et 7,9 sqq. et 21,24 etc. — Spiritualem tantum parusiam Christi in Evangelio doceri, visibilem tantum in Apocalypsi addunt; sed cfr in Evangelio 5,28 sq.; 6,39 sq.; 11,24; 12,48, in prima epistola 2,18. 28; 4,13. 17; internum autem Christi adventum in animas fidelium tradit etiam *Apoc.* 3,20 etc. — Messiam ultorem ab Apocalypsi, salvatorem ab Evangelio praedicari contendunt. Procul dubio Apocalypsis multo plura, quam Evangelium, de futura peccatorum sorte (sed etiam de beatorum salute) et de hostium messianicorum poenis tradit; at Evangelium quoque Messiam futurum iudicem praedicat peccatoribusque annuntiat poenas (*Ioan.* 3,26; 5,22-29; cfr omnes disputationes Domini cum Iudaeis). — « Pneumatologicae, daemonologicae, angelologicae » sententiae Apocalypseos in quarto Evangelio deesse dicuntur. Revera Apocalypsis pro argumento suo frequentius de angelis et daemonibus loquitur; sed etiam in Evangelio et epistola angeli sunt Dei ministri (*Ioan.* 1,51; 12,29; 20,12. 13), iisdem diaboli et satanae nominibus daemones appellantur (*Ioan.* 8,44; 13,27; 1 *Ioan.* 3,8; *Apoc.* 2,9. 10), eadem potestas eis attribuitur (*Ioan.* 13,21; 14,30; *Apoc.* 12,9; 13,14; 2,18), eadem crimina eis obiiciuntur (*Ioan.* 8,44; 1 *Ioan.* 3,12; *Apoc.* 2,13; 3,9), eadem relatio peccatorum ad diabolum insinuatur (1 *Ioan.* 3,10; *Ioan.* 8,38. 41. 44; *Apoc.* 2,9). — Totum librum alii dicunt cum *Marc.* 13,32 pugnare, ac si in Apocalypsi nobis dies et hora futuri iudicii esset revelata. — In toto libro Paulum paulinamque doctrinam impugnari obiiciunt alii; Paulum enim ex numero Apostolorum excludi (*Apoc.* 21,14), sub nomine Balaam velut populi seductorem designari (2,14), eius autem asseclas sub Nicolaitarum nomine damnari (2,6. 15). Quae num absurdius an impudentius asserantur, difficile est dictu, sed refutatione non indigent, quum nullo prorsus fundamento nitantur.

Diversitas igitur doctrinarum inepte obiicitur; rectius ex doctrinarum identitate ad eundem auctorem quarti Evangelii et Apocalypseos concludimus. In libris omnibus, qui Ioanni auctori attribuuntur, clarius, quam in aliis, splendet divinitas Domini N., ac revera sicut eius Evangelium est historia Verbi incarnati in his terris versantis, ita Apocalypsis historia Verbi incarnati in coelis gloriose regnantis recte appellatur. Filius Dei a solo Ioanne vocatur *Verbum* (*Ioan.* 1,1 sqq.; 1 *Ioan.* 1,1; *Apoc.* 1,2; 19,13), a solo Ioanne velut *Agnus* exhibetur (*Ioan.* 1,29. 36; 19,36; *Apoc.* 5,6 etc.); per Verbum omnia facta esse docet *Ioan.* 1,3 et Verbum esse « *principium* (ἀρχή) omnis creaturae Dei » docet *Apoc.* 3,14. Sed pauca haec, quibus multo plura addi possunt, satis iam ostendunt, externa authentiae testimonia confirmari indole et charactere libri.

§ 2. — *De Apocalypseos charactere prophetico, argumento, ordine.*

1. — Libris propheticis Apocalypsis quum auctoris ipsius tum Ecclesiae testimonio adnumeratur; quapropter omnes *argumenti* eius descriptiones, quae propheticum libri characterem negant, a limine reiiciantur oportet. At illis reiectis magna semper remanet de genuino eius argumento varietas sententiarum, quum diverso modo symbola, quibus proponitur, etiam a catholicis interpretibus explicentur.

Liber noster a S. Ioanne ἀποκάλυψις, i. e. *revelatio*, vocatur, quam Iesus Christus a Patre acceptam per angelum Apostolo manifestavit, ut eam servis suis palam faceret (1,1); de futuris autem agit, « quae oportet fieri cito » (1,1; 22,6), ideoque etiam *prophetia* appellatur (1,3; 22,7. 19). Claro auctoris testimonio nixa Ecclesia semper Apocalypsin propheticis libris adnumeravit eamque unicum habuit Novi Test. librum propheticum, licet in Evangeliis et epistolis nonnulla vaticinia referri certum sit; at futurorum revelatio in sola Apocalypsi integrum argumentum constituit.

A vero ergo aberrarunt rationalistae, qui licet propheticum Apocalypseos characterem negarent illius argumentum definire voluerunt. Si eis fidem habemus, auctor poetam egit, qui res partim praesentes partim proxime futuras, quae coniecturis attingi potuerunt, aut etiam spem aliquam vanam inter Christianos eo tempore propagatam poeticis fictionibus exornavit. Quam plurima varii proposuerunt explicationis systemata, quae omnia arbitrariis hypothesibus et interpretationibus nituntur. Secundum alios victoria, quam de iudaismo et polytheismo a nova religione reportatum iri Christiani speraverint, iusto dramate in tres actus diviso proponitur. Secundum multos agitur de Nerone, quem vulnere sibi inflicto non interiisse sed sanatum ad Parthos fugisse atque cum iis tamquam Antichristum reversurum esse Christiani putaverint. Iuxta alios de romano imperio agitur, quod mox interiturum Ioannes erronee speraverit etc. Quibus figmentis immorari opus non est.

At catholici quoque interpretes illique acatholici, qui vaticinia vera admittunt, in definiendo Apocalypseos argumento quam maxime dissentiunt; immo ne illud quidem extra controversiam est, num tria quoque priora capita, quibus liber asiaticis ecclesiis inscribitur, prophetica sint necne. De quo dissensu non mirabitur qui attenderit, Ioanni, uti multis Veteris Test. prophetis, res futuras sub symbolorum involucro esse propositas, atque integrum fere librum symbolicarum visionum descriptionibus constare. Nonnulla quidem symbola in ipsa Apocalypsi aut aliis in libris sacris aliquo modo explicari videntur[1], at plurimorum significatio nos latet. Praecipua igitur systemata explicationis a catholicis proposita adumbrabimus et quid de illis probabilius sit sentiendum innuemus.

(1) Quid sibi velit : « Ego sum Omega » (1,8), explicatur 21,6. 22,13 additis verbis : « initium (principium) et finis, primus et novissimus ». « Septem candelabra » (1,12) et « septem stellae » (1,16) explicantur septem ecclesiae earumque Angeli (1,20); « gladius ex utraque parte acutus » (1,16) ex *Is.* 49,2 explicari potest; « clavis mortis et inferni » (1,18 cfr 9,1; 20,1) ex 3,7 supremam auctoritatem in mortem et in infernum designat etc.

2. — Ut variae de Apocalypseos argumento sententiae facilius intelligantur, praemittendus videtur brevis conspectus integri operis, qui praecipua eius symbola illorumque ordinem exhibet.

TITULUS (1,1-3) visionum auctorem et scriptorem, argumentum generale et fructum innuit.

EXORDIUM (1,4-3,22) octo epistolis constat, quibus liber septem ecclesiis Asiae inscribitur.

1. In prima (1,4-20) omnibus destinata Apostolus narrat, se has visiones in Patmo habitas scribere et ecclesiis transmittere iussum esse.
2. Septem reliquae, singulae singulis ecclesiis inscriptae (2,1-3,22), eas iuxta earum statum descriptum laudant vel vituperant, monentque ut dictis obtemperent.

VISIONES ECCLESIIS SEPTEM TRANSMITTENDAE (4,1-22,5) operis corpus constituunt.

1. Introductio de loco et modo, quo Apostolus has revelationes accepit (4,1-5,14). In coelum raptus vidit divinum thronum circumdatum a senioribus et quatuor animalibus laudem Deo canentibus (4,1-11); qui autem in throno sedebat, tenebat librum, cuius *septem sigilla* Agnus solvit (5,1-14); ea autem, quae in sigillorum solutione facta sunt, argumentum sunt visionum.
2. Agnus aperit SEX PRIORA SIGILLA (6,1-17); ad quatuor primorum solutionem ex ordine prodeunt eques albus, ut vincat, rufus, niger, pallidus, ut variis poenis afficiant terram (6,1-8). Ad quintum martyres a Deo vindictam petunt et ad sextum signa magna fiunt, quoniam venit magnus dies irae Dei (6,9-17).
3. Antequam SEPTIMUM SIGILLUM solvitur, signantur servi Dei (7,1-17), et ad eius solutionem septem angeli accipiunt SEPTEM TUBAS, ad quarum sonum ea, quae septimo sigillo clausa erant, revelantur (8,1-5).
4. Ad QUATUOR PRIORES TUBAS destruitur tertia pars terrae, maris, fluminum, stellarum (8,6-12).
5. Ante trium reliquarum sonitum annuntiatur *triplex Vae* habitantibus terram (8,13) et ad QUINTAM TUBAM locustae progrediuntur, quibus homines signo Dei non signatos laedere permittitur. *Primum Vae* (9,1-12).
6. Ad SEXTAM TUBAM quatuor angeli tertiam hominum partem destruunt, sed reliqui poenitentiam non agunt (9,13-21). Itaque Apostolus librum ab angelo ei oblatum devorare iubetur, ut iterum prophetet gentibus (10,1-11); templum quoque metiri debet excepto atrio, quod gentibus traditur conculcandum, dum eodem tempore duo testes Dei prophetant (11,1-6), qui a bestia occisi mox resurgunt; decima autem civitatis pars destruitur. *Secundum Vae* (11,7-14).
7. Ad SEPTIMAM TUBAM senioribus victoriam Dei celebrantibus (11,15-19) mulier apparet paritura filium regem, quem persequitur draco; at filio in coelum ablato proiicitur draco, qui tunc bellum gerit contra pios (12,1-18). Duae quoque bestiae, una e mari, ex terra altera ascendunt, quae homines seducunt; alterius autem bestiae nomen indicatur numero 666 (13,1-18). Interea Agno stante supra montem Sion tres angeli proximum interitum magnae Babylonis annuntiant, atque Filius hominis falcem suam in terram mittere iubetur, ut botros in lacum irae Dei vindemiet (14,1-20).

8. Septem angeli *septem phialas* accipiunt, quibus in terram effusis novae exoriuntur plagae (15,1-16,21).

9. Unus autem ex istis angelis Apostolo magnam meretricem Babylonem ostendit (17,1-18), alter de coelo descendens Babylonem iam interiisse annuntiat (18,1-20), tertius aeternum fore interitum praedicit (19,1-10).

10. Sequitur ultima pugna Verbi Dei cum dracone. Bestia vincitur et ab angelo ad mille annos in abyssum mittitur, post quos solvenda est modico tempore (19,11-20,3); resurgunt sancti et cum Christo mille annis regnant; quibus elapsis satan novum excitat bellum, sed victus in infernum intruditur aeternum cruciandus; cum eo puniuntur ii, quorum nomina non sunt in libro vitae (20,4-15).

11. Novum exsistit coelum et nova terra, in quam de coelo nova Ierusalem descendit (21,1-22,5).

In EPILOGO omnia haec vera et cito complenda esse dicuntur (22,6-20) et liber apprecatione gratiae terminatur (22,21).

3. — Iam vero praeprimis notandum est, iuxta probabiliorem sententiam proprium Apocalypseos argumentum non nisi a c. 4. inchoari, atque eundem fore ordinem eventuum, qui est symbolorum, ut post eventus illos, qui septem sigillis significantur, ad septimi sigilli solutionem sequantur eventus tubis annuntiati, et ad septimae tubae sonum illi, qui ex ordine describuntur.

Ita revera liber esse contextus videtur, ut, licet nonnullae prolepses (11,15 sqq.; 18,1-3) concedi possint, omnia secundum temporis ordinem sint disposita. At altera sententia, quae eosdem aut saltem simultaneos eventus sigillis, tubis, phialis praenuntiari tenet, ob Patrum auctoritatem, qui eam adoptarunt, plane reiici non potest, licet in se parum probabilis esse videatur. S. *Victorinus Petav.* iam monuit, « non aspiciendum esse ordinem dictorum, quoniam saepe Spiritus S., ubi ad novissimi temporis finem percurrit, iterum ad eadem tempora redeat et suppleat ea, quae minus dixerat » (in Apoc. 7,2). In eadem sententia longius progressus S. *Augustinus* non tantùm earundem rerum repetitionem sed plenam etiam ordinis inversionem statuit[2]. Quae sententia multis placuit, et uti olim a *Primasio* (in Apoc. 3,22; 4,1 etc.), *Ven. Beda* (in Apoc. 4,1 etc.) aliisque, ita nostra quoque aetate a catholicis et protestanticis nonnullis tenetur. At nisi summa diligentia et cautio adhibeatur, hac sententia arbitrariis explicationibus latissimum campum aperiri patet.

Altera quoque quaestio, num epistolae libro praemissae ad ipsum argumentum pertineant, in controversia est; qui ad libri dispositionem attenderit, eas a corpore operis excludet, at multi interpretes antiqui et moderni oppositam sententiam tenent, illique, qui S. Augustini recapitulationis systema admittunt, eosdem eventus, quos sigillis, tubis, phialis, etiam epistolis iam praedictos vident.

(2) *S. Aug.* De Civ. XX. 17 : « In hoc libro obscure multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant... maxime quia sic multis modis eadem repetit, ut alia et alia dicere videatur, quum aliter et aliter haec ipsa dicere vestigetur ». Et l. c. XX. 14 : « Ut autem ostendat (propheta), qui mortui iudicandi sint, pusilli et magni, recapitulando dicit tamquam ad id rediens, quod praeterierat potiusve distulerat : *Et exhibuit mare mortuos, qui in eo erant.* Hoc procul dubio prius factum est, quam essent mortui iudicandi, et tamen illud prius dictum est » etc.

4. — Innumerae fere sunt argumenti definitiones atque vix duo inveniuntur interpretes, qui illud eadem plane ratione explicant. Ad tres tamen classes fere revocari possunt, prout interpretes prophetam aut *universam Ecclesiae historiam* in libro suo prophetice describere, aut maxime *de prima Ecclesiae aetate* usque ad initium fere saec. 5., aut de *ultimis Ecclesiae temporibus* agere tenent. Inter quae varia systemata primum, quod omnes Ecclesiae aetates a prima usque ad ultimam visione apocalyptica complecti tenet, licet externa auctoritate non sit destitutum, interna tamen probabilitate sese non commendat.

Primum hoc systema variis modis est excultum; alii interpretes enim totam historiam Ecclesiae ita vident praedictam, ut singularum aetatum praecipui eventus, maxime tristes, ex ordine indicentur; alii autem septem epistolis, sigillis, tubis etc. ita varias aetates describi statuunt, ut eaedem sub alio et alio aspectu quater vel quinquies repetantur; alii solos maiores eventus, alii etiam minutissima quaedam facta praedici putant etc. Aliquale fundamentum hoc systema iam habet in Patrum operibus, siquidem *Andreas Caes.*, *Ven. Beda* aliique in equite albo Ecclesiam apostolicam, in rufo aetatem martyrum etc. (6,1-8) viderunt; at excoli non est coeptum nisi medio aevo ab *Abb. Ioachimo Flor.*, *Aureolo*, *Lyrano* atque tantopere placuit, ut a magno interpretum numero sit adoptatum.

Verum praeprimis totum hoc systema incertissimae hypothesi innititur; omnes enim eius patroni, se ultima iam Ecclesiae aetate degere supposuerunt ideoque praecedentia saecula in quinque vel sex aetates distributa visionibus accommodare studuerunt; ita saec. 12. *Ioachim*, saec. 14. *Lyranus*, saec. 16. *de la Chétardie*, saec. 18. *Holzhauser*, saec. 19. *Drach*, *Waller* etc.; atque hac ratione factum est, ut procedente tempore semper aliis et aliis eventibus symbola accommodarentur. Quanam autem in Ecclesiae aetate, num in prima, an in media, an in ultima, hodie degamus, nemo scit, nisi quis a Deo ipso immediate hac de re sit edoctus; Thessalonicenses iam apostolico tempore instare adventum Christi putarunt, atque idem sua aetate putaverunt S. Leo M., S. Gregorius M. aliique.

Porro non satis apparet, quem finem Deus in aenigmatica hac fatorum Ecclesiae praedictione habere potuerit, immo eiusmodi revelatio insanam quamdam vanamque curiositatem alere videtur. Ad quid enim illa, quae supponitur, tribulationum persecutionumque praedictio, quae ne tunc quidem, quando iam diu praeterierunt, tamquam praedictae cum certitudine possunt cognosci? Multo magis autem reiicienda est illorum interpretatio, qui ex Apocalypsi ipsum annum adventus Christi definire volunt. « De die autem vel hora illa nemo scit... Videte, vigilate et orate; nescitis enim, quando tempus sit » (*Marc.* 13,32. 33).

5. — Alterum systema, quod *prima Ecclesiae tempora* atque praesertim eius de iudaismo et polytheismo triumphum argumentum praecipuum Apocalypseos statuit, suprema autem ecclesiae tempora leviter tantum ultimis duobus capitibus attingi videt, Patribus quidem erat incognitum, multis autem et egregiis interpretibus recentioribus probatur; attamen eorum dissensus continuus gravissimum praeiudicium contra illius veritatem creat.

Alterum hoc systema primus, ut videtur, exposuit exeunte saec. 16. *A. Salmeron* S. I.; accuratius excultum a *Lud. ab Alcasar* S. I. maiorem celebritatem

nactum est, quando *I. B. Bossuet* illud novavit et adoptavit, atque hodie non paucos habet asseclas, qui in singulis tamen visionibus explicandis longe inter se dissentiunt. Iuxta Bossuetium, quem magis minusve sequuntur *Dupin, Calmet, Lallemant* S. I. etc., post monita ecclesiis asiaticis tradita incipiunt vaticinia (4,1-20,5), quorum *prima sectio* (4,1-8,12) clades Iudaeis a Traiano et Hadriano inflictas praedicit rationesque explicat, quibus Iudaei agnito Pseudo Messia (Bar Kocheba i. e. filius stellae *Apoc.* 8,10) et vaticiniis messianicis obscuratis poenas sibi attraxerunt. *Altera* deinde *sectio* brevissima (9,1-12) haereses iudaicas saec. 2. et 3. exortas describit; *tertia* demum (9,13-20,15) romani imperii ethnici interitum praedicit inchoandum per Parthorum irruptionem, terminandum per Romae expugnationem sub Alarico ineunte saec. 5. Ultima duo capita (21,1-22,21) iuxta Bossuet promissiones continent. Secundum *Allioli*, qui propius ad Salmeronem accedit, *prima* vaticiniorum pars (cc. 4.-12.) destructionem Ierusalem sub Tito praedicit (supponitur sc., Apocalypsin iam Neronis tempore esse scriptam), *altera* (cc. 13.-19.) Romae ethnicae destructionem sub Alarico pro argumento habet, *tertia* (20,1-6) describit regnum millenarium, i. e. praesentem Ecclesiae statum, cui finem impositurus sit Antichristus eiusque pugna etc. (20,7-22,5). Alii alio modo; etenim ne duo quidem sunt qui eosdem quatuor vel quinque primorum saeculorum eventus iisdem symbolis et visionibus vident expressos. Iam vero si vaticinia illa iam impleta essent, cum aliqua saltem verisimilitudine eorum impletio deberet demonstrari; procul dubio etiam in vaticiniis impletis Veteris Test. explicandis non plenus est interpretum consensus, at in plerisque tamen consentiunt et dissensus circa minores res versatur, quae ob defectum historicorum fontium nobis non satis sunt cognitae.

6. — Tertium systema quoque, quod ultima Ecclesiae fata tempore Antichristi ita praedici supponit, ut prior eius historia leviter potius adumbretur, quam describatur, variis formis quidem propositum est; nihilominus, quum Patrum auctoritate commendetur atque etiam libri indoli magis consonet, reliquis praeferendum videtur; levia enim sunt, quae contra eius veritatem a nonnullis modernis obiiciuntur.

Quae *SS. Irenaeus, Hippolytus, Augustinus* aliique ex Apocalypsi afferunt, ea de Antichristi fere tempore aut de iis, quae post Antichristum devictum futura sint, explicant, atque antiquiores, qui nobis conservati sunt, commentarii *Andreae* et *Arethae Caes., S. Victorini Petav., Primasii, Ven. Bedae*, etsi nonnulla ad priorem aetatem trahunt aut etiam generaliore quodam modo de dissidiis bellisque iustos inter et peccatores aut de pugna carnis et spiritus in singulis hominibus explicant, longe plurima ad ultima Ecclesiae tempora referunt. Eandem explicationis methodum medio aevo secuti sunt *Alcuinus, Rupertus Tuit., Martinus Legion.* aliique, recentiore tempore *Fr. Ribera, Bl. Viegas, Ben. Pererius, Corn. a Lapide* multique, quibus recentissimi accesserunt *Aug. Bisping, Phil. Krementz* etc. Tradita igitur quodam modo haec explicatio dici potest, vera tamen traditio non est, quia non eadem semper forma systema est propositum et singula symbola in singulis eius formis diversimode explicantur. At ipse hic interpretum dissensus altera est ratio, ob quam systema hoc praeferendum ducimus. Etenim si Apocalypseos maior pars, id quod supponunt duo priora systemata, de rebus iam impletis ageret, consensus quidam interpretum saltem in praecipuorum symbolorum explicatione non potuisset non exoriri; sin vero, id quod tertium systema

supponit, integra fere de futuris rebus agit, quas incertis tantum coniecturis attingere licet, evidens est, consensum exoriri non potuisse, nisi interpretes eodem, quo auctor, spiritu prophetico dicerentur instructi. Apocalypseos igitur obscuritas, quam nullus hucusque interpres illustravit, argumento nobis est, eam de rebus agere futuris, quas S. Spiritus ultimis tantum Ecclesiae temporibus manifestas esse voluit.

Obiiciunt quidem adversarii *a.*) « *cito* » adimplenda a S. Ioanne dici vaticinia (1,1. 3; 22,6. 10. 20); at vocabulum illud urgendum esse negamus. Etenim ad unum omnes interpretes catholici duo vel tria ultima saltem capita de novissimis Ecclesiae temporibus intelligunt; iam vero illud « *cito* » (22,6) etiam ultima illa capita complectitur; eodem igitur sensu, quo de ultimis, de reliquis vaticiniis explicari potest ac debet. Revera « mysterium iniquitatis », quod in novissimo tempore manifeste apparebit, apostolico tempore iam operabatur (cfr 2 *Thess.* 2.); eatenus igitur *cito* implentur vaticinia apocalyptica, quatenus eorum impletio iam tempore apostolico est inchoata atque omni Ecclesiae tempore continuatur. — *b.*) « At inutilia fuissent vaticinia, inquiunt, si de ultimis temporibus dumtaxat agerent ». De fine et utilitate Apocalypseos statim dicemus; hoc loco interrogasse sufficit, num protevangelium primis parentibus post eorum peccatum datum fuerit inutile, licet non nisi post nescio quot millia annorum impleri debuerit neque ab illis plene intelligi potuerit. — *c.*) Porro monent, ab huius sententiae patronis admitti debere chiliasmum ab Ecclesia damnatum. Respondemus, multos interpretes, qui hoc systema defendunt, chiliasmum quemcumque acriter repudiare ac proin immerito hanc obiectionem proferri; secundo autem loco negamus, omnem chiliasmi formam ab Ecclesia esse damnatam (cfr *S. Aug.* serm. 259,2; Civ. D. XX. 7 et *Franzelin* de Div. Trad. p. 204). — *d.*) Demum obiiciunt, capp. 17. et 18. Romam ethnicam esse intelligendam, ac proin totam Apocalypsin de iudaismo et polytheismo devictis agere. Sed conclusio latius patet; iure enim quaeritur, annon illa ethnica Roma sit figura (typus) vel symbolum metropoleos, in qua residebit Antichristus, vel potius typus aut symbolum regni antichristiani ipsius. Num quis dubitat, Dominum (*Matth.* 24.) de ultimis temporibus esse locutum, quamquam nonnulla ex iis, quae dixit, imperfecto et typico modo in urbis sanctae destructione erant implenda?

§ 3. — *De Apocalypseos fine eiusque utilitate.*

1. — Asiaticis proxime ecclesiis Deus per S. Ioannem Apocalypsin dare voluit, ut eas in gravissimis periculis positas ad puram servandam fidem sustinendasque persecutiones exhortaretur et confortaret; cui fini assequendo integrum opus quam optime est adaptatum.

Versus finem 1. saec. ecclesiae Asiae Min. in magnis difficultatibus versabantur. Haereses antinomisticae, quas SS. Iacobus, Iudas, Petrus epistolis suis iam impugnaverant, victas manus nondum dederant, atque gnostici errores, quorum initia S. Paulus refutaverat, latius serpere novisque sub formis ecclesias illas vastare coeperant. Quibus internis hostibus accesserunt externae persecutiones; neronianam secuta erat altera, eaque in provinciis cruentior ultimis Domitiani annis; plerique Apostoli morte cruenta vitam finierant; S. Ioannes, qui solus superstes fuisse creditur, in exsilio degebat longe ab ecclesiis suae curae commissis. Quid mirum, si fideles, qui nondum, sicut nos hodie, continuas victorias ab Ecclesia de omnibus

hostibus internis et externis reportatas spectaverant, animis deiecti de promisso divino auxilio dubitare coeperunt? Si iam triginta annis antea « illusores » irridentes interrogaverant : « ubi est promissio aut adventus eius? » (2 *Petr.* 3,4), multo maiore cum veritatis specie alii illusores exeunte saec. 1. Christianos hac interrogatione ad defectionem seducere potuerunt. Contra hoc igitur periculum fideles praemuniturus Deus Ecclesiae Apocalypsin dedit, atque non tantum promissione sua saepius repetita, se cito esse venturum (1,1. 3; 3,11; 11,14; 22,6. 10), Christianos ad fiduciam et patientiam exhortatus est, sed magnifica quoque ultimi triumphi descriptione animos eorum erexit eosque ad puram fidem suam custodiendam fortiterque tolerandas tribulationes exhortatus est; hinc in epistolis omnibus, quibus Apocalypsis ecclesiis Asiae inscribitur, « vincenti » semper promittitur praemium, atque in singulis septem promissionibus unus ex fructibus indicatur, quibus omnibus fruituros esse beatos in nova Ierusalem duo ultima capita docent.

2. — Attamen universali quoque omnium aetatum Ecclesiae Deus Apocalypsin destinavit, ut eadem ratione omnibus omnium temporum fidelibus in omnibus tribulationibus esset consolationi et exhortationi; simul autem per illam multa dogmata clarius proponere voluit, ut digna esset librorum sacrorum clausula.

Obscura procul dubio etiam hodie nobis est Apocalypsis; neque enim symbola eius pleraque hucusque apte sunt explicata nec ipsum eius argumentum cum certitudine est definitum; sed quodcumque eius argumentum statuitur, sive omnia, sive sola prima, sive sola ultima Ecclesiae fata praedicta sunt, id manifesto compertum est, Christi et Ecclesiae finalem de omnibus suis hostibus quum internis tum externis praedici triumphum. Quaecumque igitur exoriri possunt pericula, semper certi sumus, Ecclesiam illa esse superaturam illisque superatis novum splendorem novamque gloriam esse assecuturam. Confirmat igitur Apocalypsis promissionem a Domino factam, portas inferni contra Ecclesiam supra Petrum fundatam numquam esse praevalituras, atque praeclarae istius promissionis est quasi complementum.

Sed integra quoque Evangelia quodam modo complet; Evangelia enim Filium Dei nobis exhibent, qui semet ipsum exinanivit formam servi accipiens seseque humiliavit factus obediens usque ad mortem crucis; eundem autem Filium Dei nobis ostendit Apocalypsis exaltatum, cui est datum nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris; itaque Veteris Testamenti vaticinia de Messiae adventu glorioso regnoque aeterno in mentem revocat et explicat; atque integer liber est quasi canticum triumphale et nuptiale Christi omnibus hostibus devictis nuptias cum sponsa sua Ecclesia celebrantis (19,7. 9; 20, 9 etc.). Multa alia praeterea dogmata de angelis, de gloria aeterna beatorum et de poenis damnatorum, de divinis attributis etc. etc. clarius enuntiat.

Argumenti igitur obscuritate non obstante Apocalypsis nobis quoque utilissima est et omnibus aetatibus utilissima erit, donec tandem, quando omnia vaticinia iam erunt impleta, omnia quoque symbola luce divina illustrantur. « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus ». (*Rom.* 15,4). Ceterum si eam nondum intelligimus, ad humilitatem quoque eius obscuritas nos hortatur, ut cum S. *Dionysio M.* (fragm. 3.) dicamus : « Huiusmodi de illo libro opinionem concipiens

quasi sensus mei modum excedat, arcanam quamdam planeque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipse non intelligo, suspicor tamen altiorem quemdam sensum verbis subesse; eaque non meo ipsius iudicio metior et diiudico, sed plus fidei tribuens sublimiora ea esse censeo, quam ut a me percipiantur. Nec ea condemno, quae intelligere non potui, verum ideo admiror magis, quia capere non possum ».

§ 4. — *De praecipuis commentariis catholicis in Apocalypsin.*

I. Interpretatio patristica. A non multis Patribus Apocalypsis commentario est instructa, immo inter Graecos primi commentatores videntur fuisse *Andreas* et *Arethas*, ambo *caesariensis* ecclesiae episcopi, qui utrum 5. an 9. saec. floruerint, non satis constat (*Andreae Caes.* Comm.; *Arethae Caes.* Coacervatio enarrat.). Ambo ex antiquorum Patrum *Papiae*, *Irenaei*, *Methodii*, *Hippolyti*, *Basilii M.*, *Gregorii Naz.*, *Cyrilli Alex.* operibus multas sententias se collegisse testantur, ac revera opera eorum ad catenas proxime accedunt; ex allegatis autem Patribus praeter *S. Hippolytum* (cfr S. Hier. de Vir. ill. 61) nullus iustum commentarium edidit; quae a reliquis data occasione de variis Apocalypseos visionibus dicta sunt, exstant in *Catena graeca* (ed. Cramer. Oxonii 1840.).

Inter latinos patres primus tempore interpres est *S. Victorinus Petav.*, cuius tamen brevia dumtaxat scholia a iuniore manu retractata ad nos pervenerunt; proximus sequitur *Tichonius Donatista*, cuius homiliae superstites per catholicum scriptorem videntur esse purgatae; *S. Augustinus* nonnullas pericopas satis fuse exposuit in suis de Civ. libris; illa, quae *S. Gregorius M.* variis in operibus de Apocalypsi explicaverat, collegerunt S. *Paterius* et *Alulfus*. Iustos commentarios ediderunt *Primasius* et *Ven. Beda;* paucas tantum sententias illustrat *Cassiodorus;* inter S. Ambrosii opera editur et sub eius nomine olim allegabatur *Beregaudii* commentarius.

II. Mediae aetatis interpretes Apocalypseos satis multi sunt cogniti; antiquiores, quamvis generalem statum Ecclesiae variis aetatibus (Apostolorum, Martyrum etc.) a propheta describi censerent, certa tamen et determinata facta ab eo praedicta non videntur admisisse; quare in tropologicis explicationibus praecipuum studium ponunt; huc praeter *Alcuinum* spectant *Bruno Ast.*, *Rupertus Tuit.*, *Richardus a S. Vict.*, S. *Martinus Legion.*, quos inter scholasticos fere secuti sunt *B. Albertus M.* (Opp. ed. Iammy XI), *Card. Hugo* (Postilla VII.), *Thomas Anglicus*, cuius expositio (una cum altera simili) inter S. Thomae Aq. opera edita est (Ed. Parm. XXIII.).

Aliam omnino viam iniit *Ioachimus Abb. Flor.* (Expositio. Venetiis 1527.), qui, uti monet S. Thomas Aq., « de futuris *per coniecturas* aliqua vera praedixit et in aliquibus deceptus fuit »; eum secuti sunt *Hubertinus Casal.* (De septem statibus Ecclesiae. Venetiis 1516.) et *Petrus Galatinus*, cuius opus typis non est descriptus. Severiorem methodum in historica explicatione tenuerunt *Nicolaus Lyranus* (Postilla VI.), *Petrus Aureolus* (Breviarium bibl. Venetiis 1507.) aliique. Propter libri obscuritatem sententiam variorum dumtaxat dare voluit *Dionysius Carthus.*

III. Recentioris aetatis interpretes tot sunt, ut omnium nomina referre longum sit; praecipuos dumtaxat nominabimus; sunt autem *Petrus Serranus* (Compluti 1563.), *G. D. Lindanus* (Glaphyra in epistolas apocal. Lovanii 1590.),

Arias Montanus (Elucubrationes. Antwerpiae 1588.), *Fr. Ribera* S. I. (Lugduni 1593.), *C. de Melo*, O. S. Aug. (Vallisoleti 1589.), *P. Bulenger* (Ecphrasis. Parisiis 1589.). *Bl. Viegas* S. I. (Eborae 1601. et saepe), *Bened. Pererius* S. I. (Disputationes. Lugduni 1606.), *A. Salmeron* S. I. (Opp. ed. Matriti 1602. XVI.), *Lud. de Alcasar* (Vestigatio arcani sensus. Antwerpiae 1614.), *Iac. Bordes* (Paris 1658.), *H. Kircher* S. I. (Coloniae 1676.), *Dan. Herveus* (Explanatio historica. Lugduni 1684.), *I. B. Bossuet* (L'Apoc. avec une explic. Paris 1689.), *I. Trotti de la Chettarderie* (Explication. Bourges 1692.), *Noel Aub. de Versé* (La clef de l'Apoc. Paris 1703.), *Simon de Muis* (Analyse de l'Apoc. Paris 1712.), *I. E. Dupin* (Analyse de l'Apoc. Paris 1712), *I. Ph. Lallement* S. I. (Réflexions morales etc. Paris 1725.), *Guil. Piérart* (Comment. Duaci 1762.), *C. H. de Keranflech* (Explication. Rennes 1774.), *I. I. Guyaux* (Commentarius. Lovanii 1781.), *Barth. Holzhauser* († 1658, Opus post. Erklaerung. Bamberg 1784; gallice Paris 1856.), *L. D. Parisi*, O. S. Aug. (Paraphrasis. Panormi 1795.) etc.

III. NOSTRO HOC SAECULO quoque satis multi in Apocalypsi explicanda operam posuerunt : *L. M. Bridon* (Explication. Paris 1818.), *Al. Ild. Frey*, O. S. Ben. († 1784. Opus post. Erklaerung. Ottobeuren 1822.), *Adalb. Waibel*, O. Min. (Auslegung. Regensburg 1834.), *Fr. de Bovet* (L'esprit de l'Apoc. Paris 1840.), *Rosar. Parisi* S. I. (L'Apocalisse esposta. Palermo 1847.), *K. Stern* (Kommentar. Schaffhausen 1854.), *F. Verschraege* (Clarae simplicesque explicationes. Tornaci 1855.), *I. B. Müller*, O. S. Ben. (München 1860.), *Lafont de Sentenac* (Le plan de l'Apoc. Paris 1872.), *Aug. Bisping* (Münster 1876.), *Paul Drach* (Paris 1879.), *Ign. Waller* (Die Offenb. im Lichte der Geschichtstypik etc. Rixheim 1882.), Emin. *Phil. Krementz*, Archiep. Colon. (Die Offenb. im Lichte des Evangel. Freiburg 1883.), *A. Riedel* (Augsburg 1887.), *I. B. Duprat* (Paris 1889.; Les harmonies entre le Cantique et l'Apocalypse. Paris 1891.), *Fr. Sal. Tiefenthal*, O. S. Ben. (Paderborn 1892), *P. Gallois*, O. Praed. (Paris 1895.).

O. A. M. D. G.

APPENDICES

I. — S. P. Leonis XIII literae encyclicae de studiis scripturae sacrae.

II. — De inspiratione librorum sacrorum.

III. — Fragmentum muratorianum.

IV. — Origo literarum semiticarum et graecarum.

V. — Primitivarum literarum semiticarum mutationes.

VI. — Codicis Babylonici (saec. 10.) specimen (*Os.* 10,3-6).

VII. — Codicis Vaticani (saec. 4.) specimen (*Ioan.* 7,1-12).

VIII. — Codicum Sinaitici (saec. 4) specimen (2 *Reg.* 7, 10-11; *Luc.* 24,33) et Alexandrini (saec. 5.) specimen (*Ioan.* 1,1-5).

IX. — Dispositio columnarum in Origenis Hexaplis.

X. — Codicis Amiatini (saec. 7. vel 8.) specimen (*Gen.* 3,14-16. 23.24).

XI. — Codicis Fuldensis (saec. 6.) specimen (*Iac.* 1,11-17).

XII. — Chronologia regum Iuda et Israel saec. 8. et 7. (iuxta *P. de Hummelauer*).

XIII. — Chronologia Ptolemaeorum et Seleucidarum saec. 3. et 2.

XIV. — Chronologia aetatis apostolicae.

APPENDIX I.

I. — S. P. LEONIS XIII. LITERAE ENCYCLICAE DE STUDIIS SCRIPTURAE SACRAE

1. — Providentissimus Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturae divinae principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, hoc eidem propterea contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur quae humanae rationi inaccessae non sunt, ideo hominibus revelatae, *ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint, non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem*[1]. Quae *supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem,* continetur tum *in sine scripto traditionibus,* tum etiam *in libris scriptis,* qui appellantur sacri et canonici, eo quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt*[2]. Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia : eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum, prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse quae canonica nominatur[3], eamdemque esse oracula et eloquia divina[4], litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas[5]. Iam, tanta quum sit praestantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectae, altissima eiusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur, eam quoque partem sacrae theologiae, quae in eisdem divinis Libris tuendis interpretandisque versatur, excellentiae et utilitatis esse quam maximae. — Nos igitur, quemadmodum alia quaedam disciplinarum genera, quippe quae ad incrementa divinae gloriae humanaeque salutis valere plurimum posse viderentur,

(1) Conc. Vat. sess. III, cap. II, *De revel.*
(2) *Ibid.*
(3) S. Aug. *De civ. Dei* XI, 3.
(4) S. Clem. Rom. I ad Cor. 45; S. Polycarp. ad Phil. 7; S. Iren. *C. haer.* II, 28, 2.
(5) S. Chrys. *In Gen. hom.* 2, 2; S. Aug. *In Ps.* XXX, *Serm.* 2, 1; S. Greg. M. ad Theod. *Ep.* IV, 31.

crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adiutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici muneris, non modo ut hunc praeclarum catholicae revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eumdem ne patiamur ulla in parte violari, ab iis qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur. — Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis, viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum operam atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant.

2. — Hoc enimvero studium cur tantopere commendandum videatur, praeter ipsius praestantiam atque obsequium verbo Dei debitum, praecipua causa inest in multiplici utilitatum genere, quas inde novimus manaturas, sponsore certissimo Spiritu Sancto : *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*[1]. Tali sane consilio Scripturas a Deo esse datas hominibus, exempla ostendunt Christi Domini et Apostolorum. Ipse enim qui « miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem[2] », ad sacras Litteras, in divinae suae legationis munere, appellare consuevit : nam per occasionem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat; ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam; earumdem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium, et Sadducaeis ac Pharisaeis ad coarguendum opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitantem, retorquet; easdemque sub ipsum vitae exitum usurpavit, explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit. — Eius autem voce praeceptisque Apostoli conformati, tametsi dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum*[3], magnam tamen efficacitatem ex divinis

(1) II Tim. III, 16-17.
(2) S. Aug. *De util. cred.* XIV, 32.
(3) Act. XIV, 3.

traxerunt Libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Iudaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum concionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum praescriptionis novae, dictis veteris Testamenti fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthaei et Ioannis Evangeliis atque ex Catholicis, quae vocantur, epistolis; luculentissime vero ex eius testimonio qui « ad pedes Gamalielis Legem Moysi et Prophetas se didicisse gloriatur, ut armatus spiritualibus telis postea diceret confidenter : *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo*[1] ».

Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint divinae Litterae, et quo ipsi studio, qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nam catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulatior copia vel amplior praedicatio. De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea, quae in universo habentur Bibliorum contextu; recteque affirmavit Hieronymus, « ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi[2] » : ab illis nimirum extat, veluti viva et spirans, imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur. Ad Ecclesiam vero quod attinet, institutio, natura, munera, charismata eius tam crebra ibidem mentione occurrunt, tam multa pro ea tamque firma prompta sunt argumenta, idem ut Hieronymus verissime edixerit : « Qui sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum Ecclesiae[3] ». Quod si de vitae morumque conformatione et disciplina quaeratur, larga indidem et optima subsidia habituri sunt viri apostolici : plena sanctitatis praescripta, suavitate et vi condita hortamenta, exempla in omni virtutum genere insignia; gravissima accedit, ipsius Dei nomine et verbis, praemiorum in aeternitatem promissio, denunciatio poenarum.

3. — Atque haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille, *non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa*[4]. Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae

(1) S. Hier. *De studio Script.* ad Paulin. *ep.* LIII, 3.
(2) *In Is. Prol.*
(3) *In Is.* LIV, 12.
(4) I Thess. I, 5.

et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei[1], eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute : *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus*[2]. Quamquam, hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam : id quod Augustinus pervidit diserteque arguit[3], atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo affirmarunt.

4. — Quae omnia Ss. Patres cognitione et usu quum exploratissima haberent, nunquam cessarunt in divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum caelestium[4], vel perennes fontes salutis[5], vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur[6]. Apte cadunt illa S. Hieronymi ad Nepotianum clericum : « Divinas Scripturas saepius lege, imo nunqam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas... sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit[7] »; convenitque sententia S. Gregorii Magni, quo nemo sapientius pastorum Ecclesiae descripsit munera : « Necesse est, inquit, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant[8] ». — Hic tamen libet Augustinum admonentem inducere, « Verbi Dei inanem esse forinsecus praedicatorem, qui non sit intus auditor[9] », eumque ipsum Gregorium sacris concionatoribus praecipientem, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant[10] ». Sed hoc iam, ab exemplo et documento Christi, qui *coepit facere et docere,* vox apostolica late praemonuerat, non unum allocuta Timotheum, sed omnem clericorum ordinem, eo mandato : *Attende tibi et doctrinae, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt*[11]. Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae eximia in sacris Litteris praesto sunt adiumenta, copiosius in Psalmis celebrata; iis tamen, qui ad divina

(1) Ierem. XXIII, 29.
(2) Hebr. IV, 12.
(3) *De doctr. chr.* IV, 6, 7.
(4) S. Chrys. *In Gen. hom.* 21, 2; *Hom.* 60, 3; S. Aug. *De discipl. chr.* 2.
(5) S. Athan. *Ep. fest.* 39.
(6) S. Aug. *Serm.* 26, 24; S. Ambr. *In Ps.* CXVIII, *Serm.* 19, 2.
(7) S. Hier. *De vit. cleric.* ad Nepot.
(8) S. Greg. M., *Regul. past.* II, 11 (*al.* 22); *Moral.* XVIII, 26 (*al.* 14).
(9) S. Aug. *Serm.* 179, 1.
(10) S. Greg. M., *Regul. past.* III, 24 (*al.* 48).
(11) I Tim. IV, 16.

eloquia, non solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integrae quoque piaeque habitum voluntatis. Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est; sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati, resque gravissimas continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper eiusdem Spiritus « indigemus adventu[1] », hoc est lumine et gratia eius : quae sane, ut divini Psaltae frequenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitae custodienda.

5. — Praeclare igitur ex his providentia excellit Ecclesiae, quae, « *ne caelestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret*[2] », optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendam esse et mente pia considerandam, sed eorumdem expositionem et interpretationem in ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam; diebus autem saltem dominicis et festis solemnibus fideles salutaribus Evangelii verbis pasci, restricte iussit[3]. Item prudentiae debetur diligentiaeque Ecclesiae cultus ille Scripturae sacrae per aetatem omnem vividus et plurimae ferax utilitatis. — 6. — In quo, etiam ad firmanda documenta hortationesque Nostras, iuvat commemorare quemadmodum a religionis christianae initiis, quotquot sanctitate vitae rerumque divinarum scientia floruerunt, ii sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos, in quibus Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, tum Apologetas, nominatim Iustinum et Irenaeum, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere. Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quae in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut aetas biblicae exegeseos aurea iure ea sit appellata. — Inter orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures, qui huius disciplinae fines amplificarunt : ita, inter excellentiores tulit Alexandria Clementem, Cyrillum; Palaestina Eusebium, Cyrillum alterum; Cappado-

(1) S. Hier. *In Mich.* 1, 10.
(2) Conc. Trid. sess. V, decret. *Reform.* 1.
(3) *Ibid.* 1-2.

cia Basilium Magnum, utrumque Gregorium, Nazianzenum et Nyssenum; Antiochia Ioannem illum Chrysostomum, in quo huius peritia doctrinae cum summa eloquentia certavit. Neque id praeclare minus apud occidentales. In multis qui se admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis et Gregorii Magnorum; clarissima Augustini et Hieronymi : quorum alter mire acutus extitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea deducenda ad auxilia catholicae veritatis, alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi praeconio Ecclesiae est honestatus. — 7. — Ex eo tempore ad undecimum usque saeculum, quamquam huiusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore ac fructu viguit, viguit tamen, opera praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere, eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare, ut ab Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valafridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorumdem integritati novis curis consulere, ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt. — Saeculo autem duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt : in eo genere S. Bernardus ceteris facile antecessit, cuius etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt. — 8. — Sed nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum*. Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti; cuiusque pondus in re theologica perpensum; definitae librorum partes, argumenta partium; investigata scriptorum proposita; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio : quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria; quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam. — Postquam vero Clemens V decessor Noster Athenaeum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitius homines nostri in nativo Bibliorum codice et in exemplari latino elaborare coeperunt. Revecta deinde ad nos eruditione Graecorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturae sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim quam brevi aetatis spatio multiplicata praelo sacra exemplaria, *vulgata* praecipue, catholicum orbem quasi compleverint : adeo per id ipsum tempus, contra quam Ecclesiae hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina. — 9. — Neque praetereundum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicae bonum provenerit :

qui et novis usi subsidiis et variae eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas maiorum opes, sed quasi munierunt viam ad praestantiam subsecuti saeculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, quum nobilissima Patrum aetas propemodum rediisse visa est. Nec enim quisquam ignorat, Nobisque est memoratu iucundum, decessores Nostros, a Pio IV ad Clementem VIII, auctores fuisse ut insignes illae editiones adornarentur versionum veterum, Vulgatae et Alexandrinae; quae deinde, Sixti V eiusdemque Clementis iussu et auctoritate, emissae, in communi usu versantur. Per eadem autem tempora, notum est, quum versiones alias Bibliorum antiquas, tum polyglottas Antuerpiensem et Parisiensem, diligentissime esse editas, sincerae investigandae sententiae peraptas : nec ullum esse utriusque Testamenti librum, qui non plus uno nactus sit bonum explanatorem, neque graviorem ullam de iisdem rebus quaestionem, quae non multorum ingenia fecundissime exercuerit : quos inter non pauci, iique studiosiores Ss. Patrum, nomen sibi fecere eximium. Neque, ex illa demum aetate, desiderata est nostrorum sollertia; quum clari subinde viri de iisdem studiis bene sint meriti, sacrasque Litteras contra *rationalismi* commenta, ex philologia et finitimis disciplinis detorta, simili argumentorum genere vindicarint. — Haec omnia qui probe ut oportet considerent, dabunt profecto, Ecclesiam, nec ullo unquam providentiae modo defuisse, quo divinae Scripturae fontes in filios suos salutariter derivaret, atque illud praesidium, in quo divinitus ad eiusdem tutelam decusque locata est, retinuisse perpetuo omnique studiorum ope exornasse, ut nullis externorum hominum incitamentis eguerit, egeat.

10. — Iam postulat a Nobis instituti consilii ratio, ut quae his de studiis recte ordinandis videantur optima, ea vobiscum communicemus, Venerabiles Fratres. Sed principio quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant, interest utique hoc loco recognoscere. — Scilicet, ut antea cum iis praecipue res fuit qui privato iudicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque iudicem fidei; ita nunc est cum Rationalistis, qui eorum quasi filii et heredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abiecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam sacram, omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta : illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam : evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda.

Huiusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam divinorum Librorum veritatem putant convelli, tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam *scientiae liberae,* obtrudunt : quae tamen adeo incerta ipsimet habent, ut eisdem in rebus crebrius immutent et suppleant. Quum vero tam impie de Deo, de Christo, de Evangelio et reliqua Scriptura sentiant et praedicent, non desunt ex iis qui theologi et christiani et evangelici haberi velint, et honestissimo nomine obtendant insolentis ingenii temeritatem. His addunt sese consiliorum participes adiutoresque e ceteris disciplinis non pauci, quos eadem revelatarum rerum intolerantia ad oppugnationem Bibliorum similiter trahit. Satis autem deplorare non possumus, quam latius in dies acriusque haec oppugnatio geratur. Geritur in eruditos et graves homines, quamquam illi non ita difficulter sibi possunt cavere; at maxime contra indoctorum vulgus omni consilio et arte infensi hostes nituntur. Libris, libellis, diariis exitiale virus infundunt; id concionibus, id sermonibus insinuant; omnia iam pervasere, et multas tenent, abstractas ab Ecclesiae tutela, adolescentium scholas, ubi credulas mollesque mentes ad contemptionem Scripturae, per ludibrium etiam et scurriles iocos, depravant misere. — Ista sunt, Venerabiles Fratres, quae commune pastorale studium permoveant, incendant; ita ut huic novae *falsi nominis scientiae*[1] antiqua illa et vera opponatur, quam a Christo per Apostolos accepit Ecclesia, atque in dimicatione tanta idonei defensores Scripturae sacrae exurgant.

11. — Itaque ea prima sit cura, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent. Cuius rei causa, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti : ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum, atque opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio. Neque minus prospiciendum mature est, horum postea locum qui sint excepturi. Iuverit idcirco, ubi commodum sit, ex alumnis optimae spei, theologiae spatium laudate emensis, nonnullos divinis Libris totos addici, facta eisdem plenioris cuiusdam studii aliquandiu facultate. Ita delecti institutique doctores, commissum munus adeant fidenter : in quo ut versentur optime et consentaneos fructus educant, aliqua ipsis documenta paulo explicatius impertire placet. — 12. — Ergo ingeniis tironum in ipso studii limine sic prospiciant, ut iudicium in eis, aptum pariter Libris divinis tuendis atque arripiendae ex ipsis sententiae, conforment sedulo et excolant. Huc pertinet tractatus *de introductione,* ut loquuntur, *biblica*, ex quo alumnus commodam habet opem ad integritatem auctoritatemque Bibliorum convincendam, ad legitimum in illis sensum investigandum et assequendum, ad occupanda captiosa et radicitus evellenda.

(1) I Tim. VI, 20.

Quae quanti momenti sit disposite scienterque, comite et adiutrice theologia, esse initio disputata, vix attinet dicere, quum tota continenter tractatio Scripturae reliqua hisce vel fundamentis nitatur vel luminibus clarescat. — 13. — Exinde in fructuosiorem huius doctrinae partem, quae de interpretatione est, perstudiose incumbet praeceptoris opera; unde sit auditoribus, quo dein modo divini verbi divitias in profectum religionis et pietatis convertant. Intelligimus equidem, enarrari in scholis Scripturas omnes, nec per amplitudinem rei, nec per tempus licere. Verumtamen, quoniam certa opus est via interpretationis utiliter expediendae, utrumque magister prudens devitet incommodum, vel eorum qui de singulis libris cursim delibandum praebent, vel eorum qui in certa unius parte immoderatius consistunt. Si enim in plerisque scholis adeo non poterit obtineri, quod in Academiis maioribus, ut unus aut alter liber continuatione quadam et ubertate exponatur, at magnopere efficiendum est, ut librorum partes ad interpretandum selectae tractationem habeant convenienter plenam : quo veluti specimine allecti discipuli et edocti, cetera ipsi perlegant adamentque in omni vita. — 14. — Is porro, retinens instituta maiorum, exemplar in hoc sumet versionem vulgatam; quam Concilium Tridentinum *in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica* habendam decrevit [1], atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo. Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, « inspectio praecedentis linguae », suasore Augustino, proficiet [2]. Iamvero per se liquet, quam multum navitatis ad haec adhiberi oporteat, quum demum sit « commentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretetur, exponere [3] ». — 15. — Post expensam, ubi opus sit, omni industria lectionem, tum locus erit scrutandae et proponendae sententiae. Primum autem consilium est, ut probata communiter interpretandi praescripta tanto experrectiore observentur cura quanto morosior ab adversariis urget contentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur : cauto tamen, ne istiusmodi quaestionibus plus temporis tribuatur et operae quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat quam adiumenti. — 16. — Ex hoc, tutus erit gradus ad usum divinae Scripturae in re theolo-

(1) Sess. IV, decr. *De edit. et usu sacr. libror.*
(2) *De doctr. chr.* III, 4.
(3) S. Hier. *Ad Pammach. ep.* 48,17.

gica. Quo in genere animadvertisse oportet, ad ceteras difficultatis causas, quae in quibusvis antiquorum libris intelligendis fere occurrunt, proprias aliquas in Libris sacris accedere. Eorum enim verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiiciuntur quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indicare videantur : alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit. Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit[1] : Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio Ss. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent; intelligerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, iam sanctus docuit Irenaeus[2] : cuius quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus Vaticana amplexa est, quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, *hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari*[3]. — 17. — Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coërcet; sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparatio studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis. Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis novi Testamenti, aut

(1) S. Hier. ad Paulin. *De studio Script. ep.* LIII, 4.

(2) *C. haer.* IV, 26, 5.

(3) Sess. III, cap. II, *De revel. : cf.* Conc. Trid. sess. IV, decr. *De edit. et usu sacr. libror.*

per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu, *sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio*[1], eadem ipse ratione interpretetur; atque ex adiumentis disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem, ad sanae hermeneuticae leges, posse recte probari. In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda : nam, quum et sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur. — 18. — Huius igitur disciplinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit Ss. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum. Id sane inculcat Hieronymus[2], multumque Augustinus, qui, iusta cum querela, « Si unaquaeque disciplina, inquit, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere[3] ! ». Id ipsum sensere et exemplo confirmavere ceteri Patres, qui « divinarum Scripturarum intelligentiam, non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat[4] ». — 19. — Iamvero Ss. Patrum, quibus « post Apostolos, sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit[5] », summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes : nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet. Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, quum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu. — 20. — Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua

(1) Conc. Vat. sess. III. cap. III, *De fide.*
(2) *Ibid.* 6, 7.
(3) Ad Honorat, *De utilit. cred.* XVII, 35.
(4) Rufin. *Hist. eccl.* II, 9.
(5) S. Aug. *C. Iulian.* II, 10, 37.

eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere[1] : quae praeceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat idem ne illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime quum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti. — 21. — Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis[2], incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae, non medullam attingunt, sed corticem rodunt[3].

22. — Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima : ita nimirum omni aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt. Nam quae obiectum sunt fidei vel ab eo consequuntur, ex divinis potissime Litteris studuerunt asserere et stabilire; atque ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione, nova haereticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intelligentiam, vincula exquirere. Neque id cuiquam fuerit mirum qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari. Tametsi enim rectum est iuvenes in Academiis et scholis ita praecipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae, concludenda; gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum exBibliorum auctoritatibus ducta : « Non enim

(1) *De Gen. ad litt.* l. VIII, c. 7, 13.

(2) Cfr. Clem. Alex. *Strom.* VII, 16; Orig. *De princ.* IV, 8; *In Levit. hom.* 4,8; Tertull. *De praescr.* 15, seqq.; S. Hilar. Pict. *In Matth.* XIII,1.

(3) S. Greg. M. *Moral.* XX, 9 (al. 11).

accipit (theologia) sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis, tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis ». Quae sacrae doctrinae tradendae ratio praeceptorem commendatoremque habet theologorum principem, Aquinatem [1] : qui praeterea, ex hac bene perspecta christianae theologiae indole, docuit quemadmodum possit theologus sua ipsa principia, si qui ea forte impugnent, tueri : « Argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacrae Scripturae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem [2] ». — 23. — Providendum igitur, ut ad studia biblica convenienter instructi munitique aggrediantur iuvenes; ne iustam frustrentur spem, neu, quod deterius est, erroris discrimen incaute subeant, Rationalistarum capti fallaciis apparataeque specie eruditionis. Erunt autem optime comparati, si, qua Nosmetipsi monstravimus et praescripsimus via, philosophiae et theologiae institutionem, eodem S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent, quum in re biblica, tum in ea theologiae parte quam *positivam* nominant, in utraque laetissime progressuri.

24. — Doctrinam catholicam legitima et sollerti sacrorum Bibliorum interpretatione probasse, exposuisse, illustrasse, multum id quidem est : altera tamen, eaque tam gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet, ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur. Quod quidem nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiae; quae *per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile* [3]. Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiae, in auctoritate etiam sacrae Scripturae consistit, huius propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est : quibus ex libris, tamquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiae hierarchicae institutio, primatus Petro et successoribus eius collatus, in tuto apertoque collocentur. Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti praecipue armatura Dei, quam suadet Apo-

(1) *Summ. theol.* p. I, q. I, a. 5 ad 2.
(2) *Ibid.* a. 8.
(3) Conc. Vat. sess. III, c. III, *De fide.*

stolus[1], neque vero ad nova hostium arma et praelia insueti. Quod pulcre in sacerdotum officiis sic recenset Chrysostomus : « Ingens adhibendum est studium ut *Christi verbum habitet in nobis abundanter*[2] : neque enim ad unum pugnae genus parati esse debemus, sed multiplex est bellum et varii sunt hostes; neque iisdem omnes utuntur armis, neque uno tantum modo nobiscum congredi moliuntur. Quare opus est, ut is qui cum omnibus congressurus est, omnium machinas artesque cognitas habeat, ut idem sit sagittarius et funditor, tribunus et manipuli ductor, dux et miles, pedes et eques, navalis ac muralis pugnae peritus ; nisi enim omnes dimicandi artes noverit, novit diabolus per unam partem, si sola negligatur, praedonibus suis immissis, oves diripere[3] ». Fallacias hostium artesque in hac re ad impugnandum multiplices supra adumbravimus : iam, quibus praesidiis ad defensionem nitendum, commoneamus. — 25. — Est primum in studio linguarum veterum orientalium simulque in arte quam vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio et laude, ea clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum; nam ipse *omnia omnibus*[4] fieri debet, paratus semper *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quae in ipso est spe*[5]. Ergo sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum ut omnibus in Academiis, quod iam in multis receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in primis usui qui ad sacras Litteras profitendas designantur. — 26. — Hos autem ipsos, eiusdem rei gratia, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis criticae disciplina : perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda : illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, uti in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant : illud ipsum quod extollunt genus

(1) Eph. VI, 13, seqq
(2) *Cf.* Col. III, 16.
(3) *De sacerd.* IV, 4.
(4) I Cor. IX, 22.
(5) I Petr. III, 15.

criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur : inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae : inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque naturae ordinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur. — 27. — Congrediendum secundo loco cum iis, qui sua physicorum scientia abusi, sacros Libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam rerum talium opponant, scripta ipsa vituperent. Quae quidem insimulationes quum res attingant sensibus obiectas, eo periculosiores accidunt, manantes in vulgus, maxime in deditam litteris iuventutem; quae, si semel reverentiam divinae revelationis in uno aliquo capite exuerit, facile in omnibus omnem eius fidem est dimissura. Nimium sane constat, de natura doctrinam, quantum ad percipiendam summi Artificis gloriam in procreatis rebus impressam aptissima est, modo sit convenienter proposita, tantum posse ad elementa sanae philosophiae evellenda corrumpendosque mores, teneris animis perverse infusam. Quapropter Scripturae sacrae doctori cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones in divinos Libros instructas facilius detegat et refellat. — 28. — Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, « ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant[1] ». Sin tamen dissenserint, quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata : « Quidquid, inquit, ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, idest catholicae fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum[2] ». De cuius aequitate regulae in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura[3] »; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (mo-

(1) *In Gen. op. imperf.* IX, 30.
(2) *De Gen. ad litt.* I, 21, 41.
(3) S. Aug. *ib.* II, 9, 20.

nuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quae sensibiliter apparent[1] », seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more. — 29. — Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint : qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque « in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis », ut est S. Thomae sententia[2]. Qui et alio loco prudentissime habet : « Mihi videtur tutius esse, huiusmodi, quae philosophi communiter senserunt, et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebeatur[3] ». Sane, quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas. — 30. — Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri. Dolendum enim, multos esse qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint; quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum : fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps; cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae : at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas

(1) *Summa theol.* p. I, q. LXX, a 1 ad 3.
(2) *In Sent.* II, dist. II, q. I, a. 3.
(3) *Opusc.* X.

tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. — 31. — Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum : *Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii* (Tridentini) *decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem* [1]. Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent : secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere Ss. Patres : « Itaque, ait Augustinus, quum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit : quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt [2] » : pronunciatque S. Gregorius M. : « Quis haec scripserit, valde supervacanee quaeritur, quum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit : ipse scripsit qui et in illius opere inspirator extitit [3] ». Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum

(1) Sess. III, c. II, *De revel.*
(2) *De consensu Evangel.* l. I, c. XXXV.
(3) *Praef. in Iob,* n. 2.

fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe quae idem Augustinus ad Hieronymum scripsit: « Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam[1] ».

32. — At vero omni graviorum artium instrumento pro sanctitate Bibliorum plene perfecteque contendere, multo id maius est, quam ut a sola interpretum et theologorum sollertia aequum sit expectari. Eodem optandum est conspirent et connitantur illi etiam ex catholicis viris, qui ab externis doctrinis aliquam sint nominis auctoritatem adepti. Horum sane ingeniorum ornatus, si nunquam antea, ne nunc quidem, Dei beneficio, Ecclesiae deest; atque utinam eo amplius in fidei subsidium augescat. Nihil enim magis oportere ducimus, quam ut plures validioresque nanciscatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios; neque res ulla est quae magis persuadere vulgo possit obsequium veritatis, quam si eam liberrime profiteantur qui in laudata aliqua praestent facultate. Quin facile etiam cessura est obtrectatorum invidia, aut certe non ita petulanter iam traducere illi audebunt inimicam scientiae, fidem, quum viderint a viris scientiae laude nobilibus summum fidei honorem reverentiamque adhiberi. — Quoniam igitur tantum ii possunt religioni importare commodi, quibus cum catholicae professionis gratia felicem indolem ingenii benignum Numen impertiit, ideo in hac acerrima agitatione studiorum quae Scripturas quoquo modo attingunt, aptum sibi quisque eligant studii genus, in quo aliquando excellentes, obiecta in illas improbae scientiae tela, non sine gloria, repellant. — Quo loco gratum est illud pro merito comprobare nonnullorum catholicorum consilium, qui ut viris doctioribus suppetere possit unde huiusmodi studia omni adiumentorum copia pertractent et provehant, coactis societatibus, largiter pecunias solent conferre. Optima sane et peropportuna temporibus pecuniae collocandae ratio. Quo enim catholicis minus praesidii in sua studia sperare licet publice, eo promptiorem effusioremque patere decet privatorum liberalitatem; ut quibus a Deo aucti sunt

(1) *Ep.* LXXXII, 1 et crebrius alibi.

divitiis, eas ad tutandum revelatae ipsius doctrinae thesaurum velint convertere. — 33. — Tales autem labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insistant eruditi in iis tamquam principiis, quae supra a Nobis praefinita sunt; fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem : nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito prudenti theologorum et interpretum iudicio, quidnam verius verisimiliusve habeat Scripturae locus, de quo disceptetur, tum diligentius expensa argumentorum vi, quae contra adducantur. Neque ideo cessandum, si qua in contrarium species etiam tum resideat; nam, quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse; neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia. Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere : item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies; sed « veritas manet et invalescit in aeternum[1] ». Quare, sicut nemo sibi arrogaverit ut omnem recte intelligat Scripturam, in qua se ipse plura nescire quam scire fassus est Augustinus[2], ita, si quid inciderit difficilius quam explicari possit, quisque eam sumet cautionem temperationemque eiusdem Doctoris : « Melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando, a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere[3] ». — Consilia et iussa Nostra si probe verecundeque erunt secuti qui subsidiaria haec studia profitentur, si et scribendo et docendo studiorum fructus dirigant ad hostes veritatis redarguendos, ad fidei damna in iuventute praecavenda, tum demum laetari poterunt digna se opera sacris Litteris inservire, eamque rei catholicae opem afferre, qualem de filiorum pietate et doctrinis iure sibi Ecclesia pollicetur.

34. — Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae de studiis Scripturae sacrae pro opportunitate monenda et praecipienda, aspirante Deo, censuimus. Iam sit vestrum curare, ut qua par est religione custodiantur et observentur : sic ut debita Deo gratia, de communicatis humano generi eloquiis sapientiae suae, testatius eniteat, optataeque utilitates redundent, maxime ad sacrae iuventutis institutionem, quae tanta est cura Nostra et spes Ecclesiae. Auctoritate nimirum et hortatione date alacres

(1) III Esdr. IV, 38.
(2) Ad Ianuar. *Ep.* LV, 21.
(3) *De doctr. chr.* III, 9, 18.

operam, ut in Seminariis, atque in Academiis quae parent ditioni vestrae, haec studia iusto in honore consistant vigeantque. Integre feliciterque vigeant, moderatrice Ecclesia, secundum saluberrima documenta et exempla Ss. Patrum laudatamque maiorum consuetudinem : atque talia ex temporum cursu incrementa accipiant quae vere sint in praesidium et gloriam catholicae veritatis, natae divinitus ad perennem populorum salutem. — 35. — Omnes denique alumnos et administros Ecclesiae paterna caritate admonemus, ut ad sacras Litteras adeant summo semper affectu reverentiae et pietatis : nequaquam enim ipsarum intelligentia salutariter ut opus est patere potest, nisi remota scientiae *terrenae* arrogantia, studioque sancte excitato eius *quae desursum est* sapientiae. Cuius in disciplinam semel admissa mens, atque inde illustrata et roborata, mire valebit ut etiam humanae scientiae quae sunt fraudes dignoscat et vitet, qui sunt solidi fructus percipiat et ad aeterna referat : inde potissime exardescens animus, ad emolumenta virtutis et divini amoris spiritu vehementiore contendet : *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum*[1].

Iam divini auxilii spe freti et pastorali studio vestro confisi, Apostolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem Nostraeque singularis benevolentiae testem, vobis omnibus, universoque Clero et populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII novembris anno MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri sextodecimo.

(1) Ps. XVIII, 2.

II. — DE DIVINA S. SCRIPTURARUM INSPIRATIONE[1]

1. — « Veteris et Novi Testamenti libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Tridentini Concilii decreto (sess. 4. de canon. Script.) recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur », « Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt » (*Conc. Vatic.* sess. 3. Constit. de fide cp. 2) : quare « si quis S. Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos S. Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit » (*l. c.* can. 3. de revel.). Cfr *Encycl.* 1.30.31.

His verbis Patres Vaticani antiquam fidem decretis priorum Conciliorum et SS. Pontificum iam enuntiatam expressius disertiusque contra novos errores definientes declararunt, cur libris illis, quos Conc. Trid. pro sacris et canonicis suscipiendos esse docuerat, duplex hic character competeret, ut dignitate non minus quam

(1) Doctrina de inspirationis Scripturarum veritate, natura, extensione in dogmatica quidem theologia iure merito suum sibi vindicat locum, atque non tantum antiquitus sed hodie quoque a theologiae dogmaticae lectoribus, quibus de divinae revelationis fontibus agendum est, plerumque exponitur (cfr ex. gr. ex recentissimis : *Em. Franzelin* De div. Tradit. et Script. Ed. 2. Romae 1875 p. 312 sqq., *Em. Mazzella* De virtut. infus. Ed. 2. Romae 1879 p. 507 sqq., *I. M. Scheeben* Handbuch der Dogmatik. Freiburg 1873 I. p. 109 sqq., *I. B. Heinrich* Dogmat. Theologie. Mainz 1873. I. p. 736 sqq., *H. Hurter* S. I. Compend. theol. dogmat. Ed. 4. Oeniponte 1883. I. p. 156 sqq., *H. Theoph. Simar* Lehrb. der Dogmat. Freiburg 1880. p. 8 sqq. etc.). In haud paucis tamen academiis et seminariis ecclesiasticis nuperrime usus invaluit, ut S. Scripturae lectoribus haec quaestio relinqueretur, qui eam cum aliis ad Introductionem proprie pertinentibus tractarent auditoribusque suis exponerent. Quapropter amicorum nonnullorum, qui hoc compendium in suis praelectionibus sequi coeperunt, votis obsecutus praecipua de inspiratione capita commentariolo comprehendenda addendaque duxi. In quo concinnando duces fere secutus sum eximios theologos, quos proxime nominavi; praeter quos ex recentissimis conferri merentur *I. Kleutgen* S. I. Theologie der Vorzeit Ed. 2. Münster 1867. I. p. 48 sqq.; *eiusdem* P. Lessii de divina inspirat. doctrina illustrata et ponderata (in *G. Schneemann* S. I. Controv. de div. grat. Friburgi 1881. p. 465 sqq.), ac praecipue *Fr. Schmid* de inspirationis Bibliorum vi et ratione. Brixinae 1885. — Historiam doctrinae de inspiratione tradunt *P. Dausch* (Die Schriftinspiration. Freiburg 1891) et *K. Holzhey* (Die Inspiration der h. Schrift in der Anschauung der Mittelalters. München 1895).

auctoritate omnia alia scripta longe superarent. Latiore quidem sensu *ratione argumenti* sui liber aliquis sola humana industria exaratus appellari posset sacer et canonicus, si eum divinam revelationem sine ullius erroris admixtione continere infallibile Ecclesiae magisterium aut Deus per se ipse testaretur; atque eidem libro etiam *ratione originis* certo sensu nomen sacri et canonici deberetur, si humana industria ita esset exaratus, ut simul Spiritus S. supranaturali sua assistentia omnem scriptoris errorem praecavisset; at strictiore et vere proprio sensu idem liber sacer et canonicus *quum argumenti tum originis ratione* appelletur oportet, si ipse Deus est eius auctor princeps, homo autem in eo conscribendo non fuit nisi Dei minister, qui a Spiritu S. supranaturali modo ita movebatur et dirigebatur, ut ea sola et omnia literis mandaret, quae Deus in isto libro scribi voluit. Iamvero strictiore et eminentiore hoc sensu Scripturas Veteris et Novi Test. Patres Vaticani declararunt sacras et canonicas, atque iuxta eorum definitionem re idem est, si de Scripturis agitur, librum esse sacrum et canonicum, aut eum habere Deum auctorem, aut eum Spiritu S. inspirante esse conscriptum, aut eum divinitus inspiratum esse.

2. — Priusquam autem divinam illam actionem, qua efficitur ut liber aliquis sacer et canonicus exoriatur, i. e. divinam inspirationem, accuratius explicemus, argumenta indicare iuverit, quibus Deum esse auctorem librorum V. et N. Test. demonstratur; in illis enim modus, quo Deus est eorum auctor, iam innuitur.

1.) *Ad libros Vet. Test.* quod attinet, inter omnes constat, Christi Domini aetate collectionem quandam librorum antiquorum apud synagogam exstitisse, quibus, quamvis ab hominibus essent conscripti, vere divina tamen origo attribuebatur ideoque prorsus singularis dignitas ac fides omni exceptione maior competere ab omnibus Iudaeis credebatur (cfr *supra* p. 15; m. *Introd. gener.* p. 40 sqq.). Atqui tantum abest, ut hanc communem Iudaeorum persuasionem Dominus improbaverit, ut eam tota docendi disputandique sua ratione approbaverit: coram Iudaeis enim ad eosdem libros velut ad auctoritatem omni humana maiorem appellat (*Ioan.* 5,34 sqq.; 10,34 sq.; *Matth.* 22,43 sqq. etc.), coram discipulis continuo eis utitur velut documentis certissimis, quorum verba non possunt non impleri (*Matth.* 26,34. 31. 54; *Luc.* 18,31;24,26 sq. etc.); innumeris vicibus ipse et discipuli eius simplici γέγραπται, γεγραμμένον ἐστίν (scriptum est) eorum verba velut testimonia, quibus contradicere non licet, allegant (*Matth.* 2,5; 4,4. 7. 10 etc.), aut Deo vel Spiritui loquenti directe attribuunt (*Act.* 1,16; 4,24 etc.), aut ea ab homine ex Spiritus instinctu prolata esse asserunt (*Matth.* 22,43 etc.), aut ea, quae Deus dixit, Scripturae loquenti adscribunt, quia nimirum Deus revera per Scripturam nobis loquitur (*Gal.* 3,8).

Quibus testimoniis, quae pleraque singulares tantum textus attingunt, unum accedit, quo totius collectionis vel, si mavis, omnium librorum, qui tum temporis a Iudaeis extra Palaestinae fines degentibus pro sacris habebantur, divina origo demonstratur. Iuxta Paulum enim « omnis Scriptura divinitus inspirata (πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος) utilis est ad docendum » etc. (2 *Tim.* 3,16), vel uti antiquiores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat.* etc.) textum graecum accuratius reddunt : « omnis Scriptura inspirata divinitus *et* utilis ad docendum (est) » etc. Ad nostram quaestionem nihil interest, utrum πᾶσα γραφή vertatur *tota Scriptura* (id quod facere licet, quia γραφή interdum velut nomen proprium adhibetur, quod articulo carere

potest, ut πᾶσα γραφή sit i. q. πᾶσα ἡ γραφή), an iuxta usitatiorem constructionem vertatur *omnis Scriptura*, i. e. quodvis scriptum, cui nomen *Scripturae* κατ' ἐξοχήν competit; id enim extra controversiam est, Paulum designare velle omnes *sacras literas* (τὰ ἱερὰ γράμματα), quas Timotheum ab infantia novisse immediate antea (*v.* 15) asseruerat, i. e. omnes Vet. Test. libros, qui inter Iudaeos in dispersione degentes erant propagati (cfr p. 19 sq.). Neque quidquam interest, utrum cum Vulg. vocabulum θεόπνευστος (divinitus inspirata) tamquam attributum substantivo *Scriptura* addatur (omnis Scriptura, quae [vel : quia] inspirata est, est utilis etc.), an tamquam praedicatum sumatur, id quod textus graec. videtur insinuare (omnis Scriptura est divinitus inspirata et [ideo] utilis etc.); utroque enim modo verba Apostoli divinam librorum originem asserunt. Namque vocabulum θεόπνευστος (a θεός et πνέω), quod hoc solo in loco Scripturae reperitur, vi etymologiae suae et usu suo apud profanos (cfr *Plut.* de plac. phil, 5,2 οἱ ὄνειροι οἱ θεόπνευστοι somnia divinitus inspirata) significat illud, quod ex instinctu afflatuque divino fit, aut si de hominibus praedicatur, docet eos ex instinctu afflatuque Dei agere, ita ut ea, quae agunt, ad Deum auctorem principem sint referenda. Quem sensum genuinum esse luculentissime altero testimonio confirmatur, quo S. Petrus originem librorum propheticorum Vet. Test. describit : « omnis prophetia Scripturae propria interpretatione (ἐπίλυσις) non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι a Spiritu S. acti et moti) locuti sunt sancti Dei homines » (2 *Petr.* 1, 20 sq.). Omnis igitur verae prophetiae, quae in Scripturis habetur, *humanam* originem Apostolus omnino negat; neque enim proprio suo ingenio signa futuri temporis interpretantes prophetae futuros eventus praedixerunt, neque propria sua voluntate vaticinia sua pronuntiarunt et scripserunt (de vaticiniis enim in Scriptura allatis agitur), sed tamquam os Dei (cfr p. 363) ex divino instinctu et afflatu ea ediderunt.

Ad Novi Testamenti libros quod attinet, licet non desint testimonia scripturistica, quibus aliquorum inspiratio summa cum verisimilitudine demonstretur, nullum tamen exstat, quo omnium divina origo doceatur. Etenim S. Paulus, quum eadem citationis formula (λέγει ἡ γραφή *dicit Scriptura*) verba *Deut.* 25,4 et sententiam Domini in Lucae Evangelio consignatam (*Luc.* 10,7) alleget ex iisque eadem ratione argumentum suum desumat (1 *Tim.* 5,18), Evangelio huic non tantum eandem auctoritatem, sed etiam eandem dignitatem, quam Deuteronomio inspirato, attribuisse recte dicitur. S. Petrus autem aliquam paulinarum epistolarum collectionem (quae quot et quas continuerit, utique ignoramus) « reliquis Scripturis » aequiparat (2 *Petr.* 3,16) ac proin eas quoque inspiratas esse significat (cfr p. 37). Quod vero aliqui (etiam catholici cfr *Simar* l. c. p. 9) ex verbis Christi Apostolis docentibus continuam Spiritus S. assistentiam promittentis inspirationem librorum ab eis conscriptorum indirecte probari censent, id haud recte fieri arbitramur; aliud enim est, librum esse inspiratum, aliud est librum esse sub Spiritus S. omnem errorem praecaventis assistentia conscriptum. Ex assistentia enim Apostolis promissa non magis concludi potest, omnia eorum scripta, quibus fidelibus doctrinam revelatam exponebant, esse inspirata, quam ex assistentia Ecclesiae promissa sequitur, Conciliorum oecumenicorum symbola fidei et SS. Pontificum decreta ex cathedra pronuntiata esse inspirata.

2.) Quae vero scripturisticis testimoniis demonstrari nequit, *omnium* Novi Test. librorum divina origo et inspiratio traditione apostolica extra omnem dubitationem ponitur. Inde enim a primis fidei temporibus libris omnibus quum Vet. tum Novi

Test., quos in canone Trid. recensitos habemus, sine ulla distinctione in Patrum operibus et in authenticis fidei catholicae documentis divina origo attribuitur. Quod ut ostendamus, transcripsisse ea sufficiet, quae ad primum schema de fide cath. Patribus Vaticanis propositum eius auctor (Em. Franzelin) breviter quidem sed egregie congessit[2] : « Hoc, inquit, modo (sc. ut Deus sit librorum auctor) inspirationem Scripturae in Ecclesia Dei semper intellectam et intelligendam esse, demonstrat *a.*) SS. Patrum consensus; dicunt enim, Scripturas esse *conscriptas per Spiritum S.* vel *per operationem Spiritus S.*[3], esse *literas Dei ad homines missas*[4], esse *a Deo dictas*[5], esse *a Deo* vel *operatione Dei datas* vel *conditas*[6], *homines in iis scribendis fuisse instrumenta sub operatione divini Spiritus*[7]. *b.*) In specialibus documentis authenticis fidei Ecclesiae explicite dicitur Deus profitendus *auctor librorum Utriusque Testamenti :* in professione fidei episcopis ordinandis praescripta in Conc. Carthag. IV., quae ab iis adhuc nunc editur, in professione fidei a Leone IX. missa ad Petrum Antioch., in symbolo Graecis proposito in Conc. Lugd. II. haec fides enuntiatur : credo (credimus) etiam *Novi et Vet. Test.*, Legis et Prophetarum et Apostolorum, *unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem*[8]. Adhuc expressius in Conc. Florent. decret. pro Iacobitis idem declaratur : SS. Romana Ecclesia *unum atque eundem Deum Vet. et Novi Test.*, h. e. Legis et Prophetarum atque Evangelii, *profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu S. inspirante Utriusque Test. Sancti locuti sunt*, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur (sequitur recensio omnium librorum, ut in can. Trid.). Hic igitur dicitur Deus auctor Legis Prophetarum et Evangelii, quatenus conscriptores omnium librorum S. Scripturae locuti sunt (scribendo nempe ipsos libros) Spiritu S. inspirante : proinde talis est inspiratio ad scribendum, ut Deus sit auctor librorum. Porro ipsum Conc. Trid. in sess. 4. hoc decretum Synodi Florent. prae oculis habuit; eodem igitur sensu intelligi debent verba Trident. : omnes libros tam Vet. quam Novi Test., *quum Utriusque unus Deus sit auctor,...* suscipit et veneratur ».

3. — Quibus praemissis iam satis clarum esse arbitramur, quid de duabus inspirationis definitionibus, quae ante Conc. Vatic. interdum in scholis catholicis tradebantur, sentiendum sit. Erant enim, qui *inspirationem* quam *subsequentem* appellabant statuentes nonnullos libros Vet.

(2) *Collect. Lacens.* Conciliorum recent. Friburgi 1890. VII. 522 sq.

(3) *Orig.* de princ. Praef. 4,8; c. Cels. V. 60 (*M.* 11,118. 119. 1275), *S. Theoph. Ant.* ad Autol. II. 9; III. 12 (*M.* 6,1063. 1138), *S. Athan.* in Psalm. Praef. 2. 9. 10 (*M.* 27,11. 18. 19), *S. August.* de Civ. Dei XVIII. 41,1 (*M.* 41,600), *S. Chrys.* in Gen. hom. 21,1 (*M.* 53,175), *Theodoret.* in Psalm. Praef. (*M.* 80,862).

(4) *S. Chrys.* in Gen. hom. 2,2 (*M.* 53,28), *S. Aug.* in Ps. 90. serm. 2,1; in Ps. 149. enarr. n. 5. (*M.* 37,1159. 1952), *S. Greg. M.* ad Theod. ep. IV. 31 (*M.* 77,706).

(5) *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 45, *S. Iren.* c. haer. II. 28,2 (*M.* 7,805), *S. Hippol.* c. Noet. 9 (*M.* 10,818) cfr *Eus.* H. E. V. 28 (*M.* 20,578).

(6) *Clem. Alex.* Strom. II. 2 (*M.* 8,941); *S. Gelas.* in Conc. Rom. (*Mansi* Suppl. I. 357).

(7) *S. Iustin. M.* Cohort. ad Graec. 8 (*M.* 6,255), *S. Athenag.* Legat. pro Christ. 9 (*M.* 6,907), *Orig.* de princ. IV. 6 (*M.* 11,354), *S. Ambr.* ad Iust. ep. 8,1 (*M.* 16,912), *Cassiod.* Instit. div. lit. 16 (*M.* 70,1131), *S. Gregor. M.* Moral. Praef. 2. 3. (*M.* 75,517.)

(8) *Harduin.* Coll. Concil. I. 978; VI. 1,954; VII. 695.

et Novi Test. (maxime historicos) mera industria humana conscriptos sola *Ecclesiae* approbatione et in canonem receptione factos esse verbum Dei arbitrarentur : simili modo quo, aiebant, verba Ciceronis, si ea ad meam ideam exprimendam adhibeo, mea fiunt [9]. Alii vero per solam externam quandam assistentiam Spiritus omnem scribentium errorem praecaventis libros nostros sacros exortos esse dictitarunt [10], quam assistentiam aliqui *inspirationem concomitantem* appellare voluerunt. At priorem sententiam *Conc. Vatic.* absolute reprobat, alteram non sufficere declarat; ac profecto neutra iis consonat, quae Scriptura et Traditio de librorum nostrorum origine tradunt, quum Deum eorum auctorem esse asserunt.

Novis istis inspirationis explicationibus condendis novisque nominibus *inspirationis concomitantis et subsequentis* cudendis ansam videtur praebuisse *Iac. Bonfrerius* S. I., qui Leon. Lessii discipulus Deum triplici modo sese ad hagiographos habere *posse* docuit [11] : *antecedenter*, « quum inspirat, revelat, demonstrat quae dicenda scribendave sunt, ita ut de suo marteve proprio nihil addat scriptor, sed ea dumtaxat scribat, quae a Spiritu S. inspirata revelataque sunt, ad eum modum quo discipulus magistro dictante excipit quae ab eo proferuntur »; *concomitanter*, « quum non ad modum dictantis et spirantis se habet Spiritus, sed ad eum modum, quo qui alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret » ; « *consequenter* se habere posset Spiritus S., si quid humano spiritu absque Spiritus S. ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus S. testaretur omnia, quae in eo scripta essent, vera esse : certum enim est, tunc totum hoc scriptum fore verbum Dei et eandem infallibilem veritatem habiturum, quam habent cetera, quae inspiratione vel directione eiusdem Spiritus S. conscripta essent ». Porro ad secundum modum duo notanda esse monet : « unum : licet in hoc modo non se habeat antecedenter inspiratio divina, qua *singula* demonstrentur et inspirentur, non deesse tamen scriptori initio inspirationem quandam *generalem* scribendi talem historiam vel pulchras gnomas ad vitam moresque bene componendos,...; alterum : licet in hoc secundo modo Spiritus S. hominem sibi relinquat nihil in eo antecedenter operando [sc. relate ad cognitionem scribendorum], subinde tamen etiam priorem modum huic secundo admisceri et inspirationem aliquam accedere, ex. gr. si quid visorum auditorumve scriptor esset oblitus, iuxta illud : suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis, si qua in re scriptor esset erraturus, nisi a Spiritu S. doceretur ». Primo demum modo iuxta Bonfrerium Spiritus S. maxime se habuit ad prophetas et ad historicos quoque hagiographos, « quum res ob antiquitatem vel remotionem

(9) *D. B. Haneberg* O. S. B. Gesch. der bibl. Offenb. Ed. 3 Regensburg 1863. p. 817; sed piissimus ac doctissimus vir hanc sententiam postea diserte reprobavit eamque in 4. edit., quae post eius mortem typis descripta est, corrigi totamque doctrinam de inspiratione iuxta decretum Vatic. exponi iusserat (cfr editoris praef. ad ed. 4. Regensb. 1876 p. VIII.).

(10) *I. Iahn* Einl. in die goettl. Schriften des A. B. Ed. 2. Wien 1802. I. § 14. — Huc etiam spectant sententiae iam pridem ab *H. Holden* (Analys. fidei div. I. 5) et *Ph. Ner. Chrismann* O. Min. (Regula fidei cath. I. 2,51) traditae, de quibus infra (*n.* 5) recurret sermo.

(11) *I. Bonfrerii* S. I. Praeloquia in totam S. Scripturam. 8. sect. 1-7. (*Migne* Scripturae S. Cursus compl. I. 109 sqq.).

temporis aut locorum arcanae et incognitae referendae fuerunt, ut factum a Moyse in Genesi »; secundo modo ad omnes alios scriptores, quorum libros in canone habemus; « tertio autem modo, inquit, *etsi non existimo Spiritum S. usum esse in iis quos habemus S. Scripturae libris*, absolute tamen nihil vetat uti vel etiam aliquando usum esse Spiritum, forte in libris nonnullis ac scriptis, quos supra diximus Scripturam S. fuisse et postea tamen interiisse » (sc. in libris deperditis, de quibus cfr p. 54 sq.).

Quam longe haec Bonfrerii doctrina, quamvis ne ipsa quidem, uti ex dicendis elucebit, in omnibus definitioni Vatic. consonare videatur, ab explicationibus duabus notatis distet, vix opus est dicere. *Prior* quidem ad tertium Bonfrerii modum prope accedit, sed animadvertatur oportet, eum nomen *inspirationis subsequentis*, quae est contradictio in adiecto, nec cudisse neque adhibuisse, neque eum de Ecclesiae sed de Dei approbatione esse locutum, neque demum, id quod maximi momenti est, eum alicui ex nostris canonicis libris eiusmodi originem attribuisse, sed nostros libros ita exortos esse diserte negasse. Quare etiam tertius eius modus, licet haud recte statuatur, definitione vaticana non magis attingitur, quam tertia Lessii thesis haud multum dissimilis[12]. Eum autem non recte statui patet, quum aliud sit *approbatio*, aliud *inspiratio;* neque enim profecto episcopus, qui aliquod opus etiam summa cum laude approbat, ideo eius auctor est, neque ideo, quia aliquis dictum Ciceronis cum approbatione in suum librum transumit, eius iam est auctor, sicut Paulus factus non est auctor verborum Arati et Epimenidis, quum ea vera esse testaretur[13]. Quodsi Deus librum sine sua supra-

(12) Inter theses de inspiratione, quas a *L. Lessio* S. I. a. 1585 propositas theologi quidam Lovanienses censura dignas iudicarunt, 3ª haec fuit : « liber aliquis humana industria sine assistentia Spiritus S. scriptus, si Spiritus S. postea testetur, ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura S. ». Prout iacet, thesis haec cum Bonfrerii sententia congruit, at explicationibus, quas Lessius ipse addidit, consideratis, uti egregie relator de 1. constit. de fide in Conc. Vatic. (*R^mus Vinc. Gasser* ep. Brixin.) monuit, thesis hunc habet sensum : « si aliquod opus pium et salutare humana industria *ex divino instinctu* conscriptum publico testimonio Spiritus S. approbaretur tamquam in omnibus suis partibus verissimum, haberet auctoritatem aeque infallibilem atque Scriptura S. » (*Coll. Lacens.* Concil. rec. VII. 140; cfr etiam *P. Kleutgen* Lessii de inspir. doctr. p. 482). A Bonfrerio Lessius igitur in eo dissentit, quod divinam humanae voluntatis motionem ad scribendum, quam Bonfrerius in duobus prioribus tantum modis suis postulat, etiam in tertia hac thesi statuat. Ceterum ambo diserte negant, se in hoc tertio modo et in hac tertia thesi de librorum, quos habemus, inspiratione loqui, quum hypothetice tantùm inquirant, quid de eiusmodi libro sentiendum esset. Quare etiam relator in Conc. Vatic., quum pro officio suo sensum decreti Patrum deliberationibus subiecti explanaret, tertiam thesin Lessii (ac proin etiam tertium Bonfrerii modum) hoc decreto attingi expressis verbis negavit, quia Vaticanum de scholastica quadam disputatione sententiam ferre nollet (*Coll. Lac.* l. c.); immerito ergo *Simar* (Dogmat. p. 18) aliique hanc sententiam a Vatic. reprobatam esse asserunt.

(13) Optime de hac quaestione *P. Kleutgen* (Lessii de inspir. doctr. p. 485) : « Si proprie loquimur, neque Arati sententia : *ipsius et genus sumus* (*Act.* 17,28) neque Epimenidis : *Cretenses semper mendaces* etc. (*Tit.* 1,12) verbum Dei factae sunt; sed verbum Dei est attestatio Pauli, has sententias veras esse. Neque enim effata aliena, quae scriptor tamquam aliena suis inserit, propterea quod illa approbat, ipsius effata fiunt; nisi forte Aristotelis dicta effecta sint verba omnium eorum qui ea laudaverunt. Nihilominus quae ab homine pronuntiata sunt, fieri possunt vere verbum Dei, quando sc. Deus per scriptorem inspiratum ea non ut aliena citat, sed ut sua assumere dignatur. Si v. gr. nonnullae sententiae Salomonis iam a viro quopiam sapiente dictae erant, factae tamen

naturali motione et assistentia ab homine conscriptum positive approbaret, procul dubio omnia, quae in eo continentur, fide divina credi possent vera esse, quia sua approbatione Deus simul ea vera esse revelaret; eandem igitur auctoritatem quidem, quam Scriptura, liber haberet, sed non singularem illam dignitatem, quae libris competit, quorum Deus est auctor. Multo minus autem Ecclesiam libro, qui merae humanae originis est, sua approbatione divinam originem attribuere posse, evidens est [14].

Altera sententia (Iahnii) cum secundo Bonfrerii modo consonare quidem videtur, haud parum tamen ab illo differt. Ut enim praetermittamus, Bonfrerium secundo suo modo *aliquos* tantum, Iahnium sua « inspiratione concomitante » (quae ipsa quoque expressio haud satis apta Bonfrerio non debetur) *omnes* libros nostros sacros exortos dicere, ille generalem saltem divinam motionem voluntatis ad scribendum de certo argumento postulat, quam hic negat aut potius negligit; neque de assistentia errores tantum praecavente ille loquitur, sed eam postulat assistentiam, qua scriptori, si ea, quae Spiritus scribi vult, oblivioni dederit aut non intellexerit etc., scribenda suggerantur et doceantur; iuxta Iahnium vero inspiratio « nullas novas cogitationes suppeditat scriptori, nihil eum docet, sed tantummodo impedit immixtionem errorum in iis quae iam novit »; quare etiam monendum censet, nomen *inspirationis* usu consecratum non videri aptum, quum aliquid positivi adesse insinuet, quamvis notio ei subiecta sit mere negativa. Unde patet, secundum Iahnii sententiam Deum auctorem librorum nostrorum sacrorum sensu proprio dici non posse, quia ad eorum originem nihil positivi contulit, sicut magister epistolae ab eius discipulo motu proprio et marte proprio conscriptae auctor dici nequit, quamvis scribenti adstans invigilaverit quidem, ne errorem in scribendo admitteret, sed quid et quomodo scribendum esset non docuerit. Liber ergo cum ista *negativa* assistentia de rebus revelatis exaratus procul dubio « revelationem sine errore contineret », sed non magis, immo multo minus inspiratus appellandus esset, quam fidei definitiones Conciliorum et SS. Pontificum proprio sensu inspiratae dicuntur, licet hae per aliquam nominis extensionem interdum improprie ita vocentur ad S. Spiritus, quod definientibus adfuit, auxilium *positivum* innuendum.

Porro ad secundum Bonfrerii modum quod attinet, Deus, quum scriptorem ad scribendum de certo argumento saltem generali quadam voluntatis motione adduxisse atque scribenti etiam ita adstitisse dicatur, ut hic nihil eorum, quae iuxta divinam voluntatem scribenda erant, omitteret aut erronee referret, cum aliquo quidem iure auctor illius libri dici potest; neque tamen « integri libri cum omnibus suis partibus » esset auctor. Namque generalis voluntatis motio « ad scriben-

sunt verbum Dei, ex quo Spiritus S. eas per Salomonem elocutus est. Atque hoc modo fieri potuit, ut Moyses aliique historici ex libris sola humana industria scriptis aliqua assumserint, id quod ab auctore 2. *Mach.* libri factum esse nonnulli [iure merito] existimant, propterea quod is Iasonis Cyrenaei libros a se in compendium redactos dicit » (2 *Mach.* 2,24).

(14) Rectissime *Em. Franzelin* (de primo schem. Constit. dogmaticae disquisitio coram PP. deputatis Vat. habita. *Coll. Lac.* Conc. rec. VII. 1621) : « Sicut Ecclesia, quia infallibilis est, nihil potest definire tamquam veritatem revelatam, quod a Deo revelatum non est : ita prorsus ex eodem charismate infallibilitatis nullum librum potest ponere in canone *Scripturarum,* qui divinitus inspiratus non est ». Receptione in canonem Ecclesia testatur ac nos certos reddit, librum esse inspiratum, sed non efficit, ut sit inspiratus, i. e. ut Deus sit eius auctor.

dam talem historiam vel ad scribendas pulchras gnomas » ad singulas historiae sententias singulasque gnomas sese non extendere iuxta Bonfrerii sententiam videtur, neque positiva illa assistentia in illis historiae partibus illisque in gnomis adfuisse censetur, quas scriptor solus sine errore scribere potuit. Sed de inspirationis extensione mox erit dicendum.

4. — Iamvero quum iuxta Scripturae et Traditionis testimonia libri nostri sacri Deum quidem habeant auctorem, sed ab hominibus inspirante S. Spiritu conscripti sunt, tria in eorum origine obtinuisse recte asseruntur: supranaturali illustratione Deus effecit, ut totum argumentum, quod per certum librum cum hominibus communicare voluit, mens scriptoris conciperet scribendum; gratia deinde sua efficaci voluntatem scriptoris, ut illud literis consignaret, permovit; continua demum assistentia sua scribentem direxit, ut omnes et solas veritates, quas ipse illo in libro scribi voluit, hic apta vestiret forma, qua earum sensum plene redderet. Neque vero requiritur, ut Deum singulas quoque voces expressionesque scriptori suggessisse dicamus (id quod cum iunioribus nonnullis theologis etiam aliqui Patres videntur insinuare), licet libenter concedamus, id aliquoties contigisse, ubi nimirum Deus mysterium aliquod proprie dictum prima vice revelavit aut vocabulo ipso (ex gr. nomine λόγου *Verbi*) vel ipsa vocabuli forma (*Gal.* 4,16) etc. aliquam veritatem significari voluit.

Ut quid sit inspiratio clarius illucescat, consideretur oportet, quomodo duae librorum sacrorum causae efficientes, Deus, qui utpote eorum auctor causa princeps est, et scriptor, qui velut instrumentum vel minister ad eius originem aliquid contulit, sese in eo exarando habuerint. In omni autem libro duo sunt consideranda: eius argumentum, s. res et sententiae in eo contentae quae ab aliis etiam sensa s. veritates nuncupantur et a modernis theologis (*Franz. Mazz. Hurt.* etc.) libri *pars formalis* dicuntur, eiusque forma externa, s. lingua, stylus, idearum ordo et nexus etc., quae velut *pars materialis* a modernis considerantur. Nos antiquiorem loquendi modum retinere malumus.

1.) In Scripturarum libris omnibus, quaecumque est eorum forma externa, sive hac, sive illa lingua sunt conscripti, sive prosaici sunt, uti historici et plerique didactici, sive poetici, uti alii didactici et multi prophetici, res et sententias (s. argumentum) primum et praecipuum locum occupare nemo negaverit, quum omnes libri sacri eo fine nobis sunt dati, ut argumento suo nobis utiles sint. Unde consequitur, ut Deus eorum auctor dici nequeat, nisi integrum eorum argumentum, omnes res et sententiae in iis contentae, ad eum tamquam ad earum causam principem referantur. Altera vero ex parte, quum scriptor inspiratus non sit instrumentum mortuum[15], requiritur, ut idem argumentum, eaedem res et sen-

(15) Patres nonnulli aliquoties quidem prophetas sacrosque scriptores cytharae comparant, quam Spiritus plectro pulsaverit (*S. Iustin. M.* Cohort. ad Graec. 8), aut tibiae, quam Spiritus velut tibicen inflaverit (*S. Athen.* Leg. pro Christ. 9) etc.; quas comparationes moderni aliqui acath. (cfr ex. gr. *Cremer* in Herzog P R E. VI. 750) ita urgent, ut Patres illos dicant sacros auctores similes credidisse ethnicis divinatoribus ac vatibus, qui extra se rapti ea proloquebantur quae ipsi non intelligebant. Per se autem patet eiusmodi comparationes non posse ita urgeri, nisi multa absurda Patribus affingere velimus;

tentiae, ad ipsum quoque pertineant, ut illas tamquam suas (certo saltem modo) scribere potuerit. Deus igitur veritates seu sententias illas, quas determinato in libro scribi voluit, cum scriptore communicare debuit eo fine, ut hic eas literis mandaret. Quae communicatio pro argumentorum diversitate diversa esse potuit.

Etenim interdum, si de novis veritatibus, quae eousque hominibus plane incognitae fuerant, aut supranaturalibus (mysteriis etc.) aut etiam naturalibus (ex. gr. primae creationis modo, ordine), agebatur, communicatio fieri non potuit nisi revelatione proprie dicta; ubi vero de rebus agebatur, quas scriptor aut ex praecedente quadam revelatione vel ex propria experientia cognitas habuit aut propria industria et inquisitione cognoscere potuit, sufficiebat, ut Deus illas supranaturali operatione menti memoriaeque scriptoris velut scribendas obiiceret aut eum ad illas quaerendas inveniendasque gratia sua impelleret adiuvaretque[16]. Inspiratio per se ergo proprium hominis laborem ac studium nequaquam excludit; neque inspirationi obest, quod Ioannes se ea scripsisse dicat, quae viderat (*Ioan.* 19,35), aut Lucas se in omnia, quae scripturus erat, diligenter inquisivisse insinuet (*Luc.* 1,3), aut alius se in suo opere ex libris Iasonis Cyr. excerpendo « non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumsisse » testetur (2 *Mach.* 2,27). « Praecedens enim cognitio, inquit *Franzelin* (de Trad. et Script. p. 353), non potest esse ratio, cur Deus illas veritates suo consilio comprehendere nequeat per Scripturam tradendas Ecclesiae, et cur supernaturali sua operatione efficere nequeat, ut homo veritates ipsas aliunde sibi cognitas mente et voluntate concipiat ad eas scripto consignandas. Eadem quoque ratione non excluduntur industria, studium et praesidia, puta documentorum et testium, ab homine adhibita ad res et sententias concipiendas, dummodo supernaturalis operatio et directio Dei efficiat, ut mens hominis inquirentis sensa ea omnia et sola ad scribendum concipiat..., quae Deus, ut scribantur, consilio suo comprehendit ».

2.) Porro a Deo, ut alicuius libri auctor iure vocetur, motionem humanae voluntatis ad eum scribendum debere procedere, scriptorem vero divina et efficaci illa motione non magis libertate sua privari, quam homo quicumque sub influxu gratiae agens libertate privatur, vix opus est monere; neque demonstratione indiget, motionem aliquam generalem ad scribendum de tali argumento non sufficere, sed eam ad singulas quoque res et sententias sese extendere debere. Quomodo enim Deus integri libri auctor esset, si praeter aut contra eius voluntatem res ac sententiae nonnullae essent receptae? Addamus autem cum hac interna motione speciali ac determinata optime conciliari, quod interpretes de externis occasionibus loquantur, quibus sacri scriptores ad libros suos exarandos permoti sint. Nam-

eaedem aut similes comparationes etiam apud iuniores Patres interdum inveniuntur, qui tamen diserte contra Montanistas monent, prophetas non fuisse ita, sicut ethnici pseudoprophetas, extra se raptos, ut ipsi sua verba non intellexerint, sed Deum prius in eorum corde esse locutum, ut ipsi sapientes effecti sapientiam divinitus acceptam aliis annuntiarent; cfr *Orig.* c. Cels. VII. 3. 4. in Ioan. tom. VI. 2; in Rom. VIII. 6 (*M.* 11,1424. sq.; 14,206. 1174), *S. Basil.* in Is. Prooem. 5 (*M.* 30,125), *S. Epiph.* haer. 48,2. 3 (*M.* 41,856), *S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 29,1. 2 (*M.* 61,241), *S. Hier.* in Is. Prol.; in Nah. Prol (*M.* 24,19; 25,1232), *S. Greg. M.* in Iob 13,1. Moral. XII. 20 (*M.* 75,968) etc.

(16) Quos varios communicationis modos *Antoine* (Theol. univ. I. tr. 1. sect. 6. a. 4) bene enumerat illustrationem internam requiri monens, « qua Deus vel pia monita, praecepta, consilia piasque adhortationes scriptori sacro suggerebat, vel veritates antea ignotas manifestabat, vel res prius cognitas in memoriam revocabat, vel quid ex multis, quae scriptoris memoriae occurrebant, scribendum esset, ostendebat ».

que nihil profecto obstat, quominus dicamus, Romanos Marcum rogasse, ut praedicationem Petri libro comprehenderet, Deum autem gratia sua Evangelistam, ut fidelium petitioni annueret, impulisse; aut conditionem ecclesiae corinthiae eam fuisse, quae epistola corrigi deberet, atque Deum Pauli attentionem ad istum rerum statum gratia sua convertisse eique auctorem fuisse, ut literis scriptis malo remedium afferret etc.

3.) Aliter vero auctor libri alicuius se habet ad res ac sententias in eo contentas, aliter ad externam formam qua exprimuntur; auctor aliquis librum a se conscriptum pro suo agnoscit, etiamsi in aliam linguam sit translatus, dummodo versio ita sit fidelis, ut omnes ac solas primarii operis sententias plane retineat nec ullam obscuret; similiter professor praelectionem, quam dictavit, licet auditores singula eius verba non exceperint, suum opus esse non negabit, si discipuli cunctas res sententiasque ab eo expositas sine ulla sensus mutatione aut omissione aut additione suis ipsorum verbis reddiderint. Eadem enim sententia variis modis plerumque apte exprimi potest, quare in libris, qui ob suum argumentum conscribuntur, externa forma inferiorem locum tenet. Ad quam magnam argumenti et formae differentiam attendentes inde ab Origenis tempore multi Patres et interpretes epistolam ad Hebraeos Paulo auctori, utpote cui sententiae (τὰ νοήματα) deberentur, attribuere non dubitabant, quamvis uni ex eius discipulis epistolae dictionem et compositionem (τὴν φράσιν καὶ τὴν σύνθεσιν), quippe quae a paulina differret, deberi existimarent (cfr *supra* p. 570). Simili ratione nihil videtur obstare, quominus in libris sacris *eandem* mentis illustrationem et voluntatis motionem, quam ad argumentum concipiendum requiri diximus, ad externae formae determinationem sese extendere negemus. Summo enim cum iure Deus auctor librorum sacrorum vocari potest, etiamsi sacro scriptori in vocibus phrasibusque eligendis, in imaginibus similitudinibusque adhibendis, in determinando ordine nexuque idearum certam libertatem concesserit. Suis tamen limitibus hanc libertatem circumscribi evidens est; siquidem Deus, ut Ecclesiae suum verbum cum infallibili certitudine cognoscendum traderet, efficaci sua assistentia non tantum invigilare debuit, ne suis sententiis, quas illo in libro tradi voluit, ulla aliena admisceretur aut ex eis ulla omitteretur vel magis minusve erronee exprimeretur, sed scriptorem etiam dirigere debuit, ut semper et ubique, etsi non aptissimam ac pulcherrimam, aptam tamen ac verbo divino convenientem formam eligeret. Hinc fieri potuit, ut Deus certis in locis seriem ac dispositionem rerum aut ipsas quoque interdum voces imaginesque suggereret, quae ad plenum divinum sensum reddendum erant necessariae neque a scriptore, nisi suggestae, essent adhibitae.

Ecclesiae igitur definitio, qua Deus auctor esse Scripturarum docetur, non postulat, ut Deum omnes voces dictionesque, omnes loquendi modos, constructiones, similitudines etc. scriptoribus suggessisse dicamus; ex ipsa autem Scripturarum indole colligimus, « saltem plerumque auctores inspiratos in verbis seligendis et in modo scribendi grammatico ac rhetorico divina assistentia tantum adiutos et munitos, non autem divinitus accepta dictatione ad unum determinatos fuisse » (*Franzelin* l. c. p. 357). Id iam diversus in singulis fere libris stylus ac dicendi modus docet, quam diversitatem Patres haud infrequenter a diversa scriptorum sacrorum indole, eruditione, vivendi ratione derivant. Cilicismos in Pauli, utpote in Cilicia nati, epistolis aliosque soloecismos, quos ob linguae graecae imperitiam evitare nequiverit, non semel carpit *S. Hier.;* eum verbis quae vult, propria eorum significatione non attenta, ideas quas intendit exprimere, dicit *S. Greg. Nyss.* (cfr p. 537); Isaiam, utpote virum nobilem et in urbe natum,

disertum fuisse, Ieremiam vero, quamvis ob eundem Spiritum sensibus par sit Isaiae, sermone esse rusticiorem, quia in viculo sit natus, iterum *S. Hier.* dicit etc. Idem elucet ex diverso modo, quo diversi scriptores easdem res gestas aut eosdem sermones Domini aliorumque haud infrequenter referunt (cfr p. 495 sq.). Qua de diversitate *S. Aug.* agens « ut quisque meminerat, inquit, et ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius eandem tamen, explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est », differentiasque a Deo permissas esse docet, ut « nihil in cuiusque verbis inspiciamus, nisi voluntatem cui debent verba servire », et ut intelligamus « non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos, qui non eadem locutione utuntur, quum rebus sententiisque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus », « neve putemus quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tamquam Deus nobis quemadmodum rem, sic verba, quae propter illam sunt dicenda, commendet; quum ita potius res, quae dicenda est, sermonibus, per quos dicenda est, praeferatur, ut istos omnino quaerere non deberemus, si eam sine his nosse possemus, sicut illam novit Deus et in ipso angeli eius » [17].

5. — De extensione inspirationis Conc. Vatic. nihil novi statuit, sed Tridentini Concilii tantum verba repetiit, quum libros integros cum omnibus suis partibus inspiratos esse declararet [18]. Licet igitur de accurata nominis *partium* in hoc decreto significatione etiam hodie variae sententiae salva fide teneri queant, dubium tamen non est, quin a vero aberrent, qui in Scripturis ea quae fidei morumque doctrinam continent ab aliis, quibus historicae similesque notiones traduntur, distinguentes inspirationem ad priora sola sese extendere asserunt; atque multo longius aberrant, qui in iis Scripturarum partibus, quas inspiratas esse negant, errores, mythos contradictionesque invenire volunt. Illud enim omnino teneatur oportet, in libris sacris, quales ex scriptorum inspiratorum manibus prodierunt, nullum adfuisse errorem neque ullam contradictionem, quia integri argumenti, sive directe ad fidem morumque regulam spectat sive non, Deus ipse est primarius auctor.

Verba *cum omnibus suis partibus* Concilium Trid. suo decreto adiecisse, ut particularum quarumdam Evangeliorum canonicitatem proxime tueretur, sed ea ita esse comparata, ut simul canonicitatem partium deuterocanonicarum Vet. Test. vindicent, alibi iam ostendimus [19]. Hac igitur quaestione praetermissa atque antiquorum quoque haereticorum (Manichaeorum, Gnosticorum, Marcion. etc.) aut integri Vet. Test. aut integrorum librorum etc. inspirationem negantium sententiis neglectis de modernis tantum erroribus pauca addemus. Inter theologos catholicos medio saec. 17. Anglus quidam, *H. Holden*, primus inter ea, quae in

(17) *S. Aug.* de cons. Evang. II, 12,27. 28; 28,67; 66,128 etc. (*M.* 34,1089. 1111. 1139).

(18) *Coll. Lac.* conc. rec. VII. 1621. De prim. schem. disquisitio dogm. : « Quod ad extensionem inspirationis spectat, diserta appellatione ad Conc. Trid. significatur, *eas partes* credendas esse *inspiratas*, quas Tridentinum definivit esse *sacras et canonicas*. Quaestiones vero hactenus inter catholicos controversae de sensu, quo *partes librorum* in decreto trident. intelligendae sint, nec definiuntur nec attinguntur. Quoad *extensionem* ergo inspirationis nihil omnino definitioni tridentinae superadditur ».

(19) Cfr *supra* p. 470; *Introd. gener.* in U. Test. libr. p. 133 sq.; *Introd. spec.* in Novi T. libr. p. 679 sq.

Scripturis sint vere doctrinalia interque alia ita distinxit, ut haec sine ulla speciali Dei assistentia scripta assereret. Quem saeculo insequente secutus est *Phil. Ner. Chrismann* O. Min., qui similiter distinguens partes non doctrinales negativa quadam cum assistentia scriptas asseruit; uterque tamen omnia, quae in Scripturis leguntur, vera et certa esse non negarunt, sed illas partes velut fide *divina* credendas dumtaxat infitiati sunt[20]. Hoc nostro autem saeculo aliqui scriptores catholici ulterius progressi decretis Conciliorum inspirationem ad ea, quae fidem moresque attingunt, ita restringi asseruerunt, ut scriptores in aliis non tantum errare potuerint sed saepe erraverint; hac nimirum nova sententia admissa se Scripturarum auctoritatem ab incredulorum obiectionibus facilius defendere posse arbitrati sunt[21]. Quibus acatholici nonnulli praeierant; etenim protestantes, qui ab initio strictissimam inspirationem admiserant, ita ut ipsa signa vocalia (quae textui hebr. non nisi inde a saec. 9. p. Chr. addita sunt) inspirata definirent (Formula cons. helv. a. 2), inde a saec. 17. etiam solam assistentiam negativam in multis Scripturarum partibus statuere coeperunt, exorto autem rationalismo omnem plane inspirationem negarunt, atque pauci hodie inter eos invenientur, quin erroribus contradictionibusque plenos esse libros sacros asserant[22].

(20) *H. Holden* Analysis fidei div. I. 5 : « Auxilium speciale divinum praestitum auctori cuiuslibet scripti, quod pro verbo Dei recipit Ecclesia, ad ea solummodo se porrigit, quae vel sunt pure doctrinalia vel proximum aliquem aut necessarium habent ad doctrinalia respectum; in iis vero, quae non sunt de instituto scriptoris vel ad alia referuntur eo tantum subsidio Deum illis adfuisse iudicamus, quod piissimis ceteris auctoribus commune est; » et cfr II. 3 : « quamvis *falsitatis arguere non licet quidquid habetur in sacro codice,* verumtamen quae ad religionem non spectant, catholicae fidei articulos non adstruunt ». — *Ph. N. Chrismann* (Regula fidei cath. I. 2 § 51 cfr *Migne* Theol. curs. compl. VI. 907) his regulis suam doctrinam complectitur : « 1.) In libris sacr. et canon. contineri doctrinam a Deo per Prophetas Apostolos Evangelistas aliosque hagiographos revelatam, atque hoc praecipue sensu Scripturam esse proprie verbum Dei, veritas divina et catholica est; 2.) illud solum ex libris divinis fide divina credendum est, quod tamquam *doctrina revelata* refertur;... 5.) facta vero, quae nec antea nec in actuali scriptione revelantur, fide divina propria credenda non sunt; 6.) quare tantum abest a dogmate fidei, ut ne quidem certum ac necessarium sit, ut singulae veritates ac sententiae a Spiritu S. suggerantur aut inspirentur; sufficit namque ea inspiratio, qua Spiritus S. auctores sacros inter scribendum direxit ne errarent; 7.) omnia, quae in Scripturis referuntur, vera et certissima sunt ». Fuse contra hanc doctrinam agit *I. Kleutgen* Theologie der Vorzeit. Ed. 2. I. p. 50-72.

(21) Inter se tamen huius sententiae auctores parum consentiunt : *Em. Newman* (On the inspiration of Scripture. The Nineteenth Century Febr. 1884) sola ea, ut videtur, quae *obiter dicta* appellat, i. e. incisa quaedam et notas insertas (uti *Iudith* 1,7 Nabuchodonosorem regem fuisse Ninives; 2 *Tim.* 4,13 Paulum penulam Troade reliquisse etc.), ab inspiratione excludit (contra hanc sententiam egregie disputant *P. Brucker* S. I. L'étendue de l'inspiration des livres s. Controverse et Contemporain. Déc 1884. Ianv. 1885 et *F. Schmid* Die neuesten Controversen über die Inspir. Innsbr. Zeitschr. f. Theol. 1886); *Fr. Lenormant* (Les origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orient. Paris 1880 Préf. p. VI. sqq.) integram fere narrationem historicam negat inspiratam esse mythosque a Moyse referri censet (contra eum optime disserit *Fr. de Hummelauer* S. I. Inspiration und Mythus. Stimmen aus M. Laach 1881. XXI. p. 348 sqq. 448 sqq.); alii, uti *Rohling* (Die Inspiration der Bibel und ihre Bedeutung fur die freie Forchung. Natur u. Offenb. Münster 1872. p. 97 sqq.) in iis quae ad historiam naturalem magis spectant, inspirationem proprie dictam negant etc. (contra quos cfr *Rebbert* Natur u. Offenbarung. 1872, *Em. Franzelin* De Trad. et Script. Ed. 3. p. 564 sqq.).

(22) Cfr *Der Katholik* Zur Gesch. der protest. Inspirationslehre 1835. II.

Iamvero in hodierno quidem nostro SS. Scripturarum textu satis apte inter partes, quae ad fidem moresque proxime ac directe spectant, interque alias ita distingui, ut priores divina providentia sine ulla erroris admixtione nobis sint conservatae, in reliquis autem fragilitate humana errores sint exorti, non negamus [23]; at distinctio haec in librorum sacrorum textu, qualis ex hagiographorum ipsorum manu prodiit, locum non habet. Quoniam enim libri sacri eum in finem a benignissimo Deo nobis sunt dati, ut nobis regula credendi agendique essent, omnino sufficiebat, ut singulari sua cura providentiaque libros hominum custodiae traditos ab omni pernicioso circa fidem moresque errore immunes conservaret ac proin ab omnibus illis partibus, quae credendi agendique regulam proxime spectant, omnia menda averteret; neque opus erat, ut eadem cum sollicitudine a reliquis quoque omnes errores, quum aeternae hominum saluti non noceant, arceret. At alia est res, si de prima librorum origine agitur, siquidem eadem omnino ratione Deus non est eorum conservator, qua est eorum auctor; in eorum conservatione secundum quasi locum tenet, in eorum origine primum; menda igitur, quae in Scripturas irrepserunt, postquam hominibus custodiendae traditae erant, humanae fragilitati ac negligentiae iure attribuuntur; si autem ab ipsa origine Scripturae erroribus infectae fuissent, hi principi earum causae efficienti, i. e. ipsi Deo, attribuendi essent.

Namque, uti ex superioribus (*n.* 2. 4.) satis iam elucet, integrarum Scripturarum Deus est auctor; quodsi S. Paulus *omnem* Scripturam divinitus inspiratam ideoque utilem ad docendum etc. dixit, certe rem non ita intellexit, ut quaedam dumtaxat sententiae in libris sacris, quos Timotheus ab infantia novit, inspiratae utilesque sint; neque Concilia, si Scripturarum « libros integros cum omnibus suis partibus » sacros et canonicos declararunt, quia « Spiritu S. inspirante conscripti Deum habeant auctorem », rem ita intelligere potuerunt, ut divina illustratio et motio nonnullas tantum sententias maioresque vel minores partes attigerit et quasi per intervalla egerit in sacros scriptores. Itaque licet verissimum sit, non omnia, quae in Scripturis scripta sunt, revelata esse, si revelatio strictissimo sensu divina rei occultae manifestatio intelligitur, omnino tamen, « si revelatio sensu minus stricto sed frequentatissimo intelligitur veritatis propositio ab ipso Deo facta, inspiratio quaevis ad scribendos libros sacros erat revelatio, quae primum quidem fiebat interne in mente hominis inspirati, ut deinde per scriptionem tamquam verbum Dei proponeretur Ecclesiae et obiectum fidei constitueret » (*Franzelin* l. c. p. 354). Ubinam porro Concilia in suis definitionibus inspirationem ad solas res fidei ac morum restrinxerint, nemo nobis indicaverit; et quid Patres omnesque alicuius nominis theologi de integrarum Scripturarum inspiratione senserint, ex eo satis elucet, quod ob earum divinam originem nihil omnino falsi aut erronei aut absurdi in ulla earum parte inveniri docuerunt (cfr *supra* p. 142 sqq.). De hac quaestione nunc prae reliquis consulenda est *Encycl.* 30. 31.

6. — Interroganti demum, unde nobis inspiratio alicuius libri innotescat, respondemus de ea nobis omnimoda cum certitudine, quae omnem dubitationem excludit, constare non posse nisi testimonio divino. Atque Veteris Test. quidem librorum inspiratio testimonio Christi Apostolorumque scripto et tradito, Novi Test. integri inspiratio traditione sola nobis innotuit.

(23) Cfr quae de hodiernis Scripturarum textibus quum primigeniis tum translatis diximus p. 57 sqq. (*Introd. gen.* in U. Test. libr. sacr. p. 231 sqq.).

Quum inspiratio sit factum supranaturale mere internum, tres tantum, uti patet, excogitari queunt fontes, quibus aliis innotescat : aut ipso nimirum inspirationis effectu, i. e. indole et charactere singulari libri inspirati, aut testimonio hominis inspirati, aut Dei inspirantis testimonio. Atqui quod ad primum fontem attinet, frustra sese torserunt acatholici, qui divinas traditiones reiecerunt, ut in libris ipsis, quos velut inspiratos admiserunt, criterium quoddam detegerent, quo eorum inspirationem demonstrarent; frustra enim hunc in finem ab aliis appellatur ad librorum argumentum, i. e. miracula vaticiniaque in iis contenta, vel sublimem eorum doctrinam, ab aliis ad eorum formam, simplicem nimirum et sublimem dictionem, ab aliis ad eorum effectus, singularem sc. gustum ac saporem, quem Scripturae lectio producat ; haec enim omnia arbitraria esse, Protestantium experientia satis evincit, qui his criteriis ducti eo paullatim devenerunt, ut nullum amplius librum sacrum habeant. Porro ipsius quoque scriptoris inspirati testimonium solum sufficere nequit; praeprimis enim per se non requiritur, ut homo suae ipse sibi sit conscius inspirationis, quamvis libentissime concedamus, plerumque saltem, uti prophetas, ita hagiographos nostros Deum in ipsis ac per ipsos loqui ac scribere scivisse. At agitur de actione interna, in qua homo illusionibus est obnoxius; quare inspiratus, quamquam de illustrationis ac motionis, quam experitur, origine divina per Deum certus redditur, postulare tamen nequit, ut alii testimonio suo de facta inspiratione fidem habeant, nisi illud miraculis confirmet; qua in hypothesi divinum, quod requiri diximus, testimonium habemus. Multo magis autem eiusmodi divinum testimonium de libris nostris sacris requiritur, quum omnes fide divina credere teneamur, eos esse inspiratos.

Quomodo tandem libros nostros Deum habere auctorem et inspirante Spiritu S. conscriptos esse demonstretur, iam diximus (*n.* 2); haud sine ratione autem Patres Vatic. definitioni suae (Ecclesiam eos pro sacris et canonicis habere quia Deum habeant auctorem) ultimo in loco addunt : « atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt »; rationem enim nobis innuunt, qua nixa Ecclesia eos pro inspiratis habet : illos sc. ab Apostolis tamquam inspiratos accepit; atque simul rationem nobis innuunt, qua nixi nos eos pro inspiratis habemus iuxta illud Augustini : « Evangelio non crederem, nisi Ecclesiae me moveret auctoritas » [24].

(24) Ita fere *R*^mus^ relator in sua schematis propositi explicatione *Collect. Lac.* Concil recent. VII. 141.

III. — FRAGMENTUM MURATORIANUM.

quibus tamen Interfuit et ita posuit.
Tertio [tertium] Evangelii librum secundo [secundum] Lucan[2].
Lucas Iste medicus post acensum [ascensum] $\overline{\text{XPI}}$,
Cum eo [eum] Paulus quasi ut iuris studiosum[3]
Secundum adsumsisset, numeni [nomine] suo
ex opinione concribset [conscripsit]; $\overline{\text{dum}}$ tamen nec Ipse[4]
dvidit [vidit] in carne, et id$\bar{\text{e}}$ prout asequi [assequi] potuit;
ita et ad [ab] nativitate Iohannis incipet [incepit] dicere.
Quarti Evangeliorum Iohannis ex decipolis [discipulis][5]
Cohortantibus condescipulis et $\overline{\text{eps}}$ suis
dixit : conieiunate mihi odie [hodie] triduo [triduum], et
quid cuique fuerit revelatum, alterutrum[6]
nobis enarremus. Eadem nocte reve-
latum andreae ex apostolis, ut recognis-
centibus [recognoscentibus] cuntis [cunctis] Iohannis [Ioannes] suo nomine
cunta [cuncta] discribret [describeret] et ideo licit [licet] varia sin-
culis [singulis] evangeliorum libris principia[7]

(1) Antiquissimum Romanae Ecclesiae canonem secundum facsimile a S. P. Tregelles editum transcribimus; illa vocabula, quae librarii negligentia ita corrupit, ut legenti difficultatem creent, correcta uncis inclusa addimus, interpunctionem quoque supplemus paucasque subiicimus notas, quae genuino sensui percipiendo inserviant.

(2) Lineae 2. et 9. rubro scriptae sunt. Sine ullo dubio « tertio » corrigendum est « tertium »; cfr statim « eo » pro « eum », « secundo » pro « secundum » etc. Punctum, quod librarius post Lucan (Lucam) posuit, vitiosum est, quum membrum hoc a verbo « conscripsit » dependeat.

(3) « iuris studiosum secundum ». Num verba haec sint corrupta, an potius versio inaccurata, non liquet. Inter varias coniecturas propositas ea videtur praeferenda, quae graece scriptum fuisse statuit : ὡς τοῦ δικαίου (vel τοῦ νόμου) σπουδαῖον. Τὸ « secundum » autem probabiliter refertur ad Marcum, qui primus Paulum secutus postea Petri discipulus factus Evangelium secundum Petri praedicationem scripsit. Ad Marcum certe referendum est, quod Lucas « *nec ipse* » Dominum vidisse et « *idem* » sicut assequi potuit scripsisse dicitur.

(4) « Ex opinione conscripsit » forte corrupte pro graeco : αὐτῷ ἔδοξε συγγράψαι (ex Luc. 1,3); vel melius nomen Pauli excidisse dicemus, ut « ex Pauli opinione conscripsit » sit pro κατὰ τὴν Παύλου δόξαν ἔγραψεν : δόξα enim apud *Clem. Alex.* (Strom. VII. 17.) idem est ac παράδοσις (*traditio*).

(5) Probabiliter legendum : Quarti Evangeliorum (auctor est) Ioannes ex discipulis.

(6) Aut corrigendum, « alterutri », aut vitiosa versio graeci θάτερον, sc. utrum Evangelium scribendum sit, necne.

(7) « principia » ab aliis initia vel prooemia Evangeliorum (ἀρχαί) intelliguntur; melius

doceantur, Nihil tamen differt credentium fidei[8], cum uno ac principali[9] spū de-
clarata sint in omnibus omnia, de nativitate, de passione, de resurrectione,
de conversatione cum decipulis [discipulis] suis,
ac de gemino eius advento [adventu],
Primo In humilitate dispectus [despectus], quod fo-
tu [fuit], secundum potestate regali preclarum quod foturum [futurum] est[10]. quid ergo
mirum, si Iohannes tam constanter
sincula [singula] etiā In epistulis suis proferat
dicens in semeipsu[11] : Quae vidimus oculis
nostris et auribus audivimus et manus
nostrae palpaverunt, haec scripsimus vobis;
Sic enim non solum visurem [visorem], sed et auditorem,
sed et scriptorē omnium mirabiliū dnī per ordinem profetetur [profitetur]. Acta autē omniū apostolorum
sub uno libro scribta [scripta] sunt. Lucas obtime theofile comprindit [comprehendit], quia[12] sub praesentia eius singula
gerebantur, sicut et semote passionē Petri
evidenter declarat, Sed et profectionem pauli ad [ab] urbes [urbe] ad spaniā proficescentis[13]. Epistulae autem
Pauli, quae, a quo loco, vel qua ex causa directe [directae]
sint, volentatibus [volentibus] intellegere Ipse [ipsae] declarant.
Primū omnium corintheis scysmae haeresis[14] Interdicens, deinceps B callatis [Galatis] circumcisionē,

ab aliis varia doctrinae capita (στοιχεῖα). Nescio annon idem exprimere voluerit auctor, quod *Clemens Alex.* (Eus. H. E. VI. 14.), sc. Ioannem spiritale Evangelium adiecisse Synopticis, qui ea, quae ad humanitatem Christi pertinent, potius retulerant.

(8) « nihil differt credentium fidei » οὐδὲν διαφέρει τῆς τῶν πιστευόντων πίστεως.

(9) « principalis » = ἡγεμονικός. *S. Iren.* (c. Haer. III, 11.) aeternam Christi generationem vocat ἡγεμονικὴν [καὶ ἔμπρακτον] καὶ ἔνδοξον « principalem et efficabilem et gloriosam ».

(10) Sensus lin. 23-26 est clarus, quamvis textus sit corruptus. Lege : « ac de gemino eius advento [in infima latinitate : *adventum* pro *adventus* etc.] primo in humilitate despecto, quod fuit, secundo in potestate regali praeclaro, quod futurum est ».

(11) Lege aut « in semet ipsum » i. e. relate ad se ipsum, vel « in semet ipso » i. e. in sua persona, in suo exemplo. *Tertul.* de Pud. 18 : « nam hoc etiam in sua persona statuit Apostolus », sc. Deum peccatoribus misericordiam exhibere (1 *Tim.* 1,15).

(12) Legendum videtur : « Lucas optimo Theophilo comprehendit, quae sub praesentia eius (i. e. ipso praesente) gerebantur ».

(13) Difficiliora sunt haec verba; ex omissione narrationum de martyrio Petri et de itinere hispanico Pauli videtur auctor deducere velle, Lucam in Actibus ea sola narrasse, quibus ipse interfuerat. Si hic est sensus, corrigi potest : « sicut et semota (i. e. sepositа vel omissa) passione Petri evidenter declarat et profectione Pauli ab Urbe in Hispaniam proficiscentis ». Alii errorem traductoris admittere malunt; si graece scriptum erat : καθὼς καὶ χωρίσας τὸ Πέτρου πάθος σαφῶς δηλοῖ καὶ τὴν πόρειαν κτλ., interpres forte pro χωρίσας (*praeteriens*) legit χωρίς. Innumerae de hoc loco sunt coniecturae.

(14) Lege aut « schismae (pro schismatis) haereses », aut « schisma haeresis ».

Romanis autem ornidine [ordinem] scripturarum[15] sed et
principium earum esse XPM Intimans,
prolexius [prolixius] scripsit, de quibus sincolis [singulis] Necesse est ad [a] nobis desputari[16]. Cum ipse beatus
apostolus paulus sequens prodecessoris [praedecessoris] sui
Iohannis ordine[17] nonnisi comenatī [nominatim] semptae [septem]
eccleses [ecclesiis] scribat, ordine tali : a [ad] corenthios
prima; ad efesios seconda, ad philippinses tertia, ad colosensis quarta, ad calatas [Galatas] quinta, ad tensaolenecinsis [Thessalonicenses] sexta, ad romanos
septima, Verum corintheis et thessaolecensibus, licet pro cerrebtione [correptione] Iteretur[18], una
tamen per omnem orbem terrae ecclesia
deffusa esse denoscitur [dignoscitur]; Et Iohannis [Ioannes] enī In apocalebsy [Apocalypsi] licet septe eccleseis scribat,
tamen omnibus dicit. verū ad filemonem una;
et ad titū una, et ad tymotheū duas [duae] pro affecto et dilectione, In honore [honorem] tamen ecclesiae catholice [catholicae], In ordinationem ecclesiastice [ecclesiasticae]
descepline [disciplinae] scīficate [sanctificatae] sunt. Fertur etiam ad
Laudecenses [Laodicenses], alia ad alexandrinos Pauli nomine fincte [fictae] ad heresem Marcionis, et alia plura, quae in catholicam ecclesiam recepi [recipi] non
potest; Fel enim cum melle misceri non concruit [congruit]. epistola sane Iude [Iudae] et superscriptio [suprascripti]
Iohannis duas [duae] In catholica habentur[19]. Et sapientia ab amicis Salomonis in honore ipsius
scripta[20] apocalapse [apocalypsim vel apocalypses] etiam Iohannis et Petri tantum recipimus, quam quidam ex nos-

(15) « ordo Scripturarum » ex *S. Iren.* c. Haer. I. 8 (τὴν τάξιν καὶ τὸν εἰρμὸν τῶν Γραφῶν ὑπερβαίνοντες. V. I. « ordinem et textum Scripturarum supergredientes ») videtur designare ea, quae Scriptura fieri iubet, ita ut *ordo* = summum argumentum Scripturae.

(16) Omissa est particula negans : « de quibus singulis necesse non est a nobis disputari ».

(17) Prodecessor vel praedecessor Pauli Ioannes vocatur, quatenus prior ad fidem et ad apostolatum vocatus est, non quatenus auctor Apocalypsin ante Epistolas Paulinas scriptam putavit.

(18) Phrasis « verum Corintheis et Thessalonicensibus, licet pro correptione, iteratur » parenthetice inserta est; sensus autem integrae enuntiationis satis impeditae est hic : Quum (i. e. quamvis) Paulus praedecessoris sui Ioannis ordinem secutus nonnisi septem ecclesiis nominatim scribat, tamen ecclesiam per omnem orbem diffusam esse apparet, quia etiam Ioannes in Apocalypsi septem tantum ecclesiis scripsit, et tamen eius liber omnibus fidelibus est destinatus.

(19) « In catholica habentur » vel « in catholica » sc. Ecclesia, vel « inter catholicas » sc. epistolas, vel melius « inter catholica » sc. scripta. Hoc sensu ἐν καθολικοῖς usurpatur ab *Euseb.* H. E. III. 3, ubi de apocryphis quibusdam loquitur, quae omnia « inter catholica » tradita non sunt.

(20) « Et Sapientiae »; plerique recte legendum censent « *ut* Sapientia », quum liber Sapientiae inter N. T. Scripturas numquam sit enumeratus. Quia nimirum teste S. Hiero-

tris legi In ecclesia nolunt[21]. Pastorem vero
nuperrim et [nuperrime] temporibus nostris In urbe
roma herma conscrīpsit, sedente [in] cathe-
tra [cathedra] urbis romae ecclesiae Pio epⁱ, frater [episcopo, fratre]
eius; et ideo legi eum quidem Oportet, se pu-
plicare [publicare] vero in eclesia populo Neque inter
profetas [prophetarum] completum numero [numerum] neque Inter
apostolos In finē temporum potest.
Arsinoi autem seu valentini, vel miltiadis
nihil In totum recipemus [recipimus]. Qui etiam novu
psalmorum librum marcioni conscripse-
runt una cum basilide assianum catafry-
cum constitutorem[22].

nymo (de Vir. ill. 9. 18.) olim a aliquibus dubitatum est, utrum 2. et 3. Ioannis ab Apostolo scriptae sint, an ab altero Ioanne presbytero, auctor noster videtur docere, in his duabus Ioannis epistolis idem accidisse, quod in libro Sapientiae multi locum habuisse putant, qui nimirum, quamvis sub nomine Salomonis sit vulgatus, tamen non ab eo, sed ab aliis sub eius nomine (in eius honorem) sit compositus.

(21) Maxima hoc in loco est difficultas, num auctor Apocalypses Ioannis et Petri ceu canonicas aliis Apocalypsibus apocryphis opponat (has duas tantum, non plures recipimus), an « tantum » sit erronea versio graeci « μόνην » (et Petri unam sc. epistolam recipimus). *Clemens Alex.* (Eus. H. E. VI. 14.) etiam Petri Apocalypsin genuinam habuisse refertur, quae ab aliis quoque antiquis scriptoribus non respuebatur. Ideo priorem explicationem, quae textum immutatum relinquit, praeferendum censemus, simul autem monemus, librum hunc non tamquam certum recipi, quum aliqui ei contradicere dicantur. Alii ante vocabulum « *et Petri* » punctum ponere volunt : « Et Petri tantum recipimus » sc. quantum Ioannis, duas epistolas et unam Apocalypsin; sed huic explicationi contextus contradicit.

(22) Quae lin. 81-85 leguntur, multas habent difficultates, sed quum haec non amplius de libris canonicis agant, eas explicare omittimus.

IV. — ORIGO LITERARUM SEMITICARUM ET GRAECARUM.

1. Origo literarum semit. ex hierogl.

SCRIPTURA AEGYPTIORUM		PRIMITIVAE formae SEMITARUM
HIEROGLYPHICA	HIERATICA	

2. Origo literarum graec. ex semit.

ANTIQUA scriptura SEMITICA	PRIMITIVA scriptura GRAECA	IUNIORES FORMAE

Codices Samaritani	Nummi Hebraeorum ante et post Chr. aetatem	Nummi et inscriptiones Phoeniciae	Inscriptio Mesae saec. 9. Chr.	Papyri et inscript. Aramaic. et Aegypt. a saec. 8. — 1. ante Chr.	Inscript. Palmyrenae immediate ante et post Christi aetatem	Inscript. hebraic. tempore Christi	Litterae quadratae
							א
							ב
							ג
							ד
							ה
							ו
							ז
							ח
							ט
							י
							כ ך
							ל
							מ ם
							נ ן
							ס
							ע
							פ ף
							צ ץ
							ק
							ר
							ש
							ת



† ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ †

† † † 1399



ΕΝΑΡΧΗΗΝΟΛΟΓΟCΚΑΙ
ΟΛΟΓΟCΗΝΠΡΟCΤΟΝΘΝ
ΚΑΙΘCΗΝΟΛΟΓΟC ΟΥΤΟC
ΗΝΕΝΑΡΧΗΠΡΟCΤΟΝΘΝ
ΠΑΝΤΑΔΙΑΥΤΟΥΕΓΕΝΕ
ΤΟΚΑΙΧΩΡΙCΑΥΤΟΥΕΓΕ
ΝΕΤΟΟΥΔΕΕΝΟΓΕΓΟΝΕ
ΕΝΑΥΤΩΖΩΗΗΝΚΑΙΗ
ΖΩΗΗΝΤΟΦΩCΚΑΙΤΟ
ΦΩCΕΝΤΗCΚΟΤΙΑΦΑΙ
ΝΕΙΚΑΙΗCΚΟΤΙΑΥΤΟ
8 ΟΥΚΑΤΕΛΑΒΕΝΕΓΕΝΕ
ΤΟΑΝΘΡΩΠΟCΑΠΕCΤΑΛ
ΜΕΝΟCΠΑΡΑΘΥΝΟΜΑ
ΑΥΤΩΙΩΑΝΗCΟΥΤΟC
ΗΛΘΕΝΕΙCΜΑΡΤΥΡΙΑΝ
ΙΝΑΜΑΡΤΥΡΗCΗΠΕΡΙΤΟΥ
ΦΩΤΟCΙΝΑΠΑΝΤΕCΠΙ
CΤΕΥCΩCΙΝΔΙΑΥΤΟΥ
ΟΥΚΗΝΕΚΕΙΝΟCΤΟΦΩ
ΑΛΛΙΝΑΜΑΡΤΥΡΗCΗΠΕ
ΡΙΤΟΥΦΩΤΟC ΗΝΤΟΦΩ
ΤΟΑΛΗΘΙΝΟΝΟΦΩΤΙ
ΖΕΙΠΑΝΤΑΑΝΘΡΩΠΟΝ
ΕΡΧΟΜΕΝΟΝΕΙCΤΟΝΚ
CΜΟΝ ΕΝΤΩΚΟCΜΩΗΝ
ΚΑΙΟΚΟCΜΟCΔΙΑΥΤΟΥ
ΕΓΕΝΕΤΟΚΑΙΟΚΟCΜΟC
ΑΥΤΟΝΟΥΚΕΓΝΩ ΕΙC
ΤΑΙΔΙΑΗΛΘΕΝΚΑΙΟΙΙΑ
ΟΙΑΥΤΟΝΟΥΠΑΡΕΛΑΒΟ
ΟCΟΙΔΕΕΛΑΒΑΝΑΥΤΟΝ
ΕΔΩΚΕΝΑΥΤΟΙΟΕΞΟΥ
CΙΑΝΤΕΚΝΑΘΥΓΕΝΕCΘΑΙ

ΤΩΝΑΝΘρώπων

VIII, *a*. — CODICIS SINAITICI ET FRIDERICO AUGUSTANI (SAEC. 4.) SPECIMINA.



VIII. *b*. — CODICIS ALEXANDRINI (SAEC. 5.) SPECIMEN.



TETRAPLA (Gen. 1, 1).

ΑΚΥΛΑΣ.	ΣΥΜΜΑΧΟΣ.	Οἱ Ὁ	ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ.
Ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ θεός σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν.	Ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν ὁ θεός τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.	Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.	Ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανόν καὶ τὴν γῆν.

HEXAPLA (Os. 11, 1).

ΤΟ ΕΒΡΑΙΚΟΝ.	ΤΟ ΕΒΡ. ΕΛΛΗΝΙΚ. ΓΡΑΜΜΑΣΙΝ.	ΑΚΥΛΑΣ.	ΣΥΜΜΑΧΟΣ.	Οἱ Ὁ.	ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ.
כי נער ישראל ואהבהו וממצרים קראתי לבני	χι νερ Ισραηλ ουεαβηοι ωμεμμεσραιμ καραθι λιδανι.	ὅτι παῖς Ἰσραὴλ καὶ ἠγάπησα αὐτὸν καὶ ἀπὸ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.	ὅτι παῖς Ἰσραὴλ καὶ ἠγαπημένος, ἐξ Αἰγύπτου κέκληται υἱός μου.	ὅτι νήπιος Ἰσραὴλ καὶ ἐγὼ ἠγάπησα αὐτὸν καὶ ἐξ Αἰγύπτου κέκληται υἱός μου.	ὅτι νήπιος Ἰσραὴλ καὶ ἠγάπησα αὐτὸν καὶ ἐκάλεσα υἱόν μου ἐξ Αἰγύπτου.

OCTAPLA (Ps. 2, 6).

ΤΟ ΕΒΡΑΙΚ.	ΤΟ ΕΒΡ. ΕΛΛ. ΓΡΑΜΜΑΣΙΝ.	ΑΚΥΛΑΣ.	ΣΥΜΜΑΧΟΣ.	Οἱ Ὁ.	ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ.	Ε′.	ϛ′.
ואני נסכתי מלכי	ουανι νασαχθι μαλχι.	κἀγὼ διεσωσάμην βασιλέα μου.	κἀγὼ ἔχρισα τὸν βασιλέα μου.	ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ.	ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ.	κἀγὼ διεσωσάμην βασιλέα μου.	κἀγὼ ἔσωσα τὸν βασιλέα μου.

ENNEAPLA (Hab. 2, 4).

ΤΟ ΕΒΡ.	ΤΟ ΕΒΡ. ΕΛΛ. ΓΡΑΜ.	ΑΚΥΛΑΣ.	ΣΥΜΜΑΧΟΣ.	Οἱ Ὁ.	ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ.	Ε′.	G′.	Ζ′.
וצדיק באמונתו יחיה :	ουσαδικ βημουναθυ ιειε.	καὶ δίκαιος ἐν πίστει αὐτοῦ ζήσεται.	ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσει.	ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται.	ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσεται.	ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσει.	ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτ πίστει ζήσεται.	ὁ δέ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσεται.

ETAIT DNS DS AD SERPENTEM
QUIA FECISTI HOC MALEDICTUS ES INTER
OMNIA ANIMANTIA ET BESTIAS TERRAE
SUPER PECTUS TUUM GRADIERIS
ET TERRAM COMEDES CUNCTIS
DIEBUS UITAE TUAE
INIMICITIAS PONAM INTER TE
ET MULIEREM
ET SEMEN TUUM ET SEMEN ILLIUS
IPSA CONTERET CAPUT TUUM
ET TU INSIDIABERIS CALCANEO EIUS
MULIERI QUOQUE DIXIT

EMISIT EUM DNS DS DE PARADISO
UOLUPTATIS
UT OPERARETUR TERRAM DE QUA
SUMPTUS EST . EIECITQUE ADAM
ET COLLOCAUIT ANTE PARADISUM
UOLUPTATIS
CHERUBIN ET FLAMMEUM GLADIUM
ATQUE UERSATILEM
AD CUSTODIENDAM UIAM
LIGNI UITAE


ADDISPERSOS

ETFLOSEIUSDECIDIT·ETDE
CORUULTUSEIUSDEPERIIT
IRAETDIUESINITINERIBUS
SUISMARCESCIT
III. BEATUS UIRQUISUFFERT
TEMPTATIONEM· QUO
NIAMCUMPROBATUSFUE
RITACCIPIETCORONAM
UITAE· QUAMREPROQ
MISITDSDILIGENTIBUSSE
NEMOCUMTEMPTATURDI
CATQUIAADDOTEMPTATUR
DSENIMINTEMPTATOR
MALORUMESTIPSEAUTE
NEMINEMTEMPTAT·
UNUSQUISQ;UEROTEMPTA
TURACONCUPISCENTIA
SUAABSTRACTUSETINLEC
TUS· DEINCONCUPIS
CENTIACUMCONCEPERIT
PARITPECCATUM· PEC
CATUMUEROCUMCONSUM
MATUMFUERITGENERAT
MORTEM·
III. NOLITEITAQ;ERRARE FF·
MEIDILECTISSIMI· CM
NEDATUMOPTIMUMETCM
NEDONUMPERFECTUMDE
SURSUMEST·

XII. — CHRONOLOGIA REGUM IUDA ET ISRAEL SAEC. 8. ET 7.

(*Iuxta P. de Hummelauer.*)

REGES IUDA.	REGES ISRAEL.	REGES ASSYRIAE.
	Ieroboam II 802-762	
Ozias (Azarias) 799-747[1]		
		Salmanasar III. (V.) 781-772
	Zacharias 762	Assurdanil 771-754
	Sellum 761	
(Ioatham socius regni 757)	Menahem 760-750	Assurnirar 753-745
	Phaceia 750-748	(*Phul* Chaldaeus)[2]
	Phacee 748-728	
Ioatham solus rex 747-741		*Theglatphalasar* II. 745-727
Achaz 741-725		
Ezechias 725-696	Osee 728-720	*Salmanasar* IV. (VI) 727-721
	Destructio Samariae 720	*Sargon* 721-704
		Sennacherib 704-680
Manasse 696-641		
		Esarhaddon 680-667
		Assurbanipal 667-626
Amon 641-639		
Iosias 639-608		Asuredilel 626-606
Ioachaz 608		
Ioakim 608-597		Destructio urbis Ninive (606)
Iechonias 597		(*Nabuchodonosor* socius re-
Sedecias 597-586		gni patris sui Nabopalasar
Destructio regni Iuda.		in BABYLONIA a. 605. post
		patris mortem a. 604. solus
		regnat usque ad a 562.).

(1) Oziam undecim primis annis simul cum patre suo Amasia et decem ultimis annis simul cum filio suo Ioatham regnasse supponitur.

(2) *Phul*, cuius nomen in inscriptionibus assyriacis non invenitur, eundem esse atque *Theglathpalasar II.* supponitur. Duo enim ultimi reges *Assurdanil* et *Assurnirar* desides fuerunt et ignavi; quare eorum iam tempore *Phul Chaldaeus* provincias regni assyriaci sibi subiicere coepit, donec Assurnirare mortuo ipsum thronum assyriacum occuparet et tamquam Assyriorum rex novum nomen Theglathphalasar assumeret.

XIII. — CHRONOLOGIA PTOLEMAEORUM ET SELEUCIDARUM SAEC. 3. ET 2.

Res Iudaeorum.	Ptolemaei.	Seleucidae.
Onias I. (Pontif.) c. 321-310.	Ptolemaeus I. Lagi. 323-284.	Seleucus I. Nicator 312-281.
Simon I. Iustus (Pontif.) 310-291.		
Eleazarus (Pontif.) 291-276.	Ptolemaeus II. Philad. 286-247.	
(*Alexandrina Pentateuchi versio* c. a. 285.)		Antiochus I. Soter 281-262.
Manasses (Pontif.) 276-251.		Antiochus II. Theos 262-247.
Onias II. (Pontif.) 251-219.	Ptolemaeus III. Euerg. I. 247-222.	Seleucus II. Callin. 247-227.
		Seleucus III. Ceraun. 227-223.
Simon II. (Pontif.) 219-199.	Ptolemaeus IV. Philop. 222-205.	Antiochus III. Magnus 223-187.
(*Origo libri Sap. in Aegypto.*)		
Onias III. (Pontif.) 199-175.	Ptolemaeus V. Epiph. 204-180.	
(*Origo libri Eccli. in Palaestina.*)	Ptolemaeus VI. Philometor 180-145.	Seleucus IV. Philop. 187-176.
Iason (Pontif.) 175-172.		Antiochus IV. Epiphanes 176-163.
Menelaus (Pontif.) 172-163.	(Ptolemaeus VII. Euergetes II. Physcon 170-164; iterum 145-117.)	
Mathathias eiusque posteri.		
Iudas Mach. 166-161.		Antiochus V. Eupator 163-162.
Ionathan. 161-143.		Demetrius I. Soter 162-150.
(Templum iudaicum in Aegypto aedificatur per Oniam IV.)	(Ptolemaeus VIII. Philop. II. 145.)	Alexander Balas (152)-145.
Simon. 143-136.	Ptolemaeus VII (IX.) Physcon. 145-117.	Demetrius II. Nicator 146-142. (iterum 130-126).
		Antiochus VI. Tryphon 144-143.
Ioannes Hyrcanus 136-106.		Antiochus VII. Sidetes 143-131.
(*Graeca Eccli. versio in Aegypto. Origo* 1. *et* 2. *Machab.*)	Ptolemaeus VIII. (X.) Lathyr. 117-81	Demetrius II. Nicator 130-126
Aristobulus I. (rex) 106.		

XIV. — INDICULUS CHRONOLOGICUS ACTUUM APOST. ET AETATIS APOSTOLICAE.

		Imperatores romani; procuratores Iudaeae etc.
29.	Fundatio Ecclesiae (*Act.* 1,1-2,26).	*Tiberius* 14-37. (in provinciis 11-37.).
	Propagatio Evangelii inter Iudaeos ierosolymitanos (3,1-6,7).	
33.	Martyrium S. Stephani (6,8-7,59).	
	Propagatio Evangelii inter Iudaeos per Palaestinam et Syriam (8,1-40).	
34.	Conversio S. Pauli (9,1-21 eiusque iter arabicum (*Gal.* 1,17).	
37.	Pauli 1. iter ierosolymitanum et reditus in patriam (9,22-30).	*Caius Caligula* 37-41.
38.	Petrus ecclesias Iudaeae et Samariae visitans (9,31-43)	
39.	primos ethnicos in Ecclesiam recipit (10, 1-11,18).	
40.	Prima ecclesia ethnicochristiana Antiochiae (11,19-21)	
	approbatur ab Apostolis misso Barnaba (11,22-24).	*Claudius* 41-54.
42.	(Fundatio ecclesiae romanae.)	
	Barnabas arcessito Paulo multos ethnicos Antiochiae convertit (11,25.26).	
44.	Ambo eleemosynas Ierosolyma deferunt (11,27-30. Pauli 2. iter ierosolymit.; eius magna visio 2 *Cor.* 12,2).	
	Martyrium S. Iacobi Mai. et Petri liberatio e carcere (12,1-23).	
		Mors Herodis Agrippae I (Cuspius Fadus 44-46.)
45.	Paulus et Barnabas Antiochiam reverteruntur (12,24. 25).	
	Primum iter apostolicum Pauli et Barnabae in Cyprum et in Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam, i. e. in provinciam Galatiae (13,1-14,25).	(Tiberius Alex. 46-48.)
	Quo finito Antiochiae consuetis laboribus vacant (14,26. 27).	(Ventidius Cum. 48-52.)

	(Evangelium S. Matthaei.)	
51.	Concilium apostolicum (15,1-24; *Gal.* 2,1-10; Pauli 3. iter ierosolymit.).	
	(Petrus et Paulus Antiochiae. *Gal.* 2, 11 sqq.)	
	Pauli *alterum iter apostolicum* per Ciliciam et provinciam Galatiae (15,35-16,5) in Macedoniam, ubi Philippis, Thessalonicae, Beroeae ecclesias fundat (16,6-17,12)	
52.	et in Achaiam, ubi Athenis et Corinthi praedicat (17,13-18,17).	
	(Corinthi scribit 1. 2 Thess., Gal.)	(Felix 52-61.)
53.	(Eius iter illyricum. *Rom.* 15,19).	
	(Evangelium S. Marci.)	
54.	Corintho per Ephesum Caesaream venit (4. iter ierosolym.) et Antiochiam revertitur (18,18-22).	*Nero* 54-68.
55.	*Tertium iter apostolicum* per Galatiam et Phrygiam Ephesum, ubi diu residet (18,23-19,22).	
58.	(1 Cor.). Seditione Ephesum relinquere coactus (19,23-40) per Macedoniam (2 Cor.) venit Corinthum, ubi aliquot mensibus residet (20,1-3) (Rom.).	
59.	Corintho Ierosolyma reversus in vincula coniicitur (20,4-23,11).	
	Biennio captivus Caesareae retinetur a Felice (23,12-24,27),	
61.	a cuius successore Festo Romam mittitur (25,1-28,10).	(Festus 61-63.)
62.	Verno tempore Romam adveniens per biennium in custodia libera tenetur (28,11-31).	
	(Ep. B. Iacobi.)	
63.	(Martyrium S. Iacobi Min.)	(Albinus 63-65.)
	Biennio captivitatis Paulus scribit Philipp. et versus eiusdem finem Coloss., Philem., Ephes., Hebr.	
	(Evangel. S. Lucae; Actus Apost.)	
64.	Ante aestatem proficiscitur in Hispaniam. Persecutio Neroniana.	
	(Ep. 1 Petri.)	
65.	Ex Hispania per Cretam, ubi Titum relinquit, in Asiam Min. Paulus revertitur.	(Florus 65.)
	(Ep. B. Iudae.)	

	Ephesi Paulus Timotheum relinquit in Macedoniam profecturus. (1. Tim.; Tit.)	
66.		(Initium belli Iudaici.)
67.	Romam reversus Paulus cum Petro martyrio coronatur. Brevi ante mortem ambo ultimas suas epistolas scribunt (2 Tim.; 2 Petri).	
68.		*Galba, Otho, Vitellius.* 68
69.		*Vespasianus* 69-79.
70.	(Destructio Ierosolymorum.)	
		Titus 79-81.
		Domitianus 81-96.
95.	Persecutio Domitiani. — S. Ioannes in insula Patmos. (Apocalypsis.)	
96.	S. Ioannes Ephesum reversus iterum ecclesias asiaticas regit. (Ev. S. Ioannis; tres ep. Ioan.)	*Nerva* 96-98.
c. 100.	*Mors S. Ioannis.*	*Traianus* 98-117.

INDEX.

Prolegomena de Introductionis necessitate, historia, argumento, divisione 1

PARS PRIMA. INTRODUCTIO GENERALIS *de Utriusque Test. canone, textu, interpretatione* 7

DISSERTATIO PRIMA. *Historia canonis Utriusque Testamenti* 9

Caput I. De Scripturarum nominibus, partitione, ordine praenotanda 9
§ 1. De Scripturarum nominibus praecipuis 9
§ 2. De librorum sacr. numero, ordine, partitionibus 11

Caput II. Historia canonis Veteris Testamenti 15
§ 3. De canone Veteris Test. apud Iudaeos 15
§ 4. De canone Veteris Test. apud Christianos 20
Qu. 1. Veteris Test. canon in Novo approbatus 20
Qu. 2. Canon Vet. Test. tribus primis Ecclesiae saeculis . . 21
Qu. 3. Patrum saec. 4. et 5. de canone V. T. sententiae . . 24
Qu. 4. Canon Vet. Test. a medio saec. 5. usque ad 10. . . 30
Qu. 5. Canon Vet. Test. media Ecclesiae aetate 32
Qu. 6. Canon V. T. a Conc. Trid. ad nostram aetatem . . . 35

Caput III. Historia canonis Novi Testamenti 37
§ 5. De apostolicorum librorum origine et prima collectione 37
§ 6. De canone Novi Test. primis tribus saeculis 39
§ 7. Canon Novi Test. a saec. 4. ad nostram usque aetatem 45

Caput IV. De libris apocryphis et deperditis Utriusque Test. . . . 49
§ 8. De genuina apocryphi notione et de apocryphorum distributione 49
§ 9. De Veteris Test. apocryphis 50
§ 10. De Novi Test. apocryphis 52
§ 11. De libris deperditis Utriusque Testamenti 55

DISSERTATIO SECUNDA. *De textuum primigeniorum et versionum historia et auctoritate* 57

Sectio prior. De Utriusque Test. textibus primigeniis 58

Caput I. De textu hebraico Veteris Test. 58
§ 1. De lingua hebraica literarumque hebraicarum notis . . . 58
§ 2. Textus hebraici historia 61
§ 3. De textus massorethici auctoritate 67

Caput II. De textu graeco Novi Test. 70
§ 4. De lingua primigenia librorum Novi Test. 70
§ 5. De externa forma librorum Novi Test. 72
§ 6. Historia textus Novi Test. 73
§ 7. De graeci Novi Test. auctoritate 79

Sectio altera. De Utriusque Test. versionibus antiquis. 81

Caput III. De versionibus graecis Veteris Test. 81
§ 8. De alexandrinae versionis origine et indole. 81
§ 9. De reliquis V. T. versionibus graecis (*Aq., Theod., Symm.*). 84
§ 10. Historia textus versionis alexandrinae (*Origenis Hexapla*). 86
§ 11. De alexandrinae versionis auctoritate. 89
§ 12. De versionibus ex alexandrina derivatis. 90
(1. *Itala*, 2. *Copticae*, 3. *Aethiopica*, 4. *Gothica*, 5. *Armeniaca et Georg.*, 6. *Syricae* etc.). 91

Caput IV. De versionibus orientalibus immediatis Utriusque Test. . 100
§ 13. De chaldaicis Veteris Test. paraphrasibus (Thargumim). 100
(1. *Onkelos et Ps. Ionathan*, 2. *Ionathan* etc.). 100
§ 14. De syriaca Utriusque Test. versione simplici (*Peschito*). . 103
§ 15. De arabicis et persicis versionibus immediatis. 105

Caput V. De versione latina Vulgata. 107
§ 16. De Vulgatae origine, indole, propagatione. 107
§ 17. Historia textus Vulgatae usque ad Conc. Trident. . . . 110
§ 18. Decretum Tridentinum de Vulgatae auctoritate. 112
§ 19. De Vulgatae correctione romana. 117
§ 20. De versionibus ex Vulgata derivatis. 120

Caput VI. De usu critico textuum primigeniorum et versionum. . . 123
§ 21. Criticae sacrae praecepta praecipua. 123
§ 22. De sacrae criticae subsidiis (*Apparatus crit., Polyglotta maiora*). 125

DISSERTATIO TERTIA. *De interpretatione S. Scripturae.* 127

Sectio prior. Systema hermeneuticum. 128

Caput I. De S. Scripturarum sensibus. 128
§ 1. De sensus scripturistici definitione et speciebus. 128
§ 2. De sensu literali. 129
§ 3. De sensu typico (spirituali). 133
§ 4. De S. Scripturarum accommodatione 136

Caput II. Leges hermeneuticae. 138
§ 5. Leges interpretationis grammatico-historicae. 138
§ 6. Interpretationis catholicae praecepta. 143

Sectio altera. Conspectus historiae exegeseos. 149

Caput III. De interpretatione Iudaeorum. 149

§ 7. Antiquorum Iudaeorum systemata hermeneutica (*Thalmudistae, Karaitae, Alexandrini, Kabbalistae*)... 149
§ 8. Praecipui Iudaeorum interpretes iuniores. 151

Caput IV. De interpretatione Catholicorum 153
§ 9. SS. Patrum varia systemata hermeneutica (*Alexandrini, Antiocheni*) 153
§ 10. Praecipui interpretes orientales a 3. usque ad 6. saec. . 154
§ 11. Praecipui interpretes occidentales a 3. usque ad 6. saec. 157
§ 12. Graeci interpretes a 6. usque ad 13. saec. (*Catenae*). . . 159
§ 13. Latini interpretes a 7. usque ad 12. saec. (*Glossae*). . . 161
§ 14. De Scholasticorum interpretatione 162
§ 15. Aureum modernae exegeseos catholicae saeculum (1563.-1660.) 166
§ 16. Studia scripturistica saec. 2. et 3. post Conc. Trid. . . . 169

Caput V. De interpretatione protestantica. 173
§ 17. Ab orto Protestantismo usque ad Rationalismi origines. 173
§ 18. Varia rationalismi biblici systemata. 175
§ 19. Studia scripturistica modernorum Protestantium. . . . 179

PARS II. Introductio specialis *in Veteris Test. libros*. . . . 181

Dissertatio iv. *De Veteris Testam. libris historicis*. 183

Caput I. De Pentateucho mosaico. 183
§ 1. De Pentateuchi argumento et partitione. 183
§ 2. Variae sententiae de Pentateuchi origine. 190
§ 3. De mosaica Pentateuchi origine. 193
§ 4. Obiectiones contra Pentateuchi antiquitatem. 200
§ 5. De Pentateuchi unitate. 205
§ 6. De mosaica origine Deuteronomii et « Codicis sacerdotalis ». 214
§ 7. De Pentateuchi auctoritate. 220
§ 8. De praecipuis commentariis cath. in Pentateuchum. . . 222

Caput II. De libro Iosue. 224
§ 9. De libri Iosue argumento, divisione, fine. 224
§ 10. De libri Iosue unitate. 226
§ 11. De libri Iosue origine. 228
§ 12. De libri Iosue auctoritate. 231
§ 13. De praecipuis commentariis cath. in l. Iosue. 232

Caput III. De libris Iudicum et Ruth. 234
§ 14. De argumento, fine, divisione libri Iudicum. 234
§ 15. De libri Iudicum origine. 236
§ 16. De libri Iudicum auctoritate. 238
§ 17. De libri Ruth argumento, fine, auctore. 241
§ 18. De praecipuis commentariis cath. in ll. Iudic. et Ruth. . 243

Caput IV. De duobus libris Samuel (1. 2 *Regum*). 244
§ 19. De librorum Samuel argumento, divisione, fine. 244

§ 20. De librorum Samuel origine. 247
§ 21. De librorum Samuel auctoritate. 251

Caput V. De 3. et 4. libris Regum. 253
§ 22. De librorum 3. 4 Regum argumento, divisione, fine. . . 253
§ 23. De origine librorum 3. 4 Regum. 255
§ 24. De auctoritate librorum 3. 4 Regum. 258
§ 25. De praecipuis commentariis cath. in ll. Samuel et Regum. 260

Caput VI. De duobus libris Paralipomenon. 262
§ 26. De Paralipomenon argumento, divisione, fine. 262
§ 27. De origine Paralipomenon. 265
§ 28. De Paralipomenon auctoritate. 266
§ 29. De praecipuis commentariis cath. in Paralipomena. . . . 270

Caput VII. De duobus libris Esdrae. 271
§ 30. De librorum Esdrae argumento, divisione, fine. 271
§ 31. De origine librorum Esdrae. 273
§ 32. De auctoritate librorum Esdrae. 275
§ 33. De praecipuis commentariis cath. in libros Esdrae. . . . 276

Caput VIII. De libro Tobiae. 277
§ 34. De libri Tobiae textibus, argumento, fine. 277
§ 35. De auctoritate et origine libri Tobiae. 279

Caput IX. De libro Iudith. 282
§ 36. De textibus, argumento, fine libri Iudith. 282
§ 37. De libri Iudith auctoritate et origine. 284

Caput X. De libro Esther. 288
§ 38. De libri Esther textibus, argumento, fine. 288
§ 39. De auctoritate et origine libri Esther. 290

Caput XI. De duobus Machabaeorum libris. 294
§ 40. De utriusque libri Mach. argumento et fine. 294
§ 41. De utriusque libri origine, indole, auctoritate. 297
§ 42. De praecipuis commentariis cath. in ll. Tob., Iudith, Esth., Machab. 301

DISSERTATIO V. *De Veteris Test. libris didacticis.* 303

Caput I. De sacra poesi Hebraeorum. 303
§ 1. De rhythmica hebraicorum carminum structura. 303
§ 2. De carminum hebr. speciebus et de dictione poetica. . . 307

Caput II. De libro Iob. 310
§ 3. De argumento, divisione, fine libri Iob. 310
§ 4. De libri Iob origine et integritate. 314
§ 5. De libri Iob auctoritate. 317
§ 6. De praecipuis commentariis cath. in librum Iob. 319

Caput III. De Psalterio davidico. 321
§ 7. De Psalterii nominibus, divisione, ordine. 321
§ 8. De Psalmorum inscriptionibus. 323

§ 9. De Psalmorum et Psalterii origine. 326
§ 10. De Psalmorum argumento et auctoritate. 329
§ 11. De praecipuis commentariis cath. in Psalterium. 332

Caput IV. De tribus libris Salomonicis. 335
I. De Proverbiorum libro. 335
§ 12. De libri Proverb. argumento, divisione, fine. 335
§ 13. De origine et auctoritate libri Proverb. 337
II. De libro Ecclesiastae. 341
§ 14. De argumento, divisione, fine Ecclesiastae. 341
§ 15. De origine et auctoritate Ecclesiastae. 344
III. De Cantico Canticorum. 348
§ 16. De Cantici unitate, argumento, divisione. 348
§ 17. De Cantici origine et auctoritate. 352
§ 18. De praecipuis commentariis cath. in libros Salomonicos. 353

Caput V. De duobus libris Pseudosalomonicis. 356
I. De libro Sapientiae. 356
§ 19. De argumento, divisione, fine libri Sapientiae. 356
§ 20. De libri Sapientiae unitate, integritate, origine. 358
§ 21. De libri Sapientiae divina auctoritate. 360
II. De Ecclesiastico. 362
§ 22. De argumento, divisione, fine Ecclesiastici. 362
§ 23. De Ecclesiastici origine. 364
§ 24. De divina auctoritate Ecclesiastici. 366
§ 25. De praecipuis commentariis cath. in II. Sap. et Eccli. . . 370

DISSERTATIO VI. *De Veteris Test. libris propheticis.* 371

Caput I. De libris propheticis universe spectatis. 371
§ 1. De prophetarum nominibus et officiis. 371
§ 2. De numero et distinctione prophetarum. 374
§ 3. De libris propheticis eorumque dictione. 376

Caput II. De Prophetia Isaiae. 381
§ 4. De prophetae vita et temporibus. 381
§ 5. De libri Isaiae argumento, ordine, indole. 383
§ 6. De auctoritate et authentia vaticiniorum Isaiae. 388
§ 7. De praecipuis commentariis cath. in Isaiae vaticinia. . . 392

Caput III. De Ieremiae libris et de Prophetia Baruch. 394
§ 8. De Ieremiae vita et temporibus. 394
§ 9. De Prophetia Ieremiae. 396
Qu. 1. De duplici recensione libri. 396
Qu. 2. De libri argumento, ordine, indole. 397
Qu. 3. De libri origine et auctoritate. 402
§ 10. De Lamentationibus Ieremiae. 404
§ 11. De Prophetia Baruch et de Epistola Ieremiae. 407
Qu. 1. De Epistola Ieremiae (*Bar.* 6.). 407
Qu. 2. De Prophetiae Baruch (*Bar.* 1.-5.) argumento et authentia. 408

Qu. 3. De utriusque libelli canonicitate. 411
§ 12. De praecipuis commentariis cath. in ll. Ieremiae et Baruch. 411

Caput IV. De Prophetia Ezechielis. 413
§ 13. De Ezechielis vita et munere 413
§ 14. De Ezechielis libro. 414
§ 15. De praecipuis commentariis cath. in Ezechielem. 420

Caput V. De Prophetia Danielis. 421
§ 16. De Danielis vita et munere. 421
§ 17. De libri Danielis argumento et indole. 422
§ 18. De Danielis libri authentia et auctoritate. 425
Qu. 1. De protocanonici libri origine 425
Qu. 2. De deuterocanon. partium authentia et auctoritate. . 428
§ 19. De praecipuis commentariis cath. in Danielem. 432

Caput VI. De duodecim prophetis minoribus. 434
§ 20. De duodecim prophetarum volumine. 434
§ 21. De Prophetia Osee. 435
§ 22. De Prophetia Ioel. 437
§ 23. De Prophetia Amos. 440
§ 24. De Prophetia Abdiae. 442
§ 25. De Prophetia Ionae. 443
§ 26. De Prophetia Michaeae. 445
§ 27. De Prophetia Nahum. 447
§ 28. De Prophetia Habacuc. 448
§ 29. De Prophetia Sophoniae. 449
§ 30. De Prophetia Aggaei. 450
§ 31. De Prophetia Zachariae. 452
§ 32. De Prophetia Malachiae. 455
§ 33. De praecipuis commentariis cath. in Prophetas Minores. 457

PARS III. Introductio specialis *in singulos Novi Test. libros*. 459

Dissertatio vii. *De Novi Test. libris historicis*. 461

Caput I. De Evangeliis synopticis singulis 461
§ 1. Praenotanda de Evangeliis in universum. 461
§ 2. De Evangelio secundum Matthaeum 464
Qu. 1. De S. Matthaei vita. 464
Qu. 2. De primi Evangelii authentia et integritate. 465
Qu. 3. De primi Evangelii lingua primitiva. 469
Qu. 4. De destinatione et fine primi Evangelii. 471
Qu. 5. De primi Evangelii ordine. 474
Qu. 6. Quo loco et tempore primum Evangelium sit scriptum. 476
§ 3. De Evangelio secundum Marcum. 477
Qu. 1. De S. Marci Evangelistae vita. 477
Qu. 2. De secundi Evangelii authentia et integritate. . . . 478
Qu. 3. De eius destinatione et fine. 482

Qu. 4. De eius ordine. 484
Qu. 5. Quo tempore secundum Evangelium prodierit. . . 486
§ 4. De Evangelio secundum Lucam. 487
Qu. 1. De S. Lucae Evangelistae vita. 487
Qu. 2. De tertii Evangelii authentia et integritate. 487
Qu. 3. De destinatione et fine tertii Evangelii. 491
Qu. 4. De eius ordine et auctoritate historica. 494
Qu. 5. Quo loco et tempore tertium Evangelium prodierit. 498

Caput II. De Evangeliorum synopticorum mutua relatione. . . . 499
§ 5. De Evangel. synopticorum affinitate eiusque ratione. . . 499
Qu. 1. Status quaestionis. 499
Qu. 2. Systemata Evangelii primitivi et mutuae dependentiae. 501
Qu. 3. Systema traditionis oralis. 503
§ 6. De Synopticorum contradictionibus apparentibus. . . . 504

Caput III. De quarto Evangelio seorsim spectato 508
§ 7. De Evangelio secundum Ioannem 508
Qu. 1. De S. Ioannis Apostoli et Evangelistae vita. 508
Qu. 2. De quarti Evangelii authentia et integritate. 510
Qu. 3. De eius destinatione et fine. 515
Qu. 4. De eius ordine. 517
Qu. 5. Quo tempore et quo loco sit scriptum. 520

Caput IV. De quatuor Evangeliorum convenientia. 521
§ 8. De Evangelio quarto cum synopticis comparato . . . 521
§ 9. De chronologica synopsi historiae evangelicae . . . 524
§ 10. De praecipuis commentariis cath. in Evangelia . . . 526

Caput V. De Actibus Apostolorum 530
§ 11. De Actuum Apostolorum authentia. 530
§ 12. De Actuum fine et historica auctoritate. 532
§ 13. De Actuum ordine et chronologia. 534
§ 14. De praecipuis commentariis cath. in Actus Apost. . . . 537

Dissertatio viii. *De libris didacticis Novi Testamenti* 539

Caput I. De epistolis paulinis universe spectatis. 539
§ 1. De S. Pauli, gentium Apostoli, vita. 539
§ 2. De epistolarum paulinarum numero et ordine. 545
§ 3. De earum argumento deque adversariis impugnatis. . . 547
§ 4. De externa epistolarum paulinarum forma. 549

Caput II. De epistolis paulinis singulis. 552
I. De epistolis ante priorem captivitatem scriptis. 552
§ 5. De duabus epistolis ad Thessalonicenses. 552
§ 6. De epistola ad Galatas. 557
§ 7. De duabus epistolis ad Corinthios. 561
§ 8. De epistola ad Romanos. 567
II. De epistolis in priore captivitate scriptis. 571
§ 9. De epistola ad Philippenses. 571
§ 10. De epistola ad Ephesios. 574

§ 11. De epistola ad Colossenses. 578
§ 12. De epistola ad Philemonem. 580
§ 13. De epistola ad Hebraeos. 581
III. De epistolis pastoralibus. 588
§ 14. De epistolarum pastoralium authentia. 588
§ 15. De epistola ad Titum. 590
§ 16. De duabus epistolis ad Timotheum. 592
§ 17. De praecipuis commentariis cath. in epistolas paulinas.. 595

Caput III. De epistolis catholicis. 598
§ 18. De epistolarum catholicarum nomine et ordine. 598
§ 19. De epistola catholica B. Iacobi Apostoli. 599
§ 20. De duabus epistolis B. Petri Apostoli. 604
§ 21. De epistola catholica B. Iudae Apostoli. 613
§ 22. De tribus S. Ioannis Apostoli epistolis. 615
§ 23. De praecipuis commentariis cath. in epistolas catholicas. 619

DISSERTATIO IX. *De Novi Test. libro prophetico*. 621
De Apocalypsi B. Ioannis Apostoli.. 621
§ 1. De Apocalypseos origine apostolica et divina. 621
§ 2. De eius charactere prophetico, argumento, ordine. . . 626
§ 3. De eius fine et utilitate.. 631
§ 4. De praecipuis commentariis cath. in Apocalypsin. . . . 633

APPENDICES. 635

I. S. P. Leonis XIII Literae encyclicae de studiis Scripturae sacrae 637
II. De inspiratione librorum sacrorum. 657
III. Fragmentum muratorianum. 671
IV. Origo literarum semiticarum et graecarum. 675
V. Primitivarum literarum semiticarum mutationes. 676
VI. Codicis babylonici specimen. 677
VII. Codicis vaticani specimen. 678
VIII. Codicum sinaitici et alexandrini specimen 679
IX. Dispositio columnarum in Origenis Hexaplis. 680
X. Codicis amiatini specimen. 681
XI. Codicis fuldensis specimen. 682
XII. Chronologia regum Iuda et Israel saec. 8. et 7 683
XIII. Chronologia Ptolemaeorum et Seleucidarum saec. 3. et 2.. 684
XIV. Chronologia aetatis apostolicae. 685

220.1
C815

1919

Cornely, Rudolph

AUTHOR HISTORICAE...
Introductionis in Script.

TITLE Compendium

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONOVAN	
	Curr	
	STORAGE - COSA	

1919